STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

SYNOPSIS

RERUM MORALIUM ET IURIS PONTIFICII

SYNOPSIS

RERUM MORALIUM ET IURIS PONTIFICII

ALPHABETICO ORDINE DIGESTA

ET NOVISSIMIS SS. RR. CONGREGATIONUM DECRETIS AUCTA

IN SUBSIDIUM PRAESERTIM SACERDOTUM

AUCTORE

BENEDICTO OJETTI S. I.

« Nulli sacerdotum liceat canones ignorare »
c. 4. dist. 38

WITHDRAWN

VOLUMEN III.

P-V

EDITIO TERTIA EMENDATA ET AUCTA

STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

ROMAE
EX OFFICINA POLYGRAPHICA EDITRICE
Piazza della Pigna N. 53
—
1912

POTEST IMPRIMI

Romae, die 15 augusti anni 1909.

Aloisius Caterini S. I.
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

Romae, die 14 iulii 1912.

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Romae, die 14 iulii 1911.

Franciscus Faberi Vicar. Urbis Assessor.

OJF

P

2981 **Pacis bonum.** — Inter causas ob quas conceduntur dispensationes matrimoniales annumeratur etiam bonum pacis. Bonum autem pacis plures sub se complectitur causas, quae sunt: propter lites super rebus magni momenti, propter lites super successione bonorum, propter inimicitias, confirmatio pacis, foedera inter reges et principes. *Praxis ap. disp. super imped. matr. n. 105 sq.*

Hanc causam ita exponit S. C. de Prop. Fide (9 maii 1877): « Bonum pacis, quo nomine veniunt nedum foedera inter regna et principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos et affines ortae sunt, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur, vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et licet pax inter ipsos inita iam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret ».

Tum bona, propter quae lites exortae sunt, tum inimicitiae, quae vigent, aut etiam quarum periculum adest, licet nondum exortae sint, debent esse magni momenti et graves. Quare exsistentiam et gravitatem harum litium et inimicitiarum debet executor verificare.

Aliquando autem in concessione dispensationis apponitur clausula — et facta prius litium huiusmodi hinc inde cessione seu compositione — : « et tunc etiam exsecutor tenetur id verificare, licet conditio non sit, sed monitio; gravis tamen in re gravi monitio, ad omnem impediendam deceptionem, quae posset adesse. Sed, ea clausula omissa, praedicta compositio per se loquendo, ut alias semper, ad validitatem pertinet dispensationis ». *Praxis etc. l. c.*

Omnes hae causae sunt graves; gravissimae, si inimicitiae sint cum periculo vitae, vel nobilium et potentium personarum, aut vigeant inter reges et principes.

Si causa est confirmatio pacis, tunc verificari debet, quod pax iam sit secuta. An haec causa sufficiat pro gradibus tantum remotioribus, an etiam pro proximioribus? Antiquiores generatim putarunt sufficere tantum pro remotioribus (Pyrrhus Corradus etc.); alii volunt sufficere et pro propinquioribus. In recenti formulario dispensationum edito a Dataria Apostolica (*form. 25*) invenitur allegata haec una causa *propter inimicitias* ad dispensationem super impedimento consanguinitatis in primo gradu pro hete-

STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

rodoxorum loco. Mon. eccl. *vol. XIII pag. 414 sqq.*

2982 **Pactum.** — **De natura pacti.** — Distinguere pactum a contractu mos est, quemadmodum genus a sua specie distinguitur, et tunc patet, contractum strictius sumi, quum late sumptus contractus dicatur etiam pactum, et pacto nomen detur contractus.

Pactum igitur et contractus latiori sensu est duorum vel plurium in idem placitum consensus. *l. 1 § 2 de pactis D. (II. 14); l. 3 de pollicitationibus D. (L. 12).*

Quare, ut ex dictis patet, pactum complectitur sub se quoscumque contractus, sive onerosos ac proprie dictos sive gratuitos, simulque transactiones; nam haec omnia sunt quaedam conventiones seu consensus plurium in idem placitum. Reiffenstuel *in tit. 35 lib. I Decr. n. 9.*

De pacto nudo et vestito — Omissis aliis divisionibus pacti, quas omnes hic recensere nimium esset, de potiore tantum divisione aliquid est dicendum, qua scilicet pactum deducitur in nudum et vestitum.

2983 Pactum nudum illud dicitur, quod in sola conventione paciscentium consistit, et vocatur nudum, quia stat in nudis et puris finibus conventionis; scilicet solum pactum est, et nihil amplius; quemadmodum, eadem assumpta metaphora, dicitur nudus consensus, nuda voluntas etc. Reiffenstuel *l. c. n. 11;* B. P. *III. 556.*

Pactum vestitum, quod etiam dicitur legitimum, illud est, quod praeter conventionem partium habet aliquod iuris adminiculum, ratione cuius non modo parit obligationem naturalem, sed etiam actionem in foro civili. Quare in iure dicitur: « legitima conventio est, quae lege aliqua confirmatur; et ideo interdum ex pacto actio nascitur vel tollitur, quoties lege vel Senatusconsulto adiuvatur ». *leg. 6 tit. cit. D. (II. 14).*

De modis, quibus pacta vestiuntur. — 2984 Pacta igitur pluribus modis vestiuntur, quos sic recenset Pichler (*in tit. 35 lib. 1 Decr.*), scilicet:

a) si transeant in contractum specificum;

b) si in continenti adiiciantur tali contractui;

c) si ex alterutra parte traditio secuta est;

d) si fiant in iudicio;

e) si super iis conficiatur instrumentum publicum;

f) si accesserit stipulatio, hoc est, si interroganti an promittas te daturum vestem ex. gr., respondeas, promitto;

g) si accesserit iuramentum, saltem in casu, quo iura tribuunt actionem ex promissione iurata;

h) si ius civile specialiter assistat tribuendo actionem civilem, ut assistit donationi simplici, promissioni dotis acceptatae, pactis sponsalitiis, constituto, seu promissioni de solvendo debito proprio vel alieno, item pacto de usuris et de pignore.

Haec de iure romano.

De actione et exceptione ex nudo pacto. — 2985 In iure canonico datur actio ob nudum pactum, dummodo initum sit pactum (promissionis) cum expressione causae, quando causa spectet ad forum ecclesiasticum sive ratione personarum sive ratione materiae; et,

si agatur de promissione facta ecclesiae, non est opus expressione causae, quum causa semper praesumatur expressa, scilicet causa religionis et pietatis. B. P. *III. 556.*

In iure autem civili romano pactum nudum non parit actionem, sed exceptionem parit.

2986 **De consensu requisito** (*remissive*). — Consensus in omni pacto essentialiter necessarius est, et essentialiter debet esse verus et non fictus, immunis a dolo, errore ac metu.

Confer circa hoc et circa alia plura, quae ad pacta pertinent, ea quae diximus de contractibus sub *Contractus.*

Bibliographiam quaere sub *Contractus.*

2987 **Palla. — Quanam materia confici debeat.** — Debet esse linea vel ex cannabe (Rit. celebr. *tit. I. n. 1; decr. gen. S. R. C. 15 maii 1819* [*2600*]; De Herdt *Sacrae lit. praxis I. 167*), et benedicta. Croix *Th. mor. lib. VI p. II n. 308. 6°;* De Herdt *loc. cit. n. 168.*

2988 **De benedictione pallarum.** — Diximus iam, pallas esse benedicendas. Porro quoad hanc benedictionem notanda sunt sequentia. Benedici potest palla etiam separatim a corporali, ex. gr. quando corporale est iam benedictum, et adest nova palla seu adsunt novae pallae benedicendae absque corporali. *S. R. C. in Briocen. 4 sept. 1880 ad 3* (*3524*). Formula autem recitanda est, prout iacet, etiam quando benedicitur unica palla cum unico corporali, aut quando plures adsunt pallae benedicendae simul cum uno corporali, aut plura corporalia absque vel simul cum una vel pluribus pallis; quare in omnibus his casibus formula non est immutanda nec transferenda de numero singulari ad pluralem. *S. R. C. decr. nuper cit.*

De necessitate adhibendi pallam ad missam. — 2989 Palla necessaria est ad missam, non tamen probabilius sub gravi. Croix *loc. cit. n. 332;* S. Alph. *VI. 388.*

Permittitur etiam uti palla panno serico cooperta et auro contexta, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat, et pannus superior non sit niger, vel referens signa mortis (*S. R. C. 17 iul. 1894 ad 4* [*3832*]); palla autem haec subnexa debet esse palla proprie dicta (quales nempe sunt omnes pallae, quae ordinarie adhibentur), linea, munda et facile amovibilis. *S. R. C. 24 nov. 1905 ad 2.*

De ablutione pallarum. — Sine spe- 2990 ciali indulto Sedis Apostolicae ablutio corporalium, purificatoriorum et pallarum spectat ad clericos, qui saltem subdiaconi sint. *S. C. EE. RR. 9 iun. 1860.* Hinc moniales seu piae feminae vitam communem sub regula degentes non possunt etiam de licentia ordinarii abluere corporalia, pallas et purificatoria. *S. R. C. in Molinen. 12 sept. 1857 ad 26* (*3059*). Vid. *Corporale.*

De palla reliquiis sanctorum non supponenda. — Reliquiis alicuius sancti expositis publicae venerationi inter candelabra non debet supponi palla. *S. R. C. in Ariminen. 7 apr. 1832 ad 3* (*2689*).

Schrod Art. Palla in Wetzer und Welte's Kirchenlexicon; *Kleinschmidt* Korporale u. Palla.

Pallium. — Quid sit materialiter 2992 **sumptum.** — Materialiter sumptum est fascia linea nivei coloris tres cir-

citer digitos lata in modum circuli contexta, quae humeros cingit, habetque ab utraque parte lineas seu fasciolas, quarum anterior ante pectus, posterior infra humeros demittitur, intextis, partim in binis hisce fasciolis, partim in circulo humeris incumbente, sex (antiquitus quatuor) sericis nigrisque (antiquitus purpureis, Inn. III *de myst. miss. lib. 1 c. 63*) crucibus. Schmalzgrueber *in tit. 8 lib. I Decr. n. 1;* Reiffenstuel *in eumd. tit. n. 3;* Moroni *Diz. di erudiz. v.* « *Pallio* »; Devoti *Ius. can. univ. in tit. de auct. et usu pallii.*

2993 **Quid sit formaliter sumptum.** — Formaliter pallium est signum auctoritatis supra-episcopalis. *c. 3 de auct. et usu pallii X.* (*I. 8*).

2994 **Quibusnam pallium concedatur.** — Conceditur proinde patriarchis, primatibus, metropolitis seu archiepiscopis (Bouix *de episcopo p. IV sect. 2 c. 5*); episcopis raro admodum et extraordinarie et nonnisi in signum honoris concessum est. Ben. XIV *de syn. lib. II c. 6 n. 1;* Santi *in tit. 8 lib. I Decr. n. 1;* Bouix *loc. nuper cit.*

2995 **A quibus concedatur pallium.** — Conceditur autem a Rom. Pontifice ipsis instanter, instantius, instantissime petentibus (*c. 2 dist. 100*), postquam iuramentum fidelitatis erga Romanum pontificem dixerint (*c. 4 dist. 100*). Petitio haec intra spatium trium mensium a consecratione (*c. 1 dist. 100*); vel, si petens iam episcopus erat, a die confirmationis seu promotionis in consistorio, vel ab ipso, vel eius nomine a procuratore, facienda est. Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Archiepiscopus* » *art. 3 n. 12.*

Patriarchae diversorum rituum orientalium, postquam a Summo Pontifice pallium consecuti sunt, illud suis metropolitanis concedunt, receptis prius professione fidei et iuramento obedientiae ecclesiae. *c. 23 de privilegiis etc.* (*V. 33*).

Petitur autem et impetratur pallium a proviso pro ecclesia, cui praeficitur, ita ut, si deinde ad aliam ecclesiam *archiepiscopalem* transferatur, pallium pro ea noviter petere et impetrare debeat. *arg. c. 4 de postul. prael. X.* (*I. 5*); Bouix *l. c. 42 quaest. 8.*

2996 **De auctoritate pallii.** — Ante assecutionem pallii huiusmodi praelati non habent iurisdictionem patriarchalem seu metropolitanam (quare non possunt cogere synodum provincialem, nec visitare suos suffraganeos, etc.), et de summo iure nec patriarchae nec archiepiscopi vocari possunt (*c. 3 tit. cit. X.* [*I. 8*]); quin imo nec eas functiones ordinis peragere possunt, aut iurisdictionis quoque episcopalis, quas archiepiscopus pallio indutus complet. Quare nec clericis sacros ordines conferre, nec ecclesias consecrare possunt, etc. (*c. 28 de electione etc. X.* [*I. 6*]); quamvis haec aliis possint facienda committere. *c. 11 tit. nuper cit.* (*I. 6*). Postquam vero pallium obtinuerint, plenitudinem iurisdictionis supra-episcopalis assequuntur. *c. 3 tit. cit. X.* (*I. 8*).

2997 **De usu pallii.** — Pallium restringitur:

1° ad *personam:* hinc alteri commodari nequit et cum ipso archiepiscopo sepelitur. *c. 2 tit. cit. X.* (*I. 8*). Si duo habuerit, pallium recentioris ecclesiae ponitur circa humeros, pal-

lium antiquoris vel sub capite vel extensum supra corpus. Reiffenstuel *l. c. n. 21;* Santi *l. c. n. 10;*

2° ad *provinciam,* vel *patriarchatum,* ita ut extra suum territorium eo uti nequeat. *cc. 1. 4-5. tit. cit. X.* (*I. 8*). Intra provinciam vero in omnibus ecclesiis uti potest, quàndo potest in sua. *c. 1 tit. cit. X.* (*I. 8*);

3° ad *ecclesiam,* nempe intra missarum solemnia (*c. 6 dist. 100*), et in iis, quae cum episcopalibus ornamentis peraguntur (Pont. rom. *tit. de pallio*); nec extra ecclesiam, in processionibus ex. gr., uti quis pallio posset. *c. 1 tit. cit. X.* (*1. 8*);

4°. ad *certos dies* (*c. 7 tit. cit. X.* [*I. 8*]). Sunt autem solemniores in anno (idest Nativitas D. N. I. Ch.; festum S. Stephani Protomart. et S. Ioannis Ap. Ev.; Circumcisio et Epiphania Dni; Dominica in Palmis; feria V^{a} in Coena Dni; Sabbatum Sanctum.; Dominica Resurrectionis cum duobus sequentibus diebus; Ascensio Dni.; Dominica Pentecostes; festum Corporis Christi; Purificatio, Annuntiatio, Assumptio, Nativitas et Imm. Conceptio B. M. V.; Nativitas S. Ioannis Bapt.; festum omnium Sanctorum; festum S. Ioseph Sponsi B. M. V.; festivitates omnium Apostolorum; principales festivitates ecclesiae suae; dies anniversarius dedicationis ecclesiae suae, Pont. Rom. *tit. de pallio;* Cer. episcop. *lib. I. c. 16. n. 4*), nec non dies commemorationis suae consecrationis, et quando vel ordinat clericos vel consecrat suffraganeos vel dedicat ecclesias (Pont. Rom. *loc. cit.;* Santi *l. c. n. 10*); nec non dies, quo initium facit concilio provinciali. Ben. XIV *de syn., lib. III. c. II. n. 6.* Cfr. *S. R. C. 19 sept. 1883* (*3595*). — Quando archiepiscopus post missam pontificalem impertiri debet populo benedictionem papalem, debet hoc facere indutus vestibus pontificalibus, quibus missam celebravit, reassumptis etiam chirotecis et pallio ornatus, quippe qui actionem exercet plenitudinis pontificalis dignitatis. *S. R. C. in Neapolitana 23 febr. 1884 ad 9* (*3605*).

Romanus Pontifex, qui assumptus est in plenitudinem ecclesiasticae potestatis, in missarum solemniis pallio semper utitur et ubique. *c. 4 tit. cit. X.* (*I. 8*).

Curnam pallium dicatur desumptum de corpore B. Petri. — Pallium dicitur desumptum de corpore B. Petri (Pont. rom. *tit. de pallio*) ad significandum supra episcopalem potestatem esse participationem quamdam potestatis primatus, quam Petrus et eius successores in Christi ecclesia habent. Santi *l. c. n. 5.* 2868

Circa originem pallii confer Vespasiani *de sacri pallii origine.*

Tit. de auctoritate et usu pallii X. (1. 8); idem tit. (I. 4) in Xvag. comm.; *Richter C.* De pallio archiepiscopali; *De Bralion N.* De pallio archiepiscopali; *Leo Marcus Paul.* De usu et auctoritate pallii; *Pertschius Jo. G.* De origine, usu et auctoritate pallii; *Klee J. C.* De pallio episcopali; *Maserus P.* De pallio pontificio e b. Petri corpore orientalibus concesso diatriba; *Garnerius Jo.* Liber diurnus Rom Pontificum notis et dissertationibus illustratus; *Papebrochius D.* Diss. XL de forma pallii aliorumque pontificalium indumentorum medio aevo mutata; *Pagenstecher A. J.* Diss. de pallio; *Bal-*

dassari A. Il pallio apostolico; *Schlutbeckius F. A.* Comm. de candidis archiepiscoporum palliis; *Barthel J. C.* De pallio; *Calcagni* De pallio; *Vesapsiani Ph.* De sacri pallii origine diss.; *Grisar* Das röm. Pallium u. d. ältest. liturg. Schärpen; *Wilpert I.* Un capitolo di storia del vestiario; *v. Hacke K. B.* Die Palliumverleihungen bis 1143; *Braun I.* Die pontifik. Gewänder d. Abendlandes u. ihre geschichtl. Entwickl.; *Duchesne* Origines du culte chrétien [3] 384 ss.; *Braun I.* Die liturg. Gewandung; *Adam J. L.* Notes sur le sacré pallium.

2999 **Pallium altaris. — Quid sit.** — Pallium, seu antipendium altaris, dicitur illud, quod anteriorem altaris partem cooperit.

Decet autem secundum rubricistas, ut in medio pallii habeatur crux vel alia pia imago.

3000 **De necessitate adhibendi pallii.** — In rubricis generalibus missalis (*titulo XX*) dicitur, eo altare ornandum esse, illudque esse debere coloris, quoad fieri potest, diei festo vel officio convenientis. Attamen ex consuetudine introductum est, ut hoc pallium frequenter omittatur, quod generatim fit, quando altare est marmoreum aut valde ornatum.

3001 **De materia et colore pallii.** — Materia, ex qua conficiatur, non est praescripta. Gasparri *de euch. II. 768.*

Quaedam potius praescripta sunt quoad colorem. — Generalis regula quoad hoc ea est, quam ex rubricis generalibus missalis superius dedimus, quod scilicet sit, quoad fieri potest, coloris convenientis officio. Attamen post expositum ssmum Sacramentum pallium altaris semper esse debet albi coloris (*S. R. C. in Taggen. 9 iul. 1678 ad 7* [*1615*]); quare monialibus quibusdam petentibus retinere pallium coloris rubri in altari, in quo exponebatur ssmum Sacramentum, dominica Pentecostes et duabus sequentibus feriis, responsum fuit obstare decreta. *S. R. C. in Hispalen. 19 dec. 1829* (*2673*). In solemni commemoratione et in exsequiis defunctorum ad altare ssmi Sacramenti non potest adhiberi pallium nigri coloris. *S. R. C. in una Montis Regalis 20 mart. 1869 ad 10* (*3201*). Cfr. etiam *in Nesqualien. 1 dec. 1882* (*3562*).

De quodam pallii genere prohibito. 3002 — Quum in dioecesi Mexicana vigeret usus apponendi altari, loco soliti antipendii, parvum quoddam antipendium, vulgo *Palia*, circa dimidium metri habens ex quavis parte, quod suspendebatur in medio altaris, quaesitum fuit a S. R. Congr., an hic usus tolerari posset, et responsum fuit: *negative. S. R. C. in Mexicana 10 sept. 1898 ad 2* (*4000*).

Palmae. — Celebrans et ministri, 3003 dum episcopus distribuit palmas (cineres etc.), debent sedere, capitibus coopertis. *S. R. C. in Bracaren. 28 apr. 1708 ad 1* (*2184*). Episcopus, quum assistit missae palmarum, debet stare durante toto cantu passionis, nec posset loco standi sedere aut etiam genuflectere, sed potius, si impotens sit tamdiu stare, debet abstinere ab interventu, saltem missae. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 2.*

Non solum si episcopus ipse celebret missam, sed etiam, si alius celebret, et episcopus palmis tantum benedicat, epistola et evangelium be-

nedictionis decantanda sunt ab iis ministris, qui in missa ministraturi sunt. *S. R. C. in una Venetiarum 25 sept. 1852 ad 1* (*3006*); cfr. etiam *Cer. episc. lib. II. c. 21 § 4.*

Benedictio palmarum debet fieri in ecclesia, nec ullo modo permitti potest, ut fiat in aula profana; consuetudo contraria esset omnino removenda, quippe quae esset abusus; et, si in ecclesia fieri non posset, esset potius omittenda. *S. R. C. in Clunien. 10 ian. 1879* (*3476*). Quando dominica palmarum expositum est ss. Sacramentum, ex. gr. pro oratione XL horarum, si facienda sit benedictio palmarum, haec debet fieri in alio sacello laterali, quo magis fert ecclesiae structura, distante ab ara maxima, in qua expositum est ss. Sacramentum, servatis omnibus ceremoniis in missali praescriptis, sed omissa processione. *S. R. C. 17 sept. 1822 ad 9* (*2621*).

Non potest episcopus exigere, ut parochi et parochiales cleri assistant benedictioni palmarum, quam ipse peragit. *S. R. C. decr. cit. 10 ian. 1879.*

Alia vide sub. *Benedictiones.*

3004 **Palmatoria** — In sacris functionibus sive publicis sive privatis non licet dignitatibus et canonicis, superioribus regularibus, praelatis quoque Curiae romanae, protonotariis apostolicis honorariis aliisque omnibus quocumque nomine nuncupentur, quibus ex iure non competit, etiamsi habeant ex indulto usum mitrae, palmatoriam adhibere, nisi apostolico privilegio donentur, vel hoc personale sit, vel corpori, cuius membra sunt, attributum; ita tamen ut non aliter eo uti possint, quam servatis modis et forma ac cum limitationibus et conditionibus in apostolica concessione praescriptis. *S. R. C. decr. gen. 31 maii 1817 ad 1* (*2579.*).

Palpo — Vid. *Cooperatio.*

Panis — Panis triticeus est materia eucharistiae remota. De hoc iam satis diximus sub *Eucharistia.* 3005

Papa. — **De potestate Romani Pontificis.** — **De potestate legislativa.** — 3006
Papa seu romanus pontifex supremus est legislator in ecclesia, et proinde pro tota ecclesia leges condere potest. Palmieri *de Rom. Pont. th. XIV;* Cfr. Conc. Vatic. *Const. de Ecclesia Christi cap. 3.*

In pluribus, quae sunt iuris divini romanus pontifex nihil potest (ut in matrimonio consummato christianorum, etc., S. Th. *1. 2. q. 97. a. 4. ad 3.* Suarez *de leg. lib. II. c. 14. n. 8; lib; X. c. 6. n. 7 seq.*); sed in multis (quae ex sensu et traditione ecclesiae desumenda sunt ut in votis, in matrimonio rato et non consummato etc.) saltem declarare iuris divini cessationem in casu certe potest iuxta omnes. Schmalzgrueber *in tit. 2 lib. I Decr. n. 57;* Wernz *Ius Decr. I. 122.* Curnam non potest asseri, Christum dominum ipsi concessisse facultatem in his dispensandi, quum et facultas authentice interpretandi in idem redeat quoad effectum, et potestas dispensandi necessaria sit ad bonum esse societatis, ac propterea inclusa videatur in illis verbis « quodcumque solveris etc. »? Cfr. Palmieri *de matr. th. 35. n. 4 sqq.*

Ab omnibus impedimentis matri-

monii iure ecclesiastico inductis potest dispensare semper valide, licite ex iusta causa. Feije *de imp. et disp. matr. n. 603.* — Nam romanus pontifex non habet tantummodo officium inspectionis, vel directionis, sed plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; nec solum habet potiores partes, sed totam plenitudinem huius supremae potestatis, quae potestas ordinaria est et immediata, tum in omnes ac singulas ecclesias, tum in omnes ac singulos pastores et fideles. Conc. Vat. *loc. cit.* Quare potestas romani pontificis nullis potest ecclestiasticis canonibus coactive circumscribi aut limitari. Palmieri *loc. cit. XV.;* Tarquini *Inst. iuris publ. eccl. p. II. n. 15.*

3007 **De potestate iudiciaria.** — Romano Pontifici potestas est etiam iudiciaria, quae ad omnes omnino causas, tum personales, tum reales, ad finem ecclesiae spectantes extenditur; et recipere potest ex toto orbe appellationes a quocumque iudicio episcoporum, et ultimam sententiam ferre super causis ab episcopis iam iudicatis, idque facere potest et per suos iudices delegatos eo loci, ubi causa exorta est, et per seipsum Romae. Conc. Vatic. *loc. cit. c. 4; Litt. Pii IX ad archiep. Parisiensem 26 oct. 1865;* Benedict. XIV *de syn. lib. IV. c. 5;* Palmieri *loc. cit. th. 17;* Pierantonelli *Praxis etc. tit. 1.*

3008 **De potestate coercitiva.** — Habet romanus pontifex potestatem etiam coercitivam, qua valet fideles contumaces poenis coercere tum spiritualibus tum temporalibus. Cfr. *prop. damn. Syll. n. 24.*

De potestate in res temporales. — Ha- 3009
bet etiam in res temporales principum potestatem, non equidem directam, sed indirectam; idest, quando ad finem ecclesiae requiritur, potest auctoritative principibus temporalibus aliquid imponere faciendum vel omittendum. *Const.* Bon. VIII « Unam sanctam » *ann. 1302;* Bellarminus *de Rom. Pont. libr. V. c. 7;* Cavagnis *Inst. iur. publ. eccl. lib. X. n. 397 sqq.*

Consectaria. — Ex dictis patet, a ca- 3010
tholica fide et a veritate aberrare, tum eos, qui propugnant pro statu civili ius *regii placet*, seu ius subiiciendi approbationi potestatis civilis bullas et brevia pontificia atque acta quaecumque ad ecclesiae regimen spectantia (*Const.* Inn. VIII « Officii nostri » *31 ian. 1491; Constitut.* Clem. XI « Nova semper » *29 nov. 1714*; *Const.* Clementis XIII « Quam graviter » *25 iun. 1766; Const.* Pii IX « Quanta cura » *8 dec. 1864; prop. 28. 29. 41 damn. in Syllabo*), tum eos, qui asserunt principi civili ius recipiendi appellationes, quas dicunt *ab abusu*, idest appellationes in causis ecclesiasticis a sententia lata a iudice incompetente, vel spretis solemnitatibus iuris, vel quae manifeste sit contra ius. *prop. 41 damn. in Syllabo;* cfr. *excomm. speciali modo R. P. reservatas in Const. « Ap. Sedis » nn. 6. 7.*

De iure immunitatis personalis. — 3011

Iure divino Rom. Pontifex plena gaudet immunitate personali a laica iurisdictione; huius autem immunitatis ius essentiale est primatui a Christo in ecclesia instituto, exercitium vero non est absolute necessarium, ut ecclesia sit, sed necessarium est, ut ea bene sit, vitamque eam socialem perfecte vivat, ad quam ius habet. Palmieri *loc. cit. th. XXIV.*

3012 **De charismate infallibilitatis.** — Praeterea Romanus Pontifex (qui vere est B. Petri in primatu super universam ecclesiam successor, Conc. Vatic. *loc. cit. c. 2.*), quum ex cathedra loquitur, idest quum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universa ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in B. Petro promissam, ea infallibilitate pollet, qua divinus Redemptor ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi romani pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu ecclesiae, irreformabiles sunt. Conc. Vatic. *loc. cit, c. 4.*

3013 **De insignibus Romani Pontificis.** — Romanus Pontifex pro sua suprema dignitate quaedam habet sibi peculiaria insignia, quorum praecipuum est *tiara*, seu triregnum tribus nempe circumdatum coronis. Tiaram triplici corona constantem assumpsit primus Clemens V (Phillips *Comp. iur. eccl. § 102.*; Armellini *Lezioni di archeologia cristiana pag. 420.*; attamen Moroni *Dizion. di erud. v.* « *Triregno* » putat, eam primum assumpsisse Benedictum XII); duplici tantum corona circumdatam assumpserat Bonifacius VIII. Armellini *loc. cit.*

Praeter tiaram in missarum solemniis semper et ubique solus Rom. Pont. pallio utitur (Vid. *Pallium*).

Crux etiam Pontifici praefertur quocumque se conferat. Phillips *Comp. iur. eccl. § 102.*

Baculo autem pastorali Rom. Pontifex non utitur. *c. un. de sacra unct. X.* (*I. 15.*).

Nomina etiam sunt seu appellationes romano pontifici propriae. Vocatur enim Summus Pontifex, Pontifex maximus, Vicarius Christi (*cc. 2. 4. de translat. episcopi X.* [*I. 7*]), Vicarius Dei (*c. 3 tit. cit. X.* [*I. 7*]), Apostolicus, Episcopus episcoporum, Sanctissimus (*can. 2. dist. 40*), etc.

Decr. Grat. DD. XXI-XXII; c. 1. D. XXIII; c. 2. D. LXXIX; c. 1. D. XCVI; tit. de off. iudic. ordin. X. (I. 31); tit. de off. ordin. (I. 16) in 6°; tit. de off. iud. ord. (I. 9) in Clem.; idem tit. (I. 7) in Xvag. comm.; Brev. Inn. XI. 11 apr. 1632; Const. Alex. VIII « Inter multiplices » 4 aug. 1690; Const. Pii VI « Super soliditate » 28 nov. 1786; Const. Pii VI « Auctorem fidei » 28 aug. 1794; Encycl. Pii IX « Quanta cura » 8 dec. 1864; Encycl. Leon. XIII « Immortale » 1 nov. 1885; Conc. Vat. sess. 4 const. « Pastor aeternus »; *Beneti C.* De prima orbis sede, de concilio et ecclesiastica potestate; *Prieratis S.* De irrefragabili veritate Rom. Ecclesiae; *Catharinus A.* Contra Lutherum; *Florebellus A.* De auctoritate Ecclesiae; *Delphinus C. P. M.* De proportione Papae ad Concilium et de spirituali ac temporali ipsius principatu; *Remundi R.* Defensio in Molinaeum pro Pontifice; *Poli R.* Pro ecclesiasticae unitatis defensione seu Ecclesiae Roma-

nae primatu libri IV; *Torrensis F.* De summi Pontificis supra concilium auctoritate; *Albani Io. H.* Liber de potestate Papae et Concilii; *Vargas F.* De episcoporum iurisdictione et Pontificis Maximi auctoritate responsum; *De Turrecremata Io.* De Pontificis romani conciliique generalis auctoritatè ad Basileensium oratorem responsio; *Sandero* De visibili monarçhia Ecclesiae; *Panvini O.* De Romanis Pontificibus (ubi etiam de electionibus singulorum, de conclavibus etc.); *A Capistrano Io.* De Papae et Concilii auctoritate; *Valentini I. S.* De osculatione pedum rom. pontificis; *Triumphus* Summa de potestate ecclesiastica; *Cupers R.* De sacrosanta universali ecclesia; *Panvinius O.* De primatu Petri; *Fivizani A.* De cruce pontifici praeferenda; *Venturi* Della maestà pontificia; *Sanderi N.* Sedes Apostolica seu de militantis Ecclesiae Romanae potestate, summorumque Pontificum roman. primatu atque in omnes gentes auctoritate; *Mazzaroni* De tribus coronis pontif. max.; *Bellarminus R.* Apol. pro resp. sua ad libr. Iac. Magn. Brit. reg.; *Bellarminus R.* Tract. de pot. summi Pontificis in rebus temporalibus; *Tengnagel* Vetera monumenta contra schismaticos pro s. Gregorio VII; *Bellarminus R.* De summo Pontifice; *Molinaeus P.* De monarchia temporali pontificum romanorum; *Duvalii A.* De suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate disputatio quadripartita; *Ramon Th.* De primatu Petri apostoli et summorum Pontificum Romanorum fasciculus aureus; *Nardi B.* De primatu Papae adversus Marc. Antonium de Dominis; *Bzovii A.* Romanus Pontifex, seu de praestantia, auctoritate, etc. Pontificum Romanorum commentarius; *Coquaei L.* Apologia pro summis Ecclesiae Romanae Pontificibus, et eorum auctoritate a B. Petro usque ad Paulum V sine ulla interruptione continuata; *Capelli* Disputationes duae de summo pontificatu B. Petri et de successione episcopi Romani in eumdem pontificatum; *Le Iau I.* Tractatus de Summi Pontificis auctoritate, adversus Simonis Vigorii objectiones; *A s. Elpidio A.* Tract. de ecclesiastica potestate; *Marcelli M. A.* De iure saeculari rom. pontificum; *Abraderaconis Ch.* Primauté et souveraineté singulière de Saint Pierre; *De Bellis A.* De absoluta D. Petri monarchia; *Bosselli P. A.* Responsum novum de potestate Summi Pontificis in temporalibus; *Petricca a Sonnino A.* De appellationibus omnium ecclesiarum ad rom. s. Petri cathed. adversus haereticos etc.; *Leonis M. P.* De auctoritate et usu pallii pontificii; *Starovolsei S.* Breviarium iuris pontificii; *Abelly L.* De l'obeissance et soummission qui est due à notre saint-père le Pape en matière de foi; *De Vernant* Défense de l'autorité du Pape, des cardinaux et évêques contre les erreurs du temps; *Abelly L.* Défense de la hiérarchie de l'Église et de l'autorité du Pape; *Macedo F.* De clavibus Petri; *Bosius Fr.* De temporali Ecclesiae monarchia; *Wesseling N.* De iure superioritatis ac summa potestate rom. pontificis; *Wesseling N.* Tractatus de maioritate et obedientia rom. pontifici praestanda deque eiusdem suae Sanctitatis osculo pedis; *Röhrensee* De podolatria pontif. rom.; *Fernandez de Minano Fr.* Basis pontificiae iurisdictionis et potestatis supremae, sive de eiusdem origine, fundamentis et successiva continuatione; *Boileau I.* De antiquis et maioribus episcoporum causis; *Lupi Chr.* Privilegium S. Petri circa omnium sub coelo fidelium ad romanam eius cathedram appellationes assertum adversus profanas hodiernas novitates; *An.* Doctrina, quam de primatu, auctoritate ac infallibilitate Rom. Pontificis tradideruut doctores Lovanienses, opposita declarationi cleri Gallicani de ecclesiastica potestate, ex eorum propriis verbis collecta per D. A. A. (Aubremont) theologiae professorem; *Cevoli N.* Atlas antigraphi nuper editi contra declarationem Cleri Gallicani de ecclesiastica potestate: Innocentio XI coelorum, terrarum, infernorumque in terris ianitori, dispensatori

oeconomoque unico, fideique oraculo infallibili, legibusque omnibus, solo praeposito, flexis genitus oblatus; *An.* Responsio historico-theologica ad Cleri Anglicani de potestate ecclesiastica declarationem, ex Summorum Pontificum decretis excerpta per quemdam theologiae professorem; *Saenz de Aguirre Fr. Jos.* Defensio cathedrae s. Petri contra declarationem Cleri Gallicani editam anno 1682; *D'Enghien Fr.* Auctoritas Sedis Apostolicae pro S. Gregorio VII adversus Natalem Alexandrum vindicata; *Lombardi E.* Regale sacerdotium Romano Pontifiici assertum; *Sfondrati* Regale sacerdotium Romano Pontifici assertum; *Manfredus H.* De Summo Pontifice; *De Lartigue* De la puissance hiérarchique, ou primauté qui vit dans l'Eglise; *Pallavicino N. M.* Difesa del Pontificato romano e della Chiesa cattolica; *Sfondrati* Gallia vindicata.. adversus Maimbourg; *Reding A.* Oecumenica cathedrae apostolicae auctoritas ex occasione quatuor Cleri Gallicani propositionum assertą et vindicata; *Ciampini* Diss. an romanus pontifex baculo pastorali utatur; *Roccaberti Jo. Th.* De infallibilitate Rom. Pontificis; *Vipping* De triplici corona Rom. Pontificis; *An.* De Rom. Pontificis suprema in temporalibus potestate; *An.* De Rom. Pontificum invicta in fide constantia; *Leytam* Impenetrabilis pontificiae dignitatis clypeus; *Charlas* Primatus iurisdictionis Rom. Pontificis assertus contra Ellies Dupin; *Kauffman* Pro statu Ecclesiae catholicae et legitima potestate Romani Pontificis; *Vaira A.* De praerogativa oecumericae nomenclationis et potestatis Rom. Pontificis a Constantinopolitanis praesulibus usurpata; *Pozzolo* Rationale Romani Pontificis; *Schmier* Fundamentum et vertex unic. iuris can. seu tract. de Rom. et summo Pontifice; *De Simeonibus H. Ant.* De Rom. Pontificis iudiciaria potestate; *Nothwanger* Osculum pedum Pont. Rom.; *De Yermo Ios.* Defensio cathedrae s. Petri seu in ea pro tempore sedentis Rom. Pontificis; *Anastasi* Suprema Romani Pontificis in Ecclesia potestas propugnata adversus instrumentum appellationis quatuor Galliae episcoporum; *Petitdidier* Traité théologique sur l'autorité et l'infallibilité des Papes; *Giorgi D.* Gli abiti sacri del Romano Pontefice paonazzi e neri in alcune solenni funzioni della Chiesa giustificati; *Petitdidier* Dissertation sur le sentiment du concile de Constance à l'égard de l'autorité des Papes; *Pozzolo* De Papa et symbolo opus theologicum, canonicum et historicum; *Giorgi D.* De liturgia Rom. Pontificis in solemni celebratione missarum; *Serry Iac.* De Rom. Pontifice in ferendo de fide moribusque iudicio fallere et falli nescio; *Lucini* Romani Pontificis privilegia; *An.* De Romani Pontificis in synodos oecumenicas et earum canones potestate, et dissertatio de monarchia ecclesiastica; *Keuffel* Historia pontificatus Romani; *Orsi* Della origine del dominio temporale e della sovranità dei Romani Pontefici; *Wiesenhauer* De ποδολατρεία imperatorum veterum et Rom. Pontific.; *Bianchi* Della potestà e polizia della Chiesa; *Cavalcanti* Vindiciae Romanorum Pontificum; *Benettis* Privilegiorum in persona s. Petri Rom. Pontifici collatorum vindiciae; *Corsi R. M.* De legitima potestate et spirituali monarchia Romani Pontificis 12 theses; *Trautwein G.* Vindiciae adversus Iust. Febronii Icti de abusu et usurpatione summae potestatis pontificiae librum singularem liber singularis; *Ballerini P.* De vi ac ratione primatus Rom. Pontificum et de ipsorum infallibilitate in definiendis controversiis fidei; *Sangalli G. A.* Dello stato della Chiesa e legittima potestà del Rom. Pontefice; *Sappel* Liber singularis ad formandum genuinum conceptum de statu ecclesiae et summi pontificis potestate; *Kauffmans* Pro statu ecclesiae catholicae et legitima potestate Rom. Pontificis; *Tnautwein* Vindiciarum adversus Justini Febronii de abusu et usurpatione summae potestatis pontificiae librum singularem liber singularis; *Italus F.* Ad Febronium de statu Ecclesiae; *Ballerini P.*

De potestate ecclesiastica summorum pontificum et conciliorum generalium liber una cum vindiciis auctoritatis pontificiae contra opus Iust. Febronii; *Zaccaria* Antifebronio; *Orsi* De irreformabili Romani Pontificis in definiendis fidei controversiis iudicio; *Zaccaria* Antifebronius vindicatus; *Carrich* De ecclesia, Romani Pontif. et episcop. legitim. potest.; *An.* Romani Pontificis privilegia adversus novissimos osores vindicata duplex dissertatio; *Nuzzi A.* Sull'origine ed uso de nome di Papa; *Barruel* Du Pape et des droits religieux à l'occasion du concordat français; *Brancadoro C.* Lettera a Franc. Cancellieri.... del bacio di piedi dei Sommi Pontefici; *Pouyard* Del bacio dei piedi dei Sommi Pontefici; *Muzzarelli* De auctoritate Rom. Pontificis; *Andruzzi* De infallibilitate Papae; *de Maistre* De l'Eglise Gallicane dans ses rapports avec le Souverain Pontife; *D'Affre* Essai historique et critique sur la suprematie temporelle du pape et de l'église; *Roskovány A.* De primatu Papae; *Rothensee* Der Primat des Papstes; *Moreno* Ensayo sobre la supremacia del papa; *Kempeneers* Diss. de rom. pontificis primatu eiusque attributis; *Möhler J. A.* Die Einheit in d. Kirche; *Drozdziewicz* De primatu rom. pontificis; *Ballerini P.* De vi ac ratione primatu roman. pontificum; *Gosselin* Pouvoir du pape au moyen âge, ou recherches historiques sur l'origine de la souveraineté temporelle du Saint-Siège; *Eberhard* De tituli « Sedis apostolicae » ad insigniendam sedem romanam usu antiquo et vi singulari; *Dupanloup* Sur la souveraineté temporelle du pape; *Passaglia C.* De praerogativis beati Petri; *Döllinger J.* Hippolytus u. Kallistus; *Maassen F.* Der Primat des Bischofs von Rom und die alten Patriarchalkirchen; *Schrader* De unitate romana; *Schrödl* Die Nothwendigkeit der weltlichen Herrschaft und Souveränität des heiligen Stuhles; *de Maistre* Du pape; *Hagemann H.* Die röm. K. u. ihr Einfluss a. Distiplin u. Dogma in d. ersten drei Jhdten; *Buroni* De romanitate primatus apostolici seu de nexu indissolubili quo primatus sedi romanae inhaeret; *Schneemann* Der Papst das Oberhaupt der Gesammtkirche; *Weninger* Die Unfehlbarkeit des Papstes als Lehrers der Kirche und dessen Beziehungen zu einem allgemeinen Concilium; *Janus* (pseudon.) Der Papst und das Concil; *Bouix* Tract. de papa; *Schätzler* Die päpstliche Unfehlbarkeit aus dem Wesen der Kirche bewiesen; *Hergenröther* Anti-Janus, Der Papst und das Concil; *Fessler* Die wahre und die falsche Unfehlbarkeit; *Schulte* Die Macht des Papstes über Fürsten, Länder, Völker, Individuen nach ihren Lehren und Handlungen zur Würdigung ihren Unfehlbarkeit beleuchtet; *De Ketteler* Das unfehlbare Lehramt des Paptes nach der Entscheidung des Vatic. Concils; *Hettinger* Die kirchl. Vollgewalt des apost. Stuhles; *Andries* Cathedra romana; *Leitner* Thomas von Aquin über das unfehlbare Lehramt des Papstes; *De Roskovány A.* Rom. Pontifex tamquam primas ecclesiae et princeps civilis; *Manning* The independence of the holy See; *Paganuzzi* Compendio della storia del potere temporale dei papi; *Grisar* Oecumenischer Patriarch und Diener der Diener Gottes; *Brunengo* Le origini della sovranità temporale dei papi; *Ritschl O.* Cyprian v. Karth. u. d. Verfassung d. Kirche; *Esser W.* Des heil. Petrus Aufenthalt, Episkopat u. Tod z. Rom; *Bastia* Il dominio temporale dei papi dal 1815 al 1846; *Schmid F.* Petrus in Rom.; *Hollweck J.* Der apostol. Stuhl u. Rom.; *Giannone P.* Il triregno; *Müntz* La tiare pontific. du VIII au XVI siècle; *Segna F.* De successione priorum Rom. Pontificum; *Overbeck F.* Die Bischofslisten u. d. apostol. Nachfolge in d. Kirchengesch. d. Eusebius; *Segna F.* De Ecclesiae Christi constitutione ac regimine; *Flamion J.* Les anciennes listes épiscopales des quatre grands sièges; *Palmieri C.* Tract. de Romano Pontifice; *Berthelet* Conclavi, pontefici e cardinali nel

secolo XIX; *Esser G.* Tertullian de pudicitia c. 21 u. d. Primat d. röm. Bischofs; *Castellari G.* La Santa Sede; studio sulla evoluzione storica e sulla condizione giuridica attuale del pontificato romano secondo il diritto canonico e il diritto civile ecclesiastico; *Bernardakis* Les appels au Pape dans l'église grecque jusq'à Photius; *Macchi C.* La critica storica e l'origine della Chiesa romana; *Kneller* Papst u. Konzil im ersten Jahrtausend; *Imbart la Tour* La papauté en droit internat.; *Duchesne* Les premiers temps de l'état pontifical; *Grill J.* Der Primat d. Petrus; *Vergnes* La condition internationale de la papauté; *Savio F.* Il papa Zosimo, il concilio di Torino e le origini del primato pontificio.

3014 **Paramenta sacra. — Quaenam paramenta et linteamina sacra sint benedicenda.** — Paramenta benedicenda ab episcopo sunt: amictus, alba, manipulus, stola, casula, et probabilus etiam cingulum. — Linteamina vero sacra benedicenda sunt: corporale, palla, mappae. *Rubr. gen. miss. tit. XX. n. 1*; *Rit. celebr. tit. I. n. 1 sqq., de defect. tit. X. n. 1;* Ben. XIV *Inst. eccl. XXI. n. 12;* De Herdt *Sacrae lit. praxis I. 168.*

Nec censentur eo ipso benedicta ea paramenta, cum quibus nondum benedictis bona fide sacerdos celebraverit, sed debent revera benedici. *S. R. C. in una S. Hyppoliti 31 aug. 1867 ad 7* (*3162*). Quoad hanc benedictionem vide *Benedictio.*

3015 **De materia linteaminum et paramentorum sacrorum.** — Alba et amictus, nec non mappulae, corporale, purificatorium, palla debent esse ex lino vel cannabe. *Rit. celebr. tit. I. num. 1; S. R. C. decr. gen. 15 maii 1819* (*2600*); De Herdt *loc. c. n. 167.*

Manipulus, stola, planeta, dalmatica, tunicella, pluviale, bursa, velum calicis debent esse ex tela serica. Quare prohibentur huiusmodi paramenta confecta ex tela linea vel gossypio, vulgo *percalle*, etsi coloribus praescriptis tincta aut depicta. *S. R. C. in Mutinen. 23 sept. 1837 ad 5* (*2769*).

Prohibita pariter sunt paramenta, quorum textura est vitrea mixta auro vel argento. *S. R. C. in Atrebaten. 11 sept. 1847* (*2949*).

Prohibita quoque sunt paramenta, quae confecta sint tela ex urticis composita. *S. R. C. in Asculana in Piceno 17 dec. 1875* (*3387*).

Item ea, quae ex mera lana confecta sunt, quae, etsi adsint, adhiberi nequeunt. *S. R. C. in Lauden. 23 iun. 1892 ad 1* (*3779*).

Attamen paramenta confecta quodam texto ex serico et fibris mori permissa sunt. *S. R. C. in Ceneten. 21 apr. 1893* (*3796*).

Item, attenta ecclesiarum paupertate, licet pro ornamentis sacris adhibere panni seu texturae genus, quod ex parte externa et oculis intuentium apparente ex filo serico integre contegitur, sed habet operis textilis fulcimentum in gossypio, lana vel lino. *S. R. C. in Gnesnen. et Posnanien. 23 mart. 1882* (*3543*).

Adhiberi autem possunt paramenta ex panno serico frondibus fioribusque, uti assolet, ornatae, partim acu pietis, partim vero coloribus penicilli ope. *S. R. C. in Cuneen. 2 iun. 1883 ad 15* (*3576*).

Sic etiam in paramentis permittuntur pictae imagines, dummodo agatur de paramentis sericis, vel auro argentoque contextis, ac de cetero ad normam legum liturgicarum confectis, *S. R. C. in Brunen. 30 mart. 1885* (*3628*).

De paramentorum sacrorum colore (*remissive*). — Quoad colorem paramentorum, vid. *Color*.

3016 **De exsecratione sacrorum linteaminum vel paramentorum.** — Paramenta et linteamina sacra exsecrantur quum ita destruuntur, ut ad suum usum non sint amplius idonea, sive quia detrita sunt, sive quia amiserunt pristinam et propriam formam.

Hinc, si ab alba manica abscindatur, vel cingulum ita rumpatur ut neutra pars cingere possit, etsi postea albae manica fuerit iterum assuta, vel alteri cinguli parti pars altera fuerit adiuncta, exsecrata sunt. Similiter exsecrata est stola, ex qua factum fuerit manipulum, vel casula, ex qua facta fuerit stola, vel corporale, ex quo palla vel purificatorium fuerit confectum; ac proinde nova benedictione indigent. Bened. XIV *Inst. eccl. XXI. num. 12.*; De Herdt *l. c. n. 169*.

Attamen, si paramentis attritis pars aliqua assuatur, non ideo huiusmodi paramenta exsecrantur. S. Alph. *VI. 371*.

3017 **Quibus competat paramenta ex altari sumere.** — Solis episcopis private celebrantibus competit paramenta ex altari sumere [*S. R. C. in Patavina 13 iun. 1671* [*1424*]; *in Cremonen. 14 iun. 1687 ad 7* [*1782*]), et Romae prtoonotariis ad instar in habitu praelatitio private celebrantibus. Vid. *Protonotarii*.

Corona T. Sacri tempj dove si rappresenta quanto appartiene al culto e venerazione dei tempj, le loro immunità, l'obbligo dei loro ministri, i significati delle vesti sacerdotali ed altre ecclesiastiche suppellettili; *Tomei Jo.* Pro sacris ecclesiarum ornamentis; *Doni Jo. B.* De utraque poenula; *de Saussay A.* Panoplia episcopalis seu de sacro episcoporum ornatu; *de Saussay A.* Panoplia sacerdotalis seu de venerando sacerdotum habitu; *du Tour I.* De origine, antiquitate..... vestium sacerdotalium; *Piazza C. B.* Iride sacra ovvero de' colori ecclesiastici; *Schmid I. A.* Diss. de omophorio episcoporum graecorum; *Heineccius* Exercitatio de habitu apostolorum sacerdotali; *Ritter A.* Diss. de vestibus clericorum crucis figura notatis; *Krasckius T.* Diss. de colore sacro et speciatim vestitus sacerdotalis; *Capponi S.* Sacerdos in aeternum o dichiarazione delle cerimonie e delle vesti della messa; *Benedictus XIV* De sacr. missae lib. I. c. 7-10; *De Albertis F.* De sacris utensilibus tractatus; *Oliphant* Law of church ornaments and utensils; *Bock* Geschichte der liturgischen Gewänder; *Braun J.* Die priesterlich. Gewänder d. Abendlandes nach ihrer geschichtl. Entwicklung; *Brauu J.* Die pontifik. Gewänder d. Abendlandes nach ihrer geschichtl. Entwicklung; *Wilpert J.* Die Gewandung d. Christen in d. ersten drei Jhdten; *Barbier de Montault X.* Le costume et les usages ecclés. selon la tradition romaine; *Krieg* Art. Kleidung in Kraus' RE. II. 175 ff.; *Braun J.* Episcopal Gloves; *Braun J.* Mittelalterliche Paramente zu Neustift bei Brixen; *Braun J.* Zwei mittelalterliche Stolen im Schatz des Doms zu Salzburg; *Braun J.* Mittelalterliche Pontifikalschuhe im Dom zu Brixen.

Paraphernalia sunt ea bona, quae 3018
uxor habet praeter dotem, et quae sibi reservat. *l. 7 de pactis conventis etc. C.* (*V. 14*).

Eorum bonorum uxor habet ex iure

rom. plenum dominium et administrationem (*leg. cit. Cod.* [*V. 14*]); item ex iure italico (*C. C. a. 1427*), quamvis hoc iure nequeat sine publica sententia immobilia alienare, vel pro eis iudicio se sistere, renitente marito; nisi, vel ipsa mercaturam exerceat, aut per sententiam a viro sua ob eius culpam sit separata, vel vir minor sit, interdictus, absens, vel ad carcerem anno diuturniorem fuerit condemnatus, poena durante. *C. C. aa. 134. 135.* Vid. *Bona.*

Parasceve. — Vid. *Feria VI in Parasceve.*

3012 **Parentes.** — Parentes debent filiis amorem, educationem; amorem internum, efficacem, ordinatum, educationem tum spiritualem, tum corporalem; illam quoad vitam, statum; hanc quoad doctrinam, correctionem, exemplum. B. P. *II. 823 sqq.*; G. B. *I. 371 sqq.* Vid. *Scholae.*

Avertentes filios a statu religioso graviter peccant (S. Alph. *III. 335*; B. P. *II. 829*; G. B. *I. 369*); possunt tamen aliquamdiu eorum constantiam experiri, nonnisi autem cum magna discretione. — Filiis tamen licitum non est religionem ingredi, relictis parentibus in extrema vel etiam in gravi necessitate (S. Th. *2. 2. q. 189. a. 6*; S. Alph. *loc. cit. 4°*); imo, saltem si agatur de sublevanda extrema parentum necessitate, tenetur filius, etiam solemniter professus, e religione egredi, petita prius, licet non obtenta venia. S. Alph. *loc. cit. 5°*; Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 41 dub. III. n. 34.*

Clementini A. Tr. de patria potestate; *Monticoli S.* Tr. de patria potest.; *Pasquali* Tr. de viribus patriae potest.; *Bossi* Tr. absol. de patria potest. in filios; *Camman C.* De probatione filiationis; *Gebauer G. Ch.* Diss. I et II de patria potest.; *Perrenot A.* De patria potest. apud Rom. numquam legibus soluta; *Jensen C.* De patria potest.; *Günther* De patria potest.ex iure dominii non repetit.; *De Quertemont C.* Diss. de patria potest. ex iure rom.; *Deiders* De civili cognat. et familiari nexu ex iure rom.; *Klenze* Das Familienrecht d. Cognaten u. Affinen; *Léderlin* La puissance patern. d'après les principes du droit rom.; *Bachofen* Das Mutterrecht; *Barinetti* Il diritto di famiglia studiato alla fonte del diritto rom.; *Demolombe C.* Tr. de la paternité et de la filiation; *Schupfer* La famiglia secondo il diritto rom.; *Paoli B.* Dei figli di famiglia e dell'istituto della patria podestà secondo il cod. civ. ital.; *Diena M.* Dei figli di donna legalmente separata dal marito; *Lippert* Die Gesch. d. Familie; *Lacombe* La famille dans la société rom; *Starcke* D. primit. Familie in ihr. Entsth. u. Entwickl.; *Kosler* Die Haftung d. Vaters aus Delikten d. Kinder; *Ney* Familienrecht u. Erbrecht; *Amiable L.* De la preuve de la paternité hors du mariage; *v. Hellwald F.* Die menschl. Familie nach ihr. Ensteh. u. naturl. Entwick.; *Post* Studien zur Entwickelungsgesch. d. Familienrechts; *Sorani A.* Della ricerca della paternità; *Rivier* Précis des droit de famille rom.; *Manfredini* La famiglia presso i Romani; *Hruza* Gesch. des griech. u. röm. Familienrechts; *Della Torre di Lavagna J.* La recherche de la paternité naturelle en Italie; *Chauvin* Des droits du père sur la personne des ses enfants légit. en droit rom.; *Niutta* Saggio della storia dei diritti di famiglia; *Becker W.* Die christl. Erziehung oder Pflichten der Eltern; *Mucke* Horde u. Familie in ihrer urgeschichtl. Entwickelung; *Leoni* Della emancipazione nel diritto rom.; *Gross* Die Formen der Familie u. die Formen der Wirtschaft; *Beringer W.* Das uneheliche Kind u. seine Mutter; *Pellet* La condition de mère dans l'hist. du droit franç.

3020 **Parochia.— De prima erectione parochiae.** — Eam creare seu erigere, idest partem populi nondum ulli parochiae iam erectae subiectam constituere in quoddam corpus morale, quod ab aliquo parocho in sensu iuris regi debeat, episcopi est. Bouix *de parocho p. II. c. 2. n. 1.* Attamen rarissimus est hic casus in regionibus catholicis, frequens in novis dioecesibus.

3021 **De constitutione novae parochiae per viam divisionis.** — Generatim parochiae constituuntur per viam divisionis, quando nempe ex una vel etiam pluribus iam exsistentibus aliquae partes distrahuntur, quibus nova alia parochia efformatur. Vid. *Divisio.*

3022 **Qua potestate id possit episcopus.** — Pot. est episcopus novas parochias per viam divisionis erigere, tum auctoritate ordinaria (*c. 3 de ecclesiis aedif. etc. X.* [*III. 48*], tum auctoritate delegata S. Sedis (Conc. Trid. *sess. XXI. c. 4 de ref.*). et proinde etiam quando ageretur de aliqua parochia exempta (Bouix *l. c. c. 3.* §. *3.*), et invitis rectoribus. Conc. Trid. *loc. cit.*

3023 **De necessitate causae canonicae.** — Sed divisionem facere non debet, nisi ob causam quamdam canonicam, quae generatim ad hanc reducitur, quod sine divisione nequit parochus satisfacere obligationibus suo muneri annexis (Schmalzgrueber *in tit. 5 lib. III. Decr. n. 205*), et tunc verificatur, quum agitur de aliqua parochia, ad quam ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt (Conc. Trid. *sess. XXI. c. 4 de ref.; c. 3 de eccl. aedific. etc. X. [III. 48]; S. C. C. 25 ian. 1877., 9 apr. 1892.;* Fagnanus *in cap. 3 tit. 48 lib. III Decr. n. 18 sqq.*); vel quum populus parochiae adeo excrevit, ut parochus non possit convenienter consulere bono omnium suorum. Cfr. *animadv. ed. ad Acta S. Sedis vol. XII. pag. 293*; *S. C. C. in Reatina 20 sept. 1817*; *in Ventimilien. 27 nov. 1852, 30 nov. 1853; in Sedunen. 25 apr. 1853; in Brixien. 27 sept. 1857*; *in Laquedonien. 16 dec. 1876; in Taurinen. 27 iul. 1907*; *S. C. EE. RR. in Ianuen. 7 iun. 1907.* Quae ultima causa ad dismembrationem faciendam pertinet ad recentionem iurisprudentiam S. Congr. Concilii; nam antiquius difficillime admittebatur, sed necessitati parochiae per cappellani deputationem provide batur. Attamen etiam nunc aliquando variis de causis ex hoc capite dismembratio non permittitur (Cfr. *S. C C. in Taurinen. 21 iun. 1905*) eiusque loco constituitur coadiutor seu vicarius. *S. C. C. in Culmen. 15 iun. 1906.*

3024 **De citandis iis, quorum interest.** — Ad divisionem faciendam requiritur, ut prius citentur rector parochiae dividendae vel eius *defensor,* si ecclesia non habeat pastorem, et alii, quorum interest (Fagnanus *l. c. n. 29.;* Bouix *l. c. c. 5 requis. 3*); sed non requiritur eorum consensus, imo nec dissensus obest. Conc. Trid. *l. c.* Cfr. etiam *S. C. C. in Ianuen. 24 aug. 1867.*

3025 **De dotanda nova parochia.** — Sufficiens vero dos (*c. 9 dist. 1 de Cons.*) pro nova parochia assignanda est ex fru-

ctibus ecclesiae antiquioris (Conc. Trid. *l. c.*; Fagnanus *l. c. n. 32*), quae in hoc casu acquirit munus ecclesiae principalis seu matricis. Hinc ordinarie iniungitur parocho novae ecclesiae obligatio, ut solemniore aliquo per annum die certa quantitas cerae elaboratae, vel aliud simile, honorificentiae veluti tributum, antiquae ecclesiae offeratur in memoriam pristinae subiectionis. *S. C. C. in Milevitana 4 febr. 1843; in Camerinen. 2 dec. 1843.*

Si vero reditus antiquioris parochiae non sufficiant ad dotandam novam, et alio modo provideri non possit, potest episcopus cogere populum novae parochiae ad subministrandam novo parocho congruam sustentationem, vel per solutionem decimarum, vel alio modo. Conc. Trid. *l. c.*; cfr. etiam *sess. XXIV. c. 13 de ref.*

3026 **De consensu capituli requirendo, vel non.** — Notandum est quod, praeter ea, quae diximus, ad divisionem parochiae requiritur consensus capituli, quando episcopus procedit auctoritate ordinaria, non autem quando procedit tamquam delegatus sedis apostolicae. Advertimus tamen, doctores, post Fagnanum (*in c. 3. tit. 48 lib. III Decr. n. 49*), consensum capituli exigere etiam quum episcopus procedit tamquam delegatus apostolicae sedis, dummodo de divisione agatur, quam iure quoque ordinario exsequi posset, et ad hoc provocare ad c. 4 sess. XXI Conc. Tridentini, quod ab episcopo, procedente etiam auctoritate apostolica, servari exigit formam const. Alexandri III « Ad audientiam » (*c. 3. X. [III. 48]*); iam vero in hac constitutione de consensu capituli ne verbum quidem. Et sane haec duo inter se non satis apte conciliantur, auctoritas apostolicae sedis qua episcopus agit, et necessitas consensus capituli; nisi ipsa S. Sedes id expresse requirat.

3027 **An a sententia episcopi hac in re detur appellatio.** — A sententia, qua episcopus parochiam dividit, non datur appellatio in suspensivo, sed solum in devolutivo. *c. 3 tit. cit. X. (III. 48).*

3028 **De divisione parochiae ad religiosos pertinentis.** — Si quando episcopus dividit parochiam, quae ad religiosos pertinet, nova parochia non pertinet de iure ad ipsos religiosos, imo episcopus nequit eam ipsis concedere. sed evadit parochia secularis et liberae collationis, cui si episcopus providere aliter nequit, debet recurrere ad S. Sedem, ut licentiam obtineat eam provisorie concedendi viris religiosis. *S. C. Neg. Eccl. Extr. ad administr. apost. Banjaluka 5 sept. 1893.; Litterae Card. Rampolla ad arch. Vrhbosnen 11 nov. 1896.*

3029 **De constitutione novae parochiae per viam unionis.** — Parochia nova constituitur etiam per unionem duarum parochiarum. Vide *Unio.*

Ecclesiae parochiales monasteriis quibuscumque aut abbatiis seu dignitatibus, sive praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus aut hospitalibus etc. non sunt uniendae. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 13 de ref.* Quare ad hanc unionem faciendam necessaria est venia Sedis Apostolicae; et si semel parochia secularis legitime facta est regularis, nequit iterum se-

cularis fieri, nisi de expressa licentia S. Sedis. Cfr. *S. C. EE. RR. in Sipontina 6 febr. 1903.*

3030 **Parochus.** — ***Quinam sit.*** — Est ille clericus, qui curam animarum seu iurisdictionem ordinariam et propriam, quamvis episcopo subordinatam, in populum alicuius territorii legitime circumscripti, ratione stabili exercet. Bouix *de parocho p. 1. sect 2 cap. 9. § 2 seqq.;* De Luca Mar. *Praelect. iur. can. lib. I tit. 22.*

3031 ***De dotibus requirendis in parocho nominando.*** — Ordinarie debet esse presbyter; eligi tamen potest in parochum etiam clericus nondum sacerdos, qui tamen 25 annos attigerit (*c. 14 de elect. etc. [I. 6] in 6°.*), et ad sacerdotium intra annum promoveatur. *c. 14 tit. cit.* (*I. 6*) *in 6°.*

Praeficiendus parochiae ea saltem scire debet, quae necessaria sunt ad verbum Dei praedicandum et sacramenta ministranda. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 18 de ref.*

Parochia ordinarie conferenda est per concursum. Vid. *Concursus*, et confer *S. C. C. in una Montis Cassini 10 iul. 1904.*

3032 ***De iurisdictione parochi.*** — Iurisdictio parochi pertinet ad forum internum, et in foro externo parochi non habent nisi oeconomicam quamdam vigilantiae potestatem in parochianos. Bouix *l. c. p. 1 sect. 2. c. 5.* An et quando parochus dispensare possit in legibus ecclesiasticis, vide sub *Dispensatio.*

3033 ***De obligationibus parochorum.*** - Praeter obligationes parocho cum aliis clericis communes, plures alias sibi peculiares habet parochus.

De obligatione emittendi professionem fidei (*remissive*). — Debet ante omnia emittere professionem fidei. Vid. *Professio Fidei.*

De obligatione residendi. — Tenetur ad residentiam (Concil. Trid. *sess. XXIII. c. 1 de ref.*), et sine venia episcopi ne per hebdomadam quidem a parochia abesse potest (*S. C. C. 7 oct. 1604*); cum venia, vicario idoneo constituto (Conc. Trid. *l. c.*), ex rationabili causa (Bouix *l. c. p. 5. c. 2. § 3. p. 2*), etiam ob animi recreationem (Ferraris *Prompt. bibl. v. « Parochus » a. 2. n. 37*), in scriptis obtinenda (Conc. Trid. *l. c.*), nisi agatur de absentiis parvi momenti, potest quotannis abesse per bimestre. Interveniente gravi causa (causae graves reducuntur ad haec capita: christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens ecclesiae utilitas, Leurenius *For. ben. p. I. q. 376. n. 1;* Ben. XIV *de Synod. lib. XIII. c. 19; Inst. eccl. XVII. n. 7*), etiam ultra duos menses licite abesse potest ex consensu et licentia episcopi. Conc. Trid. *l. c.* 3034

Ob inimicitias personales antiquo iure concedebatur parocho a S. Sede indultum abesessendi per sex menses, quod protrahebatur ad annum, sed non ultra; si perseverabat haec causa impediens parochi residentiam, a S. Congregatione parochus inducebatur ad renuntiandum, etsi esset innocens. Fagnanus *in c. 17 tit. 4 lib. III Decr. n. 25.* Nunc autem episcopus potest uti iure inducto per decretum S. C. Cons. « Maxima cura » de quo infra.

Qualis debeat esse parochorum residentia 3035

— Residentia autem haec parochorum debet ante omnia esse *materialis*, ita ut parochus resideat intra limites suae parochiae (Leurenius *l. c. p. I. q. 371*) et in domo parochiali, si adsit (Fagn. *in c. 30 tit. 5 lib. III Decr. n. 12*, quamvis parochus, qui intra parochiam sed extra domum parochialem habitaret, poenas contra parochos non residentes non incurreret, Fagnanus *loc. cit. n. 14*); nec excusatur parochus a materiali residentia ob aeris inclementiam (*S. C. C. 7 iul. 1646*), aut ob infirmam valetudinem vel senilem aetatem (*S. C. C. 6 apr. 1647*); et residere debet die noctuque. *S. C. C. 10 mait 1687*; Bened. XIV *Inst. eccl. XVII n. 18*.

Praeterea parochorum residentia debet esse *formalis*, idest laboriosa (Bened. XIV *loc. nuper. cit. n. 6*); attamen parochus qui materialiter resideret et omnia munia parochalia vicariis suis explenda relinqueret (quamvis graviter peccaret, Ben. XIV *loc. nuper. cit.*), fructus suos faceret, et ad restitutionem non teneretur.

3036 **De poenis parochorum non residentium.** — Parochi non residentes amittunt ius percipiendi fructus tempore absentiae (Conc. Trid. *loc. cit*); si fuerint contumaces, possunt ab ordinariis coerceri canonicis poenis et etiam privatione beneficii. *cc. 8. 10. 11 de clericis non resident. etc. X. (III. 4)*.

3037 **De obligatione orandi pro suo populo.** — Tenetur etiam parochus ad orandum pro populo, et quidem saltem diebus dominicis et festis sacrum pro eo faciendo. Vid. *Applicatio missae* et confer causam agitatam apud S. C. C. *in una Nullius Clunien. 22 maii 1909.*

Parochus canonicus illis diebus festis, in quibus uti canonicus celebrare debet missam conventualem, quae pro benefactoribus applicanda est, potest et debet per alium supplere obligationi, quam ut parochus habet, eam applicandi pro populo. *Const.* Ben. XIV « Quum semper oblatas » *19 aug. 1744.; S. C. C. 24 aug. 1867.*

3038 **De obligatione praedicandi et catechizandi.** — Diebus saltem dominicis et festis maioribus tenetur etiam verbum Dei populo nuntiare; contra quam obligationem graviter certo peccant saltem illi, qui per tres menses continuos id facere omittunt, quamvis in hoc plures rigidiores sint. Vid. *Concionari.*

Debet praeterea pueros praesertim catechizare. Cir. Conc. Trid. *sess. XXIV c. 4 de ref.*; B. P. *l. c. IV. 505 (a)*.

Circa hanc autum catechizandi obligationem, haec magis determinate edixit SS. D. N. Pius X litteris suis encyclicis « Acerbo nimis » *15 aprilis 1905.*

1° Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium pueros et puellas de iis, quae quisque credere agereque debeant ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant.

2° Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad sacramenta poenitentiae et confirmationis rite suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione.

3° Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus quadragesimae ac aliis, si opus erit, diebus post festa paschalia aptis praeceptionibus et hortationibus adolescentulos et adolescentulas sic instruant ut sancte sancta primum de altari libent.

4° In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen Congregatio doctrinae christianae. Ea parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio tum studio gloriae Dei, tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt.

5° Maioribus in urbibus, inque iis praecipue, ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholae religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque christianae institutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur.

6° Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas non secus ac puerilis religiosa eget institutione, parochi universi ceterique animarum curam gerentes, praeter consuetam homiliam de evangelio, quae festis diebus omnibus in parochiali sacro est habenda, ea hora quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illa tantum excepta, qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant, facili quidem sermone et ad captum accommodato. Qua in re catechismo tridentino utentur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent, quam de symbolo est, de decalogo, de oratione, et de praeceptis ecclesiae ».

De obligatione administrandi sacramenta. — Ea parochus tenetur administrare populo sibi commisso, quoties debite petant. S. Alph. *III. 357* ; B. P. *IV. 506*. 3039

Si petant a parocho in matrimonium coniungi illi, qui notorie in ecclesiasticas censuras inciderint, curet pro viribus, ut ecclesiae reconcilientur ; si vero recusent et gravia damna imminere videantur, nisi matrimonium celebretur, episcopum consulat, eiusque iudicio acquiescat. *S. P. 10 dec. 1860.* Episcopus autem in hoc casu, adhibitis opportunis cautelis, potest parocho veniam dare, ut tali matrimonio assistat, exclusa tamen semper missae celebratione. *S. Poen. decr. cit. et 15 iul. 1856.* Vid. *Banna, Clandestinitas*, etc.

Huc revocari debet obligatio parochi administrandi suis fidelibus rationabiliter petentibus sacramentalia ecclesiae.

De obligatione corrigendi suas oves. — Insuper quando alii ex caritate tenerentur, parochus tenetur ex iustitia suos errantes corrigere etiam cum periculo vitae, quando periculum in malo insordescendi ipsis immineret ex naturali fragilitate, non autem ex propria malitia. S. Alph. *II. 40* ; B. P. *II. 226*. 3040

De obligatione removendi scandala. — Debet praeterea publica scandala removere, et si hoc non potest, episcopum certiorem facere. S. Alph. *III. 360*. 3041

De obligatione iuvandi suos, in- 3042

firmos praesertim. — Tenetur etiam oves suas cognoscere praesertim vero infirmos iuvare; nec suo muneri parochus satisfaceret, qui ad infirmos nonnisi vocatus accederet, vel infirmos sacramentis brevi refectos amplius non visitaret. Rit. rom. *tit. V. c. 4.*

3043 **De obligatione curandi parochiae regimen.** — Tenetur quoad hoc praesertim, intra iuris limites, scholas in sua parochia exsistentes invigilare, curam gerere librorum parochialium et archivi, administrare bona ecclesiastica sibi commissa, curare et promovere institutiones pias et sociales.

3044 ***De iuribus parochorum.*** — **De necessitate licentiae a parocho factae ad exercenda sacra in ecclesia parochiali.** — Sine parochi venia, dempto episcopo et eius vicario generali vel ab his delegatis, nullus clericus potest in ecclesia parochiali quibuslibet sacris fungi.

Religiosi (idest regulares votorum solemnium, D'Ann. *III. 252*), praesumentes clericis et laicis (non igitur aliis regularibus; at illis quoque clericis et laicis, qui in suis monasteriis degunt studiorum forte, educationis aut valeudinis causa, *S. C. EE. RR. 21 iun. 1848*) extra casum necessitatis sacramentum extremae unctionis aut eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia, incurrunt excommunicationem l. s. R. P. simpliciter reservatam. *Const.* « A p. S e d i s » *ser. 2. n. 14.*

3045 **De functionibus parocho reservatis vel non.** — **Quaenam sit reservatae.** — Functiones autem parochiales, quae dicuntur, sunt benedictio sponsi et sponsae (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 1 de ref. matr.*); benedictio domorum in sabbato sancto; obire publicas processiones etiam extra ecclesiam, non tamen extra proprium territorium; benedicere novam navem (*S.C.C. 12 sept. 1891*; attamen quoad hor ultimum vide *Navis*). D. Ann. *I. 98.*

Quoad missam feriae quintae in Coena Domini quaesitum est a S. Rit. Congr.: « An celebratio missae solemnis feria quinta in Coena Domini sit de dictis iuribus parochialibus »: et responsum est: « Negative prout iacet, sed spectare ad parochos ». *S. R. C. decr. gen. 10 dec. 1703 ad 8 (2123).*

Quaenam non sit reservatae. — Quoad 3046 has functiones parochiales notandum est ex decreto citato, quod benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum non sunt de iuribus mere parochialibus (ad 5); nec de iisdem iuribus sunt benedictio mulieris post partum (Vid. *Puerpera*), benedictio fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum et similium, quamvis benedictio fontis baptismalis fieri debeat a parochis (ad 6), nec de iisdem iuribus sunt functiones omnes hebdomadae sanctae (ad 7), aut prima pulsatio campanarum in sabbato sancto, quae spectat ad ecclesiam digniorem, ad formam Const. Leonis X (ad 9), aut celebratio missarum solemnium per annum sive pro vivis sive pro defunctis (ad 10), aut expositio XL horarum et benedictio, quae fit super populo (ad 11), aut expositio, quae fit cum reliquiis et sacris ima-

ginibus et benedictio, quae cum eis fit super populo (ad 12).

De aliis quibusdam parochorum iuribus (*remissive*). — Quoad iura parochi circa emolumenta. Vid. *Iura stolae*, *Exsequiae, Quarta funeraria.*

3047 ***De vicario parocho seu de administratore parochiali.*** — In parochialibus ac aliis beneficiis curatis, quae cathedrali, collegiatae, vel alteri ecclesiae, monasterio seu collegio, aut aliis piis locis perpetuo unita et annexa reperiuntur, constituitur vicarius perpetuus.

3048 **De institutione vicarii.** — Haec institutio, quamvis regulariter fieri debeat ad praesentationem rectoris principalis, pertinet tamen ad episcopum loci (Cfr. *c. 12 de praebendis etc. X.* [*III. 5*]: *c. 1 de iurepatr.* [*III. 12.*] *in Clem.*; Reiffenstuel *in tit. 28 lib. I Decr. n. 26. sq.*) qui in casu, quo aliquod beneficium curatum cathedrali, collegiatae etc. perpetuo unitum et annexum reperitur, sollicite providere debet, ut per idoneum vicarium animarum cura exerceatur.

Vicarius iste debet esse deputatus (vel saltem approbatus, cfr. *S. C. C. in Aliphana 12 ian. 1726*, *15 mart. 1856*) ab ordinario, qui ipsi assignare debet tertiam partem fructuum, aut portionem maiorem vel minorem suo arbitrio, etiam super re certa. Conc. Trid. *sess. VII. c. 7 de ref.*

3049 **De perpetuitate vicarii.** — Regulater huiusmodi vicarii debent esse perpetui. *S. C. C. in Ratisbonen. 18 maii 1718; in Herbipolen. 17 sept. 1722; 16 ian. 1723; in Aquilana 1 sept. 1725; 6 iul. 1726*; *in una Montis Cassini 2 iun. 1731; in Spiren. 18 iul. 1761.* Attamen in quibusdam casibus (cfr. Reiffenstuel *l. c. n. 28*), praesertim quando haec unio a tempore immemoriali facta fuerit, et constat ex tunc vicarios fuisse amovibiles ad nutum scientibus et non contradicentibus episcopis, episcopus non posset constituere vicarium perpetuum. Cfr. quoad hoc *S. C. C. in Baren. 29 aug. 1857 apud Lucidi de vis. sacr. lim. III. pag. 300.*

De dotibus requisitis in vicario perpetuo. — Quae autem de ecclesiis curam animarum habentibus per receptionem aliarum similium amittendis; ac de ipsarum rectoribus ad sacerdotium promovendis; et de eorum aetate a iure statuta noscuntur, in perpetuis ecclesiarum parochialium vicariis et assumptis ad eas observanda etiam sunt. *c. un. de off. vic.* (*I. 7*) *in Clem.* 3050

De iuribus vicarii perpetui. — Talis vicarius perpetuus acquirit ius in re et verum titulum canonicum in beneficio. *arg. c. 8 de filiis presbyt. etc. X.* (*I. 17*); *c. 27 de rescriptis X.* (*I. 3*). 3051

Vicarius perpetuus, quum sit intitulatus in ecclesia seu beneficio curato, atque de assensu et auctoritate episcopi certa ipsi portio redituum assignetur, non potest a suo beneficio amoveri per rectorem principalem, nec minui potest portio fructuum eidem assignata (Reiffenstuel *loc. cit. n. 39*), sed removeri potest a suo beneficio tantummodo legitimis et iuridicis modis, amotione scilicet administrativa aut privatione.

Vicarius perpetuus constitutus in

ecclesia parochiali, quamvis nec sit nec dicatur rector ecclesiae, est tamen rector curae animarum, et proinde quoad eam curam eamdem habet potestatem ac verus parochus; quare ne ipse quidem rector principalis potest, invito vicario, in sua ecclesia sacramenta administrare. Reiffenstuel *loc. cit. n. 40 sqq.*

3052 **De functionibus ad capitulum spectantibus.** — Attamen nota, quod, excepta sacramentorum administratione, functiones in huiusmodi ecclesia cathedrali, quae simul est parochialis, spectant ad capitulum. *S. R. C. in Baionen. 13 septembris 1879 ad 4* (*3505*).

3053 **De duabus causis agitatis apud S. C. Concilii quoad iura vicarii et capituli.** — Quum quoad relationes inter rectorem habitualem et vicarium perpetuum haud raro concertationes et iurgia excitentur, iuverit hic referre quaesita proposita in duabus causis apud S. Congr. Concilii recenter agitatis cum responsionibus eiusdem Sacrae Congregationis.

In Regiensi (*3 apr. 1897*) quaesita fuerunt sequentia:

1° An functiones parochiales praepositus parochus exercere tantum possit ad altare a ssmo Sacramento nuncupatum in casu;

2° An Praepositus parochus valeat pro suo arbitrio sacra conciones ad populum habere e suggestu, seu pulpito ecclesiae in casu;

3° An praeposito parocho liceat coadiutorem muneris parochialis sibi eligere e gremio capituli in casu;

4° An ad sedes confessionales ecclesiae, a canonicis non occupatas, destinare valeat praepositus parochus alios sacerdotes confessarios in casu;

5° An pium exercitium vulgo dictum mensis marialis recenseri debeat inter functiones parochiales in casu;

6° An, attentis temporum adiunctis, administratio temporalis ecclesiae exclusive pertinere debeat praeposito parocho in casu.

Responsum est:

Ad 1.um Affirmative, excepto casu necessitatis ab episcopo recognoscendo, et de consensu capituli;

Ad 2.um Prout proponitur, negative:

Ad 3.um Negative, et in casu necessitatis prudenti arbitrio episcopi;

Ad 4.um Negative;

Ad 5.um Negative;

Ad 6.um Detur responsum, uti in Mediolanen. diei 26 aprilis 1732 ad tertium dubium, idest:

« An ius administrandi ecclesiam et omnes res ad eam spectantes competat soli praeposito, vel soli capitulo comprehendenti etiam praepositum ».

Resp.: « In concernentibus curam animarum competere soli praeposito; in reliquis vero capitulo una cum praeposito ».

In Melevitana (*20 dec. 1902*), haec alia fuerunt proposita quaesita:

« 1.° An iuxta constitutiones apostolicas universa actualis cura animarum competat vicario curato in casu, et quatenus negative;

2.° An missa pro populo celebranda sit a vicario curato, vel potius a capitulo in casu;

3.° Cuinam competat ius docendi sacram catechesim in collegiata in casu;

4.° Cuinam competat ius docendi pueros catechesim praeviam s. Synaxi, eosque aptos designandi in casu;

5.° An vicario curato, vel potius capitulo, spectet emolumentum a Gubernio solutum pro associatione cadaverum pauperum in casu (hoc est aliquid peculiare illius dioecesis);

6.° An vicario curato, vel potius capitulo, ius competat deputandi vice-parochos in casu;

7.° An et quomodo praedicti vice-parochi a vicario curato dependere debeant in casu;

8.° An explicatio s. evangelii haberi debeat a vicario curato vel potius a capitulo in casu ».

Responsum est:

« Ad 1.um Affirmative quoad exercitium animarum;

Ad 2.um A Vicario curato, soluta eleemosyna a capitulo;

Ad 3.um et 4.um vicario curato;

Ad 5.um Dilata et ad mentem;

Ad 6.um Competere capitulo;

Ad 7.um Affirmative in iis, quae respiciunt curam animarum;

Ad 8.um A vicario curato ».

Cfr. quoad hoc etiam *S. C. C. 1 apr. 1876; in Pampilonen. 23 ian. 1886, 29 ian. 1887, 28 apr. 1888; in Gallipolitana 24 mart. 1888; in Carcassonen. 14 iun. 1890; in Galtellinoren. 27 iun. 1891; 15 dec. 1900 et causas per summaria precum agitatas in eadem S. Congr. Concilii apud Lingen et Reuss a n. 493 ad n. 499 incl.*

De parocho regulari. — Quando 3056
parochia unita est pleno iure quoad temporalia et spiritualia monasterio virorum regularium, saltem mendicantium aut monachorum, superiores regulares ad exercenda in parochia curam animarum nominare possunt vicarium ex suis subditis, nec tenentur eum eligere ex clero seculari. Vicarius is regularis ab ordinario approbandus revocabilis semper est ad nutum suorum superiorum et episcopi ita ut tum superior regularis tum episcopus possint ipsum a cura removere nec requisito alterius consensu nec causa remotionis manifestata. *Const.* Ben. XIV « Firmandis » *6 nov. 1744.* In hac constitutione ita Benedictus XIV determinat iura episcopi in parochum regularem; « Uno verbo quidquid episcopus e parocho seculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, regulari observantia uuice excepta, a parocho regulari exquirere et exigere potest: atque ubi hunc muneri suo defecisse compererit, opportuna decreta condere et pronunciare ac meritas in eumdem poenas statuere. In quo nihilominus episcopi facultates minime privativae sunt, sed praesul regularis ius cumulativum cum ipso habet; ita tamen ut si aliter a superiore regulari, aliter ab episcopo decerni contingat, huius, non vero illius, decretis sit standum, prout alia a Congregatione Trid. Concilii interprete iudicatum fuit, Nosque auctoritate apostolica probamus, confirmamus atque decernimus. Privativum tamen episcopi ius est in parochianorum mores inquirere, ac si quae inter ipsos scandala oborta fue-

rint, auditis proborum ac prudentium virorum sinceris relationibus, de iis cognoscere eaque opportunis remediis resecare et reformare; nec enim superioribus regularibus in huiusmodi seculares parochiae subditos ulla competit iurisdictio ». Confer etiam constitutionem Leonis XIII « Romanos Pontifices » *8 maii 1881.*

3055 ***De privatione beneficii parochialis.*** — Parochus privari potest suo beneficio ob easdem causas, ob quas quilibet beneficiatus privari potest beneficio suo. Has causas vide sub *Privatio.*

3056 **De amotione parochi a sua parochia ob causas non culpabiles.** — Annotandum hic est, quod ob causas etiam non culpabiles aliquando parochus, etsi nequeat beneficio privari, potest tamen a parochia amoveri. Remotio enim haec non est poena, sed remedium, quo uti debet aliquando episcopus ad bonum paroeciae, cui administrandae parochus facto ipso sese inhabilem et incapacem ostendit. Ratio autem est, quia in his, ut patet, bonum animarum suprema lex esse debet. Cfr. *Mon. eccl. vol. X. p. 1. pag. 4.*

Hoc autem tunc praecipue obtinet, quum parochus invisus et exosus factus est parochianis, etiam sine sua culpa (nam, si ex culpa hoc accidit, potest etiam parochia privari), ita ut ex. gr. grave immineat scandalum, si maneat in parochia. — Tunc potest cogi ad renunciandum beneficio, et, si non pareat, eodem beneficio privari, in poenam scilicet inobedientiae. Attamen episcopus debet ei providere de congrua sustentatione. Cfr. quoad hoc *S. C. C. in Concordien. 20 febr. 1897; S. C. C. in una Albae Pompeien. 25 febr. 1905; in Albien. 25 febr. 1905; nec non in Meten (per summ. precum) 21 mart. 1868;* cfr. etiam *eamdem S. C. in Premislien. 18 iun. 1887*; Gennari *Sulla privazione del beneficio ecclesiastico.*

In remotione non officit defectus formalis processus; non enim agitur de poena irroganda, sed de simplici remedio afferendo scandalis et inimicitiarum periculis. Cfr. *folium in Bergomen. 12 aug. 1865.*

Et quoad hoc iuvat referre responsionem S. C. de Prop. Fide pro Statibus foederatis Americae septentrionalis. Quaesitum fuerat: « Necessariane est institutio processus canonici pro validitate actus, quo episcopus transfert, removet aut trasmittit rectorem missionarium (amovibilem) de officio parochi ad officium vicarii, auxiliaris, aut ad aliud officium inferioris gradus et dignitatis? ». Respondit S. Congregatio (*28 mart. 1877*): « In casibus remotionis peragendae in poenam criminis vel reatus disciplinaris, affirmative; in reliquis, negative, sed opus est, ut fiant graves ob causas, et habita meritorum ratione iuxta dispositionem Concilii Plenarii Baltimorensis *tit. II. c. 5 § 32.* Si in casu translationis fiat recursus ad S. Congregationem, S. Congregatio remittet recursum ad metropolitam, vel, si agatur de metropolita, ad metropolitam viciniorem ».

Haec, quae iam antiquiore iure vi- 3057
gebant, nuperrime sapientissimo S. Congr. Concistorialis decreto a SS.

D. Pio PP. X confirmata et accuratioribus praescriptionibus determinata sunt. Decretum hoc maximi momenti ob eius novitatem et momentum dare heic integrum visum est expedire.

« Maxima cura semper Ecclesiae fuit, ut christiano populo praeessent et animarum saluti prospicerent selecti e sacerdotum numero viri, qui vitae integritate niterent et cum fructu suis muniis fungerentur.

Quamvis autem, ut hi rectores quae paroeciae utilia aut necessaria esse iudicarent alacriore possent animo suscipere soluti metu ne ab Ordinario amoverentur pro lubitu, praescriptum generatim fuerit, ut stabiles in suo officio permanerent; nihilominus quia stabilitas haec in salutem est inducta fidelium, idcirco sapienti consilio cautum est, ut eadem non sic urgeatur, ut in perniciem potius ipsorum cedat.

Quapropter, si quis scelestus creditum sibi gregem destruat magis quam aedificet, is debet, iuxta antiquissimum et constantem Ecclesiae morem, quantum fas est, instituto iudicio de crimine, beneficio privari, hoc est a parochiali munere abduci. Quod si, vi canonici iuris, criminali iudicio ac poenali destitutioni non sit locus; parochus autem hac illâve de causa, etiam culpa remota, utile ministerium in paroecia non gerat, vel gerere nequeat, aut forte sua ibi praesentia noxius evadat; alia suppetunt remedia ad animarum saluti consulendum. In his potissimum est parochi amotio, quae oeconomica seu disciplinaris vulgo dicitur, et nullo iudiciali apparatu, sed administrativo modo decernitur, nec parochi poenam propositam habet, sed utilitatem fidelium. Salus enim popoli suprema lex est: et parochi ministerium fuit in Ecclesia institutum, non in commodum eius cui committitur, sed in eorum salutem pro quibus confertur.

Verum, quum de hac amotione canonicae leges haud plane certae perspicuaeque viderentur, coetus Consultorum et Emorum Patrum ecclesiastico codici conficiendo praepositus, rem seorsim ac repetito studio tractandam suscepit; collatisque consiliis censuit, formam quamdam accuratiorem esse statuendam, qua gravis haec ecclesiasticae disciplinae pars regeretur. Quae studia quum SSmus D. N. Pius PP. X et vidisset et probasset, quo tutius in re tanti momenti procederet, sententiam quoque sacrae huius Congregationis Consistorialis exquirendam duxit. Qua excepta et probata, ut Ecclesia posset nulla interiecta mora novae huius disciplinae beneficio frui, decretum per hanc S. Congregationem edi iussit, quo novae normae de amotione administrativa ab officio vel beneficio curato statutae promulgarentur, eaedemque canonicam legem pro universa Ecclesia constituerent, omnibus ad quos spectat rite religioseque servandam.

Haeautem normae hisce qui, sequuntur, canonibus continentur.

I. — De causis ad amotionem requisitis.

Can. 1. — Causae ob quas parochus administrativo modo amoveri potest hae sunt:

1.° Insania, a qua ex peritorum sententia perfecte et sine relabendi periculo sanus fieri non posse videatur; aut ob quam parochi existimatio et auctoritas, etiamsi convaluerit, eam penes populum fecerit iacturam, ut noxium iudicetur eumdem in officio retinere.

2.° Imperitia et ignorantia, quae paroeciae rectorem imparem reddat suis sacris officiis.

3.° Surditas, caecitas et alia quaelibet animae et corporis infirmitas, quae necessariis curae animarum officiis imparem in perpetuum vel etiam per diuturnum tempus sacerdotem reddant, nisi huic incommodo per coadiutorem vel vicarium occurri congrue possit.

4.° Odium plebis, quamvis iniustum et non universale, dummodo tale sit quod utile parochi ministerium impediat, et prudenter praevideatur brevi non esse cessaturum.

5.° Bonae aestimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec procedat ex inhonesta aut suspecta vivendi ratione parochi, vel ex alia eius noxia, vel etiam ex antiquo eiusdem crimine, quod nuper detectum ob praescriptionem poena plecti amplius non possit; sive procedat ex facto et culpa familiarum et consanguineorum, quibuscum parochus vivit, nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum.

6.° Crimen quod, quamvis actu occultum, mox publicum cum magna populi offensione fieri posse prudenti Ordinarii iudicio praevideatur.

7.° Noxia rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae aut beneficii damno, quoties huic malo remedium afferri nequeat auferendo administrationem parocho aut alio modo, et aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat.

8.° Neglectio officiorum parochialium post unam et alteram monitionem perseverans et in re gravis momenti, ut in sacramentorum administratione, in necessaria infirmorum adsistentia, in catechismi et evangelii explicatione, in residentiae observantia.

9.° Inobedientia praeceptis Ordinarii post unam et alteram monitionem et in re gravis momenti, ceu cavendi a familiaritate cun aliqua persona vel familia, curandi debitam custodiam et munditiem domus Dei, modum adhibendi in taxarum parochialium exactione et similium.

Monitio, de qua superius sub extremo duplici numero, ut peremtoria sit et proximae amotionis praenuntia, fieri ab Ordinario debet, non paterno dumtaxat more, verbotenus et clam omnibus; sed ita ut de eadem in actis Curiae legitime constet.

II. — De modo procedendi in generali.

Can. 2. — § 1. Modus deveniendi ad amotionem administrativam hic est: ut ante omnia parochus invitetur ad renunciandum: si renuat, gradus fiat ad amotionis decretum: si recursum contra amotionis decretum interponat, procedatur ad revisionem actorum et ad praecedentis decreti confirmationem.

§ 2. In quo procedendi gradu regulae infra statutae ita servandae sunt, ut, si violentur in iis quae substan-

tiam attingunt, amotio ipsa nulla et irrita evadat.

III. — De personis ad amotionem decernendam necessariis.

Can. 3. – § 1. In *invitatione* paroco facienda ut renunciet, et in *amotionis decreto* ferendo, Ordinarius ut legitime agat, non potest ipse solus procedere; sed debet inter examinatores, de quibus statuit Sacra Tridentina Synodus, cap. XVIII, sess. XXIV, *de reform.*, duos sibi sociare et eorum consensum requirere in omnibus actibus pro quibus hic expresse exigitur: in ceteris vero consilium.

§ 2. In *revisione autem decreti amotionis,* quoties haec necessaria evadat, duos parochos consultores assumat, quorum consensum vel consilium requiret, eodem modo ac in § superiore de examinatoribus dictum est.

Can. 4. — Examinatoribus et parochis consultoribus eligendis lex in posterum ubilibet servanda haec esto:

§ 1. Si synodus habeatur, in ea iuxta receptas normas eligendi erunt tot numero, quot Ordinarius prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit.

§ 2. Examinatoribus et parochis consultoribus medio tempore inter unam et aliam synodum demortuis vel alia ratione a munere cessantibus, alios *prosynodales* Ordinarius substituet de consensu Capituli Cathedralis, et, hoc deficiente, de consensu Consultorum dioecesanorum.

§ 3. Quae regula servetur quoque in examinatoribus et parochis consultoribus eligendis, quoties synodus non habeatur.

§ 4. Examinatores et consultores sive in synodo, sive extra synodum electi, post quinquennium a sua nominatione, vel etiam prius, adveniente nova synodo, officio cadunt. Possunt tamen, servatis de iure servandis, denuo eligi.

§ 5. Removeri ab Ordinario durante quinquennio nequeunt, nisi ex gravi causa et de consensu capituli cathedralis, vel consultorum dioecesanorum.

Can. 5. — § 1. Examinatores et parochi consultores ab Ordinario in causa amotionis assumendi, non quilibet erunt, sed duo seniores ratione electionis, et in pari electione seniores ratione sacerdotii, vel, hac deficiente, ratione aetatis.

§ 2. Qui inter eos ob causam in iure recognitam suspecti evidenter appareant, possunt ab Ordinario, antequam rem tractandam suscipiat, excludi. Ob eamdem causam parochus potest contra ipsos excipere, cum primum in causa veniat.

§ 3. Alterutro vel utroque ex duobus prioribus examinatoribus vel consultoribus impedito vel excluso, tertius vel quartus eodem ordine assumetur.

Can. 6. — § 1. Quoties in canonibus qui sequuntur expresse dicitur, Ordinario procedendum esse de examinatorum vel consultorum consensu, ipse debet per secreta suffragia rem dirimere, et ea sententia probata erit quae duo saltem suffragia favorabilia tulerit.

§ 2. Quoties vero Ordinarius de consilio examinatorum vel consultorum procedere potest, satis est ut

eos audiat, nec ulla obligatione tenetur ad eorum votum, quamvis concors, accedendi.

§ 3. In utroque casu de consequentibus ex scrutinio scripta relatio fiat, et ab omnibus subsignetur.

Can. 7. — § 1. Examinatores et consultores debent sub gravi, dato iureiurando, servare secretum officii circa omnia quae ratione sui muneris noverint, et maxime circa documenta secreta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum numerum et rationes.

§ 2. Si contra fecerint, non solum a munere examinatoris et consultoris amovendi erunt, sed alia etiam condigna poena ab Ordinario pro culpae gravitate, servatis servandis, multari poterunt: ac praetera obligatione tenentur sarciendi damma, si quae fuerint inde sequuta.

IV. — De invitatione ad renunciandum.

Can. 8. — Quoties itaque pro prudenti Ordinarii iudicio videatur parochus incidisse in unam ex causis superius in *can. 1*, recensitis, ipse Ordinarius duos examinatores a iure statutos convocabit, omnia eis patefaciet, de veritate et gravitate causae cum eis disceptabit, ut statuatur sitne locus formali invitationi parochi ad renunciandum.

Can. 9. — § 1. Formalis haec invitatio semper praemittenda est antequam ad amotionis decretum deveniatur, nisi agatur de insania, vel quoties invitandi modus non suppetat, ut si parochus lateat.

§ 2. Decernenda autem est de examinatorum consensu.

Can. 10. — § 1. Invitatio scripto facienda generatim est. Potest tamen aliquando, si tutius et expeditius videatur, verbis fieri ab ipso Ordinario, vel ab eius delegato, adsistente aliquo sacerdote, qui actuarii munere fungatur, ac de ipsa invitatione documentum redigat in actis curiae servandum.

§ 2. Una cum invitatione ad renunciandum debent vel scripto vel verbis, ut supra, parocho patefieri causae seu ratio ob quam invitatio fit, argumenta quibus ratio ipsa innititur, servatis tamen debitis cautelis de quibus in *can. 10*, examinatorum suffragium postulatum et impetratum.

§ 3. Si agatur de occulto delicto, et invitatio ad renunciandum scripto fiat, causa aliqua dumtaxat generalis nuncianda est; ratio autem in specie cum argumentis quibus delicti veritas comprobatur, ab Ordinario verbis dumtaxat est explicanda, adsistente uno examinatorum qui actuarii munere fungatur, et cum cautelis ut supra.

§ 4. Denique sive scripto sive voce invitatio fiat, admonendus parochus est, nisi intra decem dies ab accepta invitatione aut renunciationem exhibuerit, aut efficacibus argumentis causas ad amotionem invocatas falsas esse demonstraverit, ad amotionis decretum esse deveniendum.

Can. 11. — § 1. In communicandis argumentis quibus comprobatur veritas causae ad renunciationem obtinendam adductae, caveatur ne nomina patefiant recurrentium vel testium, si ii secretum petierint, aut,

etiamsi secretum non petierint, si ex adiunctis praevideatur eos vexationibus facile expositum iri.

§ 2. Item relationes ac documenta quae sine periculo magnae populi offensionis, rixarum vel querelarum palam proferri non possunt, scripto ne patefiant; imo ne verbis quidem, nisi cauto omnino ne memorata incommoda eveniant.

Can. 12. — Fas autem parocho est, invitatione cum assignato temporis limite accepta, dilationem ad deliberandum vel ad defensionem parandam postulare. Quam Ordinarius potest iusta de causa, cum examinatorum consensu, et modo id non cedat in detrimentum animarum, ad alios decem vel viginti dies concedere.

Can. 13. — § 1. Si parochus invitationi sibi factae assentiri et paroecia se abdicare statuat, renunciationem edere potest etiam sub conditione, dummodo haec ab Ordinario legitime acceptari possit et acceptetur.

§ 2. Fas autem parocho renuncianti est loco causae ab Ordinario invocatae aliam ad renunciandum allegare sibi minus molestam vel gravem, dummodo vera et honesta sit, e. g. ut obsequatur Ordinarii desideriis.

§ 3. Renunciatione sequuta et ab Ordinario acceptata, Ordinarius beneficium vel officium vacans ex renunciatione declaret.

V. — De amotionis decreto.

Can. 14. — § 1. Si parochus intra utile tempus nec renunciationem emittat, nec dilationem postulet, nec causas ad amotionem invocatas oppugnet, Ordinarius, postquam constiterit invitationem ad renunciandum, rite factam, parocho innotuisse, neque ipsum quominus respondeat legitime impeditum fuisse, procedat ad amotionis decretum, servatis regulis quae in sequentibus canonibus statuuntur.

§ 2. Si vero non constet de superius indicatis duobus adiunctis, Ordinarius opportune provideat, aut iterans parocho invitationem ad renunciandum, aut eidem prorogans tempus utile ad respondendum.

Can. 15. — § 1. Si parochus oppugnare velit causas ad amotionem decernendam invocatas, debet intra utile tempus scripto deducere iura sua, allegationibus ad hoc unum directis, ut causam ob quam renunciatio petitur impugnet et evertat.

§ 2. Potest etiam ad aliquod factum vel assertum quod sua intersit comprobandum, duos vel tres testes proponere, et ut examinentur postulare.

§ 3. Ordinarii tamen est cum examinatorum consensu eos vel aliquot ipsorum, si idonei sint et eorum examen necessarium videatur, admittere et excutere; vel etiam, si causa amotionis liqueat et testium examen inutile et ad moras nectendas petitum appareat, excludere.

§ 4. Quod si, allegationibus exhibitis, dubium exoriatur quod diluere oporteat ut tuto procedi liceat, Ordinarii erit cum examinatorum consilio, etiam parocho non postulante, testes qui necessarii videantur inducere,

et parochum ipsum, si opus sit interrogare.

Can. 16. — § 1. In examine testium sive ex officio sive rogante parocho inductorum, ea dumtaxat serventur quae necessaria sint ad veritatem in tuto ponendam, quolibet iudiciali apparatu et *reprobationibus* testium exclusis.

§ 2. Eadem regula in interrogatione parochi, si locum habeat, servetur.

Can. 17. — Si parochus intersit et documenta ac nomina testium ipsi patefiant, ipsiusmet erit, si possit ac velit, contra ea quae afferuntur excipere.

§ 2. Quando vero parochus iuxta *can. 9* invitari nequeat ad iura sua deducenda, aut quando iuxta *can. 11* testium nomina et aliqua documenta ei manifestari nequeant, ipse Ordinarius curas et industrias omnes adhibeat, (seu *diligentias*, ut vulgo dicitur, peragat) ut de documentorum valore et de testium fide iustum iudicium fieri possit.

Can. 18. — § 1. Ad renunciationem et amotionem impediendam nefas parocho est turbas ciere, publicas subscriptiones in sui favorem promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare, aliaque agere quae legitimum iurisdictionis ecclesiasticae exercitium impedire possunt: secus, iuxta prudens Ordinarii iudicium, pro gravitate culpae puniatur.

§ 2. Insuper cum agatur de re ad consulendum animarum bono directa et administrativo modo resolvenda, parochus, nisi legitime impeditus sit, debet ipse per se, excluso aliorum interventu, adstare. Si autem impeditus sit, potest probum aliquem sacerdotem sibi benevisum et ab Ordinario acceptatum procuratorem suum constituere.

Can. 19. — § 1. Omnibus expletis quae ad iustam parochi tuitionem pertinent, de amotionis decreto ab Ordinario cum examinatoribus discutiendum est, et per secreta suffragia iuxta praescripta in *can. 6* res est definienda.

§ 2. Suffragium autem pro amotione nemo dare debet, nisi sibi certo constet causam parocho denuntiatam vere adesse eamque legitimam.

Can. 20. — § 1. Si conclusio sit pro amotione, decretum ab Ordinario edi debet, quo generatim statuatur ratione boni animarum parochum amoveri. Propria autem et peculiaris amotionis causa exprimi potest pro prudenti Ordinarii iudicio, si id expediat et absque incommodis liceat. Mentio tamen semper facienda erit de invitatione facta ad renunciandum, de exhibitis a parocho allegationibus ac de requisito et obtento examinatorum suffragio.

§ 2. Decretum indicendum est sacerdoti; sed promulgari non debet, nisi elapso tempore utili ad interponendum recursum.

Can. 21. — Si conclusio non sit pro amotione, certior ea de re faciendus est parochus. Ordinarius autem ne omittat addere monitiones, salutaria consilia et praecepta quae pro casuum diversitate opportuna aut necessaria videantur: de quibus maxima ratio habenda erit, si denuo de illius sacerdotis amotione res futura sit.

VI. — **De actorum revisione.**

Can. 22. — § 1. Contra decretum amotionis datur dumtaxat recursus ad eumdem Ordinarium pro revisione actorum coram novo Consilio, quod Ordinario et duobus parochis consultoribus constat iuxta § *2, can. 3.*

§ 2. — Recursus interponendus est intra decem dies ab indicto decreto; nec remedium datur contra lapsum fatalium, nisi parochus probet se vi maiori impeditum a recursu fuisse; de qua re videre debet Ordinarius cum examinatoribus, quorum consensus requiritur.

Can. 23. — Interposito recursu, dantur parocho adhuc decem dies ad novas allegationes producendas, iisdem servatis regulis quae superius in discussione coram examinatoribus statutae sunt, salva dispositione § 4, *can. seq.*

Can. 24. — § 1. Consultores, convenientes cum Ordinario, de duobus tantum videre debent, utrum in actibus praecedentibus vitia formae in ea irrepserint quae rei substantiam attingant, et utrum adducta amotionis ratio sit fundamento destituta.

§ 2. Ad hunc finem omnia superius acta et adducta examinare debent atque perpendere.

§ 3. Possunt etiam ex officio ad illa duo memorata discussionis capita in tuto ponenda exquirere et percontari de rebus quas necessario cognoscendas putent, auditis etiam, si opus sit, novis testibus.

§ 4. Parochus tamen ius non habet exigendi ut novi testes inducantur et examinentur; nec ut sibi dilationes ulteriores ad deducenda sua iura concedantur.

Can. 25. — § 1. Admissio vel reiectio recursus maiore suffragiorum numero est decernenda.

§ 2. Adversus huius consilii resolutionem non datur locus ulteriori expostulationi.

VII. — **De amoti provisione.**

Can. 26. — § 1. Sacerdoti ex facta sibi invitatione renuncianti, aut administrativo modo a paroecia amoto, Ordinarius pro viribus consulat, aut per translationem ad aliam paroeciam, aut per assignationem alicuius ecclesiastici officii, aut per pensionem aliquam, prout casus ferat et adiuncta permittant.

§ 2. In provisionis assignatione Ordinarius examinatores, vel parochos consultores si usque ad eos causa pervenerit, audire ne omittat.

Can. 27. — § 1. Paroeciam Ordinarius ne assignet, nisi dignus idoneusque ad eam regendam sit sacerdos; proponere autem eidem potest paroeciam paris, inferioris aut etiam superioris ordinis, prout aequitas et prudentia videantur exigere.

§ 2. Si agatur de pensione, hanc Ordinarius ne assignet nisi servatis de iure servandis.

§ 3. — In pari conditione, renuncianti magis favendum in provisione est, quam amoto.

Can. 28. — § 1. Negotium de provisione sacerdotis potest Ordinarius reservare post expletam causam amotionis, et generatim quam citius expediendum.

§ 2. Sed potest etiam in ipsa invi-

tatione ad renuntiandum vel separatis litteris, pendente amotionis negotio, vel in ipso amotionis decreto provisionem hanc proponere et indicare, si expediens iudicaverit.

§ 3. In quolibet casu quaestio de provisione futura sacerdotis non debet commisceri cum quaestione praesenti de amotione a paroecia; neque illa hanc impedire aut remorari, si bonum animarum exigat ut expediatur.

Can. 29. — § 1. Sacerdos qui renunciavit, aut a beneficio vel officio amotus fuit, debet quamprimum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent eius oeconomo regulariter tradere. Et si moras illegitime nectat, potest ecclesiasticis sanctionibus ad id cogi.

§ 2. Quod si agatur de infirmo, Ordinarius eidem permittat usum etiam *exclusivum*, ubi sit opus, paroecialium aedium, usque dum possit pro prudenti eiusdem Ordinarii iudicio commode alio transferri. Interim vero novus paroeciae rector aliquam aliam temporariam habitationem in paroecia sibi comparari curet.

VIII. — De iis qui huic legi subiacent.

Can. 30. — Superius constitutis regulis, - adamussim applicandis iis omnibus qui paroeciam, quovis titulo, ut proprii eius rectores obtinent, sive nuncupentur Vicarii perpetui, sive *desservants*, sive alio quolibet nomine, - locus non est, quoties paroecia committatur curae alicuius sacerdotis, qua oeconomi temporalis vel Vicarii ad tempus, sive ob infirmitatem parochi, sive ob vacationem beneficii, aut ob aliam similem causam.

Can. 31. — § 1. Si parochus in ius rapiatur ut reus criminis, pendente criminali iudicio sive coram ecclesiastica sive coram civili potestate, locus non datur administrativae illius amotioni; sed expectandus est exitus iudicii.

§ 2. Interim tamen si agatur de crimine quod infamiam facti inducat, Ordinarius parochum prohibere potest, quominus curam animarum exerceat ac temporalem administrationem beneficii gerat: ea vero munia cum congrua fructuum assignatione Vicario aliive a se eligendo committat.

§ 3. Iudicio autem criminali finito, locus erit restitutioni parochi, vel eius administrativae amotioni, vel canonicae destitutioni, prout iustitia exigat et adiuncta ferant.

Can. 32. Ordinarii nomine pro omnibus, quae in hoc titulo statuuntur, non venit Vicarius Generalis, nisi speciali mandato ad hoc sit munitus.

Iis autem cito exequendis, quae in hoc decreto statuuntur, SSmus Dominus Noster mandat ut omnes et singuli Ordinarii quamprimum parochos aliquot consultores iuxta praescripta *can. 4* constituant. Quod vero ad examinatores attinet, si hi in dioecesi sive in synodo sive extra synodum electi habeantur, statuit ut de cathedralis capituli vel consultorum dioecesanorum consilio aut eos in officio confirmare (hac tamen lege ut post quinquennium a munere cessent), aut ad novam examinatorum

electionem, servata regula *can. 4* devenire possint, prout prudentia et adiuncta suaserint. Deficientibus vero in dioecesi examinatoribus, ad eorum electionem, servatis superius statutis, sine mora deveniant.

Praesentibus valituris contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae die 20 augusti 1910 ».

3058 ***De congrua parochorum in Italia.*** — Recentibus legibus (*4 iun. 1899, 25 aug. 1899*) in Italia congrua parochorum elevata est ad annuas libellas 900, quae ad 1000 elevandae promittebantur.

Hac occasione quaesitum est a S. Poenitentiaria, an parochi recipere possent congruam aut supplementum congruae a Gubernio, quod eam constituit super bonis, quae non parochiae, sed aliis entibus moralibus pertinebant; et responsum est: « Attentis temporum circumstantiis tolerari posse, remoto scandalo, et habita intentione standi mandatis ecclesiae ». S. Poen. *14 dec. 1899*. Et eadem responsione declaratum est, has conditiones servare satis esse, nec necessarium esse, ut parochi in actu acceptationis oraliter saltem aliquam protestationem emittant. Imo possunt episcopi aut parochi immediate cum municipiis aut gubernio (*Fondo culti*) agere de iis, quae ad hanc congruam aut congruae supplementum spectant. *S. Poen. decr. cit.* Cfr. etiam quoad hoc *Monitore eccl. vol. XIV pag. 33.*

Notanda etiam est sequens responsio S. Poenitentiariae: « Quatenus parochi supplementum accipiant a Gubernio in compensationem decimarum, et illud decimas, quas antea percipiebant, adaequet, reliquum, quod a fidelibus praestatur, erogandum in pias causas iudicio ordinarii ». S. Poen. *20 nov. 1902*. Vid. *Decimae.*

Quoad relationes inter parochum et confraternitates. Vid. *Confraternitas.*

Decr. Grat. c. 12. D. 95; c. 73. C. XII. q. 2; c. 1. C. XVI. q. 3; c. 35. D. 1. de cons.; tit. de parochis et alienis parochianis X. (III. 29); Conc. Trid. variis in locis, praesertim sess. XXI. c. 4 sqq. de ref.; sess. XXIV. cc. 13-18 de ref.; Const. Ben. XIV « Cum illud » 14 dec. 1742; Const. Ben. XIV « Firmandis » 6 nov. 1744; Commentatores Decretal. in tit. cit.; *Lochmaier* Parochiale curatorum; *Assensio M.* Instructio curatorum; *Massobrius Jo. A.* De concursu pro parochiis; *Fumus B.* Summa, quae aurea armilla inscribitur... circa animarum curam; *De Bollo P.* Oeconomia can. de sacrorum cath. Christi familiae ministrorum officio et conservanda disciplina; *Coma P. M.* Instruccion de curas; *Filesacus I.* De paroecia et de paroeciarum et parochorum origine nec non de missa parochiali; *Vasques Jurado I.* De residentia parochorum; *Barbosa* De officio et potestate parochi; *Armachani R.* Defensorium curatorum contra eos qui privilegiatos se dicunt; *Trullench Io. A.* De iure parochi sive parochiali et de vicario perpetuo ac temporali; *Alteserra A.* De officio et potestate parochi; *De la Place C.* De necessaria parochorum in ecclesiis suis assiduitate et residentia; *Basseani B.* Parocophitus seu de quadruplici debito in propria parochia persolvendo; *Fronto* De origine parochiarnm; *Engel* Manuale parochorum; *De Abreu S.* Institutio parochi seu speculum parochorum ad verba Conc. Trid. sess. XXII. c. 1. de ref; *De Melles*

S. Praelectio de parochiarum origine et divisione, parochorum minorum gradu, institutione et officiis ; *Du Perray M.* Traité des portions congrues du droit des curés primitifs et vicaires perpétuels sur les oblations, dîmes et prémices ; *Pittoni* Constitutiones pontificiae et decisiones congregationum ad concursum parochialium et beneficiorum collationem spectantes ; *Böhmer I. H.* Tractatus de iure parochiali ; *Marangoni I.* Thes. parochorum ... in quo agitur de origine, dignitate, nobilitate ac variis titulis parochorum ; *Mosmiller* Disp. can. de officio et iure parochorum ; *Mengonius* De eminentia parochorum dignitatis supra canonicos ; *Boehmer G. L.* Ius parochiale ad fundamenta genuina et suppl. ; *Kolb* Ius et obligatio parochorum ; *Cullatti* Trattato della origine delle parrocchie ; *Neller* Diss. de genuina idea et signif. parochialitatis primitivae eiusque principio, incorporatione etc. ; *Van Espen* Tractatus de iure parochorum ad decimas et oblationes et de competentia pastorali ; *Höver* Diss. de parochis ; *Neller G.* Diss. de plebium archipresbyteris in communi ; *Reclusius F. A.* Tractatus de re parochiali ; *Guadagnini* De antiqua paroeciarum origine ; *Lupi M.* De parochiis ante annum Christi millesimum ; *Politi* Ius parochiale ; *Nardi A.* Dei parrochi ; *Pfleger v. Wertenau* Der Pfarrer in seinem Amte ; *Giraldi A.* Animadversiones et additamenta ad Augustinum Barbosa de officio et potestate parochi ; *Helfert J.* Von d. Rechten u. Pflichten d. Bischöfe u. Pfarrer u. deren Gehilfen u. Stellvertretern ; *Carré* Traité du gouvernement des paroisses ; *Baldaus P.* Das Pfarr- u. Dekanatsamt mit s. Rechten u. Pflichten ; *Stefani* Manuale per gli arcipreti e parrochi ; *Affré* Traité de l'administration temporelle des paroisses ; *Seitz* Recht des Pfarramts d. kath. Kirche ; *Dieulin* Le guide des curés dans l'administration temporelle des paroisses ; *Scheffold* Die Parochialrechte ; *Kutschker* Sammlung der Vorschriften für die Kuratgeistlichkeit ; *Houwen* De parochorum statu diss. ; *George* De parocho putativo ; *Kovách* Manuale parochorum ; *Scherer* KR. I. 627 ff. ; *Hinschius* KR. I. 261 ff. ; *Sauer* Pfarramtliche Geschäftsverwaltung ; *Deneubourg* Etude canonique sur les vicaires paroissaux ; *Bouix* Tractatus de parocho ; *Muth J. P.* Beiträge z. Lehre v. d. Pfarreien u. Staats. u. Kirchenrecht ; *Ruffini* La rappresentazione giuridica delle parrocchie ; *Imbart de la Tour* Les paroisses rurales du 4me- 10me s. ; *Zorell S.* Die Entwickelung d. Parochialsystems bis z. Ende d. Karolingerzeit ; *Schaefer H.* Pfarrkirche u. Stift im deutschen Mittelalter ; *Ruffini* Della facoltà dei vescovi in rapporto alla rapp. giurid. delle parrocchie ; *Kirsch P. A.* D. sacerdos proprius in der abendländ. Kirche von d. J. 1215 ; *Bonduelle* Les paroisses et les fabriques au commenc. du XIII siècle ; *Künstle F. X.* Die deutsche Pfarrei und ihr Recht zum Ausgang des Mittelalters ; *Lesêtre H.* La paroisse ; *Imbart de la Tour* Les paroisses rurales dans l'ancienne France du IV au XI siècle ; *Duballet B.* Traité des paroisses et des curés ; *Wernz* Ius Decr. II. 1026 sqq. ; *Hergenröther Hollweck* KR. n. 435 ; *Kunze F.* Die Führung d. kath. Pfarramts ; *Wysocki S.* De parocho quaestiones selectae ; *Bazzanella G.* Manuale d'ufficio del clero curato ; *de Naassans A.* Les droits des curés d'après le droit canonique.

Partes. — Inter corporis partes honestas, minus honestas, inhonestas seu turpes et obscenas distinctio est secundum quosdam auctores. Hi generatim, recentiores praesertim, ita corporis partes distinguunt. Partes honestae sunt visus, dorsum, caput, pedes. Minus honestae sunt pectus, brachia, crura. Inhonestae autem partes genitales hisque proximae. S. Alph. *III. 423;* B. P. *II. 975; etc.* Attamen 3059

nota, non omnes doctores in his concordare, Generatim, antiquiores habent pro honestis aliquas partes ex iis, quas recentiores minus honestas dicunt. Sic ex. gr. Tamburini (*in decal. lib. VII. c. 8. § 3. n. 2*) haec habet: « Aspicere mulieris faciem, manus, *crura*, *brachia, pectora,* in summa partes eius *honestas*, non est ex se peccatum. » Et Lessius (*de iust. et iure lib. IV. c. 4. n. 112*) de pectore femineo dicit: « pars illa honesta censetur, nec natura aut pudor humanus postulat illam absolute tegi ».

3060 **Participans.** — Participans alius est participans in praeda, alius in actione damnosa. B. P. *III. 375.* — Ille tenetur ad restitutionem partis, quam accepit; iste quoque restituere debet quoties moraliter proxime concurrit in opus iniustum, si id sponte et sine compulsione fecit, et maxime quando alias damnum non fuisset secuturum. Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 13 dub. 3. n. 28 sqq.*

Ad damnum in bonis fortunae cooperari licet ex gravi causa, quamvis non gravissima, si tamen cooperans possit et velit damnum reparare (Lessius *loc. cit. n. 30*); vel damnum adeo magnum non sit, ut merito praedamno alias cooperanti orituro possit sperni; vel, etsi damnum magnum sit, id facias ad removendum a te simile damnum, quod alia via removere nequis (DAnn. *II. 207*); vel damnum tertio inferendum per cooperationis omissionem nullatenus impediatur. S. Alph., *III. 563;* D'Ann., *I. 174.* — Hinc licet scalas afferre, vel humeros supponere volenti expilare domum alicuius, secus tuam expilaturo. Patet hic agi de cooperatione materiali, quae iusta exsistente causa est licita. Vid. *Cooperatio.*

Parvuli. — Quoad exsequias parvu- 3061
lorum, idest eorum, qui septimum annum non sunt praetergressi (nisi malitia suppleat aetatem), notandum est, quod vetusta ac laudabilis est ecclesiarum consuetudo, ut parvulorum corpuscula non sepeliantur in communibus et promiscuis coemeteriorum et ecclesiarum sepulturis, sed pro illis in coemeteriis speciales et separati ab aliis loculi habeantur, in quibus non sepeliantur, nisi, qui baptizati fuerint, infantes vel pueri, qui ante annos discretionis obierunt. Rit. rom. *tit. VI. c. 6. n. 1.*

In funere parvulorum, ut plurimum, non sonantur campanae; quod si pulsantur, non sono lugubri, sed potius festivo pulsari debent. Rit. rom. *loc. cit. n. 2.*

Quum autem infans vel puer baptizatus defunctus est ante usum rationis, induitur iuxta aetatem, et imponitur ei corona de floribus seu de herbis aromaticis et odoriferis in signum integritatis carnis et virginitatis; et parochus comitatur corpusculum ad coemeterium indutus superpelliceo et stola alba, praecedente cruce, quae sine hasta defertur, et recitans psalmos, qui recensentur in rituali romano *loc. cit. c. 7. n. 1.*

Patet in exsequiis per se locum non esse missae, et multo minus missae de requie, quum sine peccato ullo decedant. Attamen pluribus in locis mos est, ut cantetur missa de die vel de angelis. Porro haec consuetudo, sic ubi viget, servari potest; attamen mis-

sa de angelis dici potest iis tantum diebus, quibus iuxta rubricas permittuntur votivae. *S. R. C. in Parisien. 8 febr. 1879 ad. 2* (*3481*); *in Aurelianen. 30 ian. 1880* (*3510*). Forte melius diebus permissis diceretur more votivo missa de omnibus sanctis, vel etiam missa pro gratiarum actione.

3062 **Passio.** — ***De cantu vel lectione passionis.*** — **Ubinam sit legenda vel cantada passio.** — In missis privatis diebus, quibus praescribitur, passio legenda est in cornu evangelii, non autem in cornu epistolae (*S. R. C. in una S. Marci 26 nov. 1644 ad 2* [*877*]; *in una Dalmatiarum 4 aug. 1663 ad 1* [*1275*]); in missis vero solemnibus legitur in cornu epistolae a celebrante, qui se aliquantulum ad ipsos canentes passionem convertit, etiamsi missa celebretur coram episcopo; evangelium vero legitur semper in cornu evangelii. *S. R. C. in Pisauren 28 sept. 1630 ad 3* (*544*).

Si vero celebrans ob sacerdotum defectum in hebdomada maiori decantare cogatur partem passionis, decantare illam debet in cornu evangelii. *S. R. C. in Tridentina 12 mart. 1836 ad 2* (*2740*); *in Goana 16 iun. 1893 ad 3* (*3804*).

In cantu passionis admitti potest usus trium pluteorum et totidem librorum, sed cantores non possunt collocari facie ad celebrantem conversa, nec ita ut unus cantorum sit in ambone et alii duo in separato altari. *S. R. C. decr. cit. 16 iun. 1893 ad 3.*

3066 **Quomodo assistendum a clericis lectioni passionis.** — Ad lectionem passionis omnes stant detecto capite, et episcopus assistens, paratus vel cum cappa, missae palmarum, quum non possit stare, dum cantatur tota passio, non debet sedere neque genuflectere, et in casu impotentiae debet abstinere ab interventu saltem missae. *S. R. C. in Bracharen. 28 apr. 1708 ad 2* (*2184*).

Quinam debeant cantare passionem. — 3064 In cantu passionis textus evangelicus non potest cantari ab organista, etsi sit clericus minorista vel subdiaconus. *S. R. C. in una S. Marci 22. mart. 1862 ad 10* (*3110*).

Nec posset celebrans exsequi passione partem Christi et laici partes chronistae et synagogae. *S. R. C 13 iun. 1899 ad 3* (*4031*).

Permittitur tamen, quod in cantu passionis diaconus, qui repraesentat synagogam, eas tantum sententias cantet, quae ab uno proferuutur, ut a Petro, Caipha, Pilato etc.; sententiae vero turbae cantentur a schola, etsi ex laicis constante. *S. R. C. in Bonaeren. 7 iul. 1899 ad 2* (*4044*).

Passionem cantare non possunt moniales, neque in parte, idest turbam repraesentantes. *S. R. C. in Terlitien. 17 iun. 1706* (*2169*).

An tota passio sit semper cantanda. — 3065 In missa autem cantata sine ministris, si aliter fieri nequiret, posset celebrans passionem legere usque ad « Munda cor meum », et partem, quae sequitur, canere in tono evangelii; nec teneretur, totam passionem canere. *S. R. C. decr. cit. 13 iun. 1899 ad 2.*

De quibusdam aliis liturgicis quoad 6306

cantum passionis. — Non potest tolerari, sed tollenda omnino est consuetudo, sicubi viget, extinguendi candelas tum acolythorum tum altaris, dum canitur passio in missa solemni dominicae palmarum. *S. R. C. in Lincien. 13 iul. 1883 ad 4* (*3583*).

Tolerari nequit usus canendi passionem adhibita stola latiore, vulgo *stolone,* super stola. *S. R. C. in una Castrimaris Stabiae 12 mart. 1897 ad 6* (*3949*).

Abolenda est tamquam abusus consuetudo etiam immemorabilis cantandi passionem lingua vernacula (*S. R. C. in Utinen. 5 mart. 1904*); attamen eam canere lingua vernacula post missam lectam in dominica palmarum, stante consuetudine immemoriali et accedente consensu ordinarii, permissum est. *S. R. C. in Utinen. 1 iul. 1904.*

3067 **De sacerdote, qui totam passionem in missa legere non potest.** — Si quis sacerdos ex morbo passionem totam legere nequiret, non ideo teneretur missam omittere; sed posset, ut videtur, missam celebrare, omissa lectione passionis et retenta solummodo lectione postremae partis passionis, quae legitur ad modum evangelii; quum lectio passionis non sit ex iis, quae constituunt consuetam partem missae. Quidam in hoc casu satius ducunt, ut sacerdos celebret votivam de passione, sed nullum proferunt, quod videam, argumentum cogens. Cfr. Lehmkuhl *II. 241.* Semper tamen in hoc casu consultius videtur, ut ad vitandam admirationém populi sacerdos privatim celebret.

De velandis imaginibus tempore passionis (*remissive*). — Quod a vesperis dominicae passionis velandae sunt imagines super altari positis, vide sub *Imagines.*

Patena. — Vid. *Calix*, et confer Kleinschmidt B. *Kelch u. Patene i. christl. Altertum.*

Patriarchae — Patriarchae quidam 3068
sunt maiores, et praeter Rom. Pontificem, qui est patriarcha occidentis, sunt, ordine dignitatis sedium, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus. Praeter hunc ultimum. cui Pius IX (*Const.* « Nulla celebrior » *22 iul. 1847*) restituit exercitium iurisdictionis, quae tamen non excedit limites iuris metropolitani, cum obligatione residendi, alii sunt titulares tantum.

Patriarchae minores sunt patriarcha Venetiarum. patriarcha Ulyssiponensis, patriarcha Indiarum occidentalium. Praeter hos omnes, nonnulli sunt patriarchae catholici rituum orientalium, qui etiam nunc gaudent iure vere patriarchico et pluribus praerogativis. Sic Benedictus XIV constitutione sua « Apostolica » (*14 febr. 1742*) dicit, patriarchae Maronitarum ius esse singulis trienniis singulas dioeceses per seipsum visitandi, decimas consuetas (decima decimarum singulis antistitibus in suis respectivis diocesibus relicta) colligendi, sacra olea consecrandi et in singulas dioeceses privative distribuendi.

Recenti decreto constitutum, est, ut omnes patriarchae tum ritus orientalis tum ritus occidentalis. sive maiores sive minores, nuncupeutur titulo

Excellentiae reverendissimae. *S. C. Ceremonialis 3 iun. 1893.*

Patriarchae etiam rituum orientalium debent exquirere a romano pontifice confirmationem electionis et pallium, antequam convocent concilium, conficiant chrisma, dedicent basilicas, ordinent clericos, episcopos consecrent, aliaque peragant, quae, non obtenta electionis confirmatione et pallii concessione, vetita sunt, nisi specialis sedis apostolicae venia praedictis patriarchis facta fuerit. *S. C. P. F. ad patriarch. Graeco Melchitam 1 dec. 1837.*

Lopes De vera IV patriarchalium sedium serie ac earumdem proprie inter se aequalitate; *Morini F.* Exercitationes eccl. et biblicae, Paris 1669, disc. I. de patriacch. et primatum origine; *Schelstrate* Dissertatio de auctoritate patriarchali et metropolitica; *Janus J. W.* De origine patriarcharum; *Andreucci* De patriarchis in genere et in specie de patriarchatu Antiocheno; *Hole* Patriarchatus Venetus; *Politi* Ius patriarchicum; *Maasen F.* Der Primat des Bischofs v. Rom u. d. alten Patriarchalkirchen; *Kühn F.* Gesch. d. ersten latin-Patriarchats v. Jerusalem; *Rohrbach P.* Die alex. Patriarchen als Grossmacht i. d. kirchenpol. Entwicklung d. Orients; *Treppner M.* Das Patriarchat v. Antioch. v. s. Entstehen bis z. Ephesinum 431; *Vailhé S.* L'érection du patriarcat de Jérusalem; *Hampel E.* Untersuchungen üb. d. lat. Patriarchat v. Jérusalem v. Eroberung der heil. Stadt b. z. Tode d. Patr. Arnulf (1049-1119); *Lesne E.* La hiérarchie épiscopale. Provinces, metropolitains, primats en Gaule et Germanie depuis la réforme de S. Boniface jusqu'à la mort d'Hincmar (742-882); *Sidarouss S.* Les patriarcats daus l'empire ottoman et spécialement en Egypte; *Dowling* The Patriachate of Jerusalem.

Patrimonialia bona. — Patrimonialia bona sunt ea bona clericorum, quae illis proveniunt ex paterna hereditate, aut ex qualibet alia causa profana. Quasi patrimonialia, ea, quae acquiruntur occasione et intuita functionum. Utrorunque habent clerici perfectum dominium. Vid. *Bona.* 3069

Patrimonium. — In quo consistat titulus patrimonii. — Titulus patrimonii est titulus subsidiarius ordinationis aetate Alexandri III inductus (cfr. *c. 4 de praebendis etc. X. [III. 5]*), et consistit in bonis ordinandi legitime acquisitis et sufficientibus ad congruam sustentationem iuxta taxam syndalem vel consuetudinem legitimam loci. Cfr. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 2 de ref.*; *Const.* Inn. XII « Speculafores « *4 nov. 1694.*; Schmalzgrueber *in tit. 11 lib. I Decr. n. 55*; Santi *in eumd. tit. n. 45.* 3070

Qualia debeant esse bona ad hunc titulum constituendum. — Bona haec debent esse immobilia, vel saltem quoad fructus certitudinem immobilibus aequiparata (*Const.* Pii V « Quum onus » *19 ian. 1569*; *S. C. C. 20 nov. 1670 apud Richter Conc. Trid. pag. 114. n. 17*), frugifera, libera ab hypotheca (Schmahzgrueber *l. c.*) et vinculata, ita ut a clerico ordinato sine licentia episcopi non possint alienari (Conc. Trid. *loc. cit.*; *S. C. C. 6 mart. 1638, 20 iul. 1641, 21 aug. 1717 apud Richter loc. cit. n. 22 sqq.*). etiamsi congruum beneficium ecclesiasticum obtinuerit, vel aliunde habeat bona, quae honestam sustentationem ipsi suppeditent. *S. C. C. 24 febr. 1652, 28 nov. 1686.* 3071

Bona ista patrimonialia possunt

etiam in alia dioecesi sita esse (*S. C. C. 6 dec. 1749*); alienari tamen non possunt, nequidem quoad proprietatem tantum servato usufructu. *S. C. C. 10 oct. 1676.*

3072 **An cappellania laicalis possit constituere titulum patrimonii.** — Titulus patrimonii potest etiam esse cappellania laicalis vitalitia perpetua, et etiam amovibilis, dummodo in hoc casu illi, ad quos pertinet nominatio, fidem suam desponderint, interposita etiam episcopi auctoritate, se non revocaturos nominationem factam, nisi prius cappellanus aliter congrue fuerit provisus, ex. gr. per adeptionem alicuius beneficii ecclesiastici. Ben. XIV *Inst. eccl. XXVI. n. 11.*

3073 **An adepto beneficio extinguatur titulus patrimonii.** — Etiam adepto beneficio ecclesiastico, titulus patrimonii non extinguitur, quousque episcopus titulum beneficii subrogaverit titulo patrimonii. *S. C. C. 12 iul. 1687 et alias.*

3074 **De ordinato alienante titulum patrimonii.** — Ordinatus alienans titulum patrimonii contra praescriptum Conc. Trid. peccat graviter, et ab episcopo puniri potest, et cogendus est ad subrogandum alium titulum.

3075 **Quinam ordinari possint ad titulum patrimonii.** — Ex praescripto eiusdem Conc. Trid. (*loc. cit.*) ad titulum patrimonii non sunt ab episcopo ordinandi, nisi ii, quos episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiae.

3076 **De vicario capitulari quoad dimissorias ex titulo patrimonii.** — Etiam vicarius capitularis ex communiori sententia dimissorias ad ordines concedere potest ratione patrimonii. Leurenius *de vicariis quaest. 512. n. 7;* De Angelis *in tit. 28 lib. I Decr. n. 21;* De Herdt *Praxis capitul. cap. XXIII. II. 3.*

Steck J. C. De ordinatione ad titulum patrimonii et paupertatis commentatio; *Andreucci* De patrimonii hypothecae generali subiecti ad titulum ss. ordinum idoneitate; *Narni* Il tit. patrim.; *Scaduto* Competenza vescovile o civile per la decadenza del « titulus patrimonii »; *Santachiara* Il titulus patrimonii nella storia e nel diritto.

Patrini — Patrini requiruntur in baptismo, et in confirmatione. Vid. *Baptismus, Confirmatio, Cognatio.* 3077

Hic notandum est, quosdam iure communi excludi a munere patrini. Sunt autem apostatae, haeretici, schismatici, publice excommunicati et interdicti, publice criminosi et infames, qui sana mente non sunt, ignorantes rudimenta fidei catholicae, pater et mater, maritus et uxor, monachi et moniales et alii cuiusvis ordinis regulares a seculo segregati. Cfr. Rit. rom. *tit. II. c. 1. n. 25 sq.*

Patroni. — Vid. *Iuspatronatus.*

Patronus. — **De patrono ecclesiae.** — Patronus, si sumitur in relatione ad aliquam ecclesiam, est terminus specificus sub genere titularis. Nam patronus est titularis ecclesiae, qui tameu sit persona creata. Titularis e contra potest esse etiam ipse Deus, ut si quando ecclesia dedicatur SS. Trinitati, aut nativitati seu transfigurationi Dni. etc.; sed in hoc casu ecclesia non haberet patronum, quia scilicet patronus ille est, qui nobis patrocinatur apud Deum. Gasparri *de euch. I. 137.* 3078

Alia patronum seu titularem ecclesiae respicientia vide sub *Titularis*.

3079 **De patrono civitatis, etc.** — Patronus autem ecclesiae probe distinguendus est a patrono loci, puta civitatis, provinciae, regni etc. Titularis enim, sive patronus ecclesiae, is dicitur, sub cuius nomine seu titulo ecclesia fundata est et a quo appellatur; patronus autem loci proprie is est, quem certa civitas, dioecesis, provincia, regnum etc, sibi deligit veluti singularem ad Deum patrocinatorem, servatis in eiusmodi electione regulis in decreto Urbani VIII diei 23 mart. 1630 statutis. *S. R. C. in Briocen. 9 maii 1857* (*3048*).

3080 **Quinam eligi possint patroni locorum.** — In patronos locorum eligi possunt ii solum, qui ab ecclesia universali titulo sanctorum coluntur, non autem beatificati dumtaxat. *S. R. C. decr. gen. 13 mart. 1630 ad 1* (*526*).

3081 **Quinam possint et quomodo debeant eos eligere.** — Electio autem patroni civitatis fieri debet a populo mediante consilio generali illius civitatis vel loci, non autem ab officialibus solum, et accedere debet consensus expressus episcopi et cleri illius civitatis. Idemque servari debet in electione patroni regni, qui pariter eligi debet a populo singularum civitatum provinciae, non autem a repraesentantibus regni, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et pariter cum consensu episcopi et cleri illarum civitatum.

Causae autem electionis novorum patronorum debent in S. R. Congregatione deduci ac examinari, ac demum, causa cognita, ab eadem congregatione approbari et confirmari. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 2 et 3.*

Quinam teneantur celebrare festum pa- 3082
troni, et quomodo. — Festum praecipui patroni loci, vel dioecesis si particularis non habeatur, celebrandum est ab omnibus et singulis de clero ad horas canonicas obligatis, qui eodem in loco degunt, sub ritu duplici primae classis, a clero seculari cum octava, a regulari vero sine octava. *Cfr. decr. S. R. C. in una ord. Min. Cap. 22 aug. 1905.* Quod si plures habeantur in loco patroni aeque principales, ad singula eorumdem festa, praefato celebranda ritu, omnes ut supra similiter tenentur.

Si vero de eodem patrono plura sint festa in loco instituta, unum tantum solemnius, idest natalitium, regulares recolere debent, nisi sub utroque praecepto sint observanda; tunc enim ad illa regulares adiguntur. *S. R. C. decr. gen. 9 iul. 1895 ad 1* (*3863*).

Recenter S. Congregationi Rituum propositum fuit hoc dubium: « An infra octavam patroni principalis, quae apud regulares iam alio titulo seu causa celebratur, debeat in missa symbolum adiungi, sicut additur in ipso die festo; ita nempe ut apud eosdem regulares debeat per totam octavam nativitatis dominici praecursoris in missa symbolum recitari, si ipse sanctus sit praecipuus loci patronus vel etiam si de ipso reliquia insignis asservetur ». Et Congregatio respondit: « Affirmative » *S. R. C. in una ord. FF. Min. 24 ian. 1908.*

Festum autem patroni per se non

recensetur inter festa, quae sub praecepto celebranda sunt. *Mot. propr. Pii X* « Supremi » *2 iul. 1911.*

3083 **De officio defuncti non canendo in festo patroni loci.** — In festo patroni loci ex. gr. provinciae, quod recolitur officio duplici primae classis cum octava, non licet officium defunctorum, praesente cadavere, decantare. *S. R. C. in Lucionen. 4 aug. 1892 ad 2 (3788).*

Paulinum privilegium. — Vid. *Privilegium paulinum.*

3084 **Pauperes — De iis, a quibus pauperes excusantur.** — Qui aliter se suosque alere non possunt, excusantur si die festo opera servilia exercent, dummodo secluso scandalo id faciant. S. Alph. *III. 297.* Vid. *Labor, Opera.*

Ostiatim mendicantes, iique qui aequam sibi refectionem comparare nequeunt, excusantur a ieiunio, et a lege abstinentiae, etiamsi non mendicent, dummodo nihil aliud habeant sufficiens. S. Alph. *III. 1033. 2°.*

In extrema necessitate positi, quoad necessaria, excusantur a furto. S. Th. *2. 2. q. 66. a. 7;* D'Ann. *II. 256.*

3085 **De pauperibus relate ad dispensationes matrimoniales.** — Recenti iure inducto per constitutionem « Sapienti consilio » ad dispensationes matrimoniales tum *in forma nobilium* tum *in forma communi* tum *etiam in forma pauperum* concedendas unice *pro foro externo* (relate ad quod tantummodo paupertas vel non paupertas consideratur) competens est *S. Congregatio sacramentorum.* Haec autem in diiudicanda paupertate in omnibus sequitur antiquam praxim s. Poenitentiariae, cui prius dispensatio in forma pauperum commissa erat.

Hanc igitur antiquam praxim ognoscere iuvat.

Pauperes reputabantur illi, qui viverent labore manuum (imo hi dicebantur *miserabiles,* quibus gratis omnino dispensatio a Poenitentiaria concedebatur); nec non etiam illi, quorum bona, quae in capitali (quod consideraretur non gravatum hypotheca et detracto aere alieno) habebant, non superarent valorum scutatorum 300 monetae romanae (fr. 1612,50), si ipsi citra montes degebant; vel, si ultra montes, valorem ducatorum auri de Camera 300 summam attingentium scutatorum 525 dictae monetae (fr. 2821.87). Cfr. *S. U. I. 26 sept. 1754;* B. P. *VI. 946.*

« Praxis apostolicarum dispensationem super impedimentis matrimonialibus in Dataria apostilica » (*n. 206*) aliam indixit regulam ad diiudicandam paupertatem in ordine ad matrimoniales dispensationes, scilicet:

« Pauperes vel quasi pauperes sunt, qui sunt etiam miserabiles, qui nempe aequo exsecutoris arbitrio commiserationem merentur, ratione paupertatis quoad constitutam taxam solvendam; morali enim iudicio res est diiudicanda.

Hinc summa pro huiusmodi paupertate diiudicanda constituitur possessionis (forte *possessione*) 1500 libellarum pro pauperibus et 2000 libellarum pro quasi pauperibus. Ac, ne sit ambigendi locus de quanam et de quorum paupertate agatur, quando huiusmodi possessionis summa statuitur pro regula paupertatis,

aliud additur rem bene practice determinans; dicitur enim de his pauperibus vel quasi pauperibus, ac de huiusmodi miserabilibus personis, quod tantum ex labore et industria vivunt, scilicet ex labore et industria manuum, et alius excluditur vivendi modus. Quare praedicta regula passessionis 1500 et 2000 libellarum de huiusmodi tantum personis intelligitur. Et sane quis pauperem vel quasi pauperem diceret medicum, advocatum, magistratum, supremum exercitus ducem, qui quamvis non habeat possessionem bis mille et mille tantum libellarum, lucratur tamen singulis mensibus mille et bis mille libellas, quas omnes sui et familiae suae sustentatione et luxu expendit? »

Hinc factum est, ut nonnulli episcopi peterent a sacra Poenitentiaria an hae novae normae pro diiudicanda paupertate in ordine ad matrimoniales dispensationes valerent etiam pro dispensationibus petendis et concedendis a s. Poenitentiaria. Haec autem ad hunc quaesitum respondit (*23 iul. 1902*); « In praxi s. Poenitentiariae nihil esse innovatum ».

Imo recentius s. Poenitentiaria interrogata ab episcopo Neocastrensi quaenam norma teneri deberet in tanta opinionum diversitate pro computanda paupertate aut quasi paupertate eorum, qui petebant matrimoniales dispensationes, respondit: « Sacra Poenitentiaria ad praemissa respondet: Donec aliud a S. Sede non statuatur, standum decreto Benedicti XIV dato per s. congregat. s. Officii feria V die 25 sept. 1754, iuxta quod in ordine ad dispensationes matrimoniales, pauperes, in Italia, censendi sunt tum qui ex labore et industria tantum vivunt, tum qui aliqua possident bona, sed non ultra summam scutatorum romanorum 300 in capitali (idest libellarum 1612,50). Fere pauperes autem ibidem ii dicendi sunt, quorum bona non excedunt in capitali summam scutatorum 1000 (idest libellacum 5735), a quibus tamen fere pauperibus modicum taxae augmentum exigi solet ». *Sacr. Poenitentiar. 20 ian 1904.*

Paupertas autem haec eo modo intellecta, quo diximus, debebat probari per authenticum testimonium ordinarii (*Instruct.* Urb. VIII. *6 oct. 1671*), non originis, sed domicilii (Giovine *de disp. matr. II, §. 20. n. 2*), in cuius aestimatione erat, utrum aliquis esset pauper, imo etiam miserabilis. Reiffenstuel *App. ad libr. IV Decr. num. 372;* D'Ann. *III. 496.*

Ad obtinendam dispensationem pro pauperibus a s. Poenitentiaria necesse erat, ut testimoniales litterae episcoporum continerent expressam declarationem paupertatis vel quasi paupertatis oratorum, quam ipsi iudicassent secundum normas, quae in usu erant, onerata super hac re eorum conscientia; et praeterea ut episcopus ipse subscribere deberet hisce litteris testimonialibus, nisi esset legitime impeditus, quo in casu subscribendae erant a delegato ad hoc specialiter deputato, qui sive esset vicarius generalis, sive alius sacerdos, debebat expressam facere mentionem tum impedimenti episcopi, tum specialis habitae delegationis. *S. Poen. 5 febr. 1900.*

S. Poenitentiaria pauperibus non mi-

serabilibus modicam quamdam taxam imponebat pro iuribus Datariae. Nota, illis etiam, qui fortunam haberent aequivalentem ducatis mille auri de camera (sc. 1750 = fr. 9406,25), dispensationem concedi consuevisse in forma pauperum; sed soluta *componenda* scutatorum quatuor pro quovis centenario. *Decr. S. U. I. coram Benedicto XIV feria quinta die 26 septembris ann. 1754.*

Si oratores non pauperes, paupertate falso allegata, a s. Poenitentiaria dispensationem ad matrimonium contrahendum impetraverant, controversum fuit, an valeret matrimonium initum (Cfr. *S. C. C. 28 iun. 1873 apud Acta S. S. VII. 291, 430;* D'Ann. *III. 497*); standum tamen in praxi pro valore doctoribus plerisque visum est, quia paupertas non est causa motiva, et actus praesumitur validus quousque contrarium probetur. Si agebatur de matrimonio adhuc ineundo, recurrendum tamen iterum dicebant ad Datariam.

3086 **Paupertas.** — ***De obligatione paupertatis in religiosis.*** — Generatim loquendo, nihil aliud quoad hoc est dicendum, nisi quod religiosus ad paupertatem servandam tenetur vi voti.

Si autem agatur de extensione istius obligationis, notandum est, religiosos per votum paupertatis, nihil aliud vovere, quam oppositum ei, quod in iis cernimus, qui sunt domini vel proprietarii (Sanchez *in dec. lib. VII. c. 30. n. 4*); scilicet religiosi vi voti nullum possunt exercere actum dominii vel proprietatis sine dependentia a suis superioribus et sine eorum consensu.

Hinc probabile saltem est non agere contra votum paupertatis religiosum, qui, inscio vel invito superiore, depositum accipit. Suarez *de rel. tom. 3. lib. 8. c. 11 n. 45.*; Génicot *Th. mor. II. 93.*

Pariter religiosus accipiens ab extraneo pecuniam in pio opere ad eius arbitrium erogandam, peccat contra paupertatem; non item si opus prius fuerit determinatum a donatore (ut ex. gr. si aliquid accipiat ad eleemosynam faciendam pauperibus, etiamsi horum pauperum electio religioso a donatore relinquatur, Sanchez *in dec. lib. VII. c. 30. n. 4*; Suarez *de relig. lib. VIII. 15 sqq.*; Lugo *de iustitia et iure disp. III. n. 155*; Diana *tom. VII. tr. 3. res. 23. n. 2*); imo ne tunc quidem, quum ipse pecuniam hanc postulat.

Plures alii eiusmodi casus, in quibus religiosus votum non infringit, citari possent, qui nihil aliud sunt, nisi applicatio principii supra statuti.

Potius notandum, paupertatem religiosam duplicem distingui, alteram perfectiorem, quae generatim solemnem paupertatis professionem consequitur, alteram minus perfectam, quae habetur in ipsa simplici paupertatis professione. B P. *IV. 68.* — Quae magis in particulari consequuntur unam et alteram professionem paupertatis dicemus mox.

Materia remota voti paupertatis sunt res exteriores pretio aestimabiles; non igitur res spirituales vel res temporales, quae non sunt pretio aestimabiles, ut fama, reliquiae sanctorum, etc. Imo, iuxta communissimam sententiam, saltem ratione con-

suetudinis (Lugo *de iust. et iure disp. III. n. 230*), non sunt materia huius voti manuscripta. S. Alph. *V. 14*; Génicot *Th. mor. II. 92*.

Materia proxima voti paupertatis est, ait Génicot (*l. c. II.*) *93.*, tum dominium directum, tum usufructus, usus, possessio et administratio, prout haec omnia constituunt iura, non autem merum factum; sunt autem iura, quatenus quis utitur, fruitur, possidet, administrat nomine et arbitrio suo, independenter a voluntate superioris.

Quaenam materia censenda sit gravis in violatione voti paupertatis controvertitur; sed certo semper materia gravis est ea, quae gravis habetur in furtis filiorumfamilias. Cfr. B. P. *IV. 87*.

3087 **Ad quae se extendat paupertas in solemniter professis.** — Solemniter professus, secluso speciali privilegio, quod tamen aliquando datur (ut factum est cum professis in Belgio, confer *decr. S. Poen. anni 1820 et aliud decretum S. Congr. pro neg. eccl. extr. diei 31 iul. 1878*), est incapax cuiuslibet dominii, et cuiuslibet actus proprietatis. *cap. 9 de statu monachorum etc. X.* (*III. 35*); Bouix *de iure reg. part. VI sect. 5 c. 1. §. 1 prop. 2.*

Quare de iure communi votum solemne paupertatis privat dominio omnium bonorum temporalium, quae quis prius habebat, nec nonomnium iurium in re; et habilitate ad horum dominium habendum et transferendum. Religioso solemniter professo in omnibus iuribus monasterium, (si capax sit) succedit, cui proinde acquirentur bona omnia, quae professus momento professionis habebat (nisi is ante professionem de iis disposuerit), ea quoque, quae hereditate, legato vel dono aut etiam industria ipsa sua professus post professionem legitime sibi acquisivisset, si votum non obstitiset. Potest tamen religiosus solemniter professus in sua renuntiatione iura sua quoad futuras forte hereditates legitime alteri tradere, quo in casu monasterium non succederet. Cfr. Vermeersch *de religiosis etc. I. 242.*

Quoad privilegium concessum religiosis Belgii confer Vermeersch *loc. cit. I. 243*; Fine *Iuris regularis tum comm. tum. partic quo regitur Soc. Iesu declaratio caput VIII. n. 9.*

Quod obligationem paupertatis religiosorum votorum solemnium iuverit hic referre sequentia dubia proposita S, Congr. episcoporum et regularium eiusque responsiones.

« Beatissime Pater, episcopus Zamorensis in Hispania ad pedes S. V. provolutus humillime exponit, N. N. sanctimonialem ordinis praemonstratensis in conventu civitatis N. huius dioecesis, ex constitutionibus civilibus hispanicis ius habere ad hereditatem capiendam, quae eidem contigit ex morte fratris presbyteri recens defuncti. Hinc quaeritur:

1°. An praefata sanctimonialis, posita solemni religiosa professione, quam iamdiu emisit, licite in conscientia possit gestiones agere, sive per se, sive per procuratorem, ut hereditatem capiat proprio nomine coram seculari iudice, in bonum tamen totius communitatis, ut par est; vel potius egeat, ratione voti paupertatis, legi

tima dispensatione ad praedictas gestiones iuridicas agendas ad hereditatem acquirendam;

2°. Dato, quod dispensatione egeat, an haec eidem tribui possit a conventus superiorissa, aut ab episcopo, cui conventus subest; vel necessario ratione solemnis voti, a Sede Apostolica obtineri debeat; — demum, posita necessitate recurrendi ad Apostolicam Sedem pro praedicta dispensatione, episcopus orator suppliciter postulat:

3°. ut praefatae sanctimoniali facultas tribuatur ad iuridicas gestiones per procuratorem instituendas ac perficiendas pro hereditate sibi ac proprio nomine capienda, quae in bonum cedat totius communitatis;

4°. ut eidem episcopo oratori sufficiens facultas elargiatur, ut dispensare possit super voto paupertatis in casibus similibus ad id, ut providere valeat pro urgentia, quae regulariter in iisdem occurrit. — Et Deus... —

S. Congr. Em. ac. Rm. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, super preamissis censuit respondendum, prout respondet:

Ad 1um. et 2um. providebitur in tertio;

Ad 3um. Affirmative, pro petita facultate; ita tamen ut hereditas acquiratur monasterio;

Ad 4um. Affirmative pro petita facultate ad triennium, pro casibus dumtaxat urgentibus, in quibus nempe non suppetat tempus recurrendi ad Sanctam Sedem.

Romae, 15 ian. 1897.

Ad quae se extendat paupertas in professis votorum simplicium. — 3088.
De professis votorum simplicium in ordine regulari. — Simplici voto ligatus habet directum dominium suorum bonorum (*Const.* Greg. XIII « Ascendente Domino » *25 maii 1584),* de quibus tamen valide (D'Ann. *I. 107),* sed illicite, sine venia superioris, disponit. Lucidi *de vis. sacr. limin. de quinto relat. cap. art. 3. n. 314 sqq.*

Professi votorum simplicium (in ordinibus, in quibus emittuntur vota solemnia) dominium *radicale,* ut aiunt, suorum bonorum retinere possunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et redituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo ordini, si ita pro eorum libitu, existimaverint. *S. C. super statu regul. 12 iun. 1858.*

Haec eadem statuta sunt pro monialibus, quae professae sunt vota tantum simplicia in monasterio votorum solemnium, in decreto S. Congr. Episcoporum et Regularium (*3 maii 1902*), in quo praeterea revocata est in memoriam dispositio Concilii Tridentini *sess. XXV de regul. et monial. c. 16,* quoad interdictam bonorum renunciationem ante duos menses proxime praecedentes professionem solemnem; et additum est: « Quod si, durante tempore votorum simplicium, alia bona legitimo titulo eis obvenerint, eorum quidem dominium

radicale (professae votorum simplicium) acquirunt, sed administrationem, usumfructum et usum cedere quamprimum debent ut supra, servata etiam lege non abdicandi dominium radicale, nisi intra duos menses proximos ante professionem solemnem ».

Hinc professis votorum simplicium interdictus est bonorum suorum usus usufructus, administratio et fructuum erogatio. Quare novitius antequam simplicem professionem emittat de his omnibus disponere debet. Superiores autem regulares nullo modo possent huiusmodi suis subditis haec concedere; quia professi votorum simplicium ab iis prohibentur non solum si independenter ea admitterent, sed etiam si dependenter a superioribus suis. Ratio quia etsi dependenter haec fierent, religiosum distraherent a sua vocatione. Post professionem hi religiosi non prohibentur nova bona sibi acquirere, sed de ipsis statim disponere debent.

Exinde quamvis simpliciter professi possint per testamentum disponere de dominio, non possunt revocare cessionem usus aut administrationis. Et quum mutare administratorem semel constitutum actus sit administrationis, hanc mutationem facere ordinarie nequeunt sine licentia Sedis Apostolicae. Attamen in casu, quo administrator constitutus moriatur aut ab administratione ipse recedat, alium administratorem sine Sedis Apostolicae venia deputare hos professos posse iure putat Vermeesch (*loc. cit. I. 247*); nam quemadmodum si ipsis post professionem bona obveniunt, possunt de ipsis statim disponere; ita, si administrator semel constitutus bonorum suorum desit, statim de novo administratore deputando deliberare ipsi posse videntur. Et hoc eo magis, quod deputatio administratoris a voto ipso paupertatis exigitur, quum ipsi ratione voti ab administratione bonorum prohibeantur. Hoc autem non est extendendum ad casum, quo quis arbitrio suo vellet administratorem semel constitutum (etiam ex iusta causa, quia ex. gr. imperitus, aut fraudolentus postea deprehensus) a munere removere; hoc enim in casu cum Vermeersch existimo necessariam licentiam S. Sedis, nisi tamen periculum sit in mora; tunc enim licentia praesumi iure posset. Quaeri posset an ad hanc novam deputationem faciendam in casibus urgentioribus, de quibus locuti sumus, requiratur licemtia saltem superioris regularis. Vermeersch (*loc. cit.*) affirmative respondet, dicens id exigi a lege obedientiae, id enim exigi a voto paupertatis minus sibi constare. In qua ultima assertione cum cl. auctore libenter concordamus. Sed an hoc exigatur etiam lege obedientiae videtur dubitandum, saltem si per obedientiae *legem* intelligamus votum; ratione enim voti obedientiae tenetur quis ad exsequenda *praecepta* superioris, et tale praeceptum dari in casu non supponitur. Sed forte cl. auctor prudens locutus est de *lege* obedientiae, non autem de voto, ut indicaret hoc decere seu etiam exigi ratione subiectionis, quam religiosus amore virtutis obedientiae erga suum superiorem habere debet.

Notandum etiam hic est, non posse

novitium ante simplicia vota de suis bonis disponentem cavere, ut interim fructus sui patrimonii bonis ipsis accrescant. *S. C. EE. RR. 21 nov. 1902.* Advertendum tamen est illud, quod huic S. Congregationis responsioni eam explicans addit Vermeersch (*Periodica etc. II. n. 42*), scilicet: « Quod si ex instituti *consuetudine*, a decem saltem annis recepta, ista fructuum conservatio non videatur repugnare disciplinae paupertatis, ut est, silentibus constitutionibus, intellecta, huiusmodi consuetudinem hac responsione tolli vel improbari non arbitramur ». Cfr. etiam Vermeersch *de religiosis etc.* ² *I. 246. 3.*

3089 **De professis votorum simplicium in institutis recentioribus.** — Super voto paupertatis quoad instituta recentiora haec ordinarie statuta inveniuntur: « Professi dominium radicale, ut aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et reditùum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem cedere, etiam private, administrationem, usumfructum et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo instituto, si ita pro eorum libitu existimaverint. Huic vero cessioni apponi poterit conditio, quod sit quandocumque revocabilis: sed professus hoc iure revocandi in conscientia minime uti poterit, nisi accedente Apostolicae Sedis placito. Quod etiam dicendum erit de bonis, quae post professionem titulo hereditario eis obvenerint. Poterunt vero de dominio, sive per testamentum, sive, de licentia tamen superioris generalis, per actus inter vivos, libere disponere, quo ultimo eveniente casu, cessabit concessio ab eis facta quoad administrationem, usumfructum et usum; nisi eam concessionem tempore eis beneviso firmam voluerint, non obstante cessione dominii. Professis autem vetitum non est ea proprietatis acta peragere, de licentia superioris, quae a legibus praescribuntur. Quidquid professi sua industria, vel intuitu societatis acquisierint, non sibi ascribere aut reservare poterunt, sed haec omnia inter communitatis bona referenda sunt, ad communem societatis utilitatem ».

Ita ex. gr. statutum est pro presbyteris Societatis Mariae (*15 iunii 1860*) pro sororibus Praesentationis Albien (*8 mart. 1861*); pro sororibus a S. Iosepho Camberien. (*22 mart. 1861*); ita, paucis verbis immutatis, pro sororibus hospitalariis a S. Paulo nuncupatis dioecesis Carnoten. (*12 iul. 1861.*) Cfr. Bizzarri *Coll. EE. RR. p 793. 806.*

Attamen in « Normae, secundum quas S. Congr. EE. et RR. procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium », quae approbatae fuerunt decreto *28 iun. 1901*, haec, nonnullis immutatis, statuta sunt:

« 113. Per votum simplex paupertatis sorores renuntiant iuri licite disponendi de re quacumque temporali sine venia legitimorum superiorum.

114. Prohibitum est sororibus retinere per seipsas administrationem bonorum suorum quorumcumque.

115. Propterea ante primam votorum emissionem disponere debent de usu et usufructu redituum, vel fru-

ctuum bonorum suorum quo modo ipsis placuerit, et etiam, si ita pro eorum arbitrio existimaverint, in favorem sui instituti. Debent etiam ante prima vota cedere administrationem suorum bonorum personae vel personis sibi benevisis; et si libere velint, etiam proprio instituto praemonito et acceptanti.

116. Cessio administrationis, usus et usufructus vim amplius non habebit in casu egressus ab instituto; quin imo apponi poterit conditio, quod sit quandocumque revocabilis.

117. Revocatio autem et etiam mutatio horum actuum cessionis licite fieri nequit durantibus votis, sine licentia moderatricis generalis.

118. Dispositio de usu et usufructu et designatio administratoris, de quibus supra, fieri possunt per actum sive publicum sive privatum.

119. Professae retinent dominium radicale bonorum suorum, imo ipsis prohibetur se abdicare hoc dominio radicali ante professionem votorum perpetuorum per actus inter vivos.

120. Convenit tamen, ut omnes et singulae, antequam vota temporanea primo emittant, de suis bonis praesentibus et futuris per testamentum omnino libere disponant.

121. Ut sorores in perpetuum professae licite se spoliari possint dominio radicali omnium bonorum suorum per actus inter vivos, requiritur licentia apostolicae Sedis.

122. Sorores professae tum ad faciendum tum ad mutandum testamentum indigent venia apostolicae Sedis; attamen in casibus vere urgentioribus sufficiet licentia vel ordinarii vel moderatricis generalis, vel etiam, si aliter fieri nequeat, superiorissae localis.

123. Sororibus vetitum non est, ea proprietatis acta peragere, quae a legibus praescribuntur, de licentia tamen moderatricis generalis; et, si casus urgeat, moderatricis localis.

124. De bonis, quae sororibus post emissa vota quocumque legitimo titulo obvenerint, ipsae debent, vel respective possunt, disponere iuxta normas hactenus statutas circa bona, quae ante primam professionem possidebant.

125. De dote instituto allata sorores nullo modo disponere possunt.

126. Quidquid sorores post emissa vota industria sua vel intuitu instituti acquisiverint, non possunt sibi ascribere vel reservare; sed ea omnia communitatis bonis adiudicanda sunt ad communem instituti vel domus utilitatem ».

Si quis autem vult melius cognoscere differentias, quae inveniuntur inter ea, quae antiquiore disciplina pro professis votorum simplicium praescribebantur in materia paupertatis, et ea, quae nunc in *Normis* praescripta sunt pro novis institutis approbandis, conferat Battandier *Guide canonique pour les Constitutions des Instituts à vœux simples nn. 171, sqq.*

Iuverit hic referre sequens dubium propositum s. Congregationi Episc. et Regul. et relativam s. Congr. responsionem, quae doctorum admirationem movit eosque induxit ad aliqua consectoria practica deducenda. Dubium igitur fuit: Sanctimonialis N... prae_

misso pedis osculo humillime, exponit, quatenus, ante religiosam professionem, ita de propriis reditibus disposuit, iuxta normam proprio ordini assignatam a s. Congr. Episc. et Reg. 12 iulii 1896, quae in collectanea Andreae Bizzarri praescripta legitur pro Maristis in articulo « quoad votum paupertatis », ut illos quasi ex aequo suo fratri et propriae communitati cederet. Iam vero frater nunc, ob auctas necessitates, maiori subsidio indiget, quod illi concedere oratrix in votis habet. Quapropter humillime postulat:

1° An iuxta normas a s. Congr. Episc. et Regul. die 28 iunii 1901 datas, possit cum sola superiorissae licentia dispositionem redituum mutare?

2° Et quatruus negative, ut s. Sedes praedictam facultatem indulgere dignetur ».

Et s. Congregatio respondit:

« Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Provisum in primo. » *S. C. EE. RR. 2 iun. 1905.*

Quum autem congregatio Maristarum ea lege ex constitutionibus utatur, ut dispositio redituum semel facta mmutari ab ipsis non possit sine venia s. Sedis, nonnulli, ut cl. Boudinhon (in *Le canoniste contemporain*) putavit s. Congregationem Episc. et Regul. eam vim *Normis* tribuisse, ut immutarent disciplinam voti paupertatis etiam in illis institutis, quorum constitutiones iam diverso in sensu approbatae fuerant. Quod profecto mirum fuisset, quum *Normae* ita sint propositae ut nullam habeant vim legis, sed tantummodo enuntient congregationis propositum non approbandi in posterum constitutiones ullas, quae regulis in illis statutis non essent conformes; et hoc merum est propositum a quo discedi in praxi potest, et generalis regula, a qua exceptio non prohibetur.

Hinc alii aliam explicationem proposuerunt (I. B. in *Révue théol. franc.*) putantes s. Congregationem responsionem dedisse, qua edixerit sufficere solum superiorissae consensum, quia is aequivaleret donationi ab ipsa superiorissa factae fratri illius sororis. Verum nonne tunc necessarius fuisset assensus consilii generalis etc., et nonne s. Congregatio exquisivisset saltem summam, de qua ageretur?

P. Vermeersch (*Periodica II n. 119*) aliam proposuit et veriorem, ut puto, et faciliorem explicationem. S. Congregatio attentionem suam convertit tantummodo ad interrogationes sibi factas, parum de praeambulo curans. Porro interrogatio sub num. 1 haec erat, an *iuxta normas* etc. posset ea soror cum sola superiorissae licentia dispositionem redituum mutare. Et s. Congregatio iure respondit *affirmative*; ita enim statutum est in normis n. 117. Nec mirum est, quod praeambulum neglexerit Congregatio, tum quia res acta est in congressu, non in congregatione plenaria, in qua maiori cum ponderatione proceditur; tum quia noluit, et iure, approbare methodum proponendi dubia ita ut congregationi ipsi imponatur onus inquirendi ea, quae constituunt essentiam propositi dubii.

De virtute paupertatis. — Virtus 3091
paupertatis latius patet quam votum. Potest enim quis virtutem infringere, quin violet votum; nemo autem vo-

tum violat, quin virtutem infringat. *G. B. I. 1105.*

3092 ***De titulo paupertatis quoad ordinationem.*** — Regulares ordinantur ad titulum paupertatis. *Const.* Pii V « Romanus Pontifex » *14 oct. 1568 cum decl.* Pii IX. *12 iun. 1858.* Attamen nota, regulares, qui ad hunc titulum maioribus ordinibus initiantur, esse regulares proprie dictos solemniter professos, non vero professos simpliciter et multo minus novitios; nisi, ut patet, speciale quoad hoc habeatur privilegium. Excluso hoc speciali privilegio, novitii et professi votorum simplicium quoad initiationem ad ordines sacros eodem iure uti debent ac clerici seculares Cfr. B. P. *V. 955.*

3093 **Peccatum.** — ***De natura et de divisionibus peccati.*** — Peccatum est offensa Dei sita in libera transgressione cuiuslibet legis in conscientia obligantis; vel etiam contemptus legis aeternae (S. Th. *2. 2. q. 71. a. 6*), quia omnis lex, sive humana, sive divina, ab hac lege et initium et statum et vim capit. D'Ann. *I. 271.* Ab Augustino (*l. 22 contra Faustum c. 27*) peccatum definitur: dictum, factum, vel concupitum contra legem aeternam.

Multiplex est eius divisio; nam aliud dicitur mortale, aliud veniale; aliud actuale, aliud habituale: aliud commissionis, aliud omissionis, etc. G. B. *I. 143.*

3094 **De advertentia et consensu ad formale peccatum requisitis.** — Porro ad admittendum peccatum requiritur aliqua advertentia actualis ad moralem malitiam actus, qui ponitur; quare, quando ipsius malitiae nulla occurrit cogitatio ex inconsideratione omnino naturali, quae recte aequiparatur ignorantiae antecedenti et invincibili, actus excusatur a culpa. Excipe, nisi haec ipsa inadvertentia malitiae proveniat ex oblivione aut ignorantia culpabili, quia tunc haberetur peccatum in causa.

De insufficientia advertentiae interpretativae ad formale peccatum. — 3095 Advertentia interpretativa, quae tunc habetur, quum, ob oblivionem seu inconsiderationem omnino naturalem et proinde invincibilem, alicui non subit cogitatio de malitia, etsi haec potuisset et debuisset subire, non sufficit ad peccandum, et proinde a peccato excusat. Cfr. Vasquez *in 1. 2. disp. 107. c. 2*; B. P. *I. 487 sqq.*

Quare sententia asserentium (Concina, Collet, Antoine etc.), sufficere advertentiam interpretativam, est reiicienda, quum nulli cogenti argumento innitatur, imo repugnet primis principiis theologiae moralis de actibus humanis. Cfr. S. Alph. *V. 4;* B. P. *loc. cit.*

Peccatum igitur absque ulla actuali cognitione commissum est mere materiale; nec dicendum, illud esse voluntarium in causa; nam ad voluntarium in causa requiritur aliqua cognitio et proinde aliqua advertentia actualis. G. B. *1. 144.*

Hinc ad peccatum actuale formale requiritur advertentia mentis actualis saltem in confuso, et consensus voluntatis. S. Alph. *loc. cit.*

Proinde consensus, qui ad peccandum requiritur, est consensus plenus et liber, qui hanc actualem adver-

tentiam ad malitiam obiecti consequitur.

3096 ***De diversa peccatorum gravitate.*** — In peccatis alia sunt aliis graviora. Billot *Disquis. de natura et ratione peccati personalis th. III.* Sunt et mortalia, et venialia, ut diximus.

3097 **De iis, quae requiruntur ad peccatum mortale.** — Ad *mortale* tria requiruntur: materia gravis, advertentia plena, plenus consensus. D'Ann. *I. 289.*

Nam peccatum mortale est plena deordinatio hominis, qua homo avertitur complete a fine ultimo et convertitur ad creaturas, in quibus ultimum finem sibi constituit. Deordinatio autem ista voluntate tantum fit; quare non potest esse plena, nisi actus sit plene voluntarius, ac proinde homo plene adverterit ad malitiam actus, et, hac advertentia supposita, eumdem actum libere elegerit, eique consenserit.

3098 **De distinctione peccatorum mortalium.** — Mortale *ex toto genere suo* illud peccatum est, cuius materia, etiam in minima parte sumpta, totam habet peccati malitiam, ut blasphemia, haeresis, etc. G. B. *I. 146.*

Mortale *ex genere suo* illud est, cuius materia in eadem specie manens, potest esse gravis et levis, ut sunt peccata contra iustitiam. B. P. *I. 680.* G. B. *loc. cit.*

3099 **De iis, quae requiruntur ad peccatum veniale.** — Ad *veniale* sufficit aliqua advertentia et aliquis consensus. G. B. *I. 150. 3°.*

3100 **De determinanda gravitate peccati.** — Regulae pro determinanda gravitate materiae in opere peccaminoso sunt: Scriptura Sacra, definitiones Pontificum, decreta conciliorum, doctrina Patrum, consensus theologorum (Suarez *de leg. lib. III. c. 26. n. 7*; G. B. *I. 151*); his deficientibus, difficile est determinare, utrum peccatum grave sit an leve; at mortale astruendum non est, nisi de eo certo constet. D'Ann. *I. 289.*

An mortale aliquando per accidens fiat veniale et viceversa. — Quod per se mortale foret, evadit identidem veniale ex parvitate materiae, ex imperfectione advertentiae vel consensus, ex conscientia erronea. B. P. *I. 684 sqq.* 3101

Peccatum vero veniale numquam fit mortale, nisi accedat circumstantia speciem immutans, quae tunc fit quodammodo differentia specifica moralis. S. Th. *1. 2. q. 88. a. 5; QQ. DD. de malo q. 2; a. 8.*

De aliis quibusdam quoad hanc materiam. — Non peccat graviter per se, qui sola mortalia vitare vult, et de venialibus non curat (S. Alph. *IV. 12*); qui vero se sine causa exponit periculo proximo labendi in mortale, peccat graviter (Sanchez *in Decal. lib. I. c. 8. n. 1*); item qui plene deliberat, an consentiat necne rei graviter illicitae, etsi de facto non consentiat. Sanchez *loc. cit. c. 1. n. 16;* La Croix *Th. mor. lib. V. n. 229.* 3102

Peccata venialia, quantumvis multiplicata, non efficiunt mortale, nisi aliquando ratione materiae coalescentis. S. Th. *1. 2. q. 88. a. 4;* D'Ann. *I. 292.*

De distinctione numerica et specifica peccatorum. — Peccatum aliquod ab altero specifice distinguitur 3103

ex oppositione ad diversas virtutes, vel ad unam eamdemque sed diverso modo, et ex violatione praeceptorum moraliter diversorum. B. P. *I. 610 sqq.*

Numerica distinctio desumitur ex diversitate obiectorum totalium, et ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum. B. P. *I. 624 sqq.*

Interrumpitur autem actus voluntatis per retractationem, per cessationem voluntariam ab actu, per moram sat notabilem. B. P. *I. 644 sqq.*

Media in se mala (ut tactus aut verba obscena adhibita ad sollicitandum) adhibita ad peccatum, quod postea non fuit consummatum, explicanda sunt in confessione, quippe quae, prout actus exteriores sunt, malitiam habent sibi insitam. G. *B. I. 164.*

Probabile est, unicum peccatum committi ab eo, qui unico actu pluribus detrahit (Lugo *de poenit. disp. XVI. nn. 135. 164*; D'Ann. *I. 286. 4*), vel coram pluribus. S. Alph. *V. 49.*

Peccatorum internorum triplex classis. Vid. *Delectatio, Gaudium, Desiderium.*

Peccata capitalia vide singula *suis locis.*

3104 **Pectorale.** — Pectorale seu formale est ornamentum adhibendum privative ab episcopo, nec illo uti possunt dignitates aut canonici ecclesiae cathedralis etiam solemniter celebrantes, etiamsi contraria haberetur consuetudo. *S. R. C. in Casalen. 15 septembris 1753 ad 9 (2425).*

Peculium. — Vid. *Bona.*

3105 **Pensio. — De eius natura et divisionibus.** — Pensio ecclesiastica est portio aliqua fructuum beneficii legitime clerico concessa. Leurenius *For. ben. p. III. q. 428*; Ferraris *Prompta bibl. v. « Pensio » n. 5.*

Alia est personalis seu temporanea, quae nempe solvenda est ab actuali tantum beneficiato; alia est realis seu perpetua, quae solvenda est etiam a successoribus durante vita pensionati. Cfr. *c. 21 de praebendis et dignit. X. (III. 5)*; Ferraris *l. c. n. 9.*

An pensio sit beneficium. — Pensio per 3106
se non est beneficium (*arg. c. 4 de praebendis et dign. (III. 4) in 6°*; cfr. Conc. Trident. *sess. XXI. c. 2, sess. XXIII. c. 18, sess. XXV. c. 15 de ref.*), quum perpetuitate careat (Reiffenstuel *in tit. 5 lib. III Decr. n. 93*), nec detur propter officium spirituale; aliquando tamen, idest in re favorabili (cfr. Fagnanum in *cap, 31 tit. 3 lib. I Decr. n. 117 sqq. citant. resp. S. C. C. 8 aug. 1577*), vel quando datur in titulum cum officio spirituali annexo (*arg. c. 6 de clericis non resident. etc. X. [III. 4]*; Reiffenstuel *l. c. n. 90*), venit nomine beneficii.

Quinam imponere possint pensio- 3107
nes.— Summus Pontifex imponere potest pensiones sive temporaneas sive perpetuas (*arg. c. 2 de praebendis etc. X. [III. 4] in 6°; c. 1 ut lit. pend. nihil innov. [II. 5] in Clem.*); episcopus perpetuas imponere nequit (*cc. 3. 7 de censibus etc. X. [III. 39]; c. un. de suppl. neglig. prael. (I. 5) in Clem.*), temporaneas potest iuxta quosdam (*arg. c. 21 tit. cit. X. (III. 5)*; Fagn. *in cap. 21 tit. 5 lib. III Decr. n. 28*; Reiffenstuel *in tit. 12 lib. III Decr. n. 88*), aliis contradicentibus. Cfr. Giraldi *Exp. iur. pont. tom. I. pag. 397 sect. 584*; Mocchegiani, *Iurispr. eccl. I. 1548.*

3108 **De iis, quae requiruntur ad imponendas pensiones ab episcopis.** — Ad imponendam pensionem requiritur iusta causa, qualis esse posset etiam amor, quo episcopus suum ex fratre nepotem prosequitur, vel ut commodius sacrae theologiae et sacris canonibus seu sacrae Scripturae operam dare possit. Ferraris *l. c. n. 19.*

Episcopi ad imponendas huiusmodi pensiones debent etiam habere consensum saltem tacitum beneficiati vel defensoris, si nempe beneficium sit vacans (Ferraris *l. c. App. n. 1. III*); non possunt eas applicare mensae capitulari vel episcopali (*arg. c. 32 de verb. signif. X.* [*V. 40*]; Schmalzgrueber *in tit. 12 libr. III Decr. n. 51*), vel eas imponere beneficiis parochialibus vel cathedralibus, nisi illorum reditus excedant summam 100, istorum vero 1000 ducatorum, ex Concilio Tridentino (*sess. XXIV. c. 13 de ref.;* at parochialibus ne tunc quidem, ex speciali edicto Innoc. XII (*11 nov. 1692*) et Constit. Ben. XIII « Quanta pastoribus » *15 sept. 1724.*

Ordinarie autem ad imponendam pensionem debent episcopi conficere instrumentum.

3109 **De dotibus pensionarii.** — Pensionarius debet esse clericus (Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 34. n. 203;* Schmalzgr. *l. c. n. 21 etc.*), non coniugatus (Schmalzgrueber *l. c. n. 22*), non suspensus vel excommunicatus (Lessius *loc. cit.*; Schmalzgrueber *loc. cit.*).

3110 **De obligationibus pensionarii.** — Pensionarius debet recitare saltem officium parvum B. M. Virg. (*Constit.* Pii V « Ex proximo » *10 sept. 1571*); deferre habitum et tonsuram, si pensiones, quas habet, simul sumptae excedant summam 60 ducatorum auri de camera (*Const.* Sixti V « Pastoralis » *31 ian. 1589*); concurrere pro rata fructuum ad praestationem onerum, si quae sunt beneficio imposita. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 29*; Laymann *Th. mor. lib. IV. tr. 2. c. 18. n. 7.*

De obligationibus beneficiati, cuius beneficio imposita est pensio. — Beneficiatus iste, ut patet, debet pensionario pensionem integre et regulariter solvere. Et hoc onus pensionis solvendae imponitur generatim sub poena excommunicationis. 3111

Beneficiatus, qui pensionem solvere debet, non potest eam imminuere propter imminutos fructus beneficii. Cfr. *S. C. C. in Mandelen. 13 ian. 1885.* Attamen, ex decreto Sacrae Congreg. EE. RR. (*28 ian. 1871*), propter nova ingentia vectigalia, pro Italia statutum est, ut imminutio reddituum afficiat tum beneficiatum tum pensionarium. Cfr. *S. C. EE. RR. in Aversana 27 febr. 1904; S. C. C. in Viglevanen. 24 aug. 1907, 25 ian. 1908.*

Pensionarius autem non tenetur solvere partem taxae pro successione, quae afficit solummodo beneficiatum. *S. C. C. in Calatayeronen. 8 maii 1896.*

Pensio debetur pensionario a die concessionis, licet beneficiatus nondum ceperit possessionem beneficii. D'Ann. *III. 73.* 3112

De extinctione pensionis. — Pensio extinguitur improprie, ex sola auctoritate R. P.; translatione, quando nem- 3113

pe pensio de uno pensionario transit ad alium (Schmalzgr. *l. c. n. 37 sqq*); et licita redemptione. D'Ann. *III. 73.* Cfr. *S. C. C. in Melevitana 16 dec. 1905.*

Extinguitur praeterea proprie morte beneficiati vel pensionarii pro diversa indole pensionis, matrimonio inito (Ferraris *loc. cit. n. 60*) vel emissa professione religiosa (Ferraris *loc. cit. n. 63*; Schmalzgrueber *loc. cit. n. 43*), assecutione ipsius beneficii gravati, interitu beneficii sive legitimo, sive illegitimo, dimissione habitus clericalis (*Const.* Sixti V *supra citata, et Const.* « Quum sacrosanctum » *VI id. ian 1588;* Schmalz. *l. cit. n. 45*), privatione in poenam criminum (eorum nempe, quibus beneficia amittuntur, D'Ann. *III. 73*); voluntaria renunciatione, ad quam auctoritas superioris non requiritur, nisi agatur de pensione, quae sit in titulum ordinationis. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 2 de ref.* Quoad denegatam solutionem pensionis confer etiam *S. C. EE. RR. in Posnanien. 18 maii 1906.*

3114 Inverit hic referre quoad pensiones recentem quamdam dispositionem s. Sedis. quae continetur litteris datis ab emo cardinali secretario Status ad emum card. pro-Datarium *24 maii 1899.* Sunt autem sequentes de vulgari in latinam linguam versae:

« Sanctitas Sua, tum considerans valde imminutum esse numerum beneficiorum, tum desiderans ut in sua potestate sit, quomodo in auxilium sacerdotibus indigentibus venire possit, disponere dignata est iuxta ea, quae Eminentiae Vestrae iam aperuerat:

1°. Ut exinde a praesenti die in ipso actu promotionis amittere debeant omnes et singulas pensiones, quas forte obtinent, omnes ii, qui ad dignitatem cardinalitiam, ad episcopatus residentiales, ad nuntiaturas primae aut secundae classis, ad secretariatum SS. Congregationum Episcoporum et Regularium, Concilii, et Propagandae, ad assessoratum S. Officii nec non ad maiordomatum Sanctitatis Suae promoventur.

2.° Ut ii omnes, qui aliqua gaudent ecclesiastica pensione, nequeant aliam obtinere, nisi Datariae Apostolicae eam manifestent, qua gaudent; haec autem manifestatio facienda est sub poena nullitatis concessionis secundae pensionis.

3°. Ut ii omnes, qui ecclesiasticis pensionibus gaudent, in ipso actu adeptionis beneficii cuiuscumque Romae erecti, amittant easdem pensiones. Ut autem quaecumque impediatur fraus, ad quodcumque beneficium nominati, antequam bullas expediant, sub poena nullitatis illius provisionis de qua agitur, debent declarare pensiones, quas obtinent.

4°. Ut abrogentur et aboleantur privilegia, quibus in vim pontificiarum concessionum hucusque usi sunt cardinales S. R. Ecclesiae, conclavistae aliaeque personae aut personarum collegia, transferendi aliis pensiones sibi concessas.

5°. Firmae manent, et in sua omnimoda vi aliae iuris communis dispositiones circa modos, quibus ecclesiasticae pensiones vacant.... ».

De pensione prout est titulus ordinationis. — Pensio, prout est titu- 3115

lus ordinationis, non solum est portio aliqua seu taxa imposita fructibus alicuius beneficii, sed etiam census quidam per ecclesiasticam vel laicam personam singularem, aut etiam per aliquam communitatem (puta monasterium) solvendus et super bonis immobilibus fundatus (Schmalzgr. *in tit. 11 lib. I Decr. n. 57*).

Pro constituendo titulo pensionis requiruntur eaedem conditiones ac pro constituendo titulo patrimonii (V. *Patrimonium*); pensio autem debet esse perpetua, ut patet; quare pensio imposita ab episcopo super aliquo beneficio numquam potest esse sufficiens ad titulum ordinationis.

Giganti H. — Tract. de pensionibus ecclesiasticis et responsa 50 in eadem materia; *Cautius C.* De pensionibus episcopalibus; *Zecchi L.* De beneficiis et pensionibus ecclesiasticis liber; *Statii A.* Tract. de redditibus ecclesiasticis qui beneficiis et pensionibus continentur, commentarioli duo; *De Tonduti P. F.* Tract. de pensionibus ecclesiasticis; *Barbosa A.* Praxis exigendi pensiones; *De Luca Card.* De pensionibus ecclesiasticis; *Fatinelli* Tractatus de translatione pensionis et responsa juris; *De Nigris* Tractatus de vacatione beneficiorum et pensionum ecclesiasticarum; *Dedé M. E.* Les pensions ecclésiastiques sous l'ancien régime jusqu' au concordat. Reliquam bibliographiam quaere sub *Beneficium*.

3116 **Pepton.** — Génicot (*Theol. moral. vol. II. n. 442*) scripserat: « Non videntur inquietandi, qui, loco butyri e lacte confecti, manducant butyrum e pinguedine artificiose confectum (*margarine*); hoc enim ab illo aegre discerni potest; deinde utrumque fere aeque a carne proprie dicta distat. Idem censemus de manducantibus substantiam, quae gallice « peptone » audit. Nam, quamvis ista vim carnis nutritivam praebeat, tamen caret ea delectatione, ob quam homines carnes appetere solent, et potius inter medicinas, quam inter cibos, locum vindicat: quare non est collocanda inter eas carnes, quae prohibeat lex ecclesiastica, quae potius externam speciem et gustum, quam originem attendit ». Relicta prima questione (de qua vid. *Margarina*), auctor ephemeridis, cui titulus « Monitore ecclesiastico » (*vol. XII pag. 124*) impugnat secundam nisi agatur de *pepsina*, quae ad ciborum digestionem faciliorem reddendam datur tamquam medicina. Nam ea substantia, quae *peptone* dicitur, et est extractum carnis pepsinae unitum, habet gustum et nutritionem carnis aut iusculi ex carne et etiam exquisitiorem. Sententiae, scriptoris ephemeridis citatae secundum nos est omnino adhaerendum.

Percussio. — Percussio parentum 3117
etiam levis, sed iniuriosa, imo etiam ipsa percussionis attentatio, vel comminatio, est peccatum grave. Confer *Exod. XXI. 15*; S. Alph. *III. 334*; B. P. *II. 819*.

Percussio clericorum per se est mortale, et percussores plectuntur excommunicatione latae sententiae R. P. simpliciter reservata, exceptis quibusdam casibus, in quibus iure vel privilegio permittitur, ut episcopus vel alius absolvat. Vide *Canonis privilegium*.

Peregrinationes. — Peregrinationes 3118
religiosae seu itinera a fidelibus suscepta religionis causa ad aliquem locum ratione pietatis celebre iam inde

a prima ecclesiae aetate in usum christianis fuerunt. Testes sunt ex seculo tertio Origenes, Firmilianus Caesariensis et alii. Haec sancta consuetudo incrementum sumpsit non parvum posteriori tempore finitis persecutionibus. Cfr. s. Hieronym *ep. ad Marcell. 46 n. 9 sqq.; Silviae Aquitanae peregrinatio ad loca sancta, etc.* Mirum non est quod progredientibus temporibus non semper nec omnes huiusmodi peregrini memores fuerint pietatis, qua ducti iter arripuerant, et quidam proinde fuerint aliquando reprehendendi abusus, quos ecclesia, quantum potuit, coercere studuit. Cfr. c. 34 Apost.; c. 7 Conc. Antioch. (341). Eas esse actum cultus ex praecipuis et saluberrimum fidelibus, quorum pietatem et devotionem augent, quosque inducunt ad sanctas cogitationes et ad imitationem heroicarum virtutum sanctorum nemo est sanae mentis, qui non videat. Hinc iure ecclesia eas approbavit et approbat (cfr. Miss. rom. *Missae pro peregrinantibus vel iter agentibus;* Rit. rom. *Benedictio pregrinorum ad loca sancta prodeuntium, Benedictio peregrinorum post reditum*), et iniuria haeretici eas oppugnarunt.

Gretser F. De sacris et religiosis peregrinationibus libri IV; *Loartes G.* De sacris peregrinationibus etc.; *Stalenus Io.* Peregrinus ad loca sancta orthodoxus et pius demonstratus sive vindiciae sacrar. peregrinationum; *Heideggerus I. H.* Diatriba de peregrinationibus religiosis; *Seelig* De peregrinationibus religiosis iudaico-ethnico-pontificiis; *Goetzius G. H.* Diatriba de peregrinationibus religiosis etc.; *Mamachi Th. M.* De peregrinationibus veterum Christianorum in Palaestinam; *Lazeri P.* De sacra veterum christianorum romana peregrinatione disquisitio; *Marx F.* Das Wallfahren in der kath. Kirche hist. - krit. darg.; *Patiss G.* Die Wallfahrten in ihrer providentiellen Bedeutung; für unsere Zeit; *Hübler K.* Das Vallfahrtsbuch d. H. König v. Vach u. d. Pilgereisen d. Deutschen n. Santiago d. Comp.; *Zettinger* F. Die Berichte üb. Rompilger a. d. Frankenreiche b. z. Jahre 800; *Bernabei* Il pellegrinaggio attraverso la storia; *Baumstark A.* Abendländische Palästinapilger d. 1. Jahrtaus. u. ihre Berichte.

Peregrinus. — Peregrinus ille est, 3119
qui extra suum territorium per aliquot dies commoratur ad sua reversurus, ibique nec domicilium habet, nec quasi domicilium. Cfr. *l. 7 de incolis et ubi etc. C.* (*X. 40*), Non tenetur legibus sui territorii (Cfr. *l. 20 de iurisdictione D.* [*II. 1*]; *c. 2 de constitut.* (*II. 2*) *in 6°*; Sanchez *de matr. lib. III. disp. 18. n. 18; in Dec. lib. 1. c. 12. n. 26;* Laymann *Theol. mor. lib. I. tr. 4. c. 11. n. 1;* S. Alph. *I. 157;* Mühlbauer *Th. res. S. C. C. vol. 1. v. « Advena » n. 2);* verius etiamsi animo legi se subducendi exierit (Salmanticenses *Theol. mor. tr. XI. c. 3. n. 63;* Baller. *in Gury I. 110. 4;* D'Ann. *I. 182. 205*), et agatur de lege iuris communis, quae in loco, ubi est, non viget (Salmanticenses *loc. nuper cit. n. 62*; S. Alph. *I. 157*); verum legibus patriae tenetur, si id, quod extra patriam absens facit vel omittit, in patria noceat. *cc. 2. 11 de clericis non resid. etc. X.* (*III. 4*); Laymann *loc. cit. c. 11. n. 3;* D'Ann. *I. 205.*

Legibus loci, ubi est, tenetur quoad

contractus et necessaria ad bonum commune (B. P. *I. 362*), quoad alia controvertitur (S. Alph. *I.156;* D'Ann. *I. 86*); sed melius negatur, etiamsi agatur de peregrino, qui in loco versatur quasi in termino (Salmanticenses *loc. cit. n. 58;* S. Alph. *III. 332;* D'Ann. *I. 86*); hinc in praxi non tenetur, etiamsi agatur de lege locali, quae viget in loco, unde venit, et in loco quoque, ad quem venit. Laymann *Th. mor. l. c. c. 12. n. 4;* D'Ann. *l. 205.*

Ex generali consuetudine gaudet pribilegiis locorum, quae peragrat, etsi sint contra ius commune. S. Alph. *l. 157.*

Peregrinus, etiam extra suum territorium, licite et valide absolvitur a suo parocho vel episcopo; brevius ab iis, qui in eum ordinaria, non delegata, iurisdictione gaudent, etiam sine approbatione episcopi loci, in quo est. Clericatus *de poen. decis. 37;* S. Alph. *VI. 544.* Absolvitur autem a parocho valide et licite etiam a reservatis in dioecesi, ubi est, dummodo in sua dioecesi non sint reservata. Lugo *de poen. disp. XX. n. 73;* Salmanticenses *Th. mor. de poen. c. 13. n. 27.* Cfr. Monitore ecclesiastico *vol. XVI pag. 177 sq.*

Peregrinus, qui incurrit censuras in sua dioecesi, non potest absolvi ab episcopo loci, in quo est, si agatur de censuris ab homine latis (Suarez *de censuris disp. VII sect. 2. n. 19 sq.*; Laymann *Th. mor. lib. I. tr. 4. c. 7. n. 4*); si agatur de latis a iure potest (Toletus *Instruct. sacerdotum lib. 1. c. 16. n. 2. sqq.*; D'Ann. *I. 341* [*27*]); et si alio non perrexerit in fraudem reservationis (quae tunc adesse censetur, quum quis alio pergit praecise ad declinandum iudicium proprii pastoris) etiam a reservato, quod in sua dioecesi patravit. Ball. *in Gury II. 385* (*16*).

Nota tamen, subditum extra territorium degentem censeri nihilominus in territorio moraliter praesentem, si culpa commissa, vel datum damnum, vel omissio actionis praescriptae (*c. 11 de clericis non resid. etc. X.* [*III. 4*]), in ipso territorio contingunt; et tunc legibus patriae, imo etiam coactionibus, subditur peregrinus. D'Ann. *I. 86.* Item non subditus ingressus territorium, per hoc solum fit subditus temporarius quoad leges pro peregrinis, ratione contractus, delicti forte commissi, rei sitae; brevi, quatenus forum ibi sortitur.

Quoad sacerdotes peregrinos relate ad celebrationem missae, Vide *Celebratio missae.*

Durand L. Essai de droit international privé précédé d'une étude historique sur la condition des étrangers en France et suivi du texte de tous les traités intéressant les étrangers; *Garnot X* Condition de l'étranger dans le droit public français; *Esperson P.* Condizione giuridica dello straniero; *Lachau Ch.* De la compétence de tribunaux français à l'égard des étrangers en matiére civile et commerciale; *Baron* Peregrinenrecht und Jus gentium; *Gemma* La condizione giuridica dello straniero nel passato e nel presente.

Periculum. — Periculis peccati se 3120
exponere non est illicitum ex iusta causa, idest gravi, si periculum labendi est grave; gravissima, si hoc gravissimum est (S. Alph. *II. 26;*

D'Ann. *I. 172*); praeterquam si certo moraliter praevideatur lapsus in peccatum. S. Alph. *V. 63*. Vide *Occasio*.

Quoad periculum in mutuo, Vid. *Mutuum*.

Periodici libelli. — Vid. *Diaria*.

3121 **Perinde valere.** — Perinde valere sunt litterae apostolicae, seu rescriptum, quo conceditur gratia, ut dispensatio seu favor prius concessus per rescriptum, nullum ex vitio subreptionis vel obreptionis in postulatione perinde valeat, ac si rescriptum vitiatum non fuisset.

Periurium. — Vid. *Iuramentum*.

3122 **Permutatio.** — Permutatio est contractus innominatus, quo quis re alteri data eum sibi obligat ad aliam rem dandam. Vel cum codice civili italico (*a. 1549*) est contractus, quo unaquaeque e partibus contrahentibus se obligat ad aliquam rem dandam ut aliam obtineat. Leges, quae hunc contractum iure italico regunt, vide in cod. civili a. 1550-1555.

Tit. de rerum permutatione X. (III. 19); idem tit. (III. 10) in 6°.; idem tit. (III. 5) in Clem.; *Gomez L.* De rerum permutatione; *Consobrini Io.* De iustitia commutativa (ubi de contractibus et commutationibus); *Maulii Fr. A.* Tract. de permutatione; *Rusignoli G.* Novissima praxis theologico-legalis; *Van Jagen F.* Selecta de pactis et contractibus, imprimis de permutatione; *Troplong R. R.* De l'échange et du louage; *Bérard de Glajeux* Des échanges; *Cavalié* De l'échange; *Damm de Seydweitz* De permutatione; *Cuturi T.* Della vendita, della cessione e della permuta.

3123 **Permutatio beneficiorum.** — De natura permutationis. — Permutatio beneficii generatim definitur: Resignatio mutua officiorum ecclesiasticorum ex conditionata pactione duorum beneficiatorum facta, ut alter alterius resignantis officium consequatur. Cfr. Pirhing *in tit. 19 lib. III Decr. num. 13*; Wernz *Ius Decret. II. 501*.

De requisitis ad permutationem faciendam. — Ut habeat vim, debet libere fieri interveniente consensu et auctoritale superioris ecclesiastici competentis et acceptatione praelati, in cuius manibus fit, et illius, cui beneficium confertur, et a quo accipitur, nec absit consensus patroni vel electorum, si agatur de beneficio ex patronatu vel electione. Ut patet, ille, qui vere permutando confert beneficia, est superior ecclesiasticus, idest ordinarie episcopus, qui debet novam collationem facere, seu totum permutationis negotium complere intra mensem (*Const.* Greg. XIII « Humano vix iudicio » *non. ian. a. 1584*), post quem devolvitur ad S. Sedem. Cfr. *causam Tornacen. actam apud S. C. C. 6 aug. 1881, 18 mart. 1882*. 3124

Quando beneficium possidentes resignant sua beneficia sub ea tantum conditione, ut alter in alterius beneficium instituatur, valet resignatio, si facta fuerit coram loci ordinario (*c. un. de rerum permutatione* [*III. 10*] *in 6°*) et ex legitima causa (*c. 5 de rerum permut. X.* [*III. 19*]) sine praeiudicio, idest cum consensu eorum, qui ius habent conferendi, eligendi, praesentandi (Schmalzgrueb. *in tit. 19. l. III Decr. n. 39*). Si vero haec permutatio fieret auctoritate privata, non tantum non valeret, sed permutantes amitterent sua beneficia (*c. 7 de rerum permutat. X.* [*III. 19*]), saltem post iudicis sententiam. *c. 7 nu-*

per cit; Reiffenstuel *in tit. 9. l. I Decr. n. 86;* Lessius *de iust. et iure l. II. c. 35. n. 141.*

Advertendum est, permutationem hanc intelligendam esse de beneficio ad beneficium, idest de loco ad locum (*c. 5 tit. cit. X.* [*III. 19*]), non vero de beneficio ad pensionem (*arg. c. 27 de praebendis etc.* [*III. 4*] *in 6°*); Reiffenstuel *in tit, 9 lib. I Decret. n. 100.*

Patet autem ex ipsa natura rei, quod ad permutationem faciendam necesse est, utrumque permutantem habere ius in beneficio, quod permutat; utrumque habere qualitates necessarias ad acquirendum beneficium, quod alter ei cedit: nec non utrumque habilem esse ad resignationem faciendam. Wernz *l. c. II. 504 sqq.*

Diximus autem, permutationem fieri debere ex consensu superioris ecclesiastici competentis. Porro iste est pro diversis beneficiis Romanus Pontifex, aut etiam episcopus, praelatus Nullius, capitulum aut vicarius capitularis, vicarius generalis, si habeat speciale mandatum.

Permutari autem possunt omnia beneficia, etsi eorum possessio nondum capta sit, nonnullis tantum exceptis, inter quae peculiariter recensenda sunt officia litigiosa, quippe quae nondum certo possidentur a resignantibus. Reiffenstuel *in tit. 9 lib. I Decr. n. 55.*

Requiritur autem ad permutationem causa iusta necessitatis vel utilitatis ecclesiae, quae a superiore ecclesiastico examinanda et approbanda est. Cfr. *Constit.* Pii V « Quanta ecclesiae » *1 apr. 1568.*

De permutationibus prohibitis. — 3125
Prohibentur renunciationes reciprocae praesertim in filios illegitimos presbyterorum, quas nempe parentes clerici facerent in favorem filiorum (Conc. Trident. *sess. XXV. c. 15 de ref.*); et renunciationes, quae dicuntur triangulares vel quadrangulares, et habentur, quum clerici tres vel quatuor sibi mutuo resignant proprium beneficium cum hac lege, ut prior cedat beneficium in favorem secundi, secundus in favorem tertii, atque ita porro, et ultimus in favorem primi. Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Resignatio* » *n. 45;* Reiffenstuel *in tit. 9 lib. I Decr. n. 123.*

De praescripta publicatione factae permutationis. — 3126
Permutationes beneficiorum, intra tres menses a die sibi factae provisionis, permutantes publicare debent in cathedrali et in ecclesia beneficii, et beneficii possessionem capere modo et forma in constitutione citata Gregorii XIII « Humano vix iudicio » (quam constitutionem confirmavit postea Benedictus XIV [*Const.* « Ecclesiastica » *25 iun. 1746*], qua voluit etiam providere quibusdam abusibus ad eam eludendam invectis) praescriptis; alioquin eo tempore elapso, nulla est provisio, et beneficium eo ipso vacare censetur. *Const. cit. Gregorii XIII.*

Eponis B. De beneficialis et triangularis permutationis iure; *De Senis F.* De permutationibus beneficiorum; *A Chockier I.* Tr. de commutationibus beneficiorum. Reliquam bibliographiam quaere sub *Beneficium.*

Perplexitas. — In casu conscientiae 3127
perplexae (quando nempe quis inter duo praecepta constitutus haeret du-

bius, quodnam e duobus sequi debeat) consulendus vir prudens; si fieri nequeat, et adsit necessitas agendi, eligendum minus malum; si utrumque par videbitur, quidvis eligi potest. S. Alph. *I. 10.* Vid. *Dubium.*

3128 **Persona.** — Persona singularis seu physica est homo cum statu suo consideratus. Vicat *Vocab. utriusq. iuris v.* « *Persona* ». De hac vide plura apud iurisconsultos.

Persona moralis lata significatione dicitur in iure quidquid iure acquirendi exercendique capax habetur.

Ex his quaedam constant pluribus personis singularibus, ut capitula, monasteria etc.; quaedam instituta sunt ad cultum Deo praestandum, ut pia sodalitia erecta in ecclesiis (et sunt ecclesiasticae), quaedam ad agenda civilia negotia, ut societates industriales (et sunt laicales); quaedam ad exercenda caritatis officia, ut nosocomia (et sunt ecclesiasticae, vel laicales secundum quod cautum habetur in tabulis fundationum; in dubio iure canonico habentur ut ecclesiasticae).

Primae ad coeundum indigent auctoritate R. P. vel ordinarii, aliae regis, tertiae alterutrius. D'Annib. *loc. cit.* Quum autem iure coierint, habentur instar privatorum. *C. C. a. 2.*

Personas moralis natura sua perpetua est, nisi auctoritate, qua constituta est, dissolvatur. *l. 76 de iudiciis etc. D.* (*V. 1*); *l. 7 quod cuiuscumque etc. D.* (*III. 4*); Suarez *de leg. lib. VIII. c. 3. n. 4.*

Neandri I. Ius personarum; *Balbizkii G.* De iure personarum, aetate etc.; *Celestini H.* Tract. de iure personarum; *Neandri I.* Tract. de statu personarum; *Pfeifer* Die Lehre von den jurist. Personen; *Proudhon* Traité de l'état des personnes; *Gumlich* De homine persona dissertatio; *Salkowski* Lehre v. d. jurist. Personen; *Buniva G.* Del diritto delle persone secondo il codice civile del regno d'Italia; *Heisser* Etudes sur les personnes morales en droit rom. dans l'ancien droit etc.; *Piola* La questione della personalità giuridica per le associazioni religiose; *Zitelmann* Begriff u. Wesen der jurist. Personen; *Forlani* Delle persone giuridiche; *Serment* Associations et corporations; *Boggio G.* Delle persone fisiche incapaci agli atti civili e di commercio e delle forme abilitative nel diritto italiano; *Bolze* Begriff d. jurist. Person; *Viglialoro* Le persone giuridiche considerate in rapporto alla filosofia del diritto; *Bellavite* Delle persone collettive volontarie; *Fisichella* Sulla natura della persona giuridica; *Tedeschi F.* Dei corpi morali secondo i principii della legge civile italiana; *Vauthier* Etude sur les personnes morales dans le droit romain; *Ratto L.* Le persone artificiali internazionali. Studio di filosofia del diritto; *Bonelli G.* Le personalità giuridiche dei beni in liquidazione giudiziale; *Giorgi G.* Della unità di concetto sostanziale della personalità giuridica. Diversità che distinguono le corporazioni dalle fondazioni; *Giorgi G.* La dottrina delle persone giuridiche o corpi morali; *Bonelli G.* Di una nuova teorica della personalità giuridica; *Fiore P.* Dello stato e della condizione giuridica delle persone; *Kriwzow* Beiträge zur Lehre von den jurist. Personen nach röm. Recht; *Goudy* De la personnalité jurid.; *Pepere* L'individuo secondo il diritto romano ed il germanico; *Van den Heuvel* La liberté d'association et la personnalité civile; *De Vareilles-Sommières* La personne morale; *Vermeersch A.* De religiosis et missionariis; supplementa et monumenta periodica pars 1 suppl. 8; *Baudry Lacantinerie* Des personnes; *Vermeersch* Le Belge et la personne civile.

3129 **Personatus.** — Personatus in capitulis est praebenda, quae annexam habet praecedentiam sine iurisdictione. Bouix *de capitulis p. 1 sect. 2. c. 5. n. 1.* Per hanc vero simplicem praerogativam, quam super alios sui ordinis canonicos habent illi, qui personatum obtinent, non dicuntur habere dignitatem, quia sola praeeminentia non ponit aliquem in dignitate. Barbosa *de canonic. c. 4. n. 14 sqq.*

Notandum est, dignitates in recenti disciplina non differre de facto a personatibus, diferre autem iure. Bouix *l. c. n. 3.*

3130 **Perspicilla.** — Perspicilla super calicem ad altare deferre non licet (cfr. *decr. S. R. C. in Pisauren. 1 sept. 1703 [2118]*), et saltem decentius in altari non deponuntur tempore missae, quando necessaria non sunt.

3131 **Pestis.** — Semper, et pestis quoque tempore, invalide conferretur confirmatio a ministro unctionem medio instrumento peragente (cfr. *c. 1. de sacra unctione X.* [*I. 15*]; Laymann *Th. mor. lib. V. tr. 3. c. 2. n. 5*; La Croix *Th. mor. lib. VI. p. 1. n. 380*); valide e contra extrema unctio (G. B. *II. 491. 7°*), non tamen licite, remota necessitatis causa. *S. R. C. in una Portus Aloysii 9 maii 1857 ad 2 (3051).* Medicus, pestis tempore recedens, graviter peccat, si alii medici non sint, vel etiamsi sint, si ipse stipendium recipit a municipio. Ball. *in Gury I. 984. (4).*

3132 **Petere.** — Petere id, quod sine peccato concedi nequit, quando malitia se tenet ex parte actus et non mere ex parte agentis, numquam licet (G. B. *I. 249*); petere autem id, quod ipse, a quo petitur, sine peccato non est praestiturus, aliquando licet; sic uxor habens virum onanistam, si sit in periculo incontinentiae, potest debitum petere. S. Alph. *VI. 947*; G. B. *II. 737.*

Petri sancti basilica. — Concessa 3133
est indulgentia plenaria quotidiana perpetua toties lucrifacienda, quoties unusquisque christifidelium vere poenitens, et quatenus opus sit, confessus, ac sacra communione refectus, basilicam S. Petri visitaverit, et ibidem pias pro christianorum principum pace et concordia, haeresum exstirpatione, ac s. matris catholicae ecclesiae exaltatione preces ad Deum effuderit; quae quidem indulgentia etiam fidelium defunctorum animabus, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migrarunt, per modum suffragii applicari potest. *Brev.* Clem. XII « Inter sacra loca » *22 febr. 1738*; *Const.* Bened. XIV « Ad honorandam » *27 martii 1752.*

Panvinius O. De praecipuis urbis Romae sanctioribusque basilicis, quas septem ecclesias vulgo vocant; *Vespignani F.* Compendium privilegiorum rev. fabricae S. Petri; *Battello I. C.* Ritus annuae ablutionis altaris maioris basilicae Vaticanae; *Cancellieri F.* De secretariis basilicae Vaticanae veteris et novae; *De Nicolais N.* De vaticana basilica S. Petri ac de eiusdem privilegiis; *Mignanti* Indulgenze della basilica Vaticana (op. approv. dalla S. Congr. delle indul. genze).

Petri sancti fabrica. — Clemens 3134
VIII constituit hanc congregationem postquam Clemens VII (*Const.* « Admonet nos » *pr. id. dec. 1523*) instituerat collegium sexaginta virorum, qui

praesiderent fabricae basilicae S. Petri. A tempore autem Sixti V praefectus huius congregationis fuit cardinalis basilicae archipresbyter pro tempore. Benedictus XIV immutatam reliquit congregationem, sed constitutione sua « Quanta curarum » (*17 kal. dec. 1751*) ex ea generali congregatione, cui negotia contentiosa reliquit exclusive, particularem quamdam congregationem ex cardinali praefecto et tribus aliis cardinalibus compositam desumpsit, cui commisit oeconomica et administrativa negotia. Postea Pius IX a. 1863 negotia contentiosa a iurisdictione huius congregationis subtraxit. Haec distinctio a Benedicto XIV introducta inter congregationem generalem et particularem evanuit, et unica habita est Congregatio rev. fabricae, quam non tres tantum sed plures cardinales constituunt. Constitutio « Sapienti consilio » hanc congregationem immutatam quoad sui exsistentiam et constitutionem reliquit.

Collegium institutum a Clemente VII constabat, ut diximus, sexaginta membris seu viris curialibus, ut loquitur Benedictus XIV (*Const. cit.*), ex omnibus nationibus electis.

Congregatio vero Clementis VIII constituebatur cardinali praefecto nonnullis aliis cardiualibus et certi Curiae praelatis et officialibus.

Benedictus XIV congregationi particulari a se institutae secretarium dedit cum voto consultivo, oeconomun generalem seu secretarium congregationis generalis, nec non iudicem ordinarium dictae fabricae, cui etiam ius contulit consultivum votum ferendi.

A tempore autem Pii IX congregatio haec solis cardinalibus constat, quibus additur oeconomus secretarius et plures officiales. Adiunctam praeterea nunc habet fabrica sectionem administrativam pro rationibus reddendis expensarum, quae fiunt; sectionem legalem ad illuminandos cardinales circa quaestiones legales, quae exoriuntur relate ad administrationem bonorum et exsecutionem piarum voluntatum; sectionem technicam pro exsecutione praesertim eorum, quae neeessaria sunt conservationi et ornatui basilicae; plures architectos, et tandem distinctam et celebrem sectionem, cui titulus « *Studio del mosaico* » a Sixto V institutam.

Huic congregationi Clemens VII multas dedit facultates, inter quas ea maximi momenti est, ut posset componere lites super male ablatis, incertis vel per usurariam artem quaesitis ac super aliis huiusmodi ibidem determinatis, nec non dare confessarios iis, qui eleemosynas fabricae dabant, cum facultate confessariis ipsis collata absolvendi vota, dispensandi, etc. *Const.* Clem. VII « Dudum admonente » *kal. iun. a. 1525.*

Haec privilegia et facultates ab aliis posterioribus Pontificibus confirmatae sunt et non raro etiam ampliatae. Cfr. *Const.* Pauli III « Nuper » *25 ian. 1540* etc.

Benedictus XIV res immutatas reliquit, dividendo tamen munera ita ut congregationi generali relinqueret cognitionem causarum contentiosarum, particulari vero demanda- ret curam administrationis oeconomicae.

Pius IX abolevit in omnibus etiam pro ipsa ditione pontificia tribunal proprium fabricae. Quare post Pium IX rev. Fabricae competentia constricta fuit ad ea, quae respiciebant administrationem bonorum et conservationem basilicae, nec non ad plura, quae respiciebant legata pia et onera missarum. Circa haec Fabrica habuit facultatem reducendi, reductione sive proprie sive improprie dicta, onera missarum, differendi celebrationem missarum manualium ultra tempus a iure concessum, admittendi fideles gravatos oneribus piorum legatorum ad compositionem circa praeteritas omissiones, has ipsas facultates episcopis concedendi, nec non redemptionem piorum onerum examinandi et approbandi.

Ex constitutione vero « Sapienti consilio » iurisdictio seu competentia istius congregationis ita restricta est, ut in posterum unice sibi curandam habeat rem familiarem basilicae Principis Apostolorum, servatis ad unguem in hac parte normis a Benedicto XIV statutis const. « Quanta curarum », scilicet pro ea parte, quae respicit congregationem particularem in ea constitutam.

Const. Pauli III « Nuper postquam » 25 ian. 1540; « Dum ad universas » 3 febr. 1542; Iulii III « Accepimus nos » secundo kal. au g. 1551; Pii IV « Etsi per diversos » decimoquinto kal. ian. 1562; Pii V « Ad Romani » 10 mart. 1568; « Exigit incumbentis » undecimo kal. ian. 1569; « Etsi de singulis » prid. kal. ian. 1569; « Exigit incumbentis » tertio id. sept. 1570; « Ex debito » kal. feb. 1571; Alexandri VII « Decet Romanum » 16 nov. 1660; « Superni dispositione » 30 aug. 1655; Innoc. XII « Cum sicut » 31 iul 1691; Bibliographiam quaere sub *Petri s. basitica.*

Petroleum. — Petroleum vel aliud 3135
oleum non ex oliva ad illuminandam ecclesiam adhiberi non posse, nisi in casu necessitatis ex prudentia ordinariorum, rescripserat S. R. C. (*20 mart. 1869*); at in nova collectione authentica hoc decretum expunctum est, quare hoc idem nunc etiam extra casum necessitatis et absque licentia ordinarii fieri posse videtur.

Pharmacopola. — Pharmacopola, si 3136
pauca excipias, peccat fere ut medici. Vid. *Medicus.*

Iuverit hic, quamvis non adeo necessarium pro aetate nostra, moribus nunc immutatis, afferre praeceptum a s. Congr. EE. et RR. latum mense augusti anni 1707 superioribus quorumcunque ordinum, congregationum, societatum, monasteriorum, collegiorum, ac domorum regularium utriusque sexus et quorumvis piorum locorum nec non particularibus religio sis et ecclesiasticis quibuscumque ctum, quo edicitur eos « non posse sive religionis aut loci pii nomine sive particulariter per se vel per alios exercere in suis conventibus seu domibus, aut alibi in quocumque locovenalem artem aromatariam, praeterquam pro suis aut alumnorum usibus nec ullo modo secularibus aut aliis religiosis et ecclesiasticis pharmaca aut alia cuiusvis generis medicamenta vendere, etiam praetextu amicitiae et familiaritatis, exceptis theriaca, hyacinto et aliis vulgo nuncupatis *chimiche;* sub poenis contrafacientibus suspensionis ipso facto a divinis et privationis officiorum vocisque acti-

vae et passivae absque alia declaratione ».

3137 **Photographia.** — Quaeri potest, an quis tuto possit alterius imaginem photographice expressam desumere, eaque invito eo, a quo desumitur, uti. Et videtur per se omnino affirmative respondendum, quia nulla alteri fit iniuria. Vermeersch *Quaestiones morales n. 252.* Dixi *per se.* Nam per accidens potest esse illicitum, et quidem etiam sub gravi. Sic certe illicitum esset exprimere imaginem photographicam alicuius, qui nihil de hoc suspicans et putans se a nemine videri, liberius secum agit, et ex. gr. minus decenter et paucis est vestitus; et multo magis eius, qui rei malae, sed privatim et putans se conspici a nemine, operam dat.

3138 **Pignus.** — Pignus est contractus, quo debitor rem mobilem creditori dat in assecurationem crediti.

Creditor non debet uti pignore, nisi de consensu debitoris; debet illud diligenter custodire, quod nisi faciat, tenetur de damno (*C. C. a. 1885*); fructus ex pignore perceptos debet in debiti compensationem computare (*C. C. a. 1886*); pignus propria auctoritate vendere non potest, nisi debitor sit in mora culpabili, et monitus prius fuerit. S. Alph. *III. 775.* Notandum tamen est, quod de iure italico creditor numquam de pignore disponere potest, nisi hoc ipsi fuerit concessum per sententiam iudicialem; imo etiam pactum, quo conventum fuerit inter debitorem et creditorem, posse hunc aliquo in casu pignus sibi propria auctoritate ascribere, nullum est. *C. C. a 1884.*

Tit. de pignoribus et aliis cautionibus X. (III. 21); *Wendinii Christ.* Comm. ad tit. pandectarum et codicis: qui potiores in pignore habeantur; *Obrecht G.* Oeconom. materiae de pignoribus; *Gruningii Wolf.* Tract. de pignoribus et hypothecis; *Bolfrasii G. H.* Tract. duo de pignoribus et privilegiis creditorum; *Valentini Paul.* Tract. de pignoribus et privilegiis; *Bachovii R.* De pignoribus et hypothecis; *Authaei Io. H.* De pignoribus; *Merlini M.* Tr. absolutissimus de pignoribus et hypothecis cum decisionibus S. Rotae Rom. ad materiam attinentibus; *Decker Frid.* Tract. de possessione creditoris in pignore; *Alderisi Alb.* Tract. de contractibus symbolicis scilicet de emptione et venditione,... et pignoribus; *Conradi F. C.* Diss. I. II de pacto fiduciae; *Erxleben I. H. C.* Principia de iure pignor. et hypothecarum; *Hofacker Car. Christ.* Diss. de praerogativa pignorum publicorum; *Brack A.* Diss. de actione pignorat. contra tertium pignoris possessorem; *Voigt C. F.* Comm. de praescriptione actionis pignoratitiae directae; *Mousson* Diss. de praescriptione actionis pignoratitiae directae; *Westphal* Versuch einer system. Erläuterung der sämmtlichen Röm. Gesetze vom Pfandrechte; *Thierbach C. P. H.* Hist. iur. civ. de pignoribus; *Gesterding F. C.* Die Lehre vom Pfaudrechte nach Röm. Rechte; *Fresenius G. P.* Diss. de pignoratitia actione adversus tertium rei oppignoratae possessorem non competente; *Stass I. G.* De contractu fiduciae; *Minguet M.* F. Diss. hist. iur. de pignoribus et hypothecis apud Romanos; *Donelli* Comm. ad Codicem lib. VIII tit. 14-35; *Donelli* Comm. iur. civ. lib. IX. c. 20; *Sohm* Die Lehre vom Sulpignus; *Chironi G.* Trattato dei privilegi, delle ipoteche e dei pegni; *Mirabelli G.* Contratti speciali. Commodate ecc. Pegno ecc.

Pileolus. — De pileolo in celebratione missae vel in aliis sacris functionibus peragendis. — Nemo pot- 3139

est uti pileolo in celebratione missarum sine exspressa licentia sedis apostolicae, non obstante quacumque contraria consuetudine. *Decr. Urb. VIII in missali apposit.*; cfr. De Herdt *Praxis sacrae lit. I. 161.*

In casu extraordinariae necessitatis hanc licentiam dare posset episcopus; et probabiliter sacerdos celebrans gravissimo afflictus morbo, qui a praefatione ad communionem capite discoopertus, illud in reliqua missa operiret pileolo, non est de letali damnandus. De Herdt *loc. cit.*

Privilegium autem hoc, etsi a S. Sede concessum, est strictae interpretationis; hinc sacerdos, qui eo gaudet pro missa privata, nequit pileolum adhibere in cantanda missa coram episcopo (*S. R. C. in Asculana 21 mart. 1676* [*1558*]). vel ministrando in missa solemni tamquam diaconus vel subdiaconus (*S. R. C. 2 sept. 1679* [*1636*]) vel in circulis faciendis coram episcopo. *S. R. C. in Algaren. 14 mart. 1860 ad 2* (*3094*).

Cuicumque etiam, quando actu inservit episcopo in sacris functionibus, prohibitum est pileolum retinere (*S. R. C. in Squillacen. 31 aug. 1680 ad 2* [*1650*]; *in Nicien 10 iun. 1693* [*1891*]), etiamsi adesset immemorabilis consuetudo. *S. R. C. decr. cit. 24 mart. 1860 ad 1.*

Pileolum deponere etiam debet episcopus, quando cum reliquia s. crucis aut alia populo benedicit. *S. R. C. in Mutinen. 23 sept. 1837 ad 4* (*2769*).

3140 **De pileolo in assistendo divinis officiis.** — Cardinales, episcopi et quotquot ex indulto Apostolico gaudent usu pileoli, sacro assistentes, sive seorsim sive collegialiter, tenentur detegere caput ad cantum sacri evangelii, et dum turificantur. *S. Congr. Cerem. 20 mai 1890.* Multo magis hoc idem praestare debent canonici, dignitates et praelati. *S. R. C. in Templen. 12 ian. 1878 ad 2* (*3438*). Abusus etiam est, et proinde omnino eliminandus, quod acolythi assistant cantui evangelii cum candelabris, caput pileolo obductum habentes. *S. R. C. in Cusentina 6 maii 1673* (*1467*). Ceremoniarum etiam magister pileolo uti nequit, dum assistit missae solemni aliisque functionibus ecclesiasticis. *S. R. C. in una Null. Putignani 17 iul. 1734* (*2308*)

At canonici, etiam quando pluvialia induunt, nisi episcopo assistant, retinere possunt pileolum. *S. R. C. decr. cit. 24 mart. 1860 ad 3.* In choro autem, exceptis temporibus prohibitis, retinere possunt pileolum non solum canonici, sed etiam inferiores beneficiati. *S. R. C. in Zaren. 3. oct. 1699 ad 3* (*2039*); *decr. cit. 12 ian. 1878 ad 3.*

Quoad tempus autem, quo pileolus deponi debet ab iis, qui in choro adsunt, haec tradit Martinucci *Man. ss. cerem. vol. 1 lib. 1. c. 2 n. 80*: « Qui vero pileolo utuntur, attendant, ut illum deponant in officio, quum erit genuflectendum, quum legitur evangelium ante homiliam, dum faciunt confessionem ad completorium nec non ad primam qui praecinet aut intonabit antiphonas, aut leget invitatorium, lectiones, responsoria brevia ac martyrologium; in missa, quando aspergentur aqua benedicta in do-

minicis, quum suas ad invicem confessiones, Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus et Agnus Dei recitabunt, ad cantum evangelii, dum incensabuntur aut pacem recipient, ad elevationem ss. Sacramenti, tempore quo clerus aut fideles de sacra mensa participant, ad benedictionem in exitu missae, quumque ss. Sacramentum fidelibus adorandum super altare, in quo fit officium, proponitur ».

3141 **De colore pileoli.** — Episcopi ex concessione Pii IX (*18 iun. 1867*) ius habent deferendi pileolum violacei coloris. — Cardinales autem eum deferunt coloris rubri; quod ipsis concessum forte est ab ipso Paulo II, qui anno 1464 cardinalibus facultatem fecit utendi rubro bireto, quod privilegium extensum fuit ad cardinales regulares proprii ordinis vestem gestantes a Gregorio XIV anno 1591. — Alii omnes clerici pileolum nigri coloris deferre debent, si quem deferre volunt. — Romanus vero Pontifex pileolo albi coloris utitur.

3142 **Pingere.** — Pingere si fiat sine magno apparatu, licet die festo; nonnulli tamen contradicunt. Vid. *Opera.*

3143 **Pisces.** — Dispensati ad carnes diebus ieiunii non possunt pisces in eadem refectione edere, etiamsi exsiccati fuerit. Imo in hac prohibitione nomine piscium veniunt ranae, testudines, cochleae, ostreae et alia omnia molluscha marina. *S. Poen. 16 ian. 1834.* Attamen vetitum non est miscere condimenta ex adipe et piscibus; vel iusculo ex carne sumpto pisces, aut sumpto iusculo ex piscibus, ex. gr. ex. ranis, carnes postea manducare. *S. Poen. 8 febr. 1828.* Vid. *Ieiunium.*

Plantatio. — Plantatio unus est ex 3144
modis, quibus fit accessio seu rei ad rem unio aut adhaesio, ac proinde unus est ex modis acquirendi dominium alicuius rei. Vid. *Accessio.*

Iure Romano quoad plantationem haec statuebantur, nimirum ut plantae in alieno solo positae manerent eius, cuius fuerant, quousque radices egissent; ex tunc autem illius esse inciperent, cuius erat solum; ut nihil interesset, utrum quis alienam plantam in suo aut suam in alieno solo posuerit. Quare in Institutionibus Iustiniani *de rerum divisione etc.* (*II. 1*) *§. 31* dicitur: « Adeo autem ex quo radices egit planta, proprietas eius commutatur, ut, si vicini arbor ita terram Titii presserit, ut in eius fundum radices egerit, Titii effici arborem dicamus. Ratio enim non permittit, ut alterius arbor esse intelligatur, quam cuius in fundum radices egisset. Et ideo prope confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit, communis fit ».

Ex quibus principiis inductum est discrimen in casu aedificationis et plantationis quoad ipsam materiam. Nam diruti aedificii, quod in alieno solo aedificatum est, materiam dominus sibi vindicare potest, non possessor soli; contra, arbor transplantata, si radices egerit, etiam postquam erecta est, domino soli cedit. *l. 26 §. 2 de acquir. rer. dom. D.* (*XLI. 1*). Attamen adversus eum, qui alienam arborem in suum solum transtulit, consulendum est priori domino de pretio arboris; quare is non habet quidem actionem in rem, sed habet actionem in factum, et si arbor dolo

fuerit translata, datur ei etiam actio furti. Cfr. *l. 23 §. 5 de rei vindicatione D.* (*VI. 1*). Quoad illum vero, qui plantam suam in alieno solo posuerit, idem dicendum, ac si quis aedificat ex sua materia in fundo alieno. B. P. *III. 116 sq.*

In iure italico leges idem statuunt de plantatione ac de aedificatione. Vid. *Aedificatio.*

3145 **Pluralitas beneficiorum.** — ***De vetita pluralitate beneficiorum.*** — Lex est generalis, singula beneficia singulis esse conferenda, nec plura uni. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 17 de ref.*

3146 ***De exceptionibus a generali vetito.*** — **De permissa cumulatione beneficii cuiusdam insufficientis cum alio.** — Sunt tamen exceptiones, et quidem de iure ordinario, quum unum beneficium insufficiens sit ad honestam vitae sustentationem. Conc. Trid. *loc cit.*

3147 **De requisita compatibilitate beneficiorum.** — Attamen hoc alterum beneficium, quod primo insufficienti adiungitur, debet esse cum illo *compatibile*, idest debet posse cum illo componi.

Componi autem simul non possunt, seu ab eadem persona possideri, duae ecclesiae cathedrales (Conc. Trid. *sess. VII. c. 2 de ref.*), vel duo beneficia residentialia, quaecumque sint (cfr. *decis S. C. C. 14 maii 1831; 28 iul. 1877; 18 iul. 1733 apud Richter Conc. Trid. pag. 50 nn. 3. 6*); aut etiam alia quaecumque beneficia, quae onera quaedam habent annexa et obligationes, quibus idem clericus satisfacere nequit. Cfr. *decis. S. C. C. 17 apr. 1734, 8 nov. 1723, etc. apud Richter loc. cit. nn. 2. 5, nec non causam in Comen. per summaria precem agitatam apud eamdem s. Congr. 26 apr. 1856.*

De possessione duorum beneficiorem incompatibilium. — 3148 Si quis, etiam extra culpam, duo beneficia incompatibilia possederit, prius beneficium vacat ipso iure; si culpa intercesserit, ita ut quis velit utrumque retinere, utroque privandus est. *c. 28 de praeb. et dignit. X.* (*III. 5*).

Quoad tempus vacationis prioris beneficii regula generalis est, quod prius beneficium vacat, postquam pacifica possessio alterius officii incompatibilis obtenta est. *c. 28 de praeb.* (*III. 4*) *in 6°*. Et ob hanc rationem praefinitum est tempus duorum mensium ad dimittendum prius beneficium incompatibile, ut interim experiri quis possit an superveniant molestiae, ne alias dimisso primo ob molestias superventas super secundo periculum subsit quod provisus utrumque beneficium amittat. Riganti *Comm. in reg. 1am Cancell. § 8. n. 155.* His autem duobus mensibus potest adhuc beneficiatus fructus antiqui beneficii percipere, nisi Dataria secundum beneficium concesserit cum clausula ut primum beneficium vacet eo ipso. Mon. eccl. *vol. XIX pag. 181 sqq.*

At in casu translationis episcoporum singularis dispositio habetur. Scilicet in translatione episcopi distinguendum est, utrum episcopus sciens volens transferatur, an transferatur inscius et ignorans. Si primum, ex eo momento vacat ecclesia, quam habebat, quo Romanus Pontifex in consistorio eum solvit a vinculo

prioris ecclesiae. *S. C. EE. RR. 14 dec. 1624, decr. apr. ab Urb. VIII per Breve 20 mart. 1625.* Si alterum vero datur, ecclesia non censetur vacare ante consensum ab episcopo datum translationi, vel antequam consensus iste suppleatur a Romano Pontifice, idque episcopo notificetur. Cfr. Reiffenstuel *in tit. 7 lib. I Decr. n. 41 sqq.*; Wernz *Ius Decr. II. 527 sqq.*

3149 **De collatione tertii beneficii, quando alia duo sunt insufficientia.** — Clerico habenti unum beneficium insufficiens potest alterum compatibile conferri; sed, etsi utrumque simul sit insufficiens, tertium conferri nequit ex communi sententia, quamvis omnia tria sint iurispatronatus laicalis. *S. C. C. 13 maii 1651; 14 aug. 1632, 14 nov. 1654 apud Richter Conc. Trid. pag. 377. nn. 8. 9. 10.* Attamen D'Annibale (*III. 54*) haec habet: « Sed utrum habenti duo insufficientia (beneficia) liceat tertium, quartum etc. beneficium conferre, quoadusque sufficiant? Sententia forte communior negat, quia Tridentinum huic *aliud* beneficium, non *alia*, conferri permisit: affirmant alii satis multi et sane graves, quia Tridentinum id intendit, ut quis ali possit, quae sententia habet rationem. Quin multi putant, hanc tertiam incompatibilitatem ad beneficia iurispatronatus laici non pertinere; et licet haec sententia verior non sit (lex enim non distinguit, et omnium eadem est ratio), ubi consuetudine recepta est, tolerari potest. Utcumque, non sunt inquietandi, qui bona fide in possessione eorum sunt (Ben. XIV. *Not. 91. 8 ex S. C. C.*; seu patronata seu libera sint beneficia) ».

De eo, qui possidet plura beneficia, supposita sufficientia primi. — Si quis autem, saltem extra hanc ultimam hypothesim, tertium beneficium acciperet et possideret vel etiam secundum tantum, possidens iam primum, quod ad honestam sustentationem sufficiens esset, amitteret statim ipso iure priora beneficia possessa, et si vellet ea cum novo beneficio retinere, omnia omnino beneficia amitteret. Santi *in tit. 5 lib. III Decr. n. 85.* 3150

De aestimanda sufficientia beneficii. — Quandonam vero aliquod beneficium dicendum sit sufficiens, quum in iure non sit determinatum, decidendum est a prudenti iudice, qui pendere debet qualitates locorum, personarum etc., et consuetudinem vigentem. Santi *loc. cit. n. 81.* 3151

De possessione plurium beneficiorum ex dispensatione Romani Pontificis. — De iure extraordinario dispensatur aliquando in hac lege ab uno Romano Pontifice iustis de causis, ut nempe ratione necessitatis ipsius ecclesiae, nec non ratione meritorum ipsius beneficiati, ut expresse habetur in capite 28 lib. III Decr. his verbis: « Circa sublimes tamen et literatas personas, quae maioribus beneficiis sunt honorandae, quum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari ». Sic parocho fundanti canonicatum sub conditione ut ipse primus in eo instituereturur cum facultate retinendi parochiam, hoc concessum est. *S. C. C. in Cameracen. 8 maii 1886.* 3152

Decr. Grat. C. XXI qq 1. 2; tit. de clericis non residentibus etc. X. (III. 4); idem tit. (III. 4) in 6°; tit de praeb. et dignit. X.

(III. 5); idem tit. (III. 5) in 6°; idem tit. (III. 2) in Clem.; idem tit. (3) in Xvag. Ioann. XXII; idem tit. (III. 2) in Xvag. comm.; Conc. Trid. sess. VII. cc. 2. 4 de ref.; sess. XXIV. c. 17 de ref.; *Quintini I.* Comm. in titulum decretalium de multitudine beneficiorum; *Hojeda de Mendoca A.* Tract. de beneficiorum incompatibilitate atque compatibilitate; *De Paris C.* De singularitate beneficiorum; *De la Place* De singularitate beneficiorum; *De la Place* De necessaria unius uni clerico ecclesiastici beneficii singularitate; *Lambert* Lettres sur la pluralité des bénéfices. Reliquam bibliographiam quaere sub *Beneficium*.

3153 **Poena. — De natura et divisione poenarum.** — Poena in iure est noxae vindicta (*l. 131 de verb. signif. D.* [*L. 16*]) et delictorum coercitio. *l. 1. de leg. etc. D.* (*I. 3*).

Poenae sunt a iure vel ab homine; illae feruntur ad instar legis, et propterea tenent omnes et perpetuo (Suarez *de censuris disp. III sect. 1 nn. 2. 5*); istae ad instar praecepti, quare nonnisi singulos attingunt, et cessant, nisi quis eas iam incurrerit, resoluto iure eas ferentium. Suarez *l. c. sect. 4. num. 9*; D'Ann. *I. 301.*

Sunt etiam temporales vel spirituales, prout bona quaedam temporalia vel spiritualia auferunt. D'Ann. *loc. nuper cit.*

Item aliae sunt ferendae, aliae latae sententiae, secundum quod reum non tenent ante sententiam iudicis, vel eum illico tenent delicto admisso (Suarez *de leg. lib. V. c. 6 n. 1*; Thesaurus *de poenis p. I c. 3)*; utrum vero aliqua poena ferendae sit vel latae sententiae desumendum est ex verbis legis. Suarez *loc. nuper cit. n. 2.* Est ferendae sententiae, quum dicitur: *excommunicetur, sub poena excommunicationis, noveris te incursurum excommunicationem* (Suarez *l. c. n. 25*), etc.; est latae sententiae, quum in ipsa lege habetur: *sit excommunicatus, ipso iure excommunicationem incurrat, excommunicamus, noverit se esse excommunicatum, maneat excommunicatus,* etc. Suarez *l. c. n. 26.* Formulae; *subiaceat excommunicationi, fiat inhabilis ad dignitates, erit suspensus, erit excommunicatus,* etc. sunt dubiae (Suarez *l. c. n. 24*); in praxi tenendum est, eas respicere poenas ferendae sententiae (D'Ann. *I. 303. 18*); imo generatim habendae sunt tamquam ferendae sententiae eae formulae, quae manifeste non apparent esse latae sententiae. D'Ann. *loc. super. cit.*

Principia quaedam iuridica relate ad poenas. — 3154 Notandum, nullam poenam incurri, nisi in iure sit expressa (*l. 19 de verbor. oblig. D.* [*XLV. 1*]); eam non debere lucrosam esse reo (*c. 5 de donat. inter vir. et uxor. X.* [*IV. 20*]); quod statutum fuit ad poenam trahi non debere ad gratiam (*c. 2 de translat. epis.* [*I. 7*]); neminem ob idem crimen pluribus legibus reum fieri (*l. 14 de accus. et inscript. D.* [*XLVIII. 2*]).

Scientia poenae ordinariae ad eam incurrendam non requiritur (Suarez *de legib. lib. V c. 12 n. 11*): requiritur tamen scientia poenae extraordinariae et exorbitantis. Schmalzgrueber *in tit. 38 lib. V Decr. n. 109.*

De distinctione poenarum a poenitentiis et a censuris. — 3155 Inter remedia poenalia iuris non connumerantur tantummodo poenae, sed poe-

nitentiae quoque et censurae. Porro breviter notandum est, in quo haec differant ab invicem.

Poena igitur est noxae vindicta, seu vindicta criminis ad disciplinae publicae emendationem; poenitentia est alicuius laboriosi operis frequentatio ab ecclesia imposita illis, qui post delictum vel culpam admissam volunt iterum assequi iura, quae amiserant; censura est poena spiritualis et medicinalis, per quam homini baptizato delinquenti et contumaci per potestatem ecclesiasticam aufertur usus bonorum spiritualium. — Hinc patet, poenas differre tum a poenitentiis tum a censuris, tum quia poena applicatur etiam invitis, poenitentia volentibus, censurae vero statutae sunt contra contumaces; tum quia effectus poenae est redintegratio ordinis laesi, poenitentiae correctio fidelis, censurae (scilicet effectus intentus) contumacia rei frangenda.

3156 **De speciebus poenarum canonicarum.** — Poenae canonicae proprie dictae in specie sunt: inhabilitas ad beneficia, dignitates et officia ecclesiastica; privatio beneficiorum vel subtractio fructuum; depositio; degradatio; infamia; aliquando irregularitas.

3157 **De poenis contra superiores regulares violantes mandata Sedis Apostolicae.** — Poenae contra superiores regulares sedis apostolicae mandata violantes sunt hae: privatio vocis activae et passivae; privatio officiorum, dignitatum, administrationis bonorum etc.; et insuper inhabilitas ad praedicta vel alia quaevis obtinenda; omnes ipso facto vel ipso iure incurrendae, quae tamen non obligant in conscientia ante sententiam indicis ad minus declaratoriam transgressionis legis. Cfr. De Lezana *Summa quaestionum regularium volum. I. c. 10. §. 30.*

De poenis sponsalium contractui appositis (*remissive*). — De his vide. *Arrha.*

Tit. de poenis X. (V. 37); idem tit. (V. 9) in 6°; idem tit. (V. 8) in Clem.; *Gobleri I.* In tit. pandect. de poenis; *Arithmei Valent.* An relaxatio poenarum magistratui sit concessa; *Polycarii I.* Tract. de poenis; *Alterii Mar.* De censuris ecclesiastic. nempe de excommunicatione, suspensione et interdicto cum explicatione bullae Coeneae Dni; *Coldebacii Matth.* Disp. de atrocitate delictorum et poenarum exasperatione; *Haueland I.* Disp. de poenis temperandis; *Gibalinus* Disq. canon. et theolog. de s. iurisd. in ferendis poenis etc.; *Beieri Adr.* De prosopolepsia circa infligendas poenas; *Boeckler Sam.* Disp. de poenis; *Geisser F.* De temperamentis poenarum; *Christ I. A.* Dissert. de degradatione; *Thesaurus Car. Ant.* De poenis ecclesiasticis; *Chenitz I. I.* Disp. de poenarum executione; *Stahlkopff J. Ch.* De iure degrad. canon.; *Mirus A. G.* De poenis clericor. earumque praescriptione; *Sinistrari* (*Ameno de*) *Lud.* De delictis et poenis tract. absolutissimus; *Kayser I. F.* De poena degradat. tam eccl. quam civilis; *Eck E.* De natura poenarum secundum ius canonicum; *Stremler I.* Traité des peines ecclésiastiques; *Frank F.* Bussdisciplin v. d. Apostelzeit bis z. 7 Jahrhundert; *De Girardin* Du droit de punir; *Schulte J. F.* Die Kirchenstrafen; *München* Das kan. Gerichtsverfahren und Strafrecht; *Kober* Die körperliche Züchtigung als kirchl. Strafmittel gegen Kleriker u. Mönche; *Kober* Die Gefängnisstrafe geg. Kleriker u. Mönche; *Cabat* Du calcul de la durée des peines; *Katz* Grundriss des kanonischen Strafrechts;

Kober Die Geldstrafen i. KR.; *Schmitz* Die Bussbücher und Bussdisziplin der Kirche; *Schmitz J.* Die Gefängnisstrafe i. ihr. Beziehung z. Bussdisziplin; *Mouton* Le devoir de punir; *Travaglia Carlo* Dei reati e delle pene. Commento teorico pratico; *Taraschi N.* I condannati a pena perpetua; *Vidal Giorgio* Principes fondamentaux de la penalité; *Maus* De la justice pénale. Etude philosophique sur le droit de punir; *Dallemagne J.* La pena corporale e le sue basi fisiologiche; *Bertolini C.* Teoria generale della pena convenzionale secondo il diritto romano; *De Notaristefani R.* La funzione psicologica della pena; *Knoke P.* Histo-risch-dogm. Untersuchung d. Verwendung welt. Strafen gegen Leben, Leib, Vermögen, Freiheit u. bürgerl. Ehre i. kirchl. Strafrecht d. kath. Kirche während d. vorgrat. Zeit; *Schmitz* Die Bussbücher und das kanonische Bussverfahren; *Wrede R.* Die Körperstrafe b. z. Gegenwart; *Kahn L.* Etude sur le délit et la peine en droit can.; *Hollweck J.* Die kirchl. Strafgesetze; *Quanter R.* Die Leibes- u. Lebensstrafen b. allen Völkern u. z. allen Zeiten; *Bonnefoy G.* La personnalité des peines; exceptions; responsabilité pénale du fait d'autrui; *Cathrein V.* Die Grundbegriffe d. Strafrechts.

3158 **Poenalis lex.** — Vid. *Lex.*

Poenitentia. — Poenitentia considerari potest ut virtus et ut sacramentum. S. Th. *p. 3. qq. 84. 85.*

3159 **De poenitentia in quantum est virtus.** — Primo modo considerata est virtus moralis, inclinans ad detestationem peccati, quatenus est offensa Dei, et ad propositum efficax non peccandi de cetero, et satisfaciendi divinae iustitiae. S. Th. *3. p. q. 85. a. 3. c.*; Palmieri *de poen. th. I. et VI*; Billot *de eccl. sacram. vol. II th. VI.*

Est necessaria necessitate medii et praecepti. Palmieri *loc. cit. th. VII.*

Quando autem poenitentia sit necessaria, non una est Doctorum sententia, sed varii varia statuunt. Placet quoad hanc quaestionem referre ea, quibus Ballerini (B. P. *V. 694*) claudit longam doctamque disquisitionem, quam de hoc in suo opere morali instituit. Porro dicit: « Et haec omnia, quae Lugo satis implexe et haerendo saepe, saepe semet corrigendo, aut dicta temperando, aut etiam omnino retractando disputavit, satis esse debent, ut sciamus quid in praxi tenendum. Quum enim obligatio prorsus incerta sit, inutiliter de ipsa disputatur, et hortationibus quidem utendum erit cum poenitentibus, ut frequenti usu tum confessionis tum contritionis se muniant: sed quoad obligationem imponendam retinenda sunt illa Lugo: « *non possumus imponere* », et si quando ex erronea conscientia id credant poenitentes, laqueus iste ipsis est subtrahendus, qui solum in ruinam ipsorum spiritualem cedat ».

De poenitentia in quantum est sacramentum. — ***De eius natura.*** — 3160 Altero modo considerata est sacramentum N. L., per modum iudicii a Christo institutum, ad peccata post baptismum commissa, homini contrito et confesso, per absolutionem sacerdotalem remittenda. Conc. Trid. *sess. XIV cap. 1 de sacr. poen. can. 1.*

Eius partes necessariae sunt: contritio, confessio, absolutio, satisfactio. Conc. Trid. *loc. cit. cap. 3, cann. 4. 6. 7. 9.* Satisfactio autem in quantum consideratur prout in proposito et acceptatione, si semel a sacerdote imposita fuerit, saltem pro letali peccato, essentialis est sacramento, et requiri-

tur ad eius substantiam; sed hoc sensu non contradistinguitur a contritione, quae eam implicat. Conc. Trid. *loc. cit. cap. 3, can. 4.* Si vero sumatur prout in exsecutione seu in re, tunc est pars sacramenti mere integralis.

3161 ***De necessitate suscipiendi hoc sacramentum in lapsis.*** — Sacramentum hoc est necessarium necessitate praecepti in re, et necessitate medii in voto saltem implicito ad remittenda mortalia post baptismum. Cfr. Conc. Trid. *loc. cit. can. 6;* Billot *loc. cit. th. II.*

3162 ***De materia sacramenti poenitentiae.*** — **De distinctione inter materiam remotam et proximam** — Materia *remota* huius sacramenti sunt peccata post baptismum commissa (S. Thom. *3 p. q. 84. a. 2*); quae, si mortalia sint numquam subiecta clavibus, materiam necessariam, si venialia vel quaecumque iam subiecta clavibus, sufficientem constituunt. Billot *loc. cit. th. V.*

Proxima sunt tres actus poenitentis: contritio, confessio, satisfactio. S. Th. *3. p. q. 84. a. 1. ad 1. et 2.*

3163 **An sint materia necessaria confessionis peccata post dubium baptismum ab adulto commissa. — De peccatis, quae quis numquam confessus est.** — Quaerunt doctores, an ii, qti sub conditione rebaptizantur, debeant suorum peccatorum confessionem facere. Quaestionem hanc doctores praecipue versarunt in casu magis frequenti de iis qui ab haeresi redeuntes baptismum denuo sub conditione recipiunt. Quoad quaestionem his terminis circumscriptam haec habet D'Annibale (*III. 301. 3*): « Negarunt olim nostri, quia sacra universalis Inquisitio olim id magis suadere, quam praecipere videbatur (et rationem afferebant, quia huiusmodi peccata sunt materia incerta sacramenti poenitentiae, quare dubia est obligatio ea confitendi, lex autem dubia non obligat, cfr. Croix *Theol. mor. lib. VI. p. 1. n. 324*); verum die 27 dec. 1868, consulentibus Angliae episcopis, censuit, confessionem a neo-conversis *in Anglia,* eamque integram exigendam esse ». Et pro Anglia quaestio finita est. Sed an haec responsio S. Officii quaestionem universaliter in sensum affirmativum diremit? Et nonnulli hoc putarunt, praesertim quia aliud exstat decretum eiusdem S. Congregationis (*14 iunii 1715*) in causa cuiusdam Caroli Wippermann Germani, in qua rescriptum est: « Carolum Ferdinandum esse rebaptizandum sub conditione, et, collato baptismo, eius praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur ».

3164 Verum non omnes ita sentiebant. Nam Ballerini-Palmieri (*V. 22*) dicit, rem non satis liquere: D'Annibale autem, iam S. Officii assessor, loco citato prosequitur expresse dicens: « nihilominus quoad alias regiones adhuc probabile puto, quod antea nostri docuerunt: 1° Quia Angliae episcopi inter alia renunciaverant: — iuniores de clero anglicano fideliter servare ritum baptizandi...., plerosque eos esse, de quorum baptismatis infantilis valore non licet dubitare, etc. — 2° Quia Sacra Univ. Inquisitio cautissime respondit: — a neo-conversis in Anglia ». — Nec obstat aliud decretum (*14 iun. 1715*)

quia quamvis in eo non referantur conditiones speciales casus, quum tamen « in causa Anglorum anno 1868, provocatum sit ad illud decretum, credere licet, easdem quoad substantiam conditiones fuisse in utroque casu ». B. P. *loc. cit.* — In eumdem sensum scribit Bucceroni (*II. 672*), qui addit: « Responsum illud (pro neo-conversis in Anglia) generale decretum non esse publice declaravit ad S. Apollinaris emus cardinalis S. Officii secretarius anno 1897, quum ex professo de hac quaestione in consueta casuum conscientiae collatione disputaretur ».

3165 Non pauci autem nunc putant sententiam ab his auctoribus defensam non amplius sustineri posse, postquam publicata est (*Analecta eccl. anno 1899 vol. VII pag. 489*) responsio quaedam S. Congregationis de Prop. Fide ad archiepiscopum Quebecensem diei 12 iul. 1869, scilicet: « Quoad dubium ab A. T. propositum sacramentalem confessionem attingens a neo-conversis exigendam observandum occurrit responsum elapsi anni, licet episcopis Angliae tantummodo rogantibus datum, universalem legem continere, proindeque non solum in Anglia, sed in aliis etiam regionibus obligare. Hinc patet, quod nullatenus permitti potest ut praedictae decisioni contraria sententia doceatur. »

3166 Verum ex hac responsione non deducitur eam sententiam sustineri amplius non posse. Quod ut probetur sufficit adducere ea, quae excmus Dominus Dominicus Mannajoli, olim epus Faliscodunensis, nunc vero episcopus titularis Pomariensis, etsi adhaereat sententiae obligationem affirmanti, circa hoc decretum egregia disputatione complexus est, quaeque proinde ipsis eius verbis hic afferenda putavi. Ait scilicet:

« 1. Generatim nullatenus spectare ad S. C. de Prop. Fide munus proferendi iudicium de vi et ratione decretorum seu resolutionum, quae a S. O. prodeunt.

2. Ceterum in actis, in archivio S. Congregationis de Prop. Fide adservatis, quae mihi licuit diligenter consulere, ne minimum quidem vestigium extat, ex quo conjici queat, responsum Emi Barnabò ad archiepiscopum Quebecensem in Congregatione quam *generalem* vocant, emorum PP. Cardinalium, qui Congregationi de Prop. Fide addicti sunt, propositum, discussum, aut utcumque adprobatum in antecessum fuisse.

3. Item nullum in eodem archivio indicium prostat, responsum illud datum fuisse, consulto Pontifice Maximo.

4. Probabile est, seu fas est coniicere, quod ceteroquin ex actis praedictis nullatenus constat, in responso ad archiepiscopum Quebecensem transmittendo tractationem seu consultationem praehabitam fuisse in peculiari conventu, vulgo *Congresso*, Officialium S. Congregationis, adstantibus emo Cardinali Praefecto et Secretariis; et in peculiari ejusmodi conventu tenorem responsi quodammodo praeformatum fuisse.

5. Certo certius est, quod mihi testatus est ipse archivii praeses, qui *Collectaneam* digessit, editam iussu S. Congregationis de Prop. Fide anno 1893, nimirum huic *Collectanae* inser-

tas non fuisse litteras emi Barnabò ad archiepiscopum Quebecensem, hac de causa, quia nempe responsum illud haberi non potest ceu responsum S. Congregationis. Equidem in altera editione *Collectaneae*, quae prodiit anno 1907, praedictae litterae referuntur, ast nonnisi in notula ad calcem paginae 19, voluminis II apposita velut merum historicum documentum.

6. Responsum em. Card. Barnabò primo vulgatum non fuit, nisi opera privati scriptoris in periodico, cui titulus *Analecta Ecclesiastica*, anno 1899; cujus quidem periodici editor seu moderator, Rmus D. Felix Cadène, prout hic mihi expressis verbis testatus fuit Romae anno 1906, exemplar responsi emi Barnabò nonnisi a certo quodam Officiali Curiae archiepiscopalis Quebecensis acceperat, qui cum eodem Cadène nescio quo necessitudinis vinculo iunctus erat.

Quae cum ita sint, quisque facile intelligit, vim auctoritatemque responsi emi Barnabò penitus hac in re evanescere. Non enim, uti constat ex dictis, perinde haberi potest ac responsum seu declaratio Congregationis *generalis*; neque eidem suprema accessit Romani Pontificis auctoritas, neque nomine aut iussu eiusdem Pontificis Maximi datum aut promulgatum fuit. Quamobrem responsum illud in eodem ferme censu habendum est ac aliud quodcumque responsum a privatis personis datum, quod facile deprehenditur multiplici ex capite claudicare. Re quidem vera: vel 1: in illo responso supponitur, jam ab ecclesia in antecessum propositam seu promulgatam authentice fuisse legem generalem de confessione a neophytis peragenda; et in hac hypothesi responsum Cardinalis Barnabò, uti patet ex dictis, falso supposito laborat. Vel 2: in responso illo supponitur, decreta seu responsa S. Officii circa neophytorum confessionem habenda esse ceu totidem documenta, quae authentice ius divinum interpretantur, proindeque ad generalem legem hac in re constituendam opus non esse nova promulgatione praeter illam, quae iam in ipsis christianae rei exordiis ab Apostolis facta fuit; et ideo solam eorumdem decretorum notitiam sufficere, ut, absque nova promulgatione, quotquot eadem cognoverint, ad ea servanda obligentur: et rursus in hac hypothesi seu suppositione plura sunt, quae aequivocationi innituntur, aut falsitate omnimoda laborant. Sane: ceteris praetermissis, sufficiat recolere quod iam supra (*n. III. b. 6*) praemonuimus, nimirum ex responsis, sive decretis sive instructionibus hactenus a S. O. circa neophytorum confessionem edifis nullum omnino prostare, quod interpretationem iuris divini *directe, immediate* et *formaliter* exhibeat: bene vero eadem decreta seu responsa *directe* non esse nisi *disciplinaria* responsa in casibus particularibus, aut *disciplinares* normas seu instructiones in casibus id genus servandas. Iamvero, esto quidem quod huiusmodi decreta seu instructiones *practice* supponant rationem theoreticam, cui innituntur, ex iure divino manantem; atque adeo ex illis decretis seu instructionibus *mediate*, idest ratiocinio theologico pror-

sus argui seu inferri possit proprie dicta iuris divini interpretatio, *necessaria* quidem et *comprehensiva,* quae in illis *practice* exhibetur. Attamen hoc id unum evincit, illa decreta seu responsa S. Officii aequivalenter generalia esse, atque adeo per eadem illos obstringi, qui vim illationis praedictae seu ratiocinii theologici probe perspexerint et plane assequuti sint: nullatenus vero probat, per eadem decreta generalem legem *formaliter* constitui; quia, uti pluries diximus, interpretatio iuris divini, quae nonnisi *indirecte*, *implicite* et mere *practice*, in responsis seu instructionibus S. O. continentur, est interpretatio iuris seu legis *per se dubiae et obscurae*, quae proinde interpretatio eget nova *promulgatione*, ut generalem legem aut universale praeceptum constituat. (Cfr. Franzelin, *De Div. Tradit, etc. thes 12, Schol. I. Priucip. I Coroll. 5 in fin. Edit. 2ª*; *Thes. VIII, II in not. pag. 77 et seqq.*; Palmieri, *De Rom. Pontif. Thes 28, V. Edit. I*; *De Peccato Orig. etc. Thes 22. Sch. pagg. 293 et seqq. Edit. an. 1904;* Wernz, *Ius Decret. tom. IV, n. 698 in not. 40, pag. 1014 et seqq. Edit. I.*).

Haec de responso Cardinalis Barnabò ad archiepiscopum Quebecensem satis sint, quae quidem eo unice spectant, ut sua cuique rei veritas constet, ac ut iustis limitibus coerceatur et pro merito aestimetur auctoritas praefati documenti, quod forte nimis confidenter a nonnullis Theologis in praesenti controversia in medium affertur. Ceterum, si S. Doctori De Ligorio vel ipsa responsa S. Poenitentiariae quandoque posthabere, oppositaeque opinioni adhaerere licuit (Vid. *Th. Mor.* lib. 6, n. 556; cfr. Gury-Ballerini, *Comp. Th. Mar. II*, n. 573, not. *a.* et num. 589, not. *a.* Edit. 4); multo magis fas heic erit, emi Barnabò valedicere asserto; quod uti liquet ex dictis, nullo modo haberi potest ceu S. Congregationis responsum ».

Igitur misso valore huius postre- 3167
mae responsionis S. Congr. de Prop. Fide aliis potius argumentis insistere debent hi, qui sententiam asserentem obligationem confessionis in casu defendunt. Ea magno cum acumine et eruditione exposuit idem excmus D. Mannajoli in « Supplementum editioni quintae Summulae theologiae moralis Jos. Card. D' Annibale » n. XIV

Iuverit hic referre aliud responsum 3168
Sacrae Congr. Univ. Inquisitionis, quod hanc materiam respicit. Scilicet: « An catechumeni confiteri possint sacramentaliter, antequam baptizentur sive absolute, sive conditionate? R. Quoad confessionem ante baptismum absolute conferendum, negative; quod, si nihilominus catechumenus velit sese confiteri, instruatur, id nullatenus haberi posse sub ratione sacramenti, quum nequeat absolutio impertiri, nec teneri missionarium ad secretum servandum (intellige ad secretum sub sigillo confessionis, nam ad secretum simpliciter dictum teneri, nimis est evidens). Si vero agatur de iis, qui debent baptizari sub conditione, tunc poterunt ad maiorem functionis ecclesiasticae facilitatem prius audiri sacramentaliter quoad eorum culparum accusationem; deinde post collationem baptismi sub con-

ditione confessarius, iterum reassumptis per summa capita cum poenitente iis, de quibus iam accusationem fecerit, absolvat sacramentaliter pariter sub conditione ». *S. U. I. ad ep. Grass, Valley 2 dec. 1874.* Vid. *Baptismus.*

3169 **De peccatis, quae quis iam est confessus.** — Ille, qui rebaptizatur, stante dubio praeteriti baptismi, aliquando inter catholicos semper versatus est et catholico vixit more. Iam quaeri potest an et is ante baptismum conditionatum praeterita sua peccata confiteri debeat, post conditionatum baptismum recepturus denuo absolutionem. Et negative respondendum in casu absque dubio est. Nam vel primus baptismus fuit validus, et ea peccata iam fuerunt subiecta clavibus et valida absolutione remissa; vel fuit invalidus et tunc secundo baptismate abluuntur, nec clavibus ea subiicere necesse est.

3170 **De peccato generice accusato.** — Peccatum accusatum tantum in genere est materia in casu necessitatis (ex. gr. quum moribundus nullum peccatum in specie accusare potest) certo sufficiens (B. P. *V. 243*; Génicot *Th. mor. II 262*), imo multo probabilius sufficiens est etiam extra casum necessitatis. Billot *l. c. th. XVIII Coroll.* Et probabiliter non solum quoad validitatem, sed etiam quoad liceitatem, potest quis hoc modo confessionem instituere, quando, ut patet, nulla alia est materia necessario accusanda. Dicastillo *de sacr. poenit disp. IX n. 760*; Ball. *in Gory II. 233*; Bucc. *II. 673*; D'Ann. *III. 302*; Génicot *loc. nuper cit.*

3171 **De necessitate materiae ad absolutionem dandam.** — Ad absolvendum poenitentem semper debet haberi aliqua materia certa, saltem ex peccatis vitae praeteritae. D'Ann. *III. 301.* Afferentem materiam non necessariam, sed sufficientem, dummodo rite dispositum, absolvere oportet.

De forma sacramenti poenitentiae. — Forma huius sacramenti alia est essentialis, alia ritualis, alia praeceptiva. Conc. Trid *sess. XIV cap 3.* 3172

De forma essentiali. — Essentialis est: *te absolvo a peccatis tuis* (Lugo *de poenit. disp. XIII n. 12*; Croix *Th. mor. lib. VI part. 2 n. 629*; D'Ann. *III. 326*); imo probabilius haec tantum: *te absolvo.* S. Thom. *3. p. q. 84 a. 3;* Suarez *in 3am part. disp. 19 sect. 1. n. 21*; Lugo *de poen. disp. XIII. n. 17*; S. Alph. *VI. 430 d. 2*; D'Ann. *loc. nuper cit*; contra Croix *Th. mor lib. VI. p. 2. n. 633*; cfr. Catech. Rom. *tit. de poenitentiae sacramento n. 14.* — Attamen conveniunt omnes omittere verba *a peccatis tuis* grave esse, quum multi necessaria ea existiment ad validitatem. Bucc. *II. 748. 6.* 3173

Integra autem forma est: « *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* » Rit. Rom *tit. III. c. 2. n. 2.*

Omittere autem illa verba; *in nomine Patris, etc.* S. Alphonso (*VI. 430*) leve est.

Si quis autem loco verbi *absolvo* diceret: mundo te a peccatis tuis, invalide ageret; neque enim tunc exprimitur sententia iudicialis (Suarez *19. 1. 24*; Croix *VI. II. 638;* D'Ann. *III. 326*); si diceret: remitto tibi peccata tua, valide ageret propter rationem contrariam (Matth. *XVI. 18*; Lugo

XIII. 141; D'Ann. *loc. nuper cit.*); si diceret: condono tibi peccata tua, dubie ageret; quum quibusdam sit valida absolutio sic data (Lugo *loc. nuper cit*; Bonacina *q. V. p. 2. n. 3*), quibusdam non, saltem valde probabiliter (D'Annib. *III. 326*), quum haec verba, potius quam sententiam iudicis, exprimant condonationem creditoris.

Certo non requiritur elevatio manuum, vel signum crucis, ad formae et proinde absolutionis validitatem; nec sub mortali, imo probabilius ne sub veniali quidem, ad liceitatem. Busembaum *Theol. mor. lib. VI. tr. 10. n 9*

Valide semper, et in necessitate licite, plures absolvuntur unica forma in plurali numero. La Croix *Th. mor. lib. VI. tr. 10. n. 9.*

3174 **De forma rituali** — Ritualis consistit in essentiali et in precibus, quae illi adiunguntur, videlicet: « Misereatur etc., Indulgentiam etc.; Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego auctoritate Ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis (quae vox pro laicis omittitur) et interdicti, in quantum possum et tu indiges; deinde ego te absolvo etc.; Passio Domini Nostri Iesu Christi, merita B. Mariae semper Virginis et omnium sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen. » Rit. Rom *tit. III. c. 2.*

Haec omnia laudabiliter (Conc. Trid. *l. c. cap. 3*) dicuntur, sed ea omittere, exceptis verbis indicantibus absolutionem a censuris et a peccatis, etiam citra casum necessitatis, vel nullum, vel certe leve peccatum est. S. Alph. *VI. 430;* D'Annib. *III. 326.* Hinc s. Congr. s. Officii interrogata a vicario apostolico Sandwicen. an bene se gererent missionarii, qui ob poenitentium multitudinem omittebant *Misereatur, Dominus noster etc.*, *Passio Domini nostri etc*, respondit: « Bene se gerere et ad mentem. Mens est, ut, si, urgente casu, missionarius breviorem formulam adhibere velit, dicat: *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine etc.* » *S. U. I. 18 dec. 1850.*

Verbulum *deinde*, ante formam essentialem in rituali romano positum, nec ad absolutionem a censuris nec ad absolutionem a peccatis pertinet, sed unam ab altera distinguit, et iuxta plures pronunciandum est. Argumentum autem deducunt ex responsione quadam s. Congregationis Rituum *in Veronen. 11 mart. 1837* (*2764*), in qua ad quaesitum: «Utrum verbum *deinde* in forma in nonnullis editionibus rubro charactere impressum omittendum sit », responsum est: « nihil esse innovandum. » Et huius sententiae est auctor indicis novissimae collectionis decretorum S. C. Rituum, qui sub verbo « Absolutio » dicit: « In absolutionis forma sacramenti poenitentiae quoad verbum *deinde* nihil esse innovandum, quatenus imprimatur rubro charactere; ideoque hoc verbum dici debet ». Quae sententia firmatur non solum ex communissima praxi, sed etiam ex eo quod, quamvis in aliquibus editionibus ritualis romani a S. R. C. recognitis et approbatis aliquando pro rubrica videatur haberi (quippe rubro charactere impressum est), in editione tamen Ratisbonensi

1881, specialiter a S. R. C. recognita, (et in multis aliis) habetur pro voce ad formam pertinente.

3175 **De forma praeceptiva.** — Forma absolutionis in ecclesia latina praeceptiva certe est, ut diximus, indicativa. — Sed an de natura rei est, ut talis indicativa forma adhibeatur, an potius per se etiam forma deprecativa valeret? Et si distinguamus inter formam mere deprecativam et potestative deprecativam (qualis esset ea, qua iudex, absoluto processu, sententiam diceret coram rege his verbis: rex, rogo te, absolve illum), haec videtur esse valida. Ratio est, quia quamvis deprecativo modo enuntietur, ea tamen sententia vere dicit reum absolvendum, ac proinde non nocentem et dignum, qui ut innocens habeatur. Quod transferri potest in foro et iudicio nostro, ubi proinde haec forma, ex. gr.; Deus, remitte peccata huic servo tuo, esset vera sententia absolutionis. Cfr. Palmieri *Tract. de poenit. parergon ad th. XII.*

Generatim absolutio a censuris danda est prius quam detur absolutio a peccatis (S. Alph. *430 dub. 4*) et quamvis, si invertantur, valida sit absolutio (Sanchez *in Dec. lib. II. c. 8 n. 5 ;* Salmaticenses *Th. mor. tr. VI. c. 3. p. 1 n. 11*), grave tamen esset aliquem prius a peccatis et postea a censuris absolvere. S. Alph. *loc. cit;* D'Ann. *III. 326.*

Notandum est autem absolutionem a censuris simul et a peccatis probabilius una dari posse per verba « ego te absolvo », et certo secundum plerosque per formam consuetam absolutionis, « ego te absolvo a peccatis tuis ». La Croix *Th. mor. lib. VI. p. 2. n. 1567.* Attamen levi non careret, qui sic a peccatis simul aliquem absolveret et a censuris. S. Alph. *VI. 430. d. 4.*

De subiecto sacramenti poenitentiae (*remissive*). — Quoad hoc vide *Confessio.*

De praesentia requisita in poenitente absolvendo. — Poenitens absolvendus debet esse moraliter praesens sacerdoti absolventi. B. P. *V. 24;* D'Ann. *III. 327.* Moralis vero praesentia ea est, intra quam homines communi voce, quamvis altiori, colloqui possunt et solent. Hinc voce proferri debet, etiam ad validitatem, forma absolutionis; nec valeret data absenti per literas vel per internuncium. *Const.* Clem. VIII. *20 iun. 1602; Const.* Pauli V. *14 iul. 1605.* Quid dicendum sit de absolutione, quae daretur per telephonium, vide sub *Telephonium.* 3176

De ministro sacramenti poenitentiae (*remissive*). — Quoad hoc vide *Confessarius.*

De absolutione sub conditione. — Valida semper, quandoque et licita, est forma conditionata (si nempe conditio est de praesenti vel de praeterito; non item si est de futuro), etiamsi conditio sit iuris tantum et non facti. B. P. *V. 19 sqq.* 3177

Optimo autem iure datur sub forma conditionata quando forte valide proferri non potest, eam tamen dandi probabilis quaedam habetur necessitas vel notabilis utilitas.

Quandonam absolutio sit danda, deneganda vel differenda. — Poenitenti rite confesso et disposito absolutio ex iustitia a confessario danda est (S. Alph. *VI. 492;* D'Ann. *III. 328);* 3178

certe indisposito semper neganda, et planum est, etiam in casu extremae necessitatis; generatim vero huiusmodi sunt ii omnes et soli, qui gravem aliquam obligationem implere renuunt. G. B. *II. 433*; Bucc. *II. 809*. Aliquando forte absolutio poenitenti etiam disposito, de eius consensu, cum aliquo fructu differri potest, sed nonnisi rarissime. *Instr. S. C. P. F. ad sacerdotes Annamitas in Tungkino Occid. a. 1756; Instr. eiusd. S. C. P. F. ad vic. ap. Cocincinensem aug. 1827*; B. P. *V. 191* (ubi optime pertractatam invenies hanc quaestionem); Bucc. *II. 809*. Cfr. etiam sapientissimam instructionem S. C. de Prop. Fide ad visitatorem apost. Tungk. occid. *3 ort. 1736*.

Ad absolvendum non requiritur certitudo absoluta de dispositione poenitentis, sed sufficit moralis lata, seu prudens probabilitas. Quare, si confessarius iudicaverit diligentiam in examine et dolorem omnino non defuisse, idest, si ei positive non innotescit vel illam defuisse, vel hunc deesse, poenitentem absolvat. Cat. Rom. *tit. de poen. n. 82*; Bucc. *II. 809*.

3179 ***De sacramento poenitentiae valido et informi.*** — Dari posse aliquando sacramentum poenitentiae validum simul et informe plures tenent et graves theologi (Cfr. S. Th. *in IV dist. 17*; Suarez *de poen. disp. XX sect. 3. n. 3*; Dicastillum *de poenit. disp. VI dub. 5. n. 84*; Lugonem *de poen. disp. XIV sect. 6 et 7*; Salmanticenses *Th. mor. tr. VI. c. 5, ubi plures idem sentientes citant*); idque haberi plures existimant, quum quis habeat veram attritionem, sed non appretiative summam, qua sincere et inculpabiliter subiiciat peccata sua clavibus ecclesiae. Billot *de eccl. sacr. vol. II. th. XVI.*

De aliis pluribus quoad poenitentiam (*remissive*). — De absolutione eorum, qui versantur in occasione peccati, Vid. *Occasio*; de absolutione recidivorum, Vid. *Recidivus*; vide etiam *Confessarius*; de casibus reservatis, Vid. *Reservatio casuum*.

Actus poenitentis requisiti sunt: contritio (Vide *Attritio*, *Contritio*, *Propositum*), confessio (Vide *Confessio*, *Integritas*, *Circumstantia*), satisfactio (Vid. *Satisfactio*).

Praeterea vide *Approbatio.*, *Iuris dictio*, *Confessarius*, *Sigillum sacramentale*, *Stola*, etc.

De quadam clausula S. Poenitentiariae. — Quando S. Poenitentiaria in rescriptis apponit clausulam: « Iniuncta ei gravi poenitentia », hoc intelligendum est iuxta vires poenitentis; et habenda est ratio conditionis, aetatis, infirmitatis, officii, sexus etc. eorum, quibus poena iniungenda est, nec excedendi sunt fines, sive severitatis, sive humanitatis, in praefinienda qualitate, gravitate, durationе poenitentiae. *S. Poen. 8 apr. 1890*.

Decr. Grat. XXXIII. q. 3; tit. de poenitent. et remiss. X. (V. 38); idem tit. (V. 10) in 6°.; idem tit. (V. 9) in Clem.; idem tit. (V. 9) in Xvag. comm.; Conc. Trid. sess. XIV doctr. de s. poen. sacram. cum 15 cann. relat.; sess. XXIII. c. 15 de ref.; Const. Pii V « Super gregem » 8 mart. 1566; Const. Pii V « Rom. Pontificis » 6 aug. 1571; Const. Clem. VIII « Rom. Pontificis » 23 nov. 1597; decr. Clem. VIII « SS. Dominus » 20 iul. 1602;

Const. Urb. VIII « Quum sicut accepimus » 12 sept. 1628; Const. Clem. X « Superna » 21 iun. 1679; Const. Ben. XIV « Apost. indulta » 5 aug. 1744; Const. Ben. XIV « Inter praeteritas » 3 dec. 1749; Const. Pii VI « Auctorem fidei » 28 aug. 1794 (prop. 37 Syn. Pistor.); *Philippi B.* Repet in c. Scindite corda vestra de poenitent. dist. prima; *Victorius M.* De sacram. poenitentiae et de antiquis poenitentiis; *Filesacus I.* Selectoram libri duo (ubi de confessionis auricularis sive secretae usu et praxi apud christianas gentes); *Du Fay P.* Disp. de poenitentia; *Pharaonii H.* Promptuarium animae de sacram. poenit. et de actu iustitiae commutat.; *Filesacus I.* Syntagma de poenitentia; *Bagotius I.* De poenitentia dissertationes theologicae; *Morinus I.* Comm. historicus de discipl. in administratione sacr. poenitentiae; *Boileau I.* Historia confessionis auricularis; *Grancolas I.* Dissertations sur les messes quotidiennes et sur la confession; *D'Arras B.* Le ministère primitif de la pénitence; *Endres* Das Busssakrament; *Haringer M.* Anleitung z. Verwaltung des heilig. Busssakram.; *Knopp N.* Ueber d. « sacerdos proprius » z. Verwaltung d. Busssakraments; *Zenner F. X.* Instructio practica confessarii; *Reuter I.* Neoconfessarius practice instructus; *Tappehorn* Anleitung. z. Verwaltung d. Busssakr.; *Noldin H.* Die Jurisdiktion üb. d. Pönitenten a. fremden Diözesen; *Lorinser F.* Lehre v. d. Verwaltung d. Busssakr.; *Goetz* Die Busslehre Cyprians; *Tappehorn A.* Anleitung z. Verwaltung. d. Bussakram.; *Palmieri D.* Tract. de poenitentia; *Laurain P.* De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la pénitence; *Holl K.* Enthusiasmus u. Bussgewalt beim griechischen Mönchtum; *De San L.* Tract. de poenitentia; *Nézerau* La pénitence d'après le Concile de Trente; *Paulus C.* Welt- u. Ordensklerus b. Ausgang d. 13 Jhdts i. Kampf um die Pfarrechte; *Slater F.* Church Discipline a. Auricular Confession; *Mattiussi* Della penitenza nei primi secoli; *Vacandard* La pénitence publique dans l'ancienne Eglise; *Billot L.* Tract. de sacramentis (ubi in 2° vol. etiam de poenitentia); *Heiner* D. Beichte in d. kathol. Kirche nach d. « ultramontanen Moral » d. Grafen Hoensbroech; *Kirsch P. A.* Der sacerdos proprius i. d. abendländ. K. vor d. Jahre 1215; *Villien* Histoire des commandaments de l'Eglise; *Gartmeier J.* Die Beichtpflicht; *Lehmkuhl* L'absolution des étrangers; *Rauschen* Eucharistie u. Busssakr. in d. ersten 6 Jahrhunderten der Kirche; omnes praeterea theologi dogmatici et morales. Reliquam bibliographiam quaere sub *Sacramentum*, *Sigillum sacramentale*.

Poenitentia canonica. — Poenitentia canonica est alicuius laboriosi operis frequentatio ab ecclesia imposita illis, qui post delictum vel culpam admissam volunt iterum assequi iura, quae amiserant. 3181

Poenitentia alia est sacramentalis et privata, quae in foro interno imponitur; alia publica, quae imponitur in foro externo ad reparandum scandalum ortum ex crimine.

Poenitentiae publicae, quae olim in maximo vigore fuerunt, nunc ab usu recesserunt. Episcopus tamen potest publicam aliquam poenitentiam publicis et scandalosis peccatoribus imponere (Conc. Trid. *sess. XXIV cap. 8 de ref.*) quamvis non posset denuo introducere antiquum institutum publicarum poenitentiarum, quum debeat suum gregem secundum vigentem ecclesiae disciplinam regere.

Quomodo poenitentiae a poenis differant vide sub *Poena*.

Decr. Grat. C. XXXIII q. 3; tit. de poenitentiis et remissionibus X. (V. 38); idem tit. (V. 10) in 6°; idem tit. (V. 9) in Clem.; idem

tit. (V. 9) in Xvag. comm.; *Lopez I.* De poenitentiis et remissionibus; *Medina I.* In tit. de poenitent.; *Simon Mathurinus* De poenitentiae ritu in veteri ecclesia; *Petavius Dion.* De la pénitence publique et de la préparation à la communion; *Sirmondus Iac.* Historia poenitentiae publicae; *Henichius I.* De poenitentia lapsorum; *Strauchius Aeg.* Prisci publice poenitentium ritus; *Cabassutius Io.* Notitia ecclesiastica historiarum et conciliorum (ubi etiam de publicis priscorum christianorum poenitentiis); *Larroquanus Matth.* Adversaria sacra (ubi etiam de poenitentiae redemptione et de poenitentibus eorumque gradibus); *Niemeier Io. Barth.* De disciplina ecclesiastica (quod spectat ad poenitentiam) dissertationes quatuor; *Hottingerus Io. Iac.* Biga exercitationum de poenitentia primitivae nec non romanae ecclesiae; *Beyer Chr.* Exercitationes de magno veteris ecclesiae circa poenitentes rigore; *Orsi Ios. Aug.* Diss. historica qua ostenditur catholicam ecclesiam tribus prioribus saeculis capitalium criminum reis pacem et absolutionem neutiquam denegasse; *Meurer* Die rechtl. Natur der Pönitenzen; *Rütten W.* Studien zur mittelalterl. Busslehre mit besonder. Berücksichtigung d. älteren Franziskanerschule; *Batiffol P.* L'origine des prêtres pénitenciers; *Vacandard E.* L'origine des prêtres pénitenciers.

3182 **Poenitentiaria. — De ispo tribunali S. Poenitentiariae.** — Poenitentiaria sacra est unum e tribunalibus ecclesiasticis, non paucis ditatum facultatibus et potestatibus, ut ex sequentibus patebit.

Cardinalis, cui cura apostolicae poenitentiariae demandabatur, iam seculo XIV ineunte a Clemente V nomine maioris poenitentiarii decoratur. Cfr. *c. 2 de elect. etc.* (*I. 3*) *in Clem.* Et iam tunc temporis officium poenitentiariae constitutum exstabat, deputatis praeter maiorem poenitentiarium aliis quoque poenitentiariis, ut ex citato capite secundo de elect. in Clementinis aperte eruitur.

Constituitur autem hoc tribunal in primis cardinali poenitentiario maiore, qui ab ipso Romano Pontifice eligitur per breve. Is ex Benedicto XIV (*Const.* « In apostolicae » *14 apr. 1744*), qui secutus est in hoc Pium V (*Const.* « In omnibus » *18 maii 1569*), debet esse ex ordine cardinalium presbyterorum, magister in theologia seu decretorum doctor. Exercere autem debet suum munus per seipsum. Quod si ex causa legitima a Rom. Pontifice admissa absens fuerit seu impeditus, debet sibi subrogare alium cardinalem eisdem qualitatibus instructum, qui, pro-poenitentiarium agens, munus per seipsum adimpleat, litteras expediens suo proprio numine, non autem nomine poenitentiarii subrogati.

Cardinali maiori poenitentiario adiungitur in primis *regens*, qui, quemadmodum alii poenitentiariae officiales, ab ipso maiori poenitentiario delectus et Romano Pontifici praesentatus, si eius approbationem consequatur, litteris maioris poenitentiarii ad suum officium nominatur et admittitur. Post ipsum veniunt *theologus*, cuius munus « uni ex presbyteris Soc. Iesu diuturna nec interrupta successione commendari consuevit », ut ait Benedictus XIV (*Const.* « In apostolicae » *§ 15*); *datarius*, *canonista*, *corrector*, *sigillator* praeter *procuratores* seu *secretarios* tres et *scriptores ordinarios* tres. Nunc post constitutionem nostram officiales hi

recensentur in indice officiali et quidem hoc ordine; datarius, corrector, sigillator et canonista praeter secretarium ac substitutum nec non scriptores duos, archivii custodem et duos registratores.

Signatura, quae dicitur, constat cardinali maiori poenitentiario, regente, theologo, datario, correctore, sigillatore, canonista. Signaturae intervenit etiam secretarius, sed non habet ius ad votum.

Ad S. Poenitentiariam referuntur etiam aliquo modo minores poenitentiarii in Urbe et in Aede Lauretana. Quoad hos nota eos constitui in tribus Urbis basilicis seu in basilicis Lateranensi, Vaticana et Liberiana. Poenitentiarii S. Ioannis in Laterano ex FF. Minoribus, S. Petri prius ex Patribus Soc. Iesu, post extinctionem Societatis a Clemente XIV decretam ex FF. Minoribus conventualibus, S. Mariae Maioris ex PP. Praedicatoribus, Lauretani prius ex Patribus Soc. Iesu, nunc vero ex Min. Conventualibus desumuntur. Vid. *Poenitentiarii.*

Iam ab antiquis temporibus S. Poenitentiaria multis ditata est facultatibus et gratiis, quae prius ad forum internum, praecipue saltem, spectabant, postea auctae sunt aliis facultatibus, quae ad externum quoque forum pertinebant. Cfr. inter alia const. Sixti IV « Quoniam nonnulli » *9 maii 1484.* Has facultates Poenitentiaria obtinebat tamquam ordinarias.

Postea tantus causarum cumulus, earum praesertim, quae ad externum forum spectabant, visus est nonnullis Pontificibus, praesertim Pio IV, S. Poenitent. e sua provincia immerito et maiori cum nocumento quam utilitate distrahere.

Hinc Summus Pontifex consilium cepit reducendi facultates S. Poenitentiariae, imo totum Poenitentiariae institutum et quoad tribunalis compositionem et quoad eius competentiam reformare. Quod ipse praestare et ad exitum perducere non potuit, hoc perfecit successor eius Pius V, qui hoc tribunal a se reformatum « solis rursus facultatibus, quae poenitentialis muneris maxime propriae sunt et ad egentium fidelium remedium accomodatae, » communivit. *Const.* Pii V « Ut bonus paterfamilias » *18 maii 1569.* Postea novae acceserunt mutationes ex Innocentio XII (*Const.* « Rom. Pont. » *III non. sept. 1682*) et Benedicto XIV (*Const.* » Pastor bonus » *13 apr. 1744*), quousque tandem devenimus ad constitutionem « Sapienti consilio », qua iurisdictio Poenitentiariae revocata est ad pristinos et nativos terminos, seu constricta ad ea, quae internum forum respiciunt. Loquens enim piana constitutio de Sacra Poenitentiaria, haec habet:

« Huius sacri iudicii seu tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea dumtaxat, quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt, Itaque, externi fori dispensationibus circa matrimonium ad Congregationem de disciplina sacramentorum remissis, hoc tribunal pro foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes: excutit praeterea quaestiones conscientiae, easque dirimit ».

De facultatibus maioris Poeniten- 3183

tiarii, Sede vacante. — Facultates maioris Poenitentiarii, quae spectant ad forum internum, mortuo Papa, perdurant (*c. 2 de elect.* [*I. 3*] *in Clem.*); quae ad forum externum spectabant, conquiescebant, exceptis facultatibus, quae regulares praesertim apostatas et fugitivos respiciunt, nec non excepta facultate deputandi confessarios extra ordinem pro monialibus. *Const. Ben. XIV* « Pastor bonus ».

3184 **De modo procedendi s. Poenitentiariae et ad eam recurrendi.** — In *signatura* Poenitentiariae, quae alternis hebdomadis die martis ordinarie habetur, intersunt, maiori ipso poenitentiario praesidente, ii officiales, quos supra diximus. In ea, referente unoquoque petitiones sibi demandatas et casibus praesertim dubiis omnium consultatione discussis ac examinatis, omnia maturo iudicio a cardinali poenitentiario deciduntur et congruum rescriptum a regente propria manu breviter unicuique petitioni subiicitur, latius deinde a procuratoribus explanandum. *Const.* Ben. XIV « In apostolicae », *13 apr. 1744.* Resolutio igitur definitiva a maiori poenitentiario sumitur; alii officiales votum habent tantummodo consultivum. Si quando autem de re agitur, circa quam cardinalis poenitentiarius putat destitui se facultatibus necessariis, ad Romanum Pontificem recurrit.

Si quis recurrere debet ad s. Poenitentiariam, epistolam mittit ad Cardinalem maiorem Poenitentiarium.

Etiam ipse confessarius huiusmodi litteras scribere potest, sed nomen personae non debet exprimere; debet tamen clare scribere locum et nomen illius, ad quem a s. Poenitentiaria responsum dirigendum est.

De modo, quo utitur s. Poenitentiaria in gratiis concedendis. — 3185 Dispensationes aliaeque gratiae generatim a s. Poenitentiaria in forma commissoria conceduntur, et sub quibusdam clausulis. Vid. *Clausulae.*

Quibus abbreviationibus in suis responsis utatur s. Poenitentiaria, vide sub *Abbreviationes.*

S. Poenitentiaria suas gratias omnes concedit gratuito.

Rescripta Sacrae Poenitentiariae, mitti solent *Confessario* vel *Doctori in s. theologia aut iure canonico.* In quo notandum est, confessarium intelligi illum, cui poenitens alias confessionem suam facere potuisset (Ben. XII *Inst. eccl. LXXXVII. n. 31*); ideoque mulier ex gr. uti debet confessario approbato ad audiendas confessiones mulierum eo loci, ubi eum adit. D'Ann. *I. 242* (*45*). Electio autem confessarii pertinet ad illum, qui rescriptum obtinet, quique semel electum variare etiam potest, si displicet. D'Ann *l. c.* Doctores autem intelliguntur veri doctores, qui laurea sunt praediti.

Nota tamen, nunc rescripta Poenitentiariae inscribi ordinarie *Confessario approbato.*

His rescriptis additur haec clausula plerumque: « dummodo res non fuerit ad forum contentiosum deducta. » Deductum ad forum contentiosum aliquid dicitur, quum iudex per narrationem negotii causam audire coeperit (*l. 1 de litis contest. C.* [*III. 9*]); non autem quum probatum fuerit per unum testem, ut nonnuli as-

serunt, vel quum fuerit intimatum parti, ut volunt alii. D'Ann. *loc. cit.* (*48*).

Quoad aliam clausulam, quae saepius etiam apponitur: « dummodo res sit occulta », Vid. *Occultum.*

S. Poenitentiaria concedit aliquando ordinariis facultates dispensandi pro foro interno super occultis quibusdam impedimentis, cum facultate subdelegandi eas parochis. Hac occasione archiepiscopus Coloniensis exposuit, in sua dioecesi plures haberi districtus, quibus praepositi sunt sacerdotes iuribus quasi parochialibus praediti, quos in parochias erigere ipse non posset, quia ibi ad huiusmodi erectionem exigitur interventus regii Gubernii, quod eam non permitteret, quibus autem praeponere deberet sacerdotes diversos a parochis ob nimiam parochiae amplitudinem. Quaerebat igitur:

1°. An sub nomine parochorum in citatis litteris s. Poenitentiariae veniant rectores sic dicti, qui in districtu aliquo curam animarum exercent, quin parochi veri nominis dici possint;

2°. An sub eodem nomine comprehendantur etiam ii sacerdotes, qui, durante vacatione parochiae, vel occasione infirmitatis vel absentiae parochi, tamquam administratores parochiae deputantur. »

Et s. Poenitentiaria (*17 iul. 1901*) respondit: « Affirmative ad utrumque. »

Gomez Lud. Tract. de potestate Poenitentiariae; *Leoni Marc. Paul.* Praxis ad litteras et bullas maioris Poenitentiarii et officii s. Poenitentiariae in quatuor partes distributa, in quibus declarantur singularum formularum clausulae et traditur modus praefatas litteras exequendi; *Corradus Phyrrus* Praxis dispensationum apostolicarum ex solidissimo Romanae curiae stylo inconcusse servato excerpta, praxim quoque officii s. Poenitentiariae Urbis iuxta illius ordinationem novi status complectens; *Syrus P.* Dilucidatio facultatum minorum poenitentiariorum basilicarum Urbis et praxis executionum ad litteras et rescripta s. Poenitentiariae etc.; *Petra Vinc.* Tractatus de poenitentiaria apostolica: *Gibbings* The taxe of the apostolic penitentiary; *Dupin de St-André* Taxe de la Pénitencerie apostolique d'après l'édition publiée à Paris en 1620; *Denifle H.* Die älteste Taxrolle d. apostol. Pönitentiarie v. Jahre 1338; *Eubel K.* Der Registerband d. Kardinal-Grosspönitentiars Bentevenga; *Lea H.* A formulary of the papal Penitentiary in the thirtheent century; *Batiffol P.* Les prêtres pénitenciers romains au 5e siècle; *Lecacheux Paul.* Un formulaire de la pénitencerie apostolique an temps du Cardinal Albornoz (1357-8), *Lang A.* Beiträge zur Geschichte der apostol. Pönitentiarie; *Haskins* The sources for the history of the papal Penitentiary; *Tarani a Spalannis* Manuale theorico-practicum pro minoribus poenitentiariis; *Göller Emil.* Die päpstliche Pönitentiarie von ihrem Ursprung bis zu ihrer Umgestaltung durch Pius V; *Chouet Pierre* La sacrée Pénitencerie Apostolique.

Poenitentiarii. — Poenitentiarii minores in tribus Urbis Basilicis, seu in Basilicis lateranensi, vaticana et liberiana, a cardinali maiore poenitentiario et a congregatione, seu signatura Poenitentiariae prius examinati et approbati, ab eodem cardinali maiore poenitentiario constituuntur. *Const.* Ben. XIV « In apostolicae paenitentiariae » *13 apr 1744.* 3186

Hi ab officio dimitti, seu ab eiusdem exercitio discedere non possunt sine

eiusdem maioris poenitentiarii licentia. *Constitut. nuper cit. Ben XIV.*

Hos poenitentiarios minores idoneos esse ad confessiones excipiendas omnium omnino christifidelium, regularium quoque absque ulla suorum superiorum licentia, sententia fuit plurium et gravissimorum auctorum, quos Rotarius (*Theol. mor. regular. tom. 3 lib. 1 cap. 2 punct. 2 n. 18*), collegit; eamque sententiam pluribus confirmavit P. Sirus, qui in lateranensi basilica plures annos poenitentiarii munus obivit, in suo tractatu *de facultatibus minorum poenitentiariorum basilicarum Urbis part. 1 cap. 1 dub. 6*, prout testatur ipse Benedictus XIV. *Const.* «Inter praeteritos» *3 dec. 1749.* Imo in hanc eamdem sententiam, quae palam a piis regularibus in praxim deducebatur, ut ipse Pontifex in eadem constitutione testatur, ipse Benedictus concessit; quum enim, ineunte anno sancto, inter facultates, quas poenitentiariis basilicarum concessit, hanc etiam expressit (*Constit.* « Convocatis » *25 nov. 1749*), statim annotare curavit, se idipsum fecisse « ad unicum dumtaxat finem, ut tutiores semper conscientiae redderentur, » et non ius quoddam novum condendo sed « *iura iuribus addendo.* » Quare haec est sententia in praxi tutissima. *Const. cit. 3 dec. 1749.*

Hi poenitentiarii plures etiam alias habent facultates circa absolutionem a casibus reservatis, dispensandi in votis, etc.; quarum facultatum ambitus generatim a prudentia cardinalis maioris poenitentiarii dependet. *Const, cit. Ben. XIV. 13 apr. 1744.*

Id autem, quod diximus de poenitentiariis basilicarum Urbis, dicendum quoque est de poenitentiariis in aede Lauretana ab eodem cardinali poenitentiario deputatis. *Const. nuper cit.*

Politicae factiones. — Iuverit hic 3187
referre recens quoddam decretum s. Congr. Concilii quoad clericos participantes bellis et perturbationibus intestinis. Decretum est sequens: « In perturbationibus et intestinis bellis, quibus aliquoties civiles status exagitantur, ultimis hisce annis interdum accidit, ut ecclesiastici viri partium studio abrepti, uni vel alteri politicae factioni ultro se manciparent, et pro ea contra canonicas leges plura agere et moliri non vererentur, fidentes absolutionem in posterum se facile consecuturos. Tam gravi malo occurrere cupiens SSmus Dominus Noster Leo PP. XIII, inhaerendo dispositio, nibus SS. Concilii Tridentini sess. XIV in prooem. et cap. IV, nec non sess. XXII. c. 1 de ref., et prae oculis habita doctrina Benedicti XIV in Inst. 101, per praesentes s. Congr· Conclii litteras statuit atque decernit ut in posterum quisquis ex clero, ut intestinis bellis et politicis contentionibus opem utcumque ferat, proprium residentiae locum absque iusta causa, quae a legitima ecclesiastica auctoritate recognita sit, deseruerit vel clericales vestes exuerit, quamvis arma non sumpserit et humanum sanguinem minime fuderit; et eo magis qui in civili bello sponte suum nomen militiae dederit, aut bellicas actiones quomodocumque dirigere praesumpserit, etsi ecclesiasticum habitum re-

tinere pergat; ab ordinum et graduum exercitio et a quolibet ecclesiastico officio et beneficio suspensus illico et ipso facto maneat; et inhabilis praeterea fiat ad quaelibet officia aut beneficia ecclesiastica in posterum assequenda, donec ab Apostolica Sede restitutus non fuerit, sublata ad hunc effectum respectivis dioecesium ordinariis qualibet dispensandi potestate, etiamsi amplissimis, sive solitis (ut vocant), sive extraordinariis, facultatibus rehabilitandi clericos gaudeant; contrariis quibuscumque minime obstantibus ». *S. C. C. 12 iul. 1900.*

3188 **Pollutio.** — ***De pollutione in genere luxuriae.*** — **De eius natura.** — Pollutio est effusio seminis sine congressu cum alio. B. P. *II. 1026 sqq;* D'Ann. *II. 65.*

Differt a distillatione. B. P. *loc. cit. n. 1030;* D'Ann. *loc. cit.* (*28*). Vid *Distillatio.*

Quaerunt Doctores, utrum specialis malitia peccati pollutionis sita sit in frustranea effusione seminis, an in illicita delectatione venerea, quae exinde quaeritur. Nonnuli primae (Cfr. B. P. *II. 1027*), alii alteri sententiae adhaerent (Cfr. Capellmann *Pastoralmedicin edit. 6 p. 85*), nec spernendas afferunt rationes. Palmieri putat alterutrum sufficere ad inducendum peccatum pollutionis. B. P. *1028* (*a*).

Nota recentiores rei medicae peritos pollutioni voluntariae seu mollitiei, immutatis nominibus, onanismi nomen saepe tribuere.

3189 **De pollutione directe voluntaria.** — Directe et perfecte voluntaria est semper peccatum mortale. B. P. *loc. cit.*; cfr. *prop. 49 dann. ab Inn. XI decr. diei 2 mart. 1679.*

Qui pollutionem in altero causavit, debet explicare circumstantias speciales personae, si quae sint. S. Alph. *III. 476.*

De pollutione indirecte voluntaria. 3190 — Indirecte, seu in causa tantum, voluntaria, in quam neque intentio neque postea delectationis consensus fertur, culpa est secundum eum modum, quo culpabilis est causa in genere luxuriae. Ita contra complures severiores S. Alphonsus (*III. 484*) cum plerisque theologis. Lehmkuhl *I. 871.*

Quare tunc est mortalis, si sine iusta causa ponatur causa proxima et de se mortalis in genere luxuriae; venialis, si causa est remota, vel de se non est mortalis in genere luxuriae, et sine iusta causa ponitur (S. Alph. *III. 484;* B. P. *I. 579 sqq*); si habeatur ratio sufficiens ponendi causam, secluso consensu in voluptatem consequentem, caret omni peccato. S. Alph. *III. 483;* B. P. *I. 584 sqq.* Hinc licet medicis et chirurgis pudenda mulierum inspicere, vel tangere; confessariis foedissima quaeque aure percipere; famulis deservire mulieribus in balneis, tametsi polluantur. S Alph. *III. 483.* Et si consentiant in delectationem venereaam, perinde habendi sunt, ac hi, qui in occasione moraliter necessaria versantur; ideoque absolvendi, quamdiu rationabilis spes apparuerit occasionem remotam redditurus. Cfr. D'Ann. *II. 67* (*37*), ubi S. Alphonsum citatum invenies copiose.

Notandum, Doctores causas influen-

tes in pollutionem distinguere in graves, leves, medias. Graves ipsis eae sunt, quae natura sua tantam vim habent ad pollutionem causandam, ut sine alia causa regulariter eam inferant, licet aliquando per accidens, ex. gr. ob specialem indispositionem subiecti, vel propter modicam causae durationem actualis influxus impediatur (ut essent aspectus nimium turpes, aspectus copulae, aspectus verendorum ac partium vicinarum inter personas puberes diversi sexus, tactus harum partium in se vel in alio, etiam eiusdem sexus, animo lascivo, etc).

Leves eae sunt, quae ita tenues sunt et modicae virtutis, ut vim sufficientem non habeant ad pollutionem in quovis eventu per se causandam, licet coadiuvent (ut essent tactus, praesertim sine mora, manuum, pedum et huiusmodi, aspectus sculptilium sive picturarum, licet alterius sexus, a genu ex. gr. deorsum et ab stomacho sursum denudatarum etc.).

Mediae eae sunt, quae, quamvis ea efficacia careant, quam habent graves, habent tamen vim, quae sufficit, ut in pollutionem absolute et sufficienter influant, effectusque in eas simpliciter reducantur: quare leves vel graves habendae sunt pro dispositione subiecti potius quam ex natura sua (hae essent aspectus verendorum sui corporis aut alieni eiusdem sexus, aspectus personae alterius sexus nudae usque ad verendis vicina exclusive, tactus pudendorum hominis supra vestes, amplexus et oscula ex ioco habita, etc.) Salmanticenses *Th. mor. tr. XXVI. c. 7. n. 36 sqq.*

Quoad haec nota ea, quae habet Génicot *Th. mor. I. 399:* « Multi AA. post S. Alphonsum *lib. III. n. 484* (quod tamen non est verum, si intelligatur, S. Alphonsum hanc distinctionem primum induxisse, nam Salmanticenses in loco a nobis citato eam habent, asserentes imo, eam inveniri iam in Sanchez *de matrim. lib. IX disp. 46. n. 11;* quo in loco Sanchez substantiam quidem rei admittit, sed de ista distinctione expresse non loquitur) causas in pollutionem influentes in triplici gradu ponunt: graves, leves et mediocres. Attamen, ne impeditior fiat materia valde practica, praestat servare duplicem tantum partitionem, qua contenti fuerunt Sanchez, Sporer, Struggl aliique complures, qui, ante S. Alphonsum, argumentum hoc egregie tractarunt. Recte notat Berardi, *Praxis Confess. n. 874,* has causas mediocres plerumque facile redigi ad seriem causarum graviter vel leviter moventium, ex variis circumstantiis actus, praesertim ex mora et intentione, qua agitur. Multa enim graviter delectationem veneream commovent, si producuntur; leviter, si obiter fiunt; puta aspicere picturas obscenas, oscula partibus honestis personae alterius sexus imprimere, etc. Saepe etiam propensio voluntatis, carnalem delectationem intendentis, multum augebit vim appetitus sensitivi atque adeo corporalem commotionem; quae contra valde minuetur, si agens, effectum omnino honestum intendens, conatur inferioris partis inclinationem et impetum retundere. Ex hoc discrimine explicari potest, quomodo non raro DD. ab invicem discrepent in iudicio

ferendo de causae alicuius gravitate vel levitate. — Simul aliquatenus respiciendum est ad *conditionem et dispositionem agentis*. Constat enim influxum earumdem causarum plurimum minui vel augeri pro aetate, complexione, phantasiae vi, educatione, gradu virtutis, consuetudine res turpes audiendi, videndi, tractandi etc. Qui ob aetatem senilem, frigidam complexionem, consuetudinem etc. expertus esset, se nec pollutionem nec motus venereos pati ex iis causis, quae communiter recensentur inter graviter commoventes, per se non videtur graviter peccare, dum eas sine necessitate ponit, ex. gr. aspiciendo pudenda personae diversi sexus cum voluntaria delectatione visus, delectando mere sensibiliter de tactu puellae, etc. Nam abest in casu ratio formalis malitiae gravis (Sanchez *de matr. disp. 46. n. 23;* Salmant. *Th. mor. tr. 26. c. 3 n. 12*). Attamen is casus rarissimus erit, eo quod fere semper manebit periculum proximum turpis concupiscentiae, vel accedet malitia scandali, cooperationis, etc. Cfr. S. Alphonsum *nn. 416. 421.* »

His adde illud, quod habent Salmanticens (*loc. cit. tr. 26. c. 7. n. 39*) inter alia multa : « Advertendum est quarto, quod ut dictae causae pollutionis sint causae morales, malitiamque praeseferant, est necesse, quod dum tales causae applicantur, id fiat cum cognitione virtutis earum, ut sic sit formaliter causa volita, in quantum causa. Quia, quum nihil sit volitum, quin praecognitum, ut vere dicatur causa volita, et consenquenter pollutio effectus illius, opus omnino est, quod prius cognoscatur virtus causae, in quantum hic et nunc est inductiva pollutionis, et ex hac cognitione voluntaria ponatur praedicta causa. Unde qui penitus non cognosceret, aut non adverteret, virtutem praedictae causae (aut fortasse, esto adverteret, prudenter crederet, in circumstantiis tunc occurrentibus dictum effectum hic et nunc non fore subsequendum), non est dicendum, quod tunc velit pollutionem, ex quo causam applicuerit, nec ipsa, si forte praeter spem sequatur, habenda est ut voluntaria ».

Ex dictis patet, pollutionem, quae subsequitur ex tactu, aspectu vel lectione turpi, quamvis non intentam, semper esse grave peccatum, si tactus etc. sit graviter libidinosus, et in subiecto graviter influat (S. Alph. *III. 482*); si vero tactus etc. sit quidem inhonestus sed leviter, tunc pollutio subsequens non est damnanda de gravi (S. Alph. *III. 484*); quod dicendum est etiam de casu, quo pollutio sequeretur ex actione graviter inhonesta, sed non in genere luxuriae, ut ex magna ebrietate. Sanchez *de matr. lib. IX disp. 45. n. 16*; Lessius *de iust. et iure lib. IV. c. 3. n. 100 sqq.*; S. Alph. *III. 484.*

De accidentali pollutione. — Quoties pollutio per accidens et praeter intentionem sequitur, non est obiective mala; hinc licet equitare recreationis causa, vel patienti magnum pruritum in verendis eum tactu abigere (S. Alph. *III. 483*), etc., etiamsi praevideatur ea per accidens secutura, dummodo absit proximum periculum consensus; imo nemo tenetur coeptam, 3192

invito se, pollutionem cohibere, quin et perdifficile est et valetudini iuxta plerosque perniciosum. S. Alph. *III. 479*; D'Ann. *II. 65* (*29*).

3192 **De pollutione nocturna. — De eius morali malitia.** — Pollutio nocturna, si ante cubitum fuerit causata et praevisa, pro maiori vel minori advertentia et causae influxu, erit mortalis vel venialis, secus omni culpa expers (S. Alph. *III. 485*); imo interdum est quaedam exoneratio naturae; ideo probabilius non est illicitum eam desiderare desiderio inefficaci, e. g. minuendae tentationis vel sanitatis causa (S. Alph. *III. 480*); nec est illicitum, quum naturaliter evenerit, de illa quasi de naturali exoneratione gaudere. D'Ann. *II. 66* (*29*).

3193 **De sacerdote, qui pollutionem noctu passus est, relate ad matutinam missam.** — Iuverit hic referre ea, quae missale romanum habet quoad celebrationem, missae faciendam vel relinquendam a sacerdote, qui pollutionem nocturnam praecedenti nocte passus est. Porro in titulo *de defectibus circa missam occurrentibus c. 9. n. 5* haec quoad hunc casum habentur; « Si praecesserit pollutio nocturna, quae sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est a communione et celebratione, nisi aliud confessario videatur. Si dubium est, an in praecedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casus necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa aut ex diabolica illusione, potest communicare et celebrare, nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur ».

De pollutione feminea. — Agunt 3194 hic doctores etiam de pollutione vel quasi pollutione feminae. Circa quam haec habe ex Ballerini-Palmieri (*II. 1030*): « Nihilominus advertendum censemus cum P. Villada (*Casus Conscientiae part. III. pag. 250 sqq. in nota*), quod in feminis videatur haberi posse peccatum analogum, ut ita dicamus, pollutioni, quod differat a simplici tactu impudico. Obtineri enim et ab ipsis potest completa voluptas, qua satiatur et exsolvitur natura, quae alia est ab ea voluptate, quam vel solis tactibus experiuntur; illa autem obtenta completa voluptas videtur peccatum consummatum in suo genere et aequivalens pollutioni. Et auctor (Busembaum) malitiam mollitiei in feminis quoque admittit, nec S. Alphonsus contradicit. Sane quae dici solet masturbatio (manuum stupratio) non a maribus solum, sed et a feminis inhonestis usurpatur (Capellmann *Pastoralmedicin ed. 6. pag. 77*), atque apud has triplex veluti eius forma distinguitur, clitorina, vaginalis, uterina, quas meminisse sufficiat. Cfr. Debreyne *Moechiologie part. I. c. 1. a. 1. sect. 7.* Uterina gravior est, ut valeat etiam, frequenter iterata, potestatem gignendi impedire. *Ibid.* — Videat tamen confessarius, ne feminae poenitentes confundant cum pollutione fluxum illum, qui *leucorrhea* dicitur, quae est status quidam infirmitatis, in qua fluxus est habitualis, absque ulla sensatione voluptatis,

quam ordinarie comitatur sensatio quaedam molesta ad epigastrum. *Ibid. sect. 8* ».

3195 **De malitia pollutionis in comparatione ad malitiam fornicationis.** — Nota, subiectivam malitiam fornicationis in concreto saepissime maiorem videri quam pollutionis malitiam, quia in fornicatione et pudor multo magis exuitur et actus multo plus voluntarii habet. Hinc etiam canones poenitentiales constanter pro fornicatione maiorem poenam iniungere consueverunt, quam pro pollutione. Cfr. Lehmkuhl *I. 870. § 1.*

De pollutione ecclesiae (*remissive*). — Quad pollutionem ecclesiae, Vid. *Ecclesia.*

3196 **Poloni.** — S. Congr. de Prop. Fide litteris datis ad revmos ordinarios Statuum foederatorum Americae septentr. (*25 febr. 1896*), statuerat ut « nullus sacerdos vel ad statum ecclesiasticum candidatus, ex Polonia oriundus, etiamsi ex Italia vel alia dioecesi mediate migraverit, in clerum dioecesanum admittatur, nisi testimoniales litteras exhibeat huius S. C., quibus de legitima discedendi a dioecesi facultate, de immunitate a censuris nec non de bonis moribus praesentantis plane constet ».

Post editam constitutionem « Sapienti consilio » dubium propositum est s. Congregationi Consistoriali, an adhuc supradicta instructio S. C. P. F. vigere dicenda esset. Et s. Congregatio respondit: « Post const. *Sapienti consilio* standum decretis S. C. Concilii » *S. C. Cons. 9 dec. 1909.* Decreta autem, de quibus hic agitur, sunt ex declaratione, quae habetur in Actis Apost. Sedis, decretum 14 nov. 1903 de clericis in Americam ed ad insulas Philippinas profecturis, decreta 20 iul. 1898 et 24 nov. 1906 de clericorum et laicorum excardinatione et sacra ordinatione, nec non decretum 22 dec. 1905 de seminariorum alumnis.

Polyandria. — Polyandria legi naturali repugnat, quia prolis generationi et educationi obstat. S. Thom. *Suppl. q. 65. a 1 ad 8mum*; S. Aug. *lib. de bono coniug. cap. 17*; Palmieri *de matr. christ. th. XII.* 3197

Polygamia. — Polygamia simultanea nunc semper et ubique est prohibita, saltem de iure positivo divino N. L. Matth. *XIX. 9*; Conc. Trid. *sess. XXIV. can. 2; c. 8 de divortiis X.* (*IV. 19*); Palmieri *de matr. christ, th. XIII*; Billot *de sacr. eccl. II. th. XL* 3198

« Causae bigamiae simultaneae, ait Gasparri (*de matr. I. 632*), pertinent ad forum ecclesiasticum, quum tota res pendeat a validitate primi coniugii, sed punitio criminis est mixti fori. In primis hoc crimen inducit infamiam tum iure civili Romano (*l*) *Praetor is D. de iis qui notant. infam.* tum iure canonico (*c. 4 de bigamis non ordinandis*). Insuper bigamus est suspectus de haeresi, et ideo denuntiandus S. C. Inquisitionis... Et si matrimonium mala fide initum etiam consummarunt coniuges bigami, incurrunt impedimentum criminis, ita ut neque defuncto priore coniuge valeant matrimonium sine dispensatione inire. Alias poenas spirituales latae sententiae in ipsum bigamiae crimen statutas non legimus... graves poenas temporales ecclesia contra bigamos olim constituit... Hodie his poenis tempo-

ralibus ab ecclesia inflictis locum non esse quisque videt ».

Haec, quae de bigamia dicuntur, multo magis extendenda sunt ad polygamiam.

Sharrock Rob. Iudicia de variis inconscientiae speciebus (ubi etiam de polygamia); *Hauemanni Mich.* Gamalogia synoptica (ubi in 2° libr. de polygamia); *Herold I. B.* De polygamia; *Alethaei Theop.* Discursus politicus de polygamia; *Thomasius* De crimine bigamiae; *Garcia de Transmiera* Polygamia et polyviria; *Merlin* Dissertation sur la polygamie des patriarches; *Koch* De bigamia et de poenis. Reliquam bibliographiam quaere sub *Matrimonium.*

3199 **Pontificalia. — De iure exercendi pontificalia in episcopis.** — In propria dioecesi exercere pontificalia cuique episcopo licet, etiam in ecclesiis exemptis et quomodolibet privilegiatis (Ferraris *Prompta bibl. v. «Episcopus» a. 4. n. 19*); at ea exercere in aliena dioecesi nullus episcopus potest sine expressa venia ordinarii loci; secus episcopus ipso iure suspensus est ab exercitio pontificalium. Conc. Trident. *sess. VI. c. 5 de ref.*

In locis missionum, quum abusus irrepsisset, ut nonnulli praesules, deserentes sub aliquo obtentu ecclesias seu vicariatus suos, episcopalia munia in alienis diocesibus seu vicariatibus exercerent, S. Congr. de Prop. Fide ex auctoritate Pontificis decrevit die 28 martii 1651, ac denuo sub die 26 iulii 1662 ac 17 iunii 1715, ne ullo modo liceret episcopis seu apostolicis vicariis, in aliena dioecesi seu districtu, etiam de consensu ordinarii, pontificalia munia peragere, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae ac Rom. pontifici reservatae. — Quum autem haec inhibitio saepe maximi esset incommodi et damni, eadem Sacra Congregatio, approbante Pio VII, concessit, ut, quando rationabili causa vel urgente necessitate episcopi seu vicarii apostolici ad alienas dioeceses seu vicariatus se conferant, possint sibi invicem communicare facultatem pontificalia exercendi, dummodo tamen semper accedat episcopi seu vicarii loci consensus, et inviolatum de cetero maneat residentiae praeceptum. *S. C. P. F. 14 aug. 1819.*

De privilegio pontificali ritu missam celebrandi in praelatis inferioribus. — Etiam protonotarii ad instar participantium, impetrata venia episcopi loci, celebrare possunt pontificaliter sacrum solemne, non tamen iisdem prorsus ritibus et pompa, qui episcopali tantum dignitati conveniunt, imo multa ipsis sunt interdicta, ut baculum pastorale adhibere, septimum candelabrum, et alia, quae vide sub *Protonotarii.* 3200

Praelati episcopo inferiores de iure communi pontificaliter celebrare non possunt, sed aliquando id eis permittitur ex privilegio; tunc tamen hoc debent peragere ornatu modestiori, et quibusdam servatis, quae Alexander VII (*17 septemb. 1652*) servanda decrevit. *Litt.* Pii VII «Decet Romanos Pont.» *4 iul. 1823*; *S. R. C. in Syracusana 24 mart. 1860* (*3093*); *in Lucana 27 ian. 1899* (*4008*); Bargilliat *Prael. iur. can n. 718.*

Inverit autem heic referre decretum S. Rit. Congregationis (*27 aug. 1822*) quod constitutione Pii VII citata

(*4 iulii 1823*) confirmatum est. Porro articuli istius decreti sunt sequentes:

« 1. Sacra peragere ritu pontificali de iure inhaeret dumtaxat episcopali dignitati.

2. Praelati, episcopo inferiores, pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatiori, statutis tantum diebus, in propriis ecclesiis ab episcopali iurisdictione exemptis; et tenentur in reliquis omnibus adamussim servare generalia decreta Alexandri VII, a Benedicto XIV confirmata.

3. In ecclesiis non exemptis vetantur iidem pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa ordinarii loci licentia.

4. Dignitates, canonici, rectores ecclesiarum quocumque nomine insignium prohibentur ritus et ceremonias pro episcopis et praelatis inferioribus designatas in sacris peragendis adhibere aut ornatum aliquem pontificalem induere, absque speciali apostolicae Sedis privilegio.

5. Quodcumque privilegium ad augendum insignium quarumdam ecclesiarum splendorem ab apostolica Sede dignitatibus, canonicis, rectoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, utpote laesivum dignitatis episcopalis, de iure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud, quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad alia, quae singillatim descripta non fuerint.

6. Nec tamen, posito privilegio, omnia omnibus aeque competunt, sed discrimine est opus inter celebrantem et assistentes cum insignibus pontificalibus.

7. Nam celebranti quaedam competere possunt pontificalia insignia; non item assistentibus, dum dignitates, canonici, rectores etc. sacra sumere debent indumenta.

8. Sub generico ornamentorum pontificalium nomine, quae ex privilegio Apostolica Sedes insignioribus capitulis quandoque concedit, intelliguntur dumtaxat, ex pluries decisis a Sacra Congregatione, caligae, sandalia, nec auro nec argento ornata, sericae item chirothecae, dalmatica, tunicella, anulus cum unica gemma, crux pectoralis sine gemma, mitra simplex ex tela alba cum sericis laciniis rubei coloris.

9. Hisce omnibus uti poterit solummodo dignitas aut rector solemniter celebrans, nisi forte privilegium non omnia haec, sed aliqua dumtaxat insignia permittat.

10. Qui vero in missa solemni diaconum et subdiaconum agunt, etiamsi sint dignitates, canonici etc., nec mitram nec ullum aliud pontificale indumentum, nec palmatoriam, si illius privilegio polleant, ad evangelium et ad epistolam adhibere poterunt.

11. Dignitatibus, canonicis, rectoribus etc. missam cum insignibus pontificalibus solemniter celebrare liceat, iis dumtaxat diebus, in quibus, celebrant vice episcopi absentis vel impediti, vel vita functi, aut in quibus episcopus assistit vel assistere deberet, cum pluviali et mitra; in reliquis diebus, etiamsi solemnibus, celebrent more solito.

12. In ecclesiis civitatis et dioece-

sis cum insignibus pontificalibus celebrare ipsis non liceat, nisi in maioribus solemnitatibus, assentiente episcopo et assistente capitulo.

13. Numquam vero iisdem utantur in missis pro defunctis, licet episcopus assistat cum pluviali et mitra, sed celebrent more solito.

14. Si dignitas vel canonicus etc. ab episcopo designetur pro admittenda aliqua puella ad religiosum habitum, vel novitia expleto tyrocinio ad solemnem professionem, pontificalibus insignibus uti nequeat, nisi de expressa licentia; qua obtenta, iis tantummodo utatur, quae actioni conveniunt.

15. Cum pontificalibus indumentis celebrans, nec faldistorio uti potest, sed sedere debet in scamno cooperto tapete vel panno coloris, qui officio diei respondeat.

16. Nequit praeterea, tam in solemni quam in missa privata, sacras vestes sumere ex altari; uti canone, palmatoria, presbytero assistente; salutare populum cum ℣ *Pax vobis*, loco ℣ *Dominus vobiscum*, aut trinam dare benedictionem post missam vel cum Sacramento; et si quae sunt alia, quae solis competunt de iure episcopis et ex privilegio praelatis inferioribus, dum his pontificalia peragere, statis diebus, concessum est.

17. Dignitates, canonici, rectores etc., quando parati assistunt episcopo pontificaliter celebranti, mitram solummodo adhibere possunt, quam pariter deferre poterunt, sacris indumentis, videlicet pluviali, casula vel dalmatica amicti, in processionibus Sanctissimi Corporis Christi, et in benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum; etiamsi has functiones peragat dignitas vel canonicus loco et vice episcopi absentis, impediti aut vita functi.

18. Assistentes episcopo tam in altari quam in cathedra, quando ministrant aut cum eo operantur, stare debent detectis capitibus.

19. Solemniter celebrantes, dum episcopus sacra assumit indumenta aut solium ascendit, stent sine mitra.

20. Non licet eis uti pulvino sub genubus, episcopo praesertim assistente.

21. Non adhibeatur acolythus ad tenendam mitram cum holoserico velo e collo pendente, nisi pro dignitate, canonico, rectore etc. solemniter celebrante, vel Sacramentum in processionibus deferente.

22. Dignitates, canonici, rectores etc. in processione ssmi Corporis Christi sacris indumentis amicti mitram manu deferant, nec eadem caput operiant.

23. Praeterea reliqua omnia, quae non sunt privilegio expressa, ut vetita censeri debent.

24. In missis privatis, quoad indumenta, ceremonias, ministros, altaris ornatum, a simplicibus sacerdotibus non differant; sumant proinde sacras vestes in secretario, non utantur cruce pectorali, unico ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo, et duo tantum candelae luceant in altari.

25. Defuncti, nequeunt in loculo efferri, nec tumulari cum mitra.

26. In eorumdem funeribus seu anniversariis, super tumulo erigi solito non apponatur mitra.

27. In insignibus seu stemmatibus familiae mitra non apponatur, nisi solo in casu, quo expresse concessum sit in literis apostolicis.

28. Quod si super praemissis aliquod exoriatur dubium, hoc ad S. Congregationem deferatur, quae pro qualitate dubii providebit.

Si quae vero capitula amplioribus ac praeter huiusce decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria haec iura in S. Congregationem perpendenda deducant, ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit opportune decernatur ». *S. R. C. 27 aug. 1822* (*2624*).

3201 **Porro.** — Quoad hanc chirurgieam operationem haec habe ex Ballerini-Palmieri (*II. 922*): « Occasione huius quaestionis quaerere licet cum Paulo Villada *Casus conscientiae part. III. pag. 267*, an licita sit operatio, quae a nomine eius inventoris itali medici vocatur « Porro ». Ea in hoc est sita ut post sectionem caesaream uterus cum eius adnexis partibus ac proinde cum ovariis auferatur. Cfr. Schröder *Lehrbuch der Geburtschülfe II^a. ed. pag. 405.* Per eam operatio caesarea multo feliciorem exitum habere dicitur, nec haemorragiae amplius sunt timendae, et vitae periculum removetur, quod probabiliter secum affert sectio caesarea, ac praeterea periculum ex nova generatione matri imminens avertitur, utpote cui generatio fit impossibilis, quia sine ovario conceptio haberi nequit. Pro resposione advertimus cum auctore citato, hane ablationem uteri cum ovariis tamquam veram castrationem ideoque, mutilationem ab ibsis medicis haberi, Quo posito. illud idem de hac operatione dicendum, ac de castratione et generatim de mutilatione dicitur. Quum ergo mutilatio licita non sit, nisi ad conservationem propriae vitae, eodem pacto et ista operatio in hunc tantum finem licita erit. Si qui vero putant castrationem identidem licere ob alios fines, puta ad suavitatem vocis obtinendam, ex qua temporalis utilitas promanat, ii consequenter permittent et ob alias proportionate graves causas, praeter conservationem vitae, usum huius operationis ». Cui loco P. Palmieri hanc adiecit notam: « Haec operatio, ait Schröder *l. c.*, cum enthusiasmo recepta fuit, quando sectio caesarea minus perfecte agebatur. Nunc vero primas concedendas esse sectioni caesareae nemo negabit ». Cfr. quoad haec etiam Antonelli *Medicina Pastoralis, Romae, 1905, I. 327.*

Porta. — Domus aliqua, in extremo 3202 limite duarum parochiarum posita, ad eum parochum pertinet, in cuius territorio porta principalis reperitur; nam ibi parochianus, ubi porta principalis. *S. C. EE. RR. 6 maii 1870*; *S. C. C. 26 iul. 1873, 12 iul. 1884*; Barbosa *de off. et. pot. episcopi all. 32. n. 71*; Ferraris *Prompta Bibl. v. « Parochia » n. 37*; Mon. eccl. *vol. XIV pag. 134.*

Portiuncula. — **De authenticitate** 3203 **istius indulgentiae.** — Indulgentia Portiunculae est plenaria quaedam indulgentia, quam S. Franciscus Assisiensis in coelesti quadam visione, mense octobri anni 1221 habita, ab ipso Christo Domino petiit, qui eum hortatus erat, ut a se aliquod peteret

beneficium pro hominum salute. Sancto Francisco hanc indulgentiam omnium peccatorum, quae sacerdoti confessi essent, pro omnibus ecclesiam Portiunculae introeuntibus petenti respondit Dominus, id sibi placere; praecepitque illi, ut eius Vicarium adiret, et ab eo suo nomine illam indulgentiam postularet. *Brev. Francisc. lect. 5 ad diem 2 aug.* Honorius III, a S. Francisco Christi nomine de hac indulgentia requisitus, eodem anno eam concessit, eamque, anno 1223, perpetuo duraturam voluit, assignans pro ea lucranda diem anniversarium dedicationis ecclesiae Portiunculae, idest diem secundam augusti a primis vesperis iuxta intentionem ipsius Christi Dni, S. Francisco in recentiore visione manifestatam. Beringer *Les indulgences I. p. 2 sect. 3. n. 24.* Huius indulgentiae authenticitatem neminem absque temeritatis nota posse in dubium revocare testatur Benedictus XIV *de Syn. lib. XIII. c. 18. n. 4 sq., et op. de in. dulgentia Portiunculae disquisitio.*

3204 **De requisitis ad hanc indulgentiam lucrandam. — In ipsa Portiunculae ecclesia.** Ad lucrandam hanc indulgentiam in ipsa Portiunculae ecclesia die 2 augusti, a primis nempe eius vesperis, nihil aliud requiri videtur praeter ecclesiae visitationem et peccatorum confessionem. Beringer *loc. cit.*

Sed praeterea notandum est, Innocentium XII (*Const.* « Redemptoris et Dni. » *27 aug. 1695*) concessisse, ut omnes Christifideles Portiunculae ecclesiam visitantes, qui vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti ibidem pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, possent hanc plenariam indulgentiam quocumque anni die lucrari.

In aliis ecclesiis; et quaenam hae sint. — 3205 Nec solum in ecclesia ipsa Portiunculae lucrari quis potest hanc indulgentiam die 2ª augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis diei illius, sed etiam in omnibus ecclesiis ordinis S. Francisci dummodo, praeter visitationem ecclesiae et peccatorum confessionem, sacra communione fuerit refectus, et oraverit pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione et ecclesiae exaltatione. *Const.* Greg. XV « Splendor paternae gloriae » *4 iul. 1622.*

Hoc intelligendum est non solum de omnibus ecclesiis et oratoriis publicis (non privatis, *S. C. Indulgent., 15 iun. 1819*) fratrum minorum capucinorum et conventualium, sed etiam de ecclesiis monialium clarissarum (*S. Congr. Indulg. 23 sept. 1741*), et fratrum seu sororum tertii ordinis, qui nempe substantialia religionis vota nuncupant (*S. C. Ind. 3 dec. 1736, 19 aug. 1747*); non vero eorum fratrum aut sororum tertii ordinis, qui substantialia religionis vota non emittunt (*S. C. Indulg. 18 sept. 1861*), multo minus congregationum tertii ordinis secularis (*S. C. Indulg. 12 dec. 1888*), nisi peculiare de hoc habeant privilegium concessum post Const. Leonis XIII « Misericors Dei Filius » *30 maii 1883.*

Excluduntur etiam per se ecclesiae

quae olim fuerunt Franciscanorum sed nunc ab aliis administrantur, imo etiamsi administrentur ad aliquo franciscano, sed independenter ab ordine. Mon. eccl. *vol. XIII. p. 423. n, 92.*

3206 Saepe romani Pontifices concessere, ut indulgentiam Portiunculae lucrari possent fideles in aliis etiam ecclesiis praeter ecclesias Franciscalium; sed generatim in his indultis (datis post annum 1878, quo huius restrictionis appositio fuit praescripta, *S. C. Indulg. 14 sept. 1904*) cautum est (et hoc ad validitatem, *S. C. Indulg. decr. nup. cit.*) ut ecclesia, cui concedebatur hoc privilegium, abesset a quacumque Franciscalium ecclesia saltem mille passus (quam distantiam respondere metris 1489 eamque desumendam esse a via communi, quae ab omnibus peragitur, non autem a parvis semitis, quae unam forte et aliam ecclesiam coniungunt, declaravit S. Congr. Indulgentiarum decr. nuper citato anni 1904). Cfr. ad exemplum indultum concessum a Leone XIII (*26 iun. 1903*) ecclesiis seu oratoriis annexis domibus Puellarum a caritate S. Vincentii a Paulo. Attamen ecclesia, quae hoc privilegium obtinuit, illud non amittit, si postea ecclesia Franciscalium propius constituatur aut restituatur. *S. Congr. Indulgent. 23 maii 1880.* Ab hac autem praescriptione distantiae aliquando pro aliquibus particularibus coetibus dispensatum est. *S. C. Indulg. in una Puellarum a caritate 28 iun. 1905.*

3207 Quoad has extraordinarias concessiones attende ea, quae nuperrime statuit S. C. S. O. *usque ad novam dispositionem valitura*, scilicet:

1° Omnes et singulae tam pro fidelibus in seculo viventibus quam pro piis communitatibus antea a S. Sede factae et iam nunc exspiratae vel in posterum exspiraturae de Portiunculae indulgentia concessiones prorogatae habeantur sine die, firmis, quoad cetera, clausulis et conditionibus praecedentis indulti, habitaque ratione quoad utile sacris visitationibus peragendi tempus, novissimis huius eiusdem supremae S. Congregationis decreti diei 26 ianuarii anni currentis (idest a meridie diei praecedentis).

2° Quod ad novas concessiones tam pro fidelibus in seculo viventibus quam pro piis communitatibus providendum pariter sine die committitur respectivis ordinariis cum facultatibus necessariis et opportunis, salvis tamen clausulis et conditionibus motu-proprio die 11 iunii anni elapsi praescriptis.

3° Item demum respectivis ordinariis prorogatur sine die facultas praefato motu-proprio superiore anno eisdem concessa, statuendi ad supradictam indulgentiam lucrandam, loco diei secundae augusti, dominicam proxime insequentem « servatis clausulis et conditionibus ibidem appositis ». *S. U. I. 26 maii 1911.*

Motu-proprio autem, de quo in hoc 3208
decreto sermo est, datum fuit occasione septimi ab instituto Fratrum Minorum ordine seculi exspirantis. Est autem sequens:

« Sacris solemniis ob septem ab instituto amplissimo Fratrum Minorum ordine revoluta secula iam ad finem feliciter vertentibus, ut tam fausti eventus iugis memoria perseveret ac

fructus piis fidelium votis pro faciliori *Portiunculae*, quam vocant, indulgentiae consecutione ex animo obsecundantes, quae sequuntur, motu-proprio atque ex certa scientia suprema Nostra apostolica auctoritate statuimus ac decernimus:

Firmis, scilicet, de memorata indulgentia antea quomodocumque factis, quae nondum exspiraverint, concessionibus, facultatem facimus omnibus et singulis locorum ordinariis unam aut plures, pro rei opportunitate, in quovis propriae ditionis loco ecclesias aut publica vel semipublica oratoria designandi, ubi fideles, rite confessi et sacra synaxi refecti ac devote iuxta nostram intentionem orantes, a vesperis diei primae ad solis occasum diei secundae mensis augusti anni currentis, *toties quoties* ea visitaverint, haud secus ac si aliquam ordinis Minorum ecclesiam visitassent, *indulgentiam plenariam*, animabus etiam quas purgatorius ignis emundat, applicabilem, lucrari possint ac valeant.

Hanc vero eamdem indulgentiam, iisdem sub conditionibus eademque ratione lucrifieri posse concedimus a fidelibus utriusque sexus communem vitam agentibus qui propriam ecclesiam vel, si careant, proprium domesticum oratorium, ubi Ssma Eucharistia asservatur, ut supra, visitaverint.

Ne cui demum praestantissimo hoc spirituali beneficio, ob peculiaria fortassis rerum adiuncta, fruendi copia desit, benigne indulgemus iisdem locorum ordinariis ut ad supradictam indulgentiam lucrandam statuere possint tam pro in seculo quam pro piis in communitatibus viventibus fidelibus loco diei secundae augusti, Dominicam proxime insequentem, a vesperis sabbati ad solis occasum ipsius Dominicae, hac tamen sub lege ut nequeat quis eadem concessione bis frui.

Optamus autem vehementer ac summopere commendamus ut in ecclesiis oratoriisve, ut supra, designatis, die ad indulgentiam lucrandam statuta speciales publicae ad Deum supplicationes pro Summo Pontifice, ministris sanctuarii universaque militanti Ecclesia peragantur, eaeque, praemissa invocatione seraphici Patriarchae ac litaniis Sanctorum, benedictione Eucharistica absolvantur.

Ita volumus, decernimus, sancimus, mandantes ad quos spectat ut ad fidelium notitiam haec omnia tempestive deducenda curent.

Praesentibus hoc anno et occasione tantum valituris. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX iunii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo. — Pius PP. X.

De hac indulgentia animabus purgatorii applicabili. — Praeterea Innocentius XI (*const.* Alias fel. record. » *12 iun. 1678*) concessit, ut omnes Christifideles, qui die 2 augusti, vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, in ecclesiis supradictis ad praedictas intentiones oraverint, possent huiusmodi indulgentiam animabus purgatorii per modum suffragii applicare. 3201

Quoties haec indulgentia lucrari 3211

possit, et quaenam conditiones requirantur pro confessione et communione praescriptis. — Notandum est etiam, hanc indulgentiam die secunda augusti lucrari posse pluries in die; idest toties quoties quis cum intentione eam lucrandi praescripta opera impleverit (*S. C. Indulg. 22 febr 1847*); neque necesse est, ut communio fiat in ipsis Franciscalium ecclesiis (*S. C. Indulg. 12 iul. 1847*), et fieri etiam potest (quod et de confessione dicendum est) in pervigilio, idest die prima augusti (cfr. *decr. gen. S. C. Indulg. 6 oct. 1870*; Beringer *loc. cit.*), imo etiam 30 iulii, nimirum die immediate praecedente pervigilium diei, quo a primis vesperis datur perfrui indulgentia de Portiuncula. *S. C. Indulg. 14 iul. 1894.* Qui singulis hebdomadibus confessionem solent peragere, non tenentur, ad lucrandam indulgentiam Portiunculae, eam iterare die prima vel secunda augusti. Beringer *loc. cit.* Vid. *Indulgentia.*

In dominio Austriaco privilegium est, ut indulgentia Portiunculae acquiri possit a Christifidelibus prima Dominica post diem 2^am^ augusti. Instante autem P. Ministro provinciae reformatae S. Leopoldi in Tyrolo septentrionali indulsit S. Congr. Indulgentiarum, ut concessio facta omnibus Christifidelibus anticipandi confessionem die immediate praecedente pervigilium pervigilii, seu die 30 iulii, valeret etiam pro locis, ubi indulgentia de Portiuncula transfertur ad insequentem dominicam, ita ut inibi confessio peragi possit etiam feria 5^a^. ante praefatam dominicam. *S. C. Indulg. 20 iul. 1896.*

De hac indulgentia in anno iubilaei. — Haec indulgentia pro die secunda augusti in ecclesia S. Mariae Angelorum prope Assisium per annum sanctum non suspenditur (*Const. cit.* Inn. X. *5 iul. 1650*; Clem. X. *12 nov. 1674*; Innoc. XII. *21 aug. 1699*); sed in aliis omnibus ecclesiis suspenditur. Ferraris *Prompt. biblioth. v.* « *Indulgentia* » *art. 5. n. 56.* 3211

Vaddings Annales ordinum Minorum (vide ann. 1221-23; 1267-77); *Grouwels* Hist. crit. s. indulgentiae B. Mariae Angelorum vulgo de Portiuncula; *Benedictus XIV* De synodo dioec. lib. XIII. c. 18; *Benedictus XIV* Disquisitio de indulgentia Portiunculae; *Suyskenus* De indulgentia Portiunculae; *Papini* Storia del perdono d'Assisi; *Sabatier P.* Un nouveau chapitre de la vie de St. François; *Sabatier P.* Etude critique sur la concession de l'indulgence de la Portiuncule; *Paulus N.* Ueber die Bewilligung d. Portiunkula-Ablasses; *Sabatier P.* Francisci Bartholi de Assisio tract. de indulgentia S. Mariae de Portiuncula; *Van Ortroy* Note sur l'indulgence de la Portiuncule; *Beringer* Les indulgences, tom. 1 pag. 583; *Kirsch P. A.* Der Portiunkula-Ablass; *Lemmens L.* Die älteste Zeugnisse f. d. Portiunkula-Ablass; *Holzapfel* Die Entstehung d. Portiuncula-Ablasses.

Possessio. — Possessio proprie est rei corporalis detentio (D'Ann. *II. 118*); quare non in iure sed in facto consistit (*l. 1. § 3 de acquir. vel amitt. posses. D.* ([*XLI. 2*])); quamvis et huic facto sua iura sint. Iura autem, quippe quae non sunt corporalia, quasi possideri, non possideri dicuntur. *arg. l. 3 tit. cit. D.* (*XLI. 2*). 3212

Latius, praesertim a recentioribus, possessio dicitur: rei iurisve detentio vel usus animo domini, idest inten-

tione eam quasi suam detinendi. *C. It. a. 685; C. G. a. 2228.*

Dividitur in legitimam et illegitimam; illa est, qua quis rem possidet non vi (*C. It. a. 689*), non clam ab adversario suo (*l. 6 tit. cit. D.* [*XLI. 2*]), et pacifice (*C. It. a. 686; C. G. a. 2229*); secus illegitima habetur. Possessio iniusta ordinarie opponi nequit adversus eum, relate ad quem est iniusta; at adversus extraneos prodesse potest. *l. 53 tit. cit. D.* (*XLI. 2*).

Dividitur etiam praeterea in possessionem bonae fidei et malae fidei. De his vide *Possessor*.

Quoad beneficia ecclesiastica possessio est beneficii detentio cum affectu exercendi illius officium, et proprio nomine bona administrandi iisque utendi. Possessio acquiri etiam potest per procuratorem (*c. 24 de praebendis etc. X.* [*III. 5*]) constitutum cum speciali mandato. *arg. c. 17 de prueb. etc.* (*III. 4*) *in 6°*; Santi *in tit. 7. l. III Decr. n. 28.* Modus vero hic est: si possessio vacua non sit, expellendus est ante omnia per remedia iuris actualis possessor (*c. 28 de praebendis etc. [III. 4] in 6°*; Schmalzgrueber *in tit. 7 lib. III Decr. n. 50*); per ritum aliquem determinatum beneficiatus in beneficium immittitur. Schmalzgrueber *l. c. n. 52*; Aichner *Comp. iuris eccl. § 82. n. 2.*

Ex dictis patet, satis non esse aliquem beneficium obtinuisse ut ex eo percipiat fructus eosque suos faciat, sed necesse praeterea est ut beneficii possessionem assequatur. Cfr. *S. C. C. 9 maii 1874 apud Mühlbauer. Th. res. S. C. C. vol. III. p. 183 sqq. v.* « *Canonicatus* ». Vid. *Beneficiatus.*

Effectus possessionis sunt: adeptio pleni iuris in beneficio (De Luca Mar. *Prael. iur. can. lib. de reb. eccl. n. 343*), praesumptio tituli (*arg. c. 24 de elect. X.* [*I. 6*]; Schmalzgrueber *l. c. n. 59*); ut fiat melior in pari causa conditio possidentis (De Luca Mar. *loc. cit.*); vacatio beneficii incompatibilis prius possessi (*c. 28 de praebend. etc. X III. 5*]; *cc. 3. 6 eiusdem tit.* [*III. 2*] *in Clem.*); beneficium de annali possessore iuxta regulam 35 Cancellariae, quod in hoc consistit, ut, qui per annum pacifice possederit beneficium, nequeat, nisi sub certis conditionibus, repelli; beneficium de triennali possessore iuxta regulam 36 Cancellariae, quod reducitur ad praescriptionem tituli. Vid. *Beneficiatus.*

Tit. de causa possessionis et proprietatis X. (II. 12); idem tit. (II. 3) in Clem.; *Menochius I.* In omnes praecipuas recuperandae possessionis constitutiones commentaria; *De Mattheis A.* Tract. de causa possessionis et proprietatis; *Medices S.* Tr. de amittenda acquirenda et conservanda possessione; *Menochius I.* De adipiscenda et retinenda possessione amplissima et doctissima commentaria; *Ricciardi P.* Tr. de bonorum possessionibus, de legatis etc.; *Borcholten I.* Comm. in tit. pandectarum de acquirenda vel amittenda possessione; *Marillianus H.* Tract. de iure possessionis et dominii etc.; *Lurii I.* Tract. de bonorum possessionibus; *Hegenitii P.* Tract. de possessione; *Frideri P.* Tract. de causa et materia possessionis; *Biccii G.* Tract. de possessione duorum pluriumve unius eiusdemque rei; *Argelius C.* De acquirenda possessione tractatus; *Hahn H.* Tract. de iure possessionis; *Abruscii N. I.* Fax gemina, quarum altera ad possessionis seu possessorii, altera ad proprietatis seu petitorii leges illuminandas

accenditur; *Kruger I.* De compossessione; *Selle G.* De instrumentali possessione; *Pothier* Traité de la possession et de la prescription; *Westphal* System des röm. Rechts über die Arten den Sachen, Besitz u. s. w.; *Cuperi A. I.* Observat. selectae de natura possessionis; *Cuiacii* Recitat. ad Dig. et Cod. h. t. (in Opera omn. tom. 8 9); *Donelli* Comm. iur. civilis lib. 5 cap. 6 13; *Thibaut* Ueber Besitz und Verjährung; *Lange J. C.* Phil.-jurist. Abhandl. über die Natur des Besitzes; *Hufeland G.* Neue Darstellung der Rechtslehre vom Besitz; *Zachariae T. M.* Neue Revision der Theorie des Röm. Rechts vom Besitze mit besonderer Rücksicht auf v. Savigny's Recht des Besitzes; *Dubus L. E.* De possessione ex iure romano; *Warnkönig L. A.* Analyse du traité de la possession par M. de Savigny; *Lerminier* De possessione analytica Savignia nae doctrinae expositio; *Aulanier* Traité des actions possessoires; *v. Tigerström* Die bonae fidei possessio oder das Recht des Besitzes; *v. Saviguy* Das Recht des Besitzes; *Köppe* Zur Lehre vom Besitz; *Pfeifer K.* Was ist und gilt in Röm. Rechte der Besitz? Eine Abhandl. gerichtet gegen die v. Savigny'sche Doctrin über das Recht des Besitzes; *Caron* Principes ou traité des actions possessoires; *Curasson* Traité des actions possessoires et du bornage; *Belime W.* Traité de la possession; *Bruns C. G.* Das Recht des Besitzes im Mittelalter und in der Gegenwart; *Alauzet* Histoire de la possession et des actions possessoires en droit français; *De Parieu* Etudes historiques et pratiques sur les actions possessoires; *Garnier X.* Traité de la possession et des actions possessoires; *Miroy* Théorie des actions possessoires; *Zielonacki* Der Besitz nach d. röm. Recht; *Lenz G.* Das Recht des Besitzes; *Bioche* Traité des actions possessoires; *Wodon L.* Traité théorique et pratique de la possession; *Glasson E.* De la bonorum possessio établie par l'édit carbonien; *Barinetti* Del possesso e della proprietà secondo le fonti del diritto romano; *Van Wetter* Traité de la possession en droit romain; *Biondi* Principi i elementari sul possesso e sulle azioni possessorie; *Dupont P.* Traité théorique et pratique des actions possessoires; *Appleton C.* De la possession et des actions possessoires; *Alibrandi* Teoria del possesso secondo il diritto romano; *Molitor J. P.* La possession, la revendication etc; *Leligois* Actions possessoires; *Milone* Il possesso delle cose e dei diritti e le azioni che ne derivano secondo le romane e le moderne leggi; con un' appendice del possessorio e del petitorio; *Liebe* Der Besitz als Recht in thesi; *Meischeider* Besitz und Besitzschutz. Studien über alte Probleme; *Mendthal* Begriff d. Besitzes; *Tartufari A.* Del possesso qual titolo di diritto; *Cimbali E.* Del possesso per acquistare i frutti; *Bekker* Das Recht des Besitzes bei den Römern; *Kuntze* Zur Besitzlehre für u. wieder Rudolf v. Jhering; *Seitz* Das heut. Besitzrecht in sein. Unabhändigkeit v. d. röm. possessio; *Bourcart* Etude historique et pratique sur les actions possessoires; *Ruggieri* Il possesso e gli istituti di diritto prossimi ad esso; *Gans* Ueber die Grundlage des Besitzes; *Kindel* Die Grundlagen d. röm. Besitzrechts; *Dernburg* Entwickelung u. Begriff d. iuristischen Besitzen d. röm Rechts; *Seitz* Geschichte d. röm. possessio; *Dalman y Olivart* La possessión. Su noción en el derecho abstracto. Apuntes y fragmentos de una nueva teoria possessoria; *Tartufari A.* Degli effetti del possesso; *Tartufari A.* Della acquisizione e della perdita del possesso; *Perozzi* Il possesso di parti di cosa; *Kelleher* Possession in the civil law, abridged from the Treatiss of Savigny to wich is added the Text of the Title on possession from the Digest; *Russomanno* Del diritto di possesso nel giure romano; *Rascio* Sistema positivo del diritto di possesso e proprietà con la critica delle opinioni dei dottori,

leggi romane e codice patrio; *Pollock* Essay on possession in the common law; *Segrè G.* Sulla natura del compossesso in diritto romano; *Lomonaco G.* Della distinzione dei beni e del possesso; *Jhering* Du rôle de la volonté dans la possession; *Bekker* Zum Reforme d. Besitzrechts; *Schuppe* Das Recht des Besitzes; *Cuq* Recherches sur la possession à Rome sous la république et aux premiers siècles de l'Empire; *Scillamà* Sistema generale del possesso nel diritto moderno civile esposto in rapporto alla dottrina, alla storia, alla legislazione patria e comparata, ed alla giurisprudenza; *Vermond* Théorie générale de la possession en droit rom.; *De Cillis* Sul concetto del possesso nel dir. romano; *Ravail* De l'objet de la possession; essai sur le droit romain, l'ancien droit français et le droit actuel; *Rascio* Il possesso nel diritto romano. Evoluzione e ricostruzione; *Raviart E.* Traité des actions possessoires.

3213 **Possessor.** — **De possessore bonae fidei.** — Possessor bonae fidei est ille, qui invincibiliter ignorat rem a se possessam esse alienam, licet erret in iure vel careat vero titulo, dummodo habeat titulum putativum. G. B. *I. 635.*

Ignorantia cessante, tenetur rem adhuc exstantem in toto, vel in parte, vel in emolumento, domino restituere (B. P. *III. 415*); si vero durante bona fide rem alienam consumpserit etc., modo ditior inde non evaserit, ad nihil tenetur. B. P. *III. 416.* Cfr. circa hoc causam Albien. seu Agenen. agitatatam apud *S. C. EE. RR. 5 iul. 1905; 12 ian. 1906.*

Hinc generali regula, si res amplius non exstat, ut si eam possessor bonae fidei alteri donaverit vel vendiderit, in tantum tenebitur, in quantum ditior factus est; quod aestimandum est eo tempore, quo facienda est restitutio. B. P. *III. 415.* Quare si res iam periit, quando eam restituere deberet, non videbitur factus ditior. B. P. *III. 416.* In casu donationis existimandus est ditior factus in tantum, in quantum alias donaturus fuisset de suo. Busembaum *Th. mor. tr. 8. p. 2. c. n. 74.*

Quoad fructus, quos durante bona fide percepit, iure naturali tenetur restituere fructus omnes, industrialibus exceptis, et deductis expensis. B. P. *loc. cit. n. 421.* Iure italico, omnes fructus, quicumque sint, assignantur possessori bonae fidei, iis exceptis, quos obtinuit, postquam res in iudicio petita fuit. *C. C. a 703.* Huic consonat ius gallicum, quod omnes fructus, quicumque illi sint, assignat possessori bonae fidei, modo rem ipsam possideat ut proprietarius et ex titulo, qui ex natura sua dominium transferre valeat. *C. C. aa. 549. 550.*

De possessore malae fidei. — Pos- 3214
sessor malae fidei est ille, qui cognoscit rem, quam accipit aut possidet, non esse suam. G. B. *I. 645.* Tenetur autem restituere rem ipsam in individuo, si exsistit, secus in aequivalenti (B. P. *III. 432*); et si res deterior sit facta vel interierit, licet casu, ipse semper de re tenetur, quam male possidet vel possidebat, dummodo, si res non ablata vel restituta fuisset, non fuisset certo apud dominum facta deterior vel non fuisset interitura. B. P. *III. 435. sq.* Quare extra hunc casum debet restituere pretium rei et simul compensare damnum, si quod domino intulit. B. P. *III. 432 sq.*

Debet praeterea restituere id omne, in quo factus est ditior, idest fructus omnes, exceptis fructibus mere industrialibus, et non solum eos, quos percepit, sed eos, quos dominus fuisset percepturus, si privatus non fuisset rei possessione, ipse autem non percepit. Laymann *Th. mor. lib. III. tr. 2. c. 4, n. 6;* Covarruvias *Reg. Peccatum Relectio § 6. n. 4.* Datur tamen locus compensationi, si quando aliquos percepit, quos dominus non percepisset; aliquos non percepit quos percepisset dominus. Fur, apud quem res furtiva periit, semper tenetur ad restitutionem (Cfr. D' Ann. *II. 258*; *c. 2 de deposito X.* [*III. 16*]), excepto casu, quo res ex vitio intrinseco perierit (B. P. *III. 435;* Laymann *Th. mor. lib. III. tr. 2 c. 4. n. 2*); quamvis et tunc, iure italico, teneatur ad restitutionem, licet, quum haec possit considerari ut lex poenalis, non videatur obligare ante sententiam iudicis. *C. C. a. 1298.*

Qui se pauperem fingit, tenetur reddere eleemosynam acceptam; non tamen pauper malus, qui se bonum et probum finxit. Cfr. S. Alph. *III. 622.*

215 **De possessore dubiae fidei.** — Possessor dubiae fidei serio inquirere tenetur (B. P. *III. 439*); si inquisitione facta dubium perseverat, rem retinere potest, si eius possessionem inierat nihil dubitans; secus ex communiori sententia res est restituenda priori domino, saltem pro rata dubii (G. B. *I. 652;* S. Alph. *III. 625*); sed D'Annibale (*II. 121*) hoc admittit quidem, quum de ipsa possessione controvertitur; at valde probabiliter in dubium revocat, quum quaestio seu dubium versatur circa proprietatem. Bona enim vel mala fides possessoris nihil addit vel minuit iuri domini, quod est aliquid obiectivum. Si igitur possessor bonae fidei potest dubio superveniente rem sibi retinere, quia « in dubio melior est conditio possidentis », curnam id non valebit, si mala fides mutetur in dubium, pro possessore malae fidei, qui etiam hanc regulam sequi potest, et, si rem ab alio acceperit, aliam regulam « in dubio standum est pro valore actus »? Si non inquirit, post dubii initium, tractandus est ut possessor malae fidei. Lessius *de iust. et iure l. II. c. 14. n. 23.* Inquisitione vero facta et perseverante dubio, si bona fide incepit possidere, praescribere potest. G. B. *I. 655.*

Postulatio. — **De eius natura.** — 3216
Definitur: Capituli (seu collegii electorum) petitio destinata superiori, ut ad praelaturam ecclesiasticam dispensative dignetur admittere illum, qui ob aliquod canonicum impedimentum eligi non potest. Schmalzgrueber *in tit. 5 lib. I Decr. n. 1.*

In quo postulatio cum electione conveniat, et in quo discrepet. — 3217
Postulatio convenit cum electione in scopo; utraque enim est modus iuridicus designandi pastorem pro ecclesia viduata.

Differt vero:

a) origine et natura, quia supponit impedimentum, et est medium extraordinarium;

b) perficiendi modo, quia in concursu cum electione duplo maiorem suffragiorum numerum requirit, nec admittit consensum postulati (cfr. *c. 40 de elect. etc. X.* [*I. 6*]);

c) effectu, quia admittit variationem antequam praesentetur superiori, imo cum istius consensu etiam post praesentationem(Schmalzgrueber *loc. cit. n. 21*); nullum dat ius nec actionem postulato, dum electio dat electo ius ad rem (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 1*); innititur gratiae, non iustitiae, et ideo a superiore admitti dicitur postulatio, electio autem confirmari (Schmalzgrueber *loc. nuper. cit.*);

d) expensis, quum postulatio obtinenda sit expensis postulantium; contra electus suis sumptibus de iure communi tenetur procurare confirmationem. Reiffenstuel *in tit. 5 lib. I Decr. n. 26.*

Quare si aliquando postulatio a superiore debet admitti, ipso iure sic disponente, ob publicam causam, haec dispositio procedit ex ecclesiae necessitate et non in gratiam postulati, quatenus aliquod ius acquisierit.

3218 **De duplici postulationis specie.** — Postulatio alia est solemnis, seu proprie dicta, quam superius definivimus; alia est non solemnis, quae tunc habetur, quum exposcitur solummodo licentia et consensus superioris postulati, qui ea indiget, ut possit assumi. Sic accidit in religiosis; sic etiam in cardinalibus non episcopis, qui egent licentia Pontificis, ut curiam deserant. Reiffenstuel *loc. cit. n. 46.*

3219 **De postulatione solemni. — Quinam facienda sit.** — Postulatio proprie dicta seu solemnis fieri debet romano pontifici, quum importet relaxationem iuris communis; extraordinarie admitti potest ab immediato superiore, si nempe is gaudeat privilegio speciali, vel ob consuetudinem legitime praescriptam. Schmalzgr. *loc. cit. n. 13.*

Quinam postulare possunt. — Postulare 3220
autem possunt omnes, qui possunt eligere; imo, praescripto iure eligendi, praescriptum censetur etiam ius postulandi. Reiffenstuel *l. c. n. 27*; Schmalzgr. *loc. cit. n. 12.*

Postulatio capitularibus easdem obligationes imponit, quas electio; ac proinde scienter indignum (personam impostulabilem) postulantes ius electionis pro ea vice amittunt. Schmalzg. *loc. cit. n. 15.*

Quinam possunt postulari. — Postulari 3221
vero possunt, qui nequeunt eligi et possunt simul promoveri ad praelaturam. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 6.* Hinc impostulabiles sunt, qui iure naturali aut divino sunt inhabiles, ut criminosi, haeretici, schismatici, falsarii, simoniaci, violatores interdicti, episcopus qui ob crimen in monasterium detrusus est, infames ratione delicti; natura inepti ceu prorsus rudes, corpore enormiter vitiati, epileptici; bigami et ex damnato coitu procreati; religiosus de mendicantibus, si agatur de ecclesia seculari cathedrali inferiore vel regulari non sui ordinis, iuniores 27 annis expletis. Schmalzgr. *loc. cit. n. 7*; Reiffenstuel *loc. cit. n. 31 sqq.*

De impedimentis, in quibus dispensari 3222
solet. — Impedimenta, in quibus dispensari solet, sunt: defectus natalium in progenitis ex simplici fornicatione, defectus aetatis si quis expleverit 27^{um} annum aetatis et non attigerit 31^{um}, defectus praescripti ordinis (eligendus enim saltem per sex menses fuisse debet in ordine sacro),

vinculum cum alia ecclesia. Ligatur autem etiam episcopus confirmatus et nondum consecratus, et episcopus titularis. Schmalzgr. *loc. cit. n. 7 sqq.*; Reiffenstuel *l. c. n. 34 sqq.*

3223 **De modo postulationis faciendae.** — Vota quaecumque conditionata vel alternativa non admittuntur, sed etiam heic pars suffragiorum absolute maior rem conficit, nisi forte, ut supra diximus, cum postulato alter contendit, qui ius habet, ut eligatur; quo in casu ille duabus tertiis votorum partibus opus habet. In postulatione autem non est absolute necessaria forma scrutinii, sed tutior est ad cavendas lites. Schmalzgr. *loc. cit. n. 19 sq.*

In forma postulationis maxime cavendum est, ut ab electione secernatur. Quare, si una eademque scheda proferatur suffragium ad eligendum et postulandum, neutrum valet. Hinc ceu nullius effectus reiiciuntur formulae « eligo postulando » vel « postulo eligendo ». Imo neque haec « postulo et eligo, prout potest melius de iure valere », nisi sit casus probabilis dubii de habilitate personae, habetur ut valida. *c. un. de postul. praelat.* (*I. 5*) *in 6°;* Santi *in h. t. n.12*; Reiffenstuel *loc. cit. n. 63 sqq.* Hoc in casu habita notitia electus vel postulatus debet declarare, utrum viam electionis an viam postulationis malit, et, una electa, ad aliam transire nequit. *c. un. nuper cit.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 65.*

Bibliographiam quaere sub *Electio.*

Potus. — Id, quod ex communi usu sumitur per modum potus, non frangit ieiunium ecclesiasticum, ut vinum, cafaeum, thea, aliaque his similia. *Ne potus noceat*, semel aut iterum, frustulum panis, aut aliquid cibi sumere die ieiunii licet. Vid. *Ieiunium.*

Praecedentia. — **Regula generalis** 3225 **quoad maiores praelatos.** — Prae aliis omnibus patriarchis, archiepiscopis etc. praecedentia debetur S. R. E. cardinalibus, nec non post cardinales quatuor praelatis curiae romanae, qui dicti sunt « *di fiocchetto* », et sunt vice-camerarius S. R. E., auditor camerae apostolicae, thesaurarius eiusdem camerae et praepositus s. palatii (*Maggiordomo*). Patriarchis, archiepiscopis etc. praecedentia danda est prae omnibus aliis, ita ut episcopum archiepiscopus, archiepiscopum primas vel patriarcha praecedat; et haec praecedentia servatur, etiamsi ageretur de patriarcha vel archiepiscopo titulari prae archiepiscopo vel episcopo residentiali. *S. R. C. in Pragen. 29 ian. 1656* (*999*); *in Ephesina 8 apr. 1656* (*1006*); *in Pragen. 1 dec. 1657* (*1045*).

De praecedentia inter episcopos. 3226 — Episcopus dioecesanus in sua ecclesia vel dioecesi in functionibus episcopalibus praeferendus est omnibus aliis episcopis, archiepiscopis et patriarchis, suo metropolitano excepto. *S. R. C. in Barcinonen. 10 ian. 1609* (*268*); *decr. cit. 8 apr. 1656.*

Excepto hoc casu, episcopus antiquior, idest prius electus seu in consistorio propositus et confirmatus, praecedit recentiorem (*S. R. C. in Segobricen. 21 mart. 1609* [*270*]; *in Terulen. 20 nov. 1677* [*1606*]; *in Iaren. 15 apr. 1904*); et in hoc non attenditur diversitas ritus, ita ut epi-

scopus orientalis praecedere debeat episcopis latinis, qui post ipsum ad dignitatem episcopalem evecti sunt (*S. C. P. F. 30 maii 1629*); at semper episcopus consecratus praefertur alteri, qui nondum est consecratus, etiamsi hic prius promotus fuerit. De Herdt *Cer. episc. I. 108.*

3227 **De praecedentia inter episcopos assistentes solio pontificio.** — Nota, inter episcopos assistentes solio pontificio, quoties sacris functionibus collegialiter intersunt, firmo exstante praelationis iure archiepiscoporum supra episcopos, ius praecedentiae inter aequales a vocatione ad assistentiam, non autem a promotione ad episcopatum, esse repetendum. *S. C. R. in una Urbis 7 sept. 1816* (*2571*).

3228 **De praecedentia episcoporum in conciliis provincialibus.** — In conciliis provincialibus praecedentia episcoporum statuenda est iuxta tempus promotionis (idest a die decreti consistorialis super expeditione ecclesiae, *S. R. C. in una regni Sardiniae 2. mart. 1641* [*734*]), non autem secundum dignitatem ecclesiarum. *S. C. C. 9 apr. 1596*; *S. R. C. decr. cit. 21 martii 1609.*

Attamen episcopus mere titularis nec votum habet decisivum in synodo provinciali, nisi omnes et singuli episcopi consentiant, nec supra ceteros gaudet praecedentia, licet consecrationem ante susceperit. *S. C. C. in Aquen. 24 aug. 1850.*

In *conferentiis* episcopalibus, quae nunc saepe locum quasi tenent synodorum provincialium, praecedentia et proinde praesidentia ei debetur, qui aliis gradu vel antiquitate in ecclesiastica hierarchia praeest. *S. C. EE. RR. 24 aug. 1889, 22 iul. 1898.* Pariter in conferentiis vicariorum apostolicorum, nisi aliter statutum sit, praecedentia et praesidentia spectat ad eum, qui antiquior est in munere vicarii apostolici, non autem ad eum, qui prius consecratus est. *S. C. C. in una vic. Africae merid. 14 mart. 1909.*

3229 **De praecedentia episcoporum prae quacumque inferiore dignitate.** — Non obstat, quod episcopus sit tantummodo titularis ad hoc ut praecedat ceteris omnibus dignitatibus episcopali inferioribus. *S. R. C. in Leodien. 1 dec. 1657* (*1046*), *13 iul. 1658* (*1075*).

3230 **De praecedentia vicarii generalis.** — Vicarius generalis tam intra quam extra ecclesiam canonicis praecedit, nisi sit canonicus et habitu canonicali indutus; numquam vero praecedit canonicis indutis vestibus sacris. *S. R. C. in Melphiten. 12 iul. 1628* (*469*); *in Interamnen. 20 iun. 1629* (*510*).

3231 **De praecedentia capitulorum et canonicorum.** — Capitulum ecclesiae cathedralis praecedit aliis capitulis collegiatis omnibusque clericis, etiam parochis (*S. R. C. in Sutrina 28 apr. 1703 ad 2* [*2112*]); at canonici ecclesiae cathedralis, ut singuli, parochis non praecedunt (*S. R. C. in Turritana 9 dec. 1634* [*616*]; *in Policastr. 12 sept. 1716 ad 2* [*2239*]), nisi forte (et tunc etiam canonicus honorarius) canonicus aliquis episcopum suum comitetur, quia tunc non incedit ut persona privata, sed unum videtur facere cum episcopo. De Herdt *Cer. episc. I. 109.*

Attamen nota, scriptorem ephemeridis, cui titulus « Monitore ecclesia-

stico » (*vol. XIII pag. 423. n. 91*) hanc exceptionem non admittere, quum haec assertio De Herdt fundaretur super quodam decreto S. Congregat. Rituum in Gratianopolitana 19 maii 1838, quod in ultima authentica editione decretorum eiusdem S. Congregationis expunctum est. Et sententia Monitore est certe valde probabilis.

In ecclesiis autem collegiatis et cathedralibus, ubi praebendae non sunt distinctae, canonici vel etiam beneficiati sacerdotes in omnibus praecedentiam habent supra canonicos, vel beneficiatos, qui sacerdotali charactere non sunt insigniti, quamvis in possessione antiquiores. Haec autem praecedentia retinenda est etiam postquam praefati canonici aut beneficiati ad sacerdotalem gradum ascenderint. Hoc autem, quod de canonicis et beneficiatis presbyteris super alios canonicos aut beneficiatos in inferiori ordine constitutos statutum est, intelligendum est etiam de canonicis diaconis supra subdiaconos, de subdiaconis supra reliquos clericos, dummodo non obstet consuetudo contraria aut constitutiones capitulares. *S. R. C. dec. gen. 12 iul. 1892* (*3783*).

In ecclesiis autem, in quibus sunt distinctae praebendae, canonici ordinis presbyteralis nondum sacerdotes praecedunt canonicis ordinis diaconalis aut subdiaconalis etiam sacerdotibus; imo etiam coadiutor canonici ordinis presbyteralis in minoribus tantum ordinibus constitutus canonicis diaconis et subdiaconis, etsi sacerdotibus, praecedere debet. *S. R. C. in Aesina 31 maii 1670* (*1398*). Et hoc, ut per se patet, valet etiam quum canonici, diaconali ex. gr. praebenda gaudentes, sint possessione anteriores canonicis ordinis presbyteralis. *S. R. C. in una S. Miniati 3 iun. 1662* (*1237*).

Canonicus, qui transit ab uno in alium in eadem ecclesia canonicatum, primum locum amittit, et ultimum occupare debet, nisi aliud ex consensu capituli vel indulto apostolico indulgeatur. De Herdt *Praxis capitularis c. VII. §. 10; S. C. C. in Urgellen. 22 iun. 1901, 31 maii 1902.*

Praecedentia autem debetur capitulo ecclesiae cathedralis prae aliis etiam capitulis ecclesiarum collegiatarum non solum in ipsa ecclesia cathedrali, sed etiam in ipsis ecclesiis collegiatis supra canonicos illius ecclesiae. *S. R. C. in Iustinopolitana 7 maii 1639* (*676*).

Multo autem magis haec praecedentia debetur capitulo ecclesiae cathedralis supra magistratum secularem alicuius civitatis. *S. R. C. in Capuana 23 ian. 1700 ad I* (*2045*).

Tres autem canonici repraesentates capitulum, quando ex. gr. associant aliquod funus, habent praecedentiam. *S. R. C. in Vicentina 23 maii 1639* (*681*).

Capitulum et canonici collegiatae supra parochum et clerum matricis ecclesiae in omnibus praecedentiam habent. *S. R. C. in una montis Reg. 4 aug. 1657* (*1034*).

De praecedentia protonotariorum apostolicorum. — Protonotarii apostolici ad instar, induti habitu praelatitio, quoscumque clericos presbyteros et canonicos singillatim sumptos, nec non praelatos superiores ordinum 3232

regularium, quibus pontificalium privilegium non competit, praecedunt; minime vero vicarios generales vel capitulares, canonicos collegialiter unitos et abbates. Pius IX *quarto kal. sept. 1872.* Vid. *Protonotari*).

De praecedentia parochorum. — Parochi in propria ecclesia habent praecedentiam supra alios omnes sacerdotes, etiam supra dignitatem cathedralis, maxime quando haec accedit ut privata persona. *S. R. C. in Caputaquen. 6 oct. 1640* (*723*).

Imo si parochi omnes alicuius civitatis in aliquam ecclesiam simul conveniunt, gaudent praecedentia supra alios sacerdotes. *S. R. C. in Messanen. 24 febr. 1680 ad 1* (*1643*).

Parochus alicuius ecclesiae collegiatae, qui non sit canonicus, in choro et in processionibus debet habere praecedentiam supra simplices sacerdotes, at numquam debet sedere et incedere inter canonicos et mansionarios ecclesiae. *S. R. C. in Drepanen. 5 iul. 1871 ad 3* (*3251*).

Praecedentia parochorum inter se deducenda est non ex antiquitate (*antianitate*) ordinis, sed ex praerogativa ecclesiae parochialis. *S. R. C. in Sypontina 23 nov. 1675 ad I* (*1551*); *in Monopolitana 21 mart. 1676 ad 2* (*1565*). Si autem adsit consuetudo, quod praecedentia desumatur ex parochorum antiquitate in munere parochiali, ea servanda est, et tunc antiquitas non deperditur per translationem de una parochia in aliam. *S. C. R. in Fanen. 16 iul. 1701* (*2075*).

De synodo dioecesana quoad praecedentiam (*remissive*). — Quoad praecedentiam in synodo dioecesana confer Benedictum XIV *de syn. lib. III c. 10.*

De vice-parochis quoad praecedentiam. — Vice-parochi nulla gaudent praecedentia supra alios sacerdotes antiquiores ratione ordinationis, nisi agatur de functionibus, in quibus funguntur munere suo. *S. R. C. in Romana 12 iul. 1892 ad 2* (*3780*). 3233

De praecedentia beneficiati in sua ecclesia. — Quoad hoc habemus sequentem declarationem S. Congr. Rituum: « Quod sacerdos beneficiatus, uti beneficiatus, in ecclesia, in qua nulla adest collegiata, habere debet praecedentiam in functionibus ecclesiasticis, tam in sessione, quam in incessu, supra alios sacerdotes non beneficiatos, sed simplices presbyteros, etiam primo (prius) ordinatos in ordine sacerdotali et antianos ». *S. R. C. in Aquen. 11 aug. 1691* (*1850*); cfr. etiam *in Lauretana 16 iun. 1674* (*1515*). 3234

De praecedentia inter sacerdotes. — Praecedentia inter simplices sacerdotes sumitur ex antiquitate (*antianitate*) ordinis et non ex aliis, ut ex. gr. ex gradu doctoratus. *S. R. C. decr. cit. 23 nov. 1675 ad I.*

Et generatim, qui prius ordines maiores susceperint etiam illis praeferendi sunt, qui minores ordines ante illos susceperunt; et quando plures eodem die ordinati sunt, ille est praeferendus, qui prius in ordine nominatus et ordinatus est, non autem qui prius missam celebravit. *S. R. C. in Neritonen. 17 iun. 1606* (*220*); *in una S. Angeli de Lomb. 22 nov. 1681* (*1682*). Attamen ordinatus a Summo

Pontifice aliis praestat, qui sunt in eodem ordine constituti. *c. 7 de maioritate etc. X. (I. 33); c. 31 de praebendis (III. 4) in 6°.*

3236 **De praecedentia inter unum et alium clerum.** — Praecedentia semper et ubique tam in processionibus et actis publicis, quam in sessionibus et omni loco, debetur clero seculari supra regulares, etiam in ipsorum regularium ecclesiis (*S. R. C. in Mexicana 5 oct. 1614* [*324*]*; in Tullen. 12 mart. 1616* [*341*]), et hoc non obstante qualibet in contrarium inducta consuetudine. *S. R. C. in Aretina 28 sept. 1658* (*1094*). Hinc etiam abbas non praecedit capitulo ecclesiae cathedralis. *S. R. C. in Paderbonen. 22 dec. 1770 ad 1* (*2409*).

De praecedentia inter regulares. — Monachi semper et ubique supra mendicantes habent praecedentiam. *S. R. C. in Monopolitana 23 mart. 1619* (*374*).

Praecedentiam fratrum praedicatorum, quoad alios fratres mendicantes et etiam non mendicantes post clerum secularem et antiquos ordines monachales, statuit S. Pii V constitutio « Divina » *27 aug. 1578.*

Clerici regulares habent praecedentiam supra mendicantes et monachos. De Herdt *Cer. episc. III. 215.*

Patribus congregationis oratorii S. Philippi Nerii, quippe qui sacerdotes seculares sunt, competit praecedentia supra regulares. *S. R. C. in Imolen. 19 aug. 1719 ad 1* (*2265*); *in Mechoacana 21 ian. 1769 ad 3* (*2485*).

Monachi et mendicantes praecedunt congregationes religiosas non clericales; hae vero gaudent praecedentia supra confraternitates. De Herdt *cer. episc. III. 215.*

Inter varios ordines monasticos vel mendicantes etc. praecedentia concedenda est iis, qui in quasi possessione praecedentiae ac iuris praecedendi sunt, iuxta const. Greg. XIII « Exposcit pastoralis officii » *15 iul. 1583;* quod si non constet de quasi possessione praecedentiae, tunc ii, qui antiquiores in loco controversiae sunt, praecedere debent. *Const. Greg. XIII nuper cit.*; *S. R. C. in una Tuscanellae 14 iun. 1608* (*255*), *in Mantuana 15 ian. 1667* (*1344*).

De praecedentia missionariorum. 3237 — Propositum fuit a vicario apostolico Scian-si septentr. s. Congr. de Prop. Fide sequens dubium : « Num litterae patentes missionarii apostolici primitus cuipiam concessae attendendae sunt ad aestimandam praecedentiam missionarii, qui ab uno ad alterum vicariatum transeat ». Huic dubio responsum est : « Affirmative, salvis peculiaribus statutis a S. Sede approbatis et dispositionibus S. Congregationis in casibus particularibus ». *S. C. P. F. 23 aug. 1907.*

De praecedentia inter confraternitates. 3238 — Confraternitates tertii ordinis secularis S. Francisci (*S. R. C. decr. gen. 28 maii 1886* (*3664*)*; in Lucerina 4 iul. 1887* [*3678*]; *in Baren. 27 mart. 1897* [*3951*]*; 30 nov. 1897* [*3968*]), S. Dominici (*S. R. C. in Monopolitana 27 mart. 1893* [*3795*]), etc., dummodo confratres proprio habitu induti sint, idest sacco (*S. C. EE. RR. 6 apr. 1900*), ac sub cruce incedant (*decr. cit. S. R. C. 28*

maii 1886), habent praecedentiam prae quibuscumque laicis confraternibus, etiam a SSmo Sacramento nuncupatis, in ipsa quoque processione in solemnitate Corporis Christi. Hoc autem intelligendum est de confraternitatibus tertii ordinis virorum, non vero mulierum, etsi scapulare gestantium. *S. C. EE. RR. in Salernit. 28 martii 1897.*

Si autem nec tertiarii nec sodales aliarum confraternitatum proprium habitum seu *sacco* gerunt, praecedentia, ut patet, tertiis ordinibus debetur. *S. R. C. in Argellen. 10 nov. a. 1905.*

Inter plures autem tertii ordinis consodalitates ius praecedentiae non ab antiquitate instituti respectivi ordinis desumi debet, sed a die, qua canonice unaquaeque sodalitas vel archisodalitas laica in tertium ordinem commutata fuit. *S. R. C. in Nucer. Pagan. 1 mart. 1894* (*3819*).

Tertiarii ordinis Carmelitarum in processionibus incedere possunt sub eadem cruce primi ordinis, data tamen praeferentia fratribus eiusdem primi ordinis. *S. R. C. 30 iun. 1905.* Cui decreto haec addit Vermeersch (*Period. II. pag. 29*), non immerito, ut videtur: « Cum nullum appelletur peculiare privilegium, videtur responsum istud in omnes cadere seculares tertiarios. Unde consequenter erit dicendum, tertiarios, qui, si sub distincta cruce incesserint, locum non obtinebunt nisi post omnes cuiuslibet instituti religiosos, iam, ut primo ordini coniunctos, ob quamdam cum eo confusionem, primi ordinis participare praecedentiam ».

Inter confraternitates laicorum illa praecedit, quae est in possessione praecedendi, et si de hoc non constet, debet illa praecedere, quae prius saccis induta est (*Const. cit.* Greg. XIII. *15 iul. 1583*; *S. C. C. in Baren. 25 maii 1901.*, *in Sypontina 10 sept. 1898, 18 mart. 1899*); sed in processionibus, in quibus defertur ss. Eucharistia, confraternitas ss. Sacramenti, si sacco induatur, praecedit ceteris (*S. R. C. in Mediolanen. 19 iun. 1655* [*986*]; *in Novarien. 26 aug. 1752 ad 1* [*2421*]; *in Squillacen. 17 ian. 1887* [*3668*]; cfr. Ferraris *v.* « *Confraternitas* » *art. 6*), et ius habet prae omnibus aliis confraternitatibus deferendi hastas baldachini et cereos seu lucernas ad utrumque eius latus; cui iuri ne episcopus quiden derogare potest, etsi adesset mos ut supradicta omnia peragerentur ab aliis confraternitatibus die tantum festo titularis sui. *S. R. C. in Goana 11 nov. 1904.*

Archisodalitates vero praecedunt omnibus sodalitatibus, et inter se debent regulare praecedentiam secundum prioritatem temporis, quo creatae sunt archisodalitates. *S. R. C. in Abellinen. 18 aug. 1877* (*3432*); *S. C. C. in Neapolitana 2 apr. 1898.*

Quod si in aliqua processione incedant etiam congregati laici, non confratres alicuius confraternitatis, hi, etsi deferant intorticia accensa, debent procedere ante clerum secularem et regularem et etiam ante confraternitates, si adsint, sacco indutas. *S. R. C. in Oriolon. 22 ian. 1876 ad 2* (*3388*).

De iudice controversiarum circa 3289

praecedentiam in processionibus et in associatione cadaverum. — Controversias vero omnes de praecedentia in processionibus publicis, nec non in associandis defunctorum corporibus, componere ad episcopum pertinet ex Tridentino (*sess. XXV de reg. et mon. c. 3*), remota omni appellatione et non obstantibus quibuscumque. Cfr. *S. R. C. in Westmonasterien. 11 dec. 1896 ad 1* (*3935*).

3240 **De praecedentia clericorum prae laicis.** — Clerici incedentes cum laicis vel laicorum corporationibus habent ius praecedentiae, excepto casu quod agatur de supremo principe. Wernz *Ius Decr. II. 162.*

Decr. Grat. D. XCIII-XCV; tit. de maioritate et obedientia X. (I. 33); idem tit. (I. 17) in 6°; idem tit. (II) in Xvag. Ioann. XXII; idem tit. (I. 8) in Xvag. comm.; *Conradus E.* De praestantia clericorum regul. prae monachis; *Massa G. A.* De praecedentia Cassinensi seu informationes et allegationes pro Abbatibus Cassinensibus in causa praecedentiae in Synodo Tridentina contra Canonicos regulares Lateranenses; *An.* Relationes 3 cardinalium in causa praecedentiae inter can. reg. lateran. et monachos S. Benedicti; *Celsus* De praecedentiis inter canonicos regulares et monachos Cassinenses; *Onciani G.* La précédence de la noblesse; *Alvarez A.* Speculum dignitatum ecclesiasticarum; *Fabri G.* Confutatio responsionis, quam in lite praecedentiae inter conventuales et observantes exortae, quidam anonymus in lucem eduxit ad favorem observantiae; *Ferro M. M.* De praecedentiis et praelationibus ecclesiasticis; *Coscia I. D.* Variae resolutiones (ubi etiam ex professo de praecedentia); *Bordoni F.* Theatrum praecedentiae quarumcumque personarum graduatarum tam ecclesiasticarum quam saecularium; *Ceccopieri F.* Lucubrationum caconicalium bibliotessera (ubi primo libro de canonicorum praecedentia); *Hobel J.* Of the precedency of Kings; *Gathofredi I.* Diatr. de iure praecedentiae; *Crusius I. A.* De praeeminentia, sessione, praecedentia; *Pignatelli I.* Canonicarum quaestionum tomi (ubi etiam de praecedentiis); *Castels C.* Tract. de praecedentia; *Gasteli C.* Tract. de statu, dignitate et praecedentia pontificum, imperatorum, regum, ducum etc; *Jessen T. B.* Tract. de iure praecedentiae; *Friese* Disp. de iure praecedentiae; *Altoviti I.* De praecedentia (in decisionibus s. Rotae Rom. collectis a Io. B. Rembold); *Gaertner C. G.* De fundamento decidendi controversias praecedentiae inter liberas gentes; *Stolte* De praecedentia controversa monachos benedictinos inter et canonicos regulares; *Benvenuti* De praecedentia inter parochos canonicos; *Benedictus XIV* De synodo dioecesana lib. III. c. 10; *Grandclaude* Du droit de préséance dans l'église; *Koch P.* Die byzant. Beamtentitel v. 400-700.

Praeceptum. — Praeceptum differt 3241
a lege ratione iubentis, subiecti, finis immediati, loci, durationis. Ipsum enim dari potest a persona privata, datur in personam privatam, cuius privatum bonum immediate respicit, ossibus haeret, cessat morte praeci_pientis. Reiffenstuel *in tit. 2 lib. I Decr. n. 43 sqq.;* Wernz *Ius Decr. I. 89. II.*

Praedicatio. — Circa verbi Dei prae- 3242
dicationem sapientissima iam prodiere monita et praecepta a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, quae hic iuvat in compendium redacta proponere.

1° Quod ad sacri oratoris personam attinet, cavendum est illis, quibus alios ad praedicandum mittere ius

est, adeo sanctum ministerium ulli concredere, qui nec sincera christiana pietate praeditus, nec fervido in D. N. Iesum Christum amore incensus est: quae omnia in exteriori eius agendi ratione fulgeant. Cum christiana pietate et virtute etiam scientia sacra coniunctim in sacro oratore socianda est.

2° Invigilandum praeterea iisdem est, ut iis dicendis rebus inhaereat orator, quae sacrae praedicationi proprie conveniunt. Hae autem sunt praesertim Christus crucifixus, sanctissimae religionis nostrae dogmata et praecepta, hominis novissima, vitia quae fideles declinare, virtutes quas sectari oportet, accurata explicatio de peculiaribus singulorum officiis, et his similia (Cfr. S. Th. *Comm. in Matth. V*; Conc. Trid. *sess. V. c. 2. de ref.; litt. encycl.* Pii IX. *9 nov. 1846*).

3° Polemicae collationes plerumque paucis prosunt.

4° Non tamen huiusmodi polemicae collationes damnantur, nam et ipsae admodum utiles, imo etiam necessariae, quandoque esse possunt; sed omnino a christianis suggestibus vaniloquia illa arcenda sunt, quae de theoreticis potius rebus quam practicis pertractant, de civilibus potius quam religiosis, maioris videlicet speciei quam fructus; quae proinde ephemeridum palaestris aulisque academicis apta forte sunt, at vero a loco sancto prorsus aliena. Quod vero ad illas polemicas collationes attinet, quae religionis ab adversariorum impugnationibus defensionem spectant, sunt eae quidem identidem necessariae, at cuiusvis humeri onus non sunt, sed solummodo robustiorum. Imo ipsi maxime strenui oratores magna debent prudentia uti: huiusmodi enim apologiae in iis tantummodo locis iisque temporibus atque iis auditoribus faciendae sunt, qui vere illis egeant et a quibus aliquod spirituale emolumentum reipsa sperari possit; cuius rei iudices maxime omnium competentes locorum quorumlibet episcopos esse, manifeste patet. Has vero apologias ea decet ratione fieri, ut earum demonstratio in doctrina sacra potius quam in humanis seu naturalibus argumentis solidissime fundetur; tali demum sapientia ac perspicuitate elaborari, ut periculum evitetur, ne in quorumdam auditorum mentibus altius defixi errores inhaereant quam oppositae veritates, magisque percellant animos obiecta quam responsa. Praesertim vero cavendum est, ne frequentior, quam par est, harum collationum usus aestimationi noceat et desiderio moralium concionum, quae fidelium universitati longe utiliores sunt.

5° Valde deplorandum est concionum formam ab evangelica perspicuitate et simplicitate longe abesse, et obscuris ambagibus totam obvolvi, ac in abstrusis argumentis communem populi captum excedentibus versari.

6° Potissimus fons sacrae eloquentiae deberent esse Sacra Biblia; et reprobandi sunt illi oratores, qui potius quam divinitus inspiratas sacrorum librorum sententias afferant aut sanctorum patrum aut conciliorum, auctores quamplurimos eosque profanos, novissimos atque etiam viven-

tes, testes adducunt; quorum sententiae affatim ambiguas interpretationes, et quandoque etiam valde periculosas, saepe saepius admittunt.

7° Itaque illi, ad quos spectat, memores esse debent, se iuxta sacrosancti Conc. Trid. praescriptum (*sess. V. c. 2 de ref.*) viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere addictos esse, ac proinde hac in re quam maximam diligentiam curamque adhibere teneri. Hinc ad praedicandum neminem debent admittere, quem vel per seipsos idoneo examine quoad vitam, scientiam, mores non probaverint, si nempe de sua ipsorum dioecesi sit; vel qui, si ad aliam dioecesim spectet, sui episcopi vel praesulis litteras idipsum comprobantes non ostenderit. Generales etiam cuiusvis religiosi ordinis, societatis, congregationis, nemini e sacerdotibus sibi subditis publice concionari, inscio loci episcopo, permittere debent, nec ullum ad episcopum cum testimonialibus litteris ad hoc mittere debent, quem necessariis dotibus instructum non cognoverint. Episcopus vero, qui sacerdotem aliquem huiusmodi litteris a suis commendatum in sua dioecesi exceperit ad praedicandum verbum Dei, eumque deinceps a normis superius traditis aberrantem conspexerit, debet ante omnia eum admonere, ut si fieri possit, quamprimum resipiscat; quod nisi sufficiat, debet illum ab officio illico removere, poenis etiam canonicis, si necessitas urgeat, adhibitis. *Instr. S. C. EE. RR. 31 iul. 1894.*

Quoad ea, quae in hac instructione habentur, iuvet referre ex Ferraris (*Prompta Bibl. v. « Praedicare » n. 91*), S. Congr. S. Officii (*7 oct. 1649*) mandasse, ut superioribus regularibus notificaretur, quod praedicatoribus significarent, ut caverent ab allegatione doctorum et auctorum modernorum, praesertim viventium. Vid. *Concio, Concionari, Concionator.*

Ferrarius F. B. Libri tres de veternm Christianorum concionibus; *Hildebrand I.* Diss. de veterum concionibus; *Ferrarius F. B.* De ritu sacrarum ecclesiae veteris concionum; *Hansch M. G.* Abbildung der Predigten im ersten Christentum; *Weissenbach* De eloquentia Patrum LL. XIII in usum ecclesiae; *Petrus C. B.* De applausibus declamatoriis; *Tzschirner Th.* De claris oratoribus veteris ecclesiae; *Lentz* Gesch. der christl. Homil.; *Kehrein* Gesch. der kath. Kanzelberedsamkeit der Deutschen von der ältesten bis zur neuesten Zeit; *Nickel-Kehrein* Die Beredsamkeit der Kirchenväter I-IV; *Lutz J.* Chrysostomus und die berühmtesten kirchlichen Redner älterer und neuerer Zeit; *Leopold E.* Das Predigtamt im Urchristentume; *Villemain* Tableau de l'éloquence chrét. au 4e siècle; *Albert* St. Jean Chryst. comme orateur populaire; *Brischar J. N.* Die kath. Kanzelredner Deutschlands seit den drei letzen Jahrhunderten; *Morris* Old English Homilies of the 12th and 13th centuries; *Schneemaun G.* Die kirckl. Lehrgewalt; *Probst* Lebre und Gebet der drei ersten Jahrhdt.; *Cruel R.* Geschichte der deutsch. Predigt in Mittelalter; *Bourgain L.* La chaire française au XIIe siècle d'après les manuscrits; *Ebert A.* Allg. Geschichte der Litteratur des Mittelalters im Abendlande bis zum Beginne des IX Jahrhunderts; *Probst* Katechese und Predigt vom 4-6 Jahrh.; *Linsenmayr* Gesch. der Predigt in Deutschland von Karl d. Gr. bis Ausgang des 14 Jahrh.: *Lecoy de la Marche* La chaire française; *Hettinger* Die Aphorismen über Pre-

digt und Prediger; *Ackermam* Die Beredsamkeit des hl. Johannes Chrysostomus; *Keppler P.* Beiträge z. Entwicklungsgeschichte d. Predigtanlage; *Langlois Ch.* L'éloquence sacrée du moyen âge; *Albert F. R.* Die Gesch. d. Predigt in Deutschl. bis Luther.

3243 **Praefectus apostolicus.** — Praefectus apostolicus charactere episcopali caret, et deputatur a sede apostolica ad exercendum regimen pastorale in aliqua regione, ubi nondum hierarchia ecclesiastica constituta est, nomine romani pontificis, non suo. Duplex est classis horum praefectorum. Sunt enim, qui habent proprium territorium, et sunt veri superiores missionis, ad quam evangelizandam missi sunt; horum auctoritas pendet a limitibus, quos ipsi S. C. de Prop. Fide in suis litteris apposuit. Sunt alii, quorum praefectura continetur territorio alicuius episcopi; hi multas quidem habent facultates, sed etiam in quibusdam episcopo subiiciuntur, quae vide apud Zitelli *Apparatus iuris eccl. pag. 138-141.* Utriusque speciei praefecti tenentur transmittere ad S. C. de Prop. Fide relationem de statu missionis sibi concreditae, et curare pro viribus, ut fides in ea propagetur. Vid. *Vicarius apostolicus.*

3244 **Praelatus.** — Praelatus stricto sensu est clericus non insignitus charactere episcopali, sed gaudens iurisdictione in foro etiam externo, exercenda non titulo vicariali, sed proprio nomine; quare eius iurisdictio dicitur et est quasi episcopalis.

Infimum gradum inter huiusmodi praelatos obtinent praelati regulares, qui habent iurisdictionem in suos et exemptionem a iurisdictione episcopali.

Supremum vero gradum obtinent praelati vere nullius, qui habent territorium separatum a dioecesi cuiuslibet episcopi et iurisdictionem activam in clerum et populum. Hi, exceptis iis, quae sunt ordinis episcopalis et quibusdam aliis in iure expresse notatis, ut convocare synodum, indicere concursum ad parochias, etc. (cfr. Concilium Trid. *sess. XXIV. c. 9 de ref.*), quae ab episcopo viciniore supplentur, omnia possunt, quae spectant ad iurisdictionem episcopalem.

Gradum intermedium tenent praelati, qui habent iurisdictionem in certum quemdam clerum et populum, qui tamen situs est in dioecesi alicuius episcopi.

Largiori sensu dicuntur praelati quidam clerici curiae romanae addicti, qui honoris causa hoc titulo et quibusdam privilegiis fruuntur, praecipue quod violaceas vestes induere licite possint, quemadmodum in ipso brevi nominationis dicitur. Vid. *Abbas, Praecedentia, Protonotarii.*

Pistori I. V. Speculum praelatorum; *Polacci G.* Relectio de potestate praelatorum in foro interno; *Hegler B.* Directorium practicum de praelatis; *De Prosperis Ios.* De territorio separato cum qualitate nullius etc; *Trombetta* De iuribus et privilegiis praelatorum romanae curiae.

Praelatus regularis. — Praelatus 3245
regularis ille est, qui in ordine exempto habet iurisdictionem quasi episcopalem tum fori interni tum fori externi. Quinam in particulari ii sint, videndum ex constitutionibus vario-

rum ordinum; sed generatim tales sunt praefecti singulorum monasteriorum seu conventuum, singularum provinciarum, et praesertim praefectus ordinis universi. Hi habent per se potestatem quasi episcopalem coercitivam, iudicialem et legiferam; sed hae potestates, legifera praesertim, saepe in multis restrictae sunt per ipsas ordinis constitutiones et receptam consuetudinem. Quare generatim loquendo huiusmodi praelati (praelato quoque universi ordinis non excepto) leges ferre non possunt, sed hoc reservatur capitulo seu congregationi generali. Suarez *de relig. tr. VIII. lib. 2. c. 8. n. 4 sq.*; Bouix *de regul. II p. 6 sect. I. c. 3 § 2.*

Wuerzfeld De iure et iurisdictione abbatur; *D'Alvin* Tr. de potestate episcoporum, abbatum aliorumque praelatorum; *Dalmer* Tr. de abbate; *Ab Angelis P.* Prior claustralis sive disquisitiones regulares de officio et potestate prioris claustralis; *Pitonius* Const. pontificiae ad episcopos et abbates utriusque cleri spectantes; *Wex* Epitome de praelatis regularibus; *Pfau* Privilegiorum abbatum collectarium; *Chassaing* Praelatus regularis; *Raggi* De regimine regularium; *Miranda* Manuale praelatorum regularium; *Tamburini* De iure abbatum et praelatorum tam regularium quam saecularium; *De Ianua G.* De visitatione cuiuscumque praelati ecclesiastici; *A ss. Sacr. Ioannes* Disquisitiones regulares: de officio et potestate prioris conventualis; *De Murga P.* De iure et potestate prioris conventualis; *Janitsch* Abhandlung ueber die Pflichten und Rechte der Aebte; *Barthel* De iure et iurisdictione abbatum; *Romelius* Capita de iure abbatum; *Greneck* De iure abbatum. Reliquam bibliographiam quaere sub *Abbas* etc.

2246 **Praescriptio.** — De natura et divisionibus praescriptionis. — Praescriptio proprie alia est ab usucapione; ordinarie vero sub praescriptionis nomine venit etiam usucapio.

Praescriptio autem est modus iuris acquirendi vel se liberandi ab aliqua obligatione, positis quibusdam conditionibus. *l. 3 de usurpat. et usucap. D (XLI. 3); C. C. a. 2105;* B. P. *III. 138 sqq.*

Est igitur vel acquisitiva vel extinctiva; illa melius usucapio, haec praescriptio dicitur. D'Ann. *II. 139*; G. B. *I 580.* Utraque a possessione initium et statum capit (*reg. 3 iur. in 6°*), et debitis vestita conditionibus transfert dominium in conscientia. At haec ex iure canonico et romano: nam iuxta nostra iura non satis liquet, utrum praescriptio per se ipsam conferat dominium, necne. Giorgi *Teoria delle obbligaz. Vol. VIII n. 222 sqq.*

Alia est ordinaria, quae in rebus mobilibus completur triennio (*l. un. de usucapione transf. etc. C.* [*VII. 31*] *§ 2*), in immobilibus iure romano (Inst. Iust. *de usucapionibus etc.* [*II. 6*]) decennio inter praesentes, vicennio inter absentes, iure italico (*C. C. a. 2137*) decennio inter omnes, sublato inter praesentes et absentes omni discrimine; alia extraordinaria seu longissimi temporis, quae completur 30 vel 40 (*c. 8 de praescr. X* [*II. 26*]) vel etiam 100 annis, et tunc dicitur centenaria; alia immemorialis, cuius initium excedit memoriam hominum.

De conditionibus ad praescriptionem requisitis. — Quinque sunt conditiones requisitae: 2247

a) res praescriptibilis (*ll. 9. 24 tit. cit. D.* [*XLI. 3*]; *C. C. a. 2113*),

b) possessio (*l. 25 tit. cit. D.* [*XLI. 3*]; *C. C. a. 2106*),

c) titulus (*l. 27 tit. cit. D.* [*XLI. 3*]; *l. 4 de usucap. pro herede C.* [*VII. 29*]; *c. 17 de praescriptionibus X.* [*II. 26*]; *C. C. a. 2106*),

d) tempus requisitum (*l. 3 tit. cit. D.* [*XLI. 3*]; *C. C. a. 2133 sqq*),

e) bona fides (*l. 43 tit. cit. D.* [*XLI. 3*]; *c. 20 tit. cit. X.* [*II. 26*]; *reg. 2 iuris in 6°*; *C. C. a. 702*).

3248 **De rebus praescriptibilibus.** — Praescriptibilia sunt ea omnia et sola, quae sub dominium et commercium privatum veniunt, et ad quorum acquisitionem dari potest titulus legitimus. Cfr. Inst Iust. *de usucapionibus etc.* (*II. 6*); B. P. *III. 141 sqq.*

De possessione (*remissive*). — Possessio dicitur detentio rei nomine proprio, vel iuris alicuius exercitium. Vid. *Possessio.*

De titulo (*remissive*). — Titulus est causa per se ad dominium transferendum sufficiens; est autem quadruplex ex iure romano; verus, coloratus, existimatus, praesumptus. Sufficit coloratus, imo et existimatus. *l. 33 § 1 tit. cit. D.* (*XLI. 3*); B. P. *III. 164 sqq.* Pro praescriptione triginta annorum, nullus requiritur titulus. *c. 15 § 1. C. XVI. q. 3*; *C. C. a. 2135.* Vid. *Titulus.*

249 **De tempore.** — Per 30 annos absque titulo praescribuntur omnes actiones, tam reales quam personales, omnes servitutes passivae, debita, supposita bona fide (*c. 15 § 1. C. XVI. q. 3*; B. P. *III. 165 sqq.*); attamen iure italico defectus bonae fidei in praescriptione tricenaria opponi nequit. *C. It. a. 2135.* Plura etiam minori tempore praescribuntur, ut sunt acquisitio alicuius immobilis, aut ius aliquod reale in illud ex titulo debito modo transcripto et ob defectum formae non nullo, quae lapsu decem annorum praescribuntur (*C. It. a. 2137*); alia etiam minori temporis spatio, ut puta quinque annorum (ut conductae domus pensiones, etc., *C. It. a. 2144*), vel trium annorum (ut actiones medicorum, chirurgorum pro curis infirmis praestitis etc., *C. It. 2140*), vel unius anni (ut actiones mercaturam agentium pro mercibus venditis non mercatoribus, etc. *C. It. a. 2139*), vel etiam sex mensium (ut actiones cauponum pro hospitio et epulis seu dapibus praestitis, *C. It. a. 2138*). Ad praescribendum contra ecclesiam iure romano (*Nov. CXXXI. Iust. c. 6*) et canonico (*cc. 8. 9 de praescriptionibus X.* [*II. 26*]) quadraginta anni, contra ecclesiam romanam (*Nov. IX Iust.*; *c. 13 tit. cit. X.* [*II. 26*]) centum anni requiruntur. Contra bona pupillorum praescriptio inchoari, vel inchoata continuari non potest (*l. 3 de praescript. XXX vel XL ann. C.* [*VII. 39*]; *l. 5 in quibus causis etc. C.* [*II. 41*]: *l. 3 quibus non obiicitur etc. C.* [*VII. 35*]; B. P. *III. 183 sqq.*); contra bona minorennium inchoari potest et currit praescriptio tricenaria. B. P. *III. 186.*

De bona fide. — Bona fides est firma 3250
persuasio, qua quis prudenter iudicat, rem a se possessam esse suam. Vid. *Bona fides.*

De iis, qui possunt praescribere et 3251
a quibus praescribi potest. — Praescribere autem possunt omnes (qui nempe dominium acquirere possunt),

et ab omnibus, quamvis non ab omnibus pariter. B. P. *III. 139.*

3252 **De suspensione et interruptione praescriptionis.** — Quandoque praescriptio suspenditur, seu dormit, ut dicitur, et hoc fit generatim contra non valentes agere (contra ecclesiam carentem rectore, contra pupillum quamvis habeat tutorem, etc.).

Interrumpitur vero *naturaliter*, quando quis rei praescriptae privatur possessione per annum; *civiliter*, quando praescribens vocatus fuerit in ius ab eo, contra quem praescribit. *C. It. a. 2124 sq.*

Differt suspensio ab interruptione in hoc, quod in illa tempus anterius cum posteriore computatur, cessata suspensione; in ista non item, sed semel interrupta praescriptio de novo est incipienda. B. P. *III. 206.*

3253 **De praescriptione quoad annualitates.** — Nota, ad praescribendas annualitates requiri tot praescriptiones, quot sunt anni; ita ut, si quis per triginta et unum annos aliquam annualitatem non solverit, is praescripserit quidem annualitates solvendas (annualitates quinque annis praescribuntur) per 27 annos, debeat tamen adhuc solvere annualitates quatuor annorum.

3254 **De praescriptione in causis criminalibus ecclesiasticis.** — In causis criminalibus ecclesiasticis locum habet praescriptio, et quidem nedum quando iudex procedit ad instantiam privati accusatoris, sed et quando ad vindictam publicam seu ex officio inquirit.

Huius praescriptionis proprius effectus est, ut solam perimat actionem poenalem, siquidem per accusatum seu inquisitum aut per eius procuratorem expresse de praescriptione in iudicio oppositum fuerit. Hinc integrum tum accusandi tum inquirendi ius manet, usquedum expresse non opponatur praescriptio, et omnino tenet iudicium, si eadem opposita minime fuerit.

Quod si in iudicium praescriptio deducta fuerit et legitima recognoscatur, tunc perimit quidem actionem criminalem, at non civilem, quae forte ex eodem delicto promanat, et hinc, non obstante praescriptione, reus manet obnoxius omnibus effectibus canonicis non criminalibus ex patrato delicto provenientibus. Imo licet praescriptione actio poenalis extinguatur, non tamen tollitur exceptio, quae perpetuo manet; ideoque delictum illud, etsi praescriptum, potest reo semper opponi per modum exceptionis, eique obest, si ad ecclesiasticas provisiones concurrere velit.

Quod autem spectat ad tempus necessarium ad dictam praescriptionem inducendam, regula generalis est actionem iniuriarum spatio unius anni, crimen peculatus et delicta carnis spatio quinque annorum, cetera vero crimina spatio viginti annorum, a die commissi delicti continuorum, praescribi. Verumtamen, si agatur de delictis, quae successiva sunt et permanentia, in his nulla praescriptio locum habet, nisi a die cessantis delicti; quemadmodum si delictum fuerit totaliter occultum, praescriptio non a die commissi criminis, sed a die scientiae accusatoris vel inquisitoris currit.

Criminibus raptus, stupri per vim

illati, et adulterii cum incestu coniuncti nonnisi lapsu viginti annorum praescribitur; criminibus vero suppositi partus, parricidii, assassinii, laesae maiestatis, duelli, falsae monetae, apostasiae, haeresis, simoniae, concussionis, abortus et sodomiae nullo umquam tempore praescribitur, sed perpetuo horum criminum rei, dum vivunt, accusari et inquiri possunt.

Haec fere ad verbum ex litteris encyclicis S. C. EE. RR. *22 martii 1898.*

Tit. de praescriptionibus X. (II. 26); idem tit. (II. 12) in 6°; *Azonis D.* Tract. de usucapionibus et praescriptionibus; *Durandi G.* Tract. de praescriptionibus; *Hostiensis* Tract. de praescriptionibus; *A Ramenghis Azo* De praescriptionibus; *Dretsch* De usucapionibus et praescriptionibus; *Gilkenii P.* Tract. de usucapionibus et diversi temporis praescriptionibus; *Balbi I. F.* De praescriptionibus et usucapionibus; *Uranii M.* Lecturae sive elucubrationes in aliquot titulos decretalium (ubi etiam in tit. de praescriptionibus); *Harprecht I.* Comm. in tit. 6 lib. II. Institut. de usucapionibus et longi temporis praescriptionibus; *Guazzini S.* De confiscatione bonorum, privilegiis et praescriptionibus fisci; *Barbosa P.* Comm. ad rubricam C. de praescriptionibus 30 vel 40 annorum univèrsam praescriptionum materiam complectens; *Gerardi I.* Quaestiones quodlibeticae de usuris et praescriptionibus; *Mella Cav. A.* Disputationes de usucapionibus et praescriptionibus; *Geiger G.* De praescriptionibus et usucapionibus; *Saurii* C. De praescriptionibus; *Rath A.* Tract. de usucapiohibus et praescriptionibus; *Fermosini N.* De exceptionibus (in Op. omnia); *Glaesser E.* De usucapionibus et praescriptionibus; *Rebhan I.* Disp. de praescriptione immemoriali; *Wibel F.* De usucapionibus et praescriptionibus; *Simonis I. G.* Tempora praescriptionum, disputatio; *Haunold Ch.* Controversiarum de iustitia et universo iure privatorum tract. decem (ubi in 1° tomo tract. quintus de praescriptionibus); *Vogt I. C.* De praescriptionibus; *Rocca H.* Disputationum iuris selectarum vol. duo (ubi etiam de praescriptione); *Kempfel A.* De praescriptionibus tractatus canonico-civilis; *Rave I.* De praescriptionibus; *Frick A. P.* De iure bonae fidei possessoris circa fructus e re aliena perceptos; *Trendelenburg A. F.* Selecta quaedam capita doctrinae de iure possessionis circa fructuum perceptionem; *De Wollfradt G. A.* Diss. sistens theoriam generalem de acquisitione fructuum; *Arens F. I.* Diss. de iuris bonae fidei possessori in fructus ex re aliena competentis legitimo fundamento; *Driessen A.* Diss. de dominio seu iure possessoris in fructus bona fide perceptos non temporali; *De Wet I.* De usucapione et praescriptione sec. princ. iuris rom.; *Unterholzner K. A. D.* Die Lehre von der Verjährung durch fortgesetzen Besitz; *Möllenthiel C. A.* Ueber die Natur des guten Glaubens bei der Verjährung; *Dupont* Diss. de praescriptionibus secundum hodierni et romani iuris praecepta; *Backe F. G.* Diss. bonae fidei possessor quemadmodum fructus suos facit; *Engelbach F.* Ueber die Usucapion zur Zeit der zwölf Tafeln; *Reinhardt C. F.* Die usucapio und praescriptio des rôm. Rechts; *Vazeille F. A.* Traité des préscriptions suivant les nouveaux codes français; *Hameaux W.* Die usucapio und longi temporis praescriptio; *Harnier* De probatione bonae fidei in praescriptionibus; *Troplong R. T.* De la préscription; *Consturier* Traité de la préscription en matière criminelle; *Stintzing* Das Wesen von bona fides und titulus in der rôm. Usucapionslehre; *Hoorebecke* Traité de la préscription en matière pénale; *Unterholzner K. A. D.* Entwickelung der gesammten Verjährungslehre aus den gemeinen in Deutschland geltenden Rechten; *Brun de Villeret* Traité

théorique et pratique de la prescription en matière criminelle; *Leroux de Bretagne* Nouveau traité de la prescription en matière civile; *Boeuf* Résumé des répétitions écrites sur la prescription; *Pugliese G.* Tratt. della prescrizione acquisitiva ed estimativa nel diritto civile italiano; *Zerboglio A.* Della prescrizione penale. Studio giuridico; *Mirabelli G.* Della prescrizione; *Guillouard* Traité de la prescription.

Praesentatio ad beneficia. — Vid. *Iuspatronatus.*

Praesentia parochi. — Vid. *Clandestinitas.*

3255 **Praestimonia** — Praestimonia seu praestimoniales pensiones sunt stipendia seu proventus annui de bonis ecclesiasticis detracta. Primitus deputabantur in sustentationem iuvenum ad studia incumbentium, vel aliorum, qui pro fide decertabant; postea canonicis et aliis clericis praestari ea solitum fuit. Quaesierunt Doctores, an beneficiis essent annumeranda. Et generatim dixerunt distinguendum, an laicis aeque ac clericis, et his sine obligatione spiritualis obsequii concedi possent, vel contra haberent annexum obsequium spirituale et concederentur in titulum. Si primum, dicendum, non esse beneficia; si alterum, beneficiis esse annumeranda. Schmalzgrueber *in tit. 5 lib. III Decr. n. 9.*

3256 **Praesumptio** — **De vitio praesumptionis.** — Praesumptio stricte sumitur pro inordinata fiducia beatitudinis obtinendae, sine mediis a Deo ordinatis. Gravis est ex genere suo, sed admittit parvitatem materiae.

Non est praesumptio idem peccatum pluries committere, quia tam facile pluries quam semel commissum in confessione accusatur. G. B. *I. 214 4.* Nec praesumptio est sub spe veniae peccare, cum proposito abstinendi a peccato et poenitendi de peccato. S. Th. *2. 2. q. 21 a. 2 ad 3*; Suarez *de spe disp. II sect. 3. n. 2*; Sanchez *in Decal. lib. II. c. 53. n. 7.* Est tamen praesumptio peccare sub spe veniae, cum proposito perseverandi in peccato. S. Th. *2. 2. q. 21 a. 2 ad 3.*

De praesumptione iuridica. — Praesumptio sumitur etiam pro rei incertae probabili coniectura. Reiffenstuel *in tit. 23 lib. II Decr. n. 3.* Praesumptio iuris (quae ea est, cui ius tamdiu innititur, donec contrarium probetur (Reiffenstuel, *loc. cit. n. 25*) recipit contrariam probationem; praesumptio iuris et de iure (quae ea est, cui ius adeo fortiter innititur, ut eam plene pro veritate habendam decernat, Reiffenstuel *loc. cit. n. 26*) eam non admittit (*c. 30 de sponsalib. etc. X.* [*IV. 1*]), nisi contrarium evidentissimum sit. *l. 6 de his qui sui etc. D.* (*I. 6*). 3257

Quoad leges notandum, legem, quae nititur praesumptione periculi (ut lex de non legendis libris prohibitis, S. Alph. *l. 199*) semper obligare, etsi periculum in re praesenti non adsit (D'Ann. *I. 208*); legem vero, quae nititur praesumptione facti, si factum revera non subest, in foro conscientiae non obligare, sive ea iuris sit, sive iuris et de iure. Reiffenstuel *loc. cit. n. 52*; D'Ann. *loc. cit.*

Tit. de praesumptionibus X. (II. 23); instr. S. C. EE. RR. 11 iun. 1880; *De Muxellis D.* De praesumptionibus; *Bonacossa H.* Aureum repertorium alphabeticum de praesumptionibus; *Boich H.* Tract. de praesumptionibus;

Marti P. M. Ad iudicium Salomonis super textum Afferte mihi gladium, de praesumptionibus; *Menochius I.* De praesumptionibus, coniecturis, signis et indiciis commentaria; *Curtii I.* Variarum iuris civilis quaestionum seu coniecturarum explicatarum libri tres; *Fabri A.* Coniecturarum iuris libri 20 tomus unus, ubi habentur multa loca iuris explicata; *Everhardi N.* Enchiridion praescriptionum et praesumptionum; *De Ballis A.* Tract. varii criminales (ubi etiam de praesumptione); *Borgia H.* Investigationes ad Antonium Fabrum de coniecturis tomi duo, in quibus quidquid in foro receptum est edocetur; *Alciati A.* Tract. de praesumptionibus; *Burckhard* Die civilistischen Präsumtionen; *Ramponi L.* La teoria generale delle presunzioni nel diritto civile italiano.

3258 **Praeteriti actus** — Praeteriti actus non possunt esse materia legis directivae seu praecipientis vel prohibentis aut poenalis. Suarez *de legibus lib. III. c. 14. n. 8 sq.*; Wernz *Ius Decr. I. 97.*

Verum possunt esse obiectum:

a) legis irritantis; sed tunc debet esse expressa intentio legis, secus intelligitur de futuris (*c. 13 de constit. X.* [*I. 2*]; *c. 4. § 1 de off. leg.* [*I. 15*] *in 6°*; Suarez *l. c. n. 11*);

b) legis inhabilitantis (*c. 7. 2 de elect. etc. X.* [*I. 6*]);

c) et legis declaratoriae (*c. 40. C. XXVII. q. 1*; Suarez *l. c. n. 2 sq*).

3259 **Precarium** — Precarium est contractus, quo, alicui petenti, rei alicuius usus conceditur, revocabilis tamen ad concedentis voluntatem. *l. 1 de precario D.* (*XLIII. 26*). Attamen non potest revocari in continenti sine nova rationabili causa, quia beneficium aliquod continet, quum sit concessio; quare arbitrio prudentis concedi debet aliquod spatium temporis, quo beneficium possit prodesse. Lugo *de iust. et iure disp. XXXIII. n. 15.*

Eius obiectum esse possunt res quaecumque mobiles, immobiles positae in civili commercio, etc. G. B. *1. 841.*

Precarium igitur differt a commodato, tum quia datur sub hac saltem tacita conditione: donec concedens non revocaverit; tum quia videtur concessum ei tantum, qui precario rogavit, non eius heredi. D'Ann. *II. 528.* Vid. *Commodatum.*

Preces. — **De precibus matutinis** 3260
et vespertinis. — Matutinas et vespertinas preces qui omittunt, per se non peccant; in praxi tamen non sunt ordinarie ab omni omnino culpa excusandi.

De precibus in praesentiarum post 3261
missam recitandis. — Preces, quae iussu Leonis XIII post missas privatas dici debent, dicendae sunt immediate post ultimum evangelium, nulla alia actione interposita (*S. R. C. in Basileensi 23 nov. 1887* [*3682*]), ita ut si quando tempore missae quaedam recitantur preces cum populo, ex. gr. rosarium, eaeque, missa absoluta, non sint finitae, celebrans debet eas recitare cum solo ministro (*S. R. C. in Brunen 7 dec. 1900 ad 3*), et non sunt recitandae post missam conventualem etsi lectam (*S. R. C. in una ord. Min. Capucc. 7 dec. 1888* [*3697*] *ad VII*) et similes, ex. gr. missam votivam lectam de ss. Corde Iesu prima cuiusque mensis feria VI celebratam iuxta concessionem 28 iun. 1899 (*S. R. C. in Baionen. 8 iun. 1911 ad 3*) vel missam ordinationis (*ex decr.*

S. R. C. in Ephem. liturg. tom. 6 p. 163; cfr. Mon. eccl. *vol. XV pag. 42*; sed post missam parochialem lectam recitandae sunt, *S. R. C. in Agennen. 28 maii 1897 ad 3* [*3957*]), nec ter, sed semel, in die Nativitatis Dni a sacerdote, qui tres missas continuo legit, non item si unam ab alia seiungat. S. *R. C. in Macaonen. 10 maii 1895 ad 7* (*3855*). Nec recitandae sunt post lectam missam secundam in Nativitate Dni, quando eam immediate sequitur tertia missa solemnis. *S. R. C. in Agrigentina 11 dec. 1896 ad 1* (*3936*). Sacerdos antequam descendat ad has preces dicendas potest in medium altaris redire et se inclinare cruci altaris, vel etiam recta descendere a loco, ubi dixit ultimum evangelium; et genuflectere potest ad arbitrium sive in suppedaneo sive in infimo gradu altaris. *S. R. C. in Aretina 18 iun. 1885 ad 8* (*3637*).

Etiam nunc, defuncto Leone XIII, qui eas praescripsit, in recitandis his precibus continuandum est. *S. R. C. in Catalaunen. 11 sept. 1903.*

Pius vero X concessit indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, defunctis quoque applicabilem, omnibus fidelibus, qui una cum ipso sacerdote post privatam missae celebrationem precibus iam indictis a Leone XIII ter addiderint invocationem: « *Cor Iesu sacratissimum, miserere nobis* ». *S. R. C. decr. Urbis et Orbis 17 iun. 1904.* Sufficit autem ad lucrandas indulgentias, ut sacerdos dicat tantum: « *Cor Iesu sacratissimum* », et populus respondeat « *miserere nobis* ». *S. C. Indulg. 16 aug. 1904.*

Obligatio proprii nominis dicendi has invocationes imposita non est; attamen Summus Pontifex voluit, ut uniformitati consuleretur, ac proinde sacerdotes ad eas recitandas incitarentur. *S. C. Indulg. decr. nuper. cit.*

De precibus in ordinatione praescriptis. — 3262 Quoad preces dicendas a neo-ordinatis ex iniunctione episcopi ordinantis nota, pro *nocturno talis diei* intelligendum esse nocturnum ferialem vel primum festi aut dominicae in psalterio, prouti ordinatio in feria, festo aut dominica habita sit; episcopum vero ordinantem ius habere iniungendi alium a nocturno diei, qua fit ordinatio. *S. R. C. in una Urbis 27 iun. 1899 ad 1 et 2* (*4042*). Adde etiam, ordinatos in subdiaconos et diaconos non debere praeter psalmos cum respectivis antiphonis ad nocturnum spectantes, quem episcopus ordinans ipsis recitandum praescribit, recitare etiam *Venite exultemus*, hymnum et lectiones. *S. R. C. 10 iul. 1903.*

De duabus clausulis in rescriptis apponi solitis. — 3263 Aliquando in rescriptis apponitur clausula « si preces veritate niti repereris », vel « si preces veritate nitantur ». Notandum breviter est discrimen inter utramque clausulam. Nam prima ad validitatem exsecutionis rescripti requirit inquisitionem de causis, ita ut, si hanc inquisitionem exsecutor omittit, etiamsi illi constet de veritate, dispensatio nulla sit. Sanchez *de matr. lib. III disp. 33 n. 4; lib. VIII disp. 34 n. 26.* Quaestio est utrum valeret dispensatio in hoc casu, si notorium omnino esset causam subesse et ex-

posita fuisse vera. Ratio dubitandi est, quia notoria inquisitione non indigent. Sanchez *de matr. lib. VIII disp. 17. n. 12*; *disp. 34. n. 24. sqq.* Dicunt tamen generatim, in praxi tutius esse ab exsecutore inquiri. Cfr. D'Ann. *I. 241* (*37*). Inquisitio haec non praescibitur, saltem tamquam conditio, quando apponitur altera formula, *Sauchez l. c. lib. VIII. disp. 34. n. 25. sq.* Quando autem inquisitio haec est facienda, non debet exsecutor inquirere iuris ordine, sed solummodo in foro exteriori et extraiudicialiter (cfr. Conc. Trid. *sess. XXII. c. 5 de ref.*); quare nec est necessaria depositio testium, nec prohibita subdelegatio eorum, quae ad causae cognitionem pertinent. Garcia *de benef. p. VI. c. 2. n. 106.* In foro vero interno adhibenda est fides oratori (Sanchez *l. c. lib. VIII disp. 34 n. 21*), nec deferendum ei est iuramentum. Ben. XIV *Inst. eccl. LXXXVII. n. 34;* D'Ann. *loc. cit.* Notá tamen, in dispensationibus matrimonialibus nunc, ex decreto S. Officii (*28 aug. 1885*) probato a Leone XIII, loco clausulae « si preces veritate niti repereris », hanc aliam tantum poni « si vera sint exposita ».

Presbyter assistens. — Vid. *Assistens.*

3264 **Presbyteratus.** — **De natura presbyteratus.** — Presbyteratus est ordo, quo confertur potestas consecrandi corpus et sanguinem Domini Nostri Iesu Christi, absolvendi a peccatis, ungendi infirmos et sollemniter baptizandi. B. P. *V. 884.*

De fide est, eum esse sacramentum novae Legis (Conc. Trid. *sess. XXIII can. 3*), et per eum dari Spiritum Sanctum, nec frustra episcopum dicere « Accipe Spiritum Sanctum etc ». Conc. Trid. *loc. cit. can. 4.*

Praeterea per presbyteratum imprimitur in ordinato character (Conc. Trid. *loc. nuper cit.*), isque indelebilis, ita ut qui semel sacerdos fuit, laicus rursus fieri non possit. Conc. Trid. *loc. nuper cit.*

De materia et forma presbyteratus. 3265 **— De impositione manuum et de relativa forma.** — Presbyteratus materia apud Graecos certo (B. P. *V. 890*), apud nos verius (Ben. XIV *de Syn. lib. VIII. c. 10 n. 4 sqq.*; S. Alph. *VI. 749*; D'Ann. *III. 290*) in sola manuum impositione consistit.

Apud nos haec manuum impositio est secunda, quae fit ab episcopo cum presbyteris assistentibus. Iuxta quosdam dici forte etiam posset, hanc secundam manuum impositionem esse impositionem ad recipiendam potestatem in corpus Christi verum, tertiam necessariam esse ad accipiendam potestatem in corpus Christi mysticum. Nam profecto non repugnat has potestates separatim dari. Quod innui visum ipsis est verbis Tridentini (*sess. XXIII can. 3*) affirmantis in ordinatione Spiritum Sanctum dari et idcirco episcopum non frustra dicere « Accipe Sp. Sanctum » (*B. P. V. 893*) et ex quadam responsione S. Officii (*9 dec. 1897*), qua emi Patres voluerunt secreto et sub conditione reiterandam esse tertiam tantummodo manuum impositionem cum respectiva forma super presbyterum, cui in actu ordinationis episcopus per inadvertentiam dixerat: Accipe Sp.

Sanctum, quorum retinueris peccata remissa sunt, et quorum retinueris retenta sunt. Cfr. etiam *resp. eiusd. Sacrae Congregationis 27 maii 1840, 4 mart. 1874, 9 dec. 1897 et resp. S. R. C. in Nivarien. 22 maii 1841* (*2836*).

Verum omnia suadent tertiam manuum impositionem non esse materam essentialem; nam ea deest adhuc in ecclesia graeca et in latina defuit usque ad seculum undecimum; et S. Officium in responsione citata (*9 dec. 1897*) repetitionem tertiae impositionis manuum cum consuetis verbis praescripsit *ad cautelam*.

Quoad impositionem manuum, quae necessaria est iuxta omnes ad validitatem ordinationis, haec habemus ex responsionibus SS. RR. Congregationum.

Impositio prima et tertia manuum debet esse physica (*S. U. I. 19 aug. 1851; 4 iul. 1900*), non tamen immediata (*S. U. I. 27 ian. 1890*); secunda impositio manuum est essentialis (*S. U. I. 17 mart. 1897, 6 iul. 1898* — at *die 16 sept. 1877* eadem Sacra Congregatio contrarium responderat —; *S. Poen. 31 mart. 1888*).

Quare ii, qui ita ordinati sunt, ut pontifex involuntarie distractus orationem « Oremus, fratres charissimi, etc. » recitaverit manibus ante pectus iunctis, vel etiam more solito extensis aut ante pectus disiunctis, sed non extensis super capita ordinandorum, sunt denuo ex integro sub conditione ordinandi, et supplicandum est SSmo., ut suppleat de thesauro ecclesiae pro missis ab iis celebratis. *S. U. I. 6 iul. 1898*.

At valida est ordinatio, in qua episcopus et presbyteri assistentes omiserunt manuum impositionem, quam postea, errore deprehenso, episcopus supplevit recitando submissa voce orationem « Oremus, fratres charissimi », manus extensas habens super ordinandos; etsi hoc episcopus fecerit, postquam iam dixerat ordinandis « Accipe iugum Domini », aptans stolam ante pectus in modum crucis. *S. U. I. 7 iul. 1898*. Attamen si omissa extensio manus suppleta fuisset tantummodo immediate ante verba: « Iam non dicam vos servos etc. », idest post traditionem instrumentorum etc., etsi tunc repetita esset oratio « Oremus etc. », ordinatio esset iteranda sub conditione (*S. U. I. 22 aug, 1900*); si suppleta fuisset ante traditionem instrumentorum, ordinatio valeret. *S. U. I. 3 maii 1899*.

Si autem post tactum physicum capitis ordinandorum episcopus manum extensam habuit super ordinandos, saltem immediate ante recitationem « Oremus etc. », ordinatio est certo valida, etiamsi durante recitatione illius orationis episcopus non tenuisset amplius manum extensam (*S. U. I. 12 september 1877*, quod decretum male relatum a Lehmkuhl, Gasparri et aliis, integrum et genuinum refert Monitore ecclesiastico *vol. X. p. 2 pag. 241 in nota*); si autem ne ante recitationem quidem « Oremus » illa manus extensio facta fuit, ordinatio est iteranda secreto et sub conditione. *S. U. I. 30 nov. 1898*. Eodem modo, si episcopus, qui recitaverit orationem « Oremus etc. » non retinens manus elevatas

super ordinandos, de ea involuntaria omissione monitus, statim post orationem extenderit et aliquamdiu extensas manus retinuerit, valida retinenda est ordinatio. *S. U. I. 14 dec. 1898.* Quare videtur sufficere, quod episcopus aliquamdiu in recitatione illius orationis « Oremus etc. », vel immediate ante, aut immediate post, manum extensam super ordinandos habuerit (cfr. *S. U. I. 19 iul. 1899*). Hinc S. Congregratio Sancti Officii episcopo, qui initio illius orationis omiserat extensionem manus, quam postea fecerat, advertente subdiacono, sed nesciebat utrum eam orationem denuo incepisset, an solummodo prosecutus esset, respondit: « Acquiescat ». *S. U. I. 30 nov. 1898.*

Si omissa fuerint verba, quae dicenda sunt in unctione manuum, et multo magis, si postea super omnes ordinandos generali formula fuerint suppleta, ordinatio retinenda est valida. *S. U. I. 28 nov. 1900.*

Ritus impositionis manuum, quem describit pontificale, ita est intelligendus, ut episcopus et presbyteri assistentes prius imponant utramque manum super caput ordinandi, eaque impositione vix facta, statim dexteras manus extendant et extensas retineant, donec pontifex absolverit orationem « Oremus etc. »; non autem ita, ut post primam impositionem manus demittant, quas iterum elevent et extendant, quando pontifex incipit orationem supradictam (*S. R. C. in Syren. 31 aug. 1872 ad 1* [*3274*]); quod tamen nullimode officeret validitati, ut eruitur ex supracitatis responsionibus s. Officii et ex alio decreto eiusdem s. congr. rituum, quo s. Congregatio prius decretum explicare voluit. *S. R. C. in Syren. 14 iun. 1873* (*3307*).

De traditione instrumentorum et de relativa forma. — Diximus supra, materiam presbyteratus verius apud nos etiam in sola manuum impositione consistere. Sed haec theoretice sunt dicta. Practice enim sequenda est sententia Bellarmini (*Contr. de ordine cap. 9*), et generatim scholasticorum, requirentium traditionem instrumentorum ad ipsam validitatem, quousque S. Sedes nihi expresse quoad hoc definierit. Et profecto haec est praxis Sac. Rom. Congregationum, ex quarum responsionibus haec colligi posse videntur. 3266

Instrumenta debent tradi, idest tactu corporali porrigi ordinandis ab ipso episcopo (*S. U. I. 1 aug. 1697*) ordinandi vero debent ;tangere instrumenta, idest calicem cum vino et aqua (Lugo *Resp. mor. lib. I. dub. 30*; Bucc. *II. 885*) et patenam cum hostia (Pont. Rom. *tit. de ordin. presbyt.*).

Hinc, si hostia in terram decidat' antequam ab ordinando tangatur, et antequam proferatur ab episcopo forma « Accipe potestatem etc. », et sic ordinandus tangat tantummodo calicem et patenam, ordinatio sub conditione ex integro iteranda est. *S. U. I. 6 iul. 1898.*

At quum patena superposita calici unum cum eo faciat, videtur totum tangere, qui calicem tangit vel patenam. Hinc, qui postquam cuppam calicis tetigerat, proferente episcopo formam, non tangit nisi patenam et hostiam (*S. U. I. 17 mart. 1897*);

imo qui, nullo modo tacto calice, patenam et hostiam tantum tangit (*S. U. I. alia resp. eiusdem diei*) aut etiam solam patenam (*S. U. I. 17 ian. 1900*), valide iuxta plures ordinatus est.

Attamen nota, auctorem ephemeridis, cui titulus « Monitore ecclesiastico » existimare, ordinationem esse sub conditione iterandam, quando ordinandus calicem vel patenam certe non tetigit; responsiones autem Sacrae Congreg. s. Officii, quae supra citatae sunt, ita explicat, ut aliquando tactus physicus moraliter unitus cum forma non desierit, aliquando autem quaestio esset tantummodo de casibus dubiis, in quibus ideo responsum est: « Acquiescat », quia omne factum praesumitur recte factum, quousque rationes haud incertae praesumptionem non elidant. Mon. eccl. *vol. XVI pag. 374. n. 74.*

Insuper tactus instrumentorum non necessario omnino simultaneus cum prolatione formae « Accipe potestatem » etc. esse debet; nam ille, qui instrumenta prius tetigerat, sed, episcopo proferente formam, eadem non tetigit, valide etiam est ordinatus. *S. U. I. alia resp. eiusd. diei 17 mart. 1897.*

Eodem modo responsum est, ut acquiesceret, ei, qui dubitabat, an, dum forma ab episcopo prolata fuit, immediate tetigisset patenam necne. *S. U. I. 14 dec. 1898.*

Calix autem debet vinum continere; quare si ex inadvertentia vel alia quacumque de causa datus esset calix sine vino, ordinatio repetenda esset ex integro sub conditione. *S. U. I. 11 ian. 1899.* Item repetenda esset ex integro ordinatio sub conditione, si data esset patena sine hostia. *S. U. I. 17 ian. 1900.* Occasione cuiusdam sacrae ordinationis, compertum fuit, in calicem, qui ad ordinationem presbyterorum fuerat adhibitus, a ministris infusum fuisse tantum aquae, ut existimaretur eam superasse quintam partem. Dubitatio exinde orta est quoad validatem illius ordinationis, et dubium propositum Congregationi s. Officii, quae respondit: « Acquiescat ». *S. U. I. 11 mart. 1903.*

Non officit autem validitati, quod instrumenta non uni sed pluribus simul tradantur ab episcopo, etsi is proferat verba « Accipe etc. » in singulari numero. *S. U. I. 16 ian. 1901.* Idem fere responsum dederat eadem S. Congregatio s. Officii (*23 ian. 1874*), respondens quoad eumdem casum, quo episcopus pluribus in communi tradiderat instrumenta: « Nullum quoad validitatem collatarum ordinationum oriri posse dubium, dummodo tamen certum sit omnes ordinandos tetigisse tradita instrumenta ».

Instrumenta autem tradenda non necessario videntur debere esse consecrata, quum hoc nullibi dicatur, eaque praeterea non tradantur nisi in signum, signum vero possint aeque esse consecrata aut non consecrata. B. P. *V. 905.*

De interruptione in recitanda forma, vel inter materiam et formam.— In sacra ordinatione, sicut in aliis sacramentis, brevis interruptio formae, vel inter materiam et formam, non officit validitati sacramenti. *S. U. I. 20 apr. 1898.*

De communione neo-ordinatorum. Episcopus in communicandis neo-presbyteris non debet adhibere consuetam formulam « Corpus Dni, N. I. Chr. etc. », sed eos communicare debet, nulla adhibita formula, antequam diaconi et subdiaconi dixerint « Confiteor ». *S. R. C. in una Marsorum 12 nov. 1831 ad 10 (2682), in Harlemen. 17 ian. 1890 ad 1 et 2 (3721).* Aiii omnes ordinati, etiam in minoribus tantum, communicantur cum formula: « Corpus Dni. N. I. Ch. custodiat te etc. » Cfr. Pont. Rom. *de ordinatione presbyteri: S. R. C. decr. cit. 12 nov. 1831 ad 16 (2682), ubi tamen in novissima editione irrepsit error in responsionibus, qui in Indice correctus est sub voce « Ordinandi ».* Vid. *Ordo.*

Hallier F. De sacris electionibus et ordinationibus; *Thomassin L.* Vetus et nova ecclesiae disciplina; *Morinus* Comm. de sacris eccl. ordinationibus; *Gasparri P.* Tract. can. de sacra ordinatione; *Gutberlet K.* Der sakram. Ritus d. Priesterweihe; *Knelle C. A.* Zur Frage üb. d. traditio instrumentorum b. d. Weihen in d. orientalen Riten; *Many* Prael. de sacra ordinatione.

3268 **Presbyterium.** — Presbyterium est locus solis clericis reservatus, qui laicis, vel patronis aut principibus etiam supremis, multo magis feminis, patere non debet, nisi hoc ius tolerantia quadam sit emollitum. *c. 1 de vita etc. X. (III. 1);* Wernz *Ius. Decr. II. 162.*

Pretium — Vid. *Emptio - Venditio.*

3269 **Prima communio.** — Ad primam communionem admittere non est ius quoddam exclusivum parochorum; imo Catechismus Romanus (*part. II. de euch. n. 68*), nulla facta mentione parochi, dicit: « Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit, quam pater et sacerdos, cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare et a pueris percontari, an huius admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant. » Cfr. quoad hoc responsionem S. C. de Prop. Fide ad arch. Smyrnen. *6 iul. 1839.*; Monitore eccles. *vol. X part. 2 pag. 22. n. 114, vol. XIV pag. 180. n. 40.* Quare etiam religiosi eos pueros, quos habent alumnos sive internos, ut aiunt, sive externos, quosque pater aut confessarius idoneos iudicaverit, admittere libere possunt ad primam communionem neque in hoc a parochis dependent. *S. C. EE. RR. in una ordinis scholarum piarum 14 mart. 1908.* Cfr., quoad hoc decretum, commentarium editum a J. Besson *in Nouvelle Revue théol. nov. 1909.* Ceterum « laudabiles consuetudines, iure particulari confirmatae, quae illi parochorum competentiae favent, non sunt temere negligendae nec nimium urgendae ». Wernz *Ius decr. III. 737.*

Ad horum explicationem iuverit referre hic decretum recens S. C. de sacramentis circa aetatem admittendorum ad primam communionem. Est autem sequens: 3270

« Quam singulari Christus amore parvulos in terris fuerit prosecutus, Evangelii paginae plane testantur. Cum ipsis enim versari in deliciis habuit; ipsis manus imponere consuevit, ipsos complecti, ipsis benedi-

cere. Idem indigne tulit repelli eos a discipulis, quos gravibus his dictis reprehendit: *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium est enim regnum Dei* (1). Quanti vero eorumdem innocentiam animique candorem faceret, satis ostendit quum, advocato parvulo, discipulis ait: *Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno coelorum. — Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo me suscipit* (2).

Haec memorans catholica ecclesia, vel a suis primordiis, admovere Christo parvulos curavit per eucharisticam communionem, quam iisdem subministrare solita est etiam lactentibus. Id, ut in omnibus fere antiquis libris ritualibus ad usque seeculum XIII praescriptum est, in baptizando fiebat, eaque consuetudo alicubi diutius obtinuit; apud Graecos et Orientales adhuc perseverat. Ad summovendum autem periculum, ne lactentes praesertim panem consecratum eiicerent, ab initio mos invaluit eucharistiam iisdem sub vini tantum specie ministrandi.

Neque in baptismate solum, sed subinde saepius divino epulo reficiebantur infantes. Nam et ecclesiarum quarumdam consuetudo fuit eucharistiam praebendi puerulis continuo post clerum, et alibi post adultorum communionem residua fragmenta iisdem tradendi.

(1) Marc., X, 13, 14, 16.
(2) Matth., XVIII, 3, 4, 5.

Mos hic deinde in ecclesia latina obsolevit, nec sacrae mensae participes fieri coeperunt infantes, nisi illucescentis rationis usum aliquem haberent et augusti Sacramenti notitiam quamdam. Quae nova disciplina, ab aliquot synodis particularibus iam recepta, solemni sanctione firmata est oecumenici Concilii Lateranensis IV, anno MCCXV, promulgato celebri canone XXI, quo fidelibus, postquam aetatem rationis attigerint, sacramentalis confessio praescribitur et sacra communio, hisce verbis: "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur, fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum „.

Concilium Tridentinum (1), nullo pacto reprobans antiquam disciplinam ministrandae parvulis eucharistiae ante usum rationis, Lateranense decretum confirmavit et anathema dixit in eos qui contra sentirent: " Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, quum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta praeceptum S. Matris Ecclesiae, anathema sit „ (2).

(1) Sess. XXI, *De Communione*, c. 4.
(2) Sess. XIII, *De Eucharistia*, s. 8, can. 9.

Igitur vi allati et adhuc vigentis decreti Lateranensis, Christi fideles, ubi primum ad annos discretionis pervenerint, obligatione tenentur accedendi, saltem semel in anno, ad poenitentiae et eucharistiae sacramenta.

Verum in hac rationis, seu discretionis aetate statuenda haud pauci errores plorandique abusus decursu temporis inducti sunt. Fuerunt enim qui aliam sacramento poenitentiae, aliam eucharistiae suscipiendae discretionis aetatem assignandam esse censerent. Ad poenitentiam quidem eam esse aetatem discretionis iudicarunt, in qua rectum ab inhonesto discerni posset, adeoque peccari; ad eucharistiam vero seriorem requiri aetatem, in qua rerum fidei notitia plenior animique praeparatio posset afferri maturior. Atque ita, pro variis locorum usibus hominumve opinionibus, ad primam eucharistiae receptionem hinc decem annorum aetas vel duodecim, hinc quatuordecim vel maior etiam est constituta, prohibitis interim ab eucharistica communione pueris vel adolescentibus praescripta aetate minoribus.

Istiusmodi consuetudo, qua per speciem tutandi decoris augusti Sacramenti arcentur ab ipso fideles, complurium exstitit causa malorum. Fiebat enim ut puerilis aetatis innocentia a Christi complexu divulsa, nullo interioris vitae succo aleretur; ex quo illud etiam consequebatur, ut praevalido destituta praesidio iuventus, tot insidiis circumventa, amisso candore, ante in vitia rueret, quam sancta mysteria delibasset. Etiamsi vero primae communioni diligentior institutio et accurata sacramentalis confessio praemittatur, quod quidem non ubique fit, dolenda tamen semper est primae innocentiae iactura, quae, sumpta tenerioribus annis eucharistia, poterat fortasse vitari.

Nec minus est reprobandus mos pluribus vigens in locis, quo sacramentalis confessio inhibetur pueris nondum ad eucharisticam mensam admissis, aut iisdem absolutio non impertitur. Quo fit ut ipsi peccatorum fortasse gravium laqueis irretiti magno cum periculo diu iaceant.

Quod vero maximum est, quibusdam in locis pueri nondum ad primam communionem admissi, ne instante quidem mortis discrimine, sacro muniri viatico permittuntur, atque ita, defuncti et more infantium illati tumulo, ecclesiae suffragiis non iuvantur.

Eiusmodi damna inferunt qui extraordinariis praeparationibus primae communioni praemittendis plus aequo insistunt, forte minus animadvertentes, id genus cautelae a Ianseniani erroribus esse profectum, qui sanctissimam eucharistiam praemium esse contendunt, non humanae fragilitatis medelam. Contra tamen profecto sensit Tridentina Synodus quum docuit, eam esse " antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur „ (1); quae doctrina nuper a S. Congregatione Concilii pressius inculcata est decreto die 20 mensis decembris an 1905 lato (2), quo ad communionem

(1) Sess. XIII. *de Eucharistia*, c. 2.
(2) Vide supra *Communio frequens*.

quotidianam aditus universis, tum provectioris tum tenerioris aetatis patuit, duabus tantummodo impositis conditionibus, statu gratiae et recto voluntatis proposito.

Nec sane iusta causa esse videtur quamobrem, quum antiquitus sacrarum specierum residua parvulis etiam lactentibus distribuerentur, extraordinaria nunc praeparatio a puerulis exigatur qui in primi candoris et innocentiae felicissima conditione versantur, mysticoque illo cibo, propter tot huius temporis insidias et pericula indigent maxime.

Quos reprehendimus abusus ex eo sunt repetendi, quod nec scite nec recte definiverint, quaenam sit aetas discretionis, qui aliam poenitentiae, aliam eucharistiae assignarunt. Unam tamen eamdemque aetatem ad utrumque sacramentum requirit Lateranense Concilium, quum coniunctum confessionis et communionis onus imponit. Igitur, quemadmodum ad confessionem aetas discretionis ea censetur, in qua honestum ab inhonesto distingui potest, nempe qua ad usum aliquem rationis pervenitur: sic ad communionem ea esse dicenda est, qua eucharisticus panis queat a communi dignosci; quae rursus eadem est aetas, in qua puer usum rationis est assecuutus.

Nec rem aliter acceperunt praecipui Concilii Lateranensis interpretes et aequales illorum temporum, Ex historia enim ecclesiae constat, synodos plures et episcopalia decreta, iam inde a saeculo XII, paulo post Lateranense Concilium, pueros annorum septem ad primam communionem admisisse. Exstat praeterea summae auctoritatis testimonium, Doctor Aquinas, cuius haec legimus: " Quando iam pueri *incipiunt aliqualem* usum rationis habere, ut possint devotionem concipere huius sacramenti (eucharistiae), tunc potest eis hoc sacramentum conferri „ (1). Quod sic explanat Ledesma: " Dico ex omnium consensu, quod omnibus habentibus usum rationis danda est eucharistia, quantumcumque cito habeant illum usum rationis; esto quod adhuc confuse cognoscat ille puer quid faciat „ (2). Eumdem locum his verbis explicat Vasquez: " Si puer semel ad hunc usum rationis pervenerit, statim ipso iure divino ita obligatur, ut ecclesia non possit ipsum omnino liberare „ (3). Eadem docuit S. Antoninus, scribens: " Sed cum est doli capax (puer), cum scilicet potest peccare mortaliter, tum obligatur ad praeceptum de confessione, et per consequens de communione „ (4). Tridentinum quoque Concilium ad hanc impellit conclusionem. Dum enim memorat Sess. XXI. c. 4: " parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem eucharistiae communionem „, unam hanc rei rationem assignat, quod peccare non possint: Siquidem, inquit, adeptam filiorum " Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt „. Ex quo patet hanc esse Concilii mentem, tunc pueros com-

(1) *Summ. Theol.*, 3 part., q. 80, a. 9 ad 3.
(2) In S. Thom., 3 p., q. 80, a. 9, dub. 6.
(3) In 3 P., S. Thom., disp. 214, c. 4, n. 48.
(4) P. III. tit. 14, c. 2, § 5.

munionis necessitate atque obligatione teneri quum gratiam peccando possunt amittere. His consonant Concilii Romani verba, sub Benedicto XIII celebrati ac docentis, obligationem eucharistiae sumendae incipere " postquam pueruli ac puellae ad annum discretionis pervenerint, ad illam videlicet aetatem, in qua sunt apti ad discernendum hunc sacramentalem cibum, qui alius non est quam verum Iesu Christi corpus, a pane communi et profano, et sciunt accedere cum debita pietate ac religione „ (1). Catechismus Romanus autem, " qua aetate, inquit, pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere potest quam pater et sacerdos, cui illi confiteantur peccata. Ad illos enim pertinet explorare, et a pueris percunctari, an huius admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant „ (2).

Ex quibus omnibus colligitur aetatem discretionis ad communionem eam esse, in qua puer panem eucharisticum a pane communi et corporali distinguere sciat ut ad altare possit devote accedere. Itaque non perfecta rerum fidei cognitio requiritur, quum aliqua dumtaxat elementa sint satis, hoc est *aliqua cognitio*; neque plenus rationis usus, quum sufficiat usus quidam incipiens, hoc est *aliqualis usus rationis*. Quapropter communionem ulterius differre, ad eamque recipiendam maturiorem aetatem constituere, improbandum omnino est, idque Apostolica Sedes damnavit pluries. Sic fel. rec. Pius Papa IX litteris Cardinalis Antonelli ad episcopos Galliae datis die 12 martii anno 1866 invalescentem in quibusdam dioecesibus morem protrahendae primae communionis ad maturiores eosque praefixos annos acriter improbavit. Sacra vero Congregatio Concilii, die 25 mensis martii 1851 Concilii Provincialis Rothomagensis caput emendavit, quo pueri vetabantur infra duodecimum aetatis annum ad communionem accedere. Nec absimili ratione se gessit haec S. Congregatio de disciplina Sacramentorum in causa Argentinensi die 25 mensis martii anno 1910, in qua cum ageretur, admittine possent ad sacram communionem pueri vel duodecim vel quatuordecim annorum, rescripsit: « Pueros et puellas, cum ad annos discretionis seu ad usum rationis pervenerint, ad sacram mensam admittendos esse ».

Hisce omnibus mature perpensis, sacer hic Ordo de disciplina sacramentorum, in generali Congregatione habita die 25 mensis iulii a. 1910, ut memorati abusus prorsus amoveantur et pueri vel a teneris annis Iesu Christo adhaereant, Eius vitam vivant, ac tutelam inveniant contra corruptelae pericula, sequentem normam de prima puerorum communione, ubique servandam statuere opportunum censuit.

I. Aetas discretionis tum ad confessionem tum ad s. communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari,

(1) *Istruzione per quei che debbono la prima volta ammettersi alla Sacra Comunione.* Append. XXX, P. II.

(2) P. II, *De Sacr. Euchar.* n. 63.

hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto confessionis et communionis.

II. Ad primam confessionem et ad primam communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere.

III. Cognitio religionis quae in puero requiritur, ut ipse ad primam communionem convenienter se praeparet, ea est, qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat ut ea devotione, quam ipsius fert aetas, ad ss. eucharistiam accedat.

IV. Obligatio praecepti confessionis et communionis, quae puerum gravat, in eos praecipue recidit, qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum. Ad patrem vero, aut ad illos qui vices eius gerunt, et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam communionem.

V. Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu, ut supra dictum est, iam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemittantur.

VI. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est ut post primam communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Iesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione, quam talis fert aetas. Meminerint praeterea quibus ea cura est gravissimum, quo tenentur, officium providendi ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorumdem religiosae institutioni alio modo suppleant.

VII. Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut numquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt ut penitus de medio tollatur.

VIII. Detestabilis omnino est abusus non ministrandi viaticum et extremam unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant, ordinarii locorum severe animadvertant.

Haec a PP. Cardinalibus Sacrae huius Congregationis sancita SSmus D. N. Pius Papa X, in audientia diei VII currentis mensis omnia approbavit, iussitque praesens edi ac promulgari decretum. Singulis autem ordinariis mandavit ut idem decretum, non modo parochis et clero significarent, sed etiam populo, cui voluit legi quotannis tempore praecepti paschalis, vernacula lingua. Ipsi autem ordinarii debebunt, unoquoque exacto quinquennio, una cum ceteris dioecesis negotiis, etiam de huius ob-

servantia decreti ad S. Sedem referre. Non obstantibus contrariis quibuslibet. *S. C. de sacr. 8 aug. 1910.*

3271 SS. Dom. noster Pius PP. X volens maiorem excitare in fidelibus pietatem et devotionem erga ceremonias et solemnitates primae communionis, quae tanto cum fructu fidelium, adolescentium praesertim primo communicantium, instituuntur, sequentes largiri indulgentias, defunctis quoque applicabiles, benigne voluit, scilicet:

Plenariam 1° adolescentibus confessis et ad mentem eiusdem Sanctitatis Suae pie orantibus die, quo primum s. synaxim celebraverint; 2° eorumdem adolescentium consanguineis ad tertium usque gradum piis ceremoniis primae communionis astantibus, si pariter sacramentali confessione rite abluti sacram synaxim susceperint, et uti supra oraverint; - Septem vero annorum totidemque quadragenarum christifidelibus, qui corde saltem contrito eisdem ceremoniis interfuerint. *S. C. Indulg. 12 iul. 1905.*

Zornius Historia eucharistiae infantium; *Raich* Das Alter der Erstcommunicanten; *Pillet* Du droit du curé par rapport à la première communion; *Besson Jul.* L'admission à la première communion et le droit des curés: *Besson Jules* A propos du droit d'admission à la première Communion; *Gennari Casimiro* Sulla età della prima communione dei fanciulli. Breve commento del decreto « Quam singulari Christus amore ».

3272 **Primates.** — Primas, qui etiam exarcha dictus est, sensu stricto est magistratus ecclesiasticus, cuius sedi episcopali perpetuo annexum est ius quoddam super omnes metropolitanos et episcopos alicuius regionis, quamvis et ipse patriarchae sit subiectus, nisi romanus Pontifex eum immediate sibi subiectum dixerit.

Antiquitus plures fuerunt in ecclesia huiusmodi primates vera iurisdictione primatiali praediti, uti ex. gr. Ephesinus, Carthaginiensis, etc. Nunc si excipias primatem Strigoniensem in Hungaria, qui vera quaedam iura primatialia adhuc retinet, alii omnes honoris tantum titulo gaudent et praecedentia antiquam praeeminentiam et veterem dignitatem referentibus.

De Marca De primatu Lugdunensi; *Hübener* Iura primatus Germaniae; *Zech* Schediasma de origine, indole, fatis atque iuribus primatuum Germaniae; *Lammerz* Diss. de praeeminentia sedis Moguntinae; *Wolffter* Diss. de primatu sedis Moguntinae; *Mager Jos.* Diss. de primatibus, metropolitanis et reliquis episcopis eccl. Germaniae; *Steinhausen* S. Ecclesiae Trevirensis primatus tabulis demonstratus.

Princeps. — Princeps civilis, qui 3273
suprema gaudet auctoritate, nec est alterius delegatus, leges, quae ad finem temporalis felicitatis conducant, condere potest. *1. Pet. II. 13.* Vid. *Lex.* Si quis vero, licet agat nomine suo, superiori subdatur, subiacet in suis legibus irritationi et reformationi superioris. G. B. *I. 87.*

Bellum iustum inire et persequi potest, proposito prius parti adversae iure suo, eaque satisfacere nolente; secus, si competenter satisfaciat, bellum inire, vel iam initum prosequi non potest. Cavagnis *Inst. iur. publ. eccl. lib. I. p. 1. c. 1. n. 197 sqq.*

Habet praeterea potestatem imponendi tributa, dummodo sint neces-

saria, vel utilia communitati, et servetur in iis imponendis aequalitas inter subditos. Vid. *Tributum*.

74 **Privatio beneficii.** — Privato beneficii ecclesiastici est gravissima poena in iure, et inducitur vel ipso iure vel per sententiam iudicis. Santi *in tit. 37 lib. V Decr. n. 4*.

Inter privationem ipso iure inductam et inferendam per sententiam iudicis praecipuum discrimen in hoc est, quod, si poena privationis contracta est ipso iure, retrotrahitur ad diem admissi delicti. D'Annib. *I. 303 (19)*; *III. 61*. Nam beneficiatus ante sententiam iudicis declaratoriam beneficium licite retinet, sed post sententiam debet restituere fructus a die delicti perceptos, nisi eos bona fide receperit (D'Ann. *III. 61*); imo etiam ante sententiam non potest beneficium permutare, vel in alterius favorem resignare. Schmalzgrueber *in tit. 37 lib. V Decr. n. 129 sq.* Haec non verificantur in privatione, quae infligenda est per sententiam iudicis condemnatoriam, sed privatio tituli inducitur solummodo a die latae sententiae. Santi *loc. cit.*

Privatio autem convenit cum simplici depositione in hoc, quod est poena vindicativa et solis clericis propria, quae titulum seu proprietatem officii et beneficii legitime obtenti aufert; attamen privatio non impedit, quominus a privato obtineri possit novum officium et beneficium, depositio autem reddit depositum inhabilem ad nova officia et beneficia acquirenda. Schmalzgrueber *in tit. 37 lib. V Decr. n. 133*.

Ipso iure privatio incurritur ob crimina in iure expressa; idest ob haeresim et apostasiam a fide (*c. 2 § 2 de haereticis* [*V. 2*] *in 6°*); ob simoniam realem aut confidentialem in adeptione aut permutatione beneficii (*Const.* Pii V « Intolerabilis » *1 iun. 1569*); ob percussionem et realem offensionem cardinalium (*c. 5 de poenis* [*V. 9*] *in 6°*) et episcoporum (*c. 1 de poenis* [*V. 8*] *in Clem.*); ob assassinium (*c. 1 de homic.* [*V. 4*] *in 6°*) et homicidium vel mutilationem rectoris aut alterius clerici illius ecclesiae, in qua criminosus beneficium obtinet (*c. 12 de poenis X.* [*V. 37*]); ob procurationem abortus effectu secuto (*Const.* Sixti V « Effraenatam » *29 oct. 1588*; *Const.* Gregor. XIV « Sedes Apostolica » *31 maii 1591*); ob falsificationem litterarum apostolicarum (*c. 7 de crimine falsi X.* [*V. 20*]); ob duellum (*Const.* Pii IV « Ea quae » *13 nov. 1560*; *Const.* Clem. VIII « Illius vices » *17 aug. 1592*); ob iniustam occupationem bonorum cuiuscumque ecclesiae seu pii loci (Conc. Trident. *sess. XXII. c. 11 de ref.*); ob alienationem bonorum ecclesiasticorum contra praescriptum bullae « Ambitiosae » (*c. un. de rebus eccl. non alien.* [*III. 4*] *in Xvag. comm.*); nec non ob alia crimina. Vid. *Degradatio*, *Depositio*.

Per sententiam iudicis condemnatoriam infligenda est privatio beneficii ob omissionem residentiae in his, qui habent beneficia residentialia (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 1 de ref.*); ob turpem et scandalosam vitam post monitionem, si beneficiatus parochus deprehendatur incorrigibilis (Concil.

Trid. *sess. XXI. c. 6 de ref.*); ob concubinatum (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 14 de ref.*); nec non ob alia multa, quae singillatim describere longius esset. Cfr. *S. C. C. in Sorana 8 aug. 1846*; *in Derthonen. 17 iun. 1905.* In infligenda hac poena servandus est ordo iudicii canonici, si nempe agatur de beneficiis inamovibilibus; quare debet prius omnino constare de culpa, imo de sufficienti gravitate culpae, nec non, saltem ut in pluribus, debent praecessisse monitiones necessariae. D'Ann. *III. 61.*

Nota hic ea, quae habet Mühlbauer (*Th. res. S. C. C. v. « Alimenta », vol. 1 pag. 485*), scilicet: « Clerici privati beneficiis ecclesiasticis, ad quorum titulum ordinati fuerunt, nullum ius habent pro consecutione alimentorum super eorum fructibus, quamvis non habeant aliunde, quo se alere possint. Sic Monacellus (*tom. 4. suppl. ad 2. n. 410*) cum Pignatelli, ubi testatur pluries s. Congr. Concilii declarasse, posse ipsos ob sua demerita privari beneficiis absque ulla praeservatione alimentorum, et signanter *in Firmana 30 maii 1665*, *in Romana 18 maii 1864 et in Vercellen. 15 dec. 1690,* uti refert *tom. 2 tit. 23 form. 3 n. 22* et *in Asculana 13 aug. 1707 ad 1,* ubi de canonico collegiatae, qui canonicatum loco patrimonii pro congrua sustentatione subrogari obtinuerat.

Aliquando beneficiatus cum cura animarum removeri potest a sua cura etiam sine delicto, non quidem in poenam, sed ob remedium ab episcopo assumendum pro bono animarum, quod semper in his debet esse suprema lex. — Quoad hoc vide *Parochus.*

Privilegium. — **De natura privilegii et de privilegiorum divisione.** — Privilegium est gratia constans et permanens, certis personis, vel certis dignitatibus, contra, vel praeter legem communem, a superiore concessa. Wernz *Ius Decr. I. 158 II.* 3275

Dividitur ex subiecto in *personale*, quod certae cuidam personae (*c. 6 de praesumptionibus X.* [*II. 23*]*; reg. 7 iur. in 6°*), et in *reale*, quod immediate alicui loco, muneri, dignitati, et nonnisi consequenter personis, quae locum vel officium habent, conceditur. Cfr. Conc. Trid. *sess. XXIV cap. 6 de ref.*

Ex obiecto in privilegium *contra ius,* quod legi derogat (et est odiosum), et *praeter ius*, quod salva lege meram gratiam concedit (et hoc habetur ut favorabile). *cc. 1. 2 de filiis presbyt. etc.* (*I. 11.*) *in 6°.*

Ex relatione ad alios in privilegium *odiosum*, quod ita dicitur, quatenus ex privilegio uni concesso alteri sequitur incommodum (talia sunt generatim privilegia ad lites), et in *favorabile,* quod est pure favorabile, quia ita uni prodest, ut nemini noceat. Suarez *de legibus lib. VIII. c. 6. n. 5.*

Demum ex causa in *remuneratorium*, quod intuitu meritorum conceditur, et in *gratiosum*, quod datur sine his, vel his non expressis. Suarez *loc. cit. c. 4. n. 1.*

De interpretatione privilegiorum. — Interpretatio privilegiorum iisdem normis regitur ac interpretatio legum; quare favorabile large (Suarez *l. cit. c. 27. n. 3*), odiosum stricte (Suarez 3276

l. c. n. 5) est interpretandum, nisi et hoc religionis vel reipublicae intersit (Suarez *l. c. n. 7* ; D'Ann. *I. 228*), vel concessum fuerit motu proprio (Suarez *l. c. n. 8*), vel alias foret inutile (Suarez *l. c. n. 6*), dummodo non laedat ius tertii, quia tunc semper est stricte interpretandum. Suarez *l. cit. n. 9.*

Nota tamen privilegium contra legem esse per se odiosum. Suarez *l. c. n. 5.*

3277 **Quinam, quibus et quomodo privilegia concedunt.** — Privilegium contra legem, solis subditis (Suarez *l. c. c. 9. n. 5*) a legislatore vel ab habente facultatem ab ipso legislatore (Wernz *l. c. n. 159)* ; praeter legem, etiam non subditis concedi potest. Suarez *loc. nuper cit. n. 4.*

Ex generali consuetudine, peregrini gaudent privilegiis locorum, quae peragrant, etsi sint contra legem communem. Vid. *Peregrinus.*

Acquiruntur autem privilegia iure nostro non solum concessione competentis superioris ecclesiastici, sed etiam communicatione (Vid. *Communicatio privilegiorum*), consuetudine vel praescriptione (Wernz *Ius Decr. I. 160 II. c.*), confirmatione in forma specifica, de qua mox.

3278 **De confirmatione privilegiorum.** — Quoad privilegiorum confirmationem haec habe ex Wernz *Ius Decr. l. 115. IV.* : « Privilegiorum confirmatio, si sit in forma communi, iuri exsistenti robur quoddam addit, at ius, sive privilegium ablatum non restituit ; si vero datur in forma specifica tantam habet efficaciam, ut aequivaleat primae concessioni, et privilegia quoque amissa restituat. Ab huiusmodi confirmatione iuridica distinguenda est mera innovatio physica documentorum, in quibus scripta erant privilegia. Nam tali innovatione etiam in forma legitima facta ius non acquiritur, neque restituitur ».

De usu habiti privilegii. — Nemo 3279
per se tenetur privilegio uti ; potest tamen quis aliquando ad id teneri per accidens, « quatenus citra grave incommodum (privilegio) removetur impedimentum alterius obligationis implendae, v. gr. audiendi missam die dominico vel festo de praecepto ». Wernz *l. c. I. 161.*

Privilegiatus uti potest privilegio suo adversus alium privilegiatum, si hi duo privilegiati aequalia privilegia habent et in re simili ; si vero privilegia, quae duo privilegiati habent, sibi invicem opponuntur, tunc privilegium speciale praevalet generali, vel praevalet illud, quod fortius est, scilicet antiquius vel a potestate superiore concessum. Schmalzgrueber *in tit. 33 lib. V Decr. n. 100 sqq.*

De cessatione privilegiorum. — 3280
Privilegium cessat :

a) morte privilegiati, si fuerit personale (*reg. 7 iur. in 6°*) ;

b) destructione rei, cui inhaerebat, sine spe reaedificationis (Reiffenstuel *in tit. 33 lib. V Decr. n. 171*), si reale (*arg. reg. 42 iur. in 6°*) ;

c) cessante causa finali, quando privilegium est derogans iuri tertii (Suarez *l. c. lib. VIII. c. 30 n. 3*), vel est contra ius et causa cessat contrarie (non tantum negative, Suarez *loc. cit. n. 7 sqq.*), idest in contrarium mutatur, ita ut usus privilegii propter

mutationem materiae vel circumstantiarum factus sit iniustus vel iniquus (*c. 16 de clericis non resid. etc. X.* [*III. 4*]; *c. 9 de decimis etc. X.* [*III. 30*]; *l. 43 de vulg. et pupill. subst. D.* [*XXVIII. 6*]);

d) revocatione concedentis, successoris aut superioris (*c. 1 de reg. iur. X.* [*V. 41*]; Suarez *loc. cit. c. 37*) privilegiato intimata (Suarez *l. c. c. 40 n. 6*), sive ea fuerit expressa sive tacita (Suarez *loc. cit. c. 38*), quae tunc maxime censetur contingere, quum Princeps facit aliquem actum, qui non potest consistere vel habere effectum intentum, vel saltem non adaequatum, sine derogatione privilegii prius concessi (Suarez *loc. nuper cit. n. 4*);

e) lapsu temporis, ad quod concessum fuit (*c. 4 de off. et pot. iud. del. X.* [*I. 29*]; Suarez *l. c. c. 29. n. 4*);

f) defectu conditionis, sub qua competebat (Suarez *loc. nuper cit. n. 5. sqq*);

g) dein renuntiatione (*c. 6 de privileg. etc. X.* [*V. 33*]), sive expressa (Suarez *l. c. c. 33*), sive tacita (Suarez *l. c. c. 34*), a superiore acceptata (Suarez *l. c. c. 33 n. 21*), et proinde per non usum, quando agitur de privilegio afferente gravamen tertio (Suarez *l. c. c. 34 n. 16*; Wernz *Ius Decr. I. 162. III*: De Luca Mar. *Prael. iurcan. Intr. gen. n. 143. 2. III*), dummodo occasio extiterit utendi privilegio (Suarez *l. c. c. 34 n. 3*), et privilegiatus eo uti non fuerit impeditus. Glossa *in cap. 25 de verborum signif. v.* « *donec* »; Suarez *l. nuper cit. n. 5.*

Per abusum etiam amitti potest privilegium (*c. 24 de privileg. etc. X.* [*V. 33*]), sed haec est poena, quae regulariter non incurritur ante sententiam iudicis, saltem criminis declaratoriam. Reiffenstuel *l. c. n. 176 sqq.*; Suarez *l. c. c. 36 n. 8.*

Nota etiam, privilegia, quae non intuitu singularis personae privilegiati, sed intuitu solius status aut communitatis concessa sunt, non posse a privilegiato renuntiari. *c. 12 de foro comp. X.* (*II. 2*); Suarez *l. c. c. 33 num. 2.*

Specialia quaedam quoad privilegia. — Quoad privilegia clericorum, Vid. *Canonis privilegium*, *Fori privilegium.*

Quoad privilegiorum communicationem inter regulares, Vid. *Communicatio privilegiorum.*

Decr. Grat. C. XXV q. 1; tit. de privil. et exces. privileg. X. (V. 33); idem tit. (V. 7) in 6°; idem tit. (V. 7) in Clem.; idem tit. (11) in Xvag. Joannis XXII; idem tit. (V. 7) in Xvag. comm. *Mandosi Hor.* Tract. de privilegiis ad instar seu de communicatione privilegiorum; *Feliciani* Enchiridion de censuris, irregularitate et privilegiis; *Garrati Mart.* De privilegio; *Laubmeyeri Andr.* Axiomata de privilegiis; *Merckelbach Th.* Disp. de materia privilegiorum; *Henscheri Chr.* Tractatio methodica de privilegiis; *De Gironda G.* Tract. de privilegiis et privilegiorum exemptione et explicatione; *Wachmann Jo.* Disp. de privilegiis; *Curike R.* Comm. de privilegiis; *Stranchii Jo.* De privilegiis; *Suarez* De legibus lib. VIII; *Haunold Chr.* Controversiarum de iustitia et universo iure tract. decem (in primo tractatu de privilegiis; *Praidschedelius Th.* Comm. de privilegiis; *Lienpacher* Diss. de legibus ac privilegiis; *Guerreyro Camacho de Aboime* Opusculum de privilegiis familiarum; *Hatovez de Hus-*

senis Lex gratiae seu de privilegiis; *Siegel I. G.* De genuino privilegiorum conceptu; *Langhaider Const.* De multiplici privilegiorum significatione; *Wasmuth* De privilegiorum natura; *Laurentius Jos.* Anwendbarkeit d. Lehre v. d. Privilegien im kirchl. Recht; *Stammler R.* Privilegien u. Vorrechte.

3281 **Privilegium Paulinum.** — ***De natura privilegii Paulini.*** — Dicitur privilegium Paulinum, seu privilegium fidei, privilegium in eo consistens, quod, matrimonium legitimum in infidelitate contractum et consummatum, quando alter coniugum ad fidem convertitur et baptizatur, quibusdam conditionibus exstantibus, in favorem fidei dissolvitur. Casus vero iste vocatur etiam casus Apostoli a Paulo Ap. huius legis promulgatore. *I. Cor. VII. 12-15.* Ex hac doctrina Pauli deducta est praxis ecclesiae relate ad eos, qui matrimonio obstricti in infidelitate veniunt ad fidem.

Quare ante omnia patet non esse locum huic privilegio in casu matrimonii duorum christianorum, quorum alter a fide deficit; baptismum enim numquam amittit. Cfr. *S. U. I. 20 mart. 1675.*

Distinguendum praeterea est, utrum uterque veniat ad fidem, an alteruter tantum. Privilegium Paulinum non respicit primum casum, sed alterum tantum, et quidem non semper, sed tantummodo in suppositione quod coniux non conversus non consentiat habitare pacifice cum converso, aut nolit cohabitare sine contumelia Creatoris. *c. 7 de divortiis X. (IV. 19)*; cfr. Ben. XIV *de synod. lib. XIII. c. 21 n. 1; S. U. I 19 sept. 1671.*

Nostrum non est probare hic, quomodo haec praxis ecclesiae vere fundetur in illis verbis Pauli ad Corinthios; sed, hoc supposito (de quo confer, sis, Palmieri *de matrim. th. XXVI*), praxim ipsam declaramus.

Illud unum notandum heic est, privilegium hoc valere iure divino, non autem iure quodam mere apostolico. Giovine *de dispens. matr. I. p. 508;* Lehmkuhl *II. 709.* Quare matrimonium in casu iure divino solvitur.

De conditionibus requisitis ad hoc, ut quis uti possit privilegio Paulino. — 3282 Attamen ad hoc ut privilegium fidei locum habeat, ac proinde ad hoc ut matrimonium in casu solvatur, necesse est verificari conditiones, quas Christus Dnus apposuit et Paulus retulit. Porro conditio apposita praeter eam, quod una pars baptismum iam susceperit, secus enim non est *frater* (et proinde catechumenus non potest uti hoc privilegio, *S. C. P. F. ad Mission. Pekin. 16 ian. 1803*), una est: « si infidelis discedat ».

Quandonam habeatur discessus requisitus, et locum proinde habeat privilegium Paulinum. — 3283 Discessus autem infidelis tunc habetur ex interpretatione ecclesiae, quum fidelis non potest cum infideli continuare cohabitationem sine peccato aut periculo proximo peccati ex malitia infidelis. Nam tunc infidelis, etsi ipse non recedat, cogit tamen fidelem discedere, et proinde iure censetur ipse discedere. Cfr. Palmieri *loc. cit.*

Hinc est, quod locum habet privilegium Paulinum, quando infidelis non consentit habitare cum fideli (cfr. *I. Cor. VII. 12. 13*), aut quum non con-

sentit pacifice cohabitare, quando nempe, supposita cohabitatione, ex eius parte et malitia (non item consanguineorum et domesticorum, *S. C. P. F. ad Provic. gen. Tungkini occid. 5 mart. 1816*) periculum futurum esset subversionis coniugis fidelis, vel exsecrationis SS. Nominis Christi, vel christianae religionis despicientiae (Ben. XIV *de Syn. l. VI. c. 4. n. 3)*, ut si nollet audire nomen Dei et Christi nisi cum despectu, aut ea blasphemaret (De Iustis *lib. II. c. 15. n. 28*), aut pergeret usurpare superstitiones infidelitatis (Struggl *de matr. q. 2 a 6 n. 60)*, vel nollet servare monogamiam, sed retinere vellet plures uxores (*S. U. I. ad vic. ap. Nat. 11 iul. 1866*). Quid si nollet filios educare in catholica? Et S. Officium ad vicarium apostolicum Tunghini occid. (*14 dec. 1848*) respondit dari locum privilegio Paulino; sacra vero Congregatio de Prop. Fide ad miss. Fokien. (3 ian. 1777; cfr. Collectaneam prim. edit. n. 973) contrarium responderat, dummodo tamen mulier promisisset se fore curaturam omnibus modis educationem prolis in religione christiana. Verum hoc responsum non invenitur amplius in secunda Collectaneae editione.

Eodem modo locum habet privilegium Paulinum, quando exstaret aliqua lex ecclesiastica, quae cogeret fidelem non cohabitare cum infideli. Nam tunc, ex malitia infidelis nolentis se convertere, fidelis teneretur vi illius legis discedere, ac proinde non deberet esse subiectus servituti, sed posset libertate uti, qua gaudet ex privilegio a Christo concesso. Hinc quum lex ista non fovendae cohabitationis cum infideli neque semper viguerit, neque universaliter vigeat, in illis locis iisque temporibus, quibus haec cohabitatio non fuit aut non est interdicta, non potuit nec potest relinquere infidelem; in illis locis iisque temporibus, quibus haec cohabitatio fuit aut est interdicta, fidelis potuit et potest infidelem relinquere. B. P. *VI. 431.*; Palmieri *loc. cit.*

At non omnes conveniunt in hac explicatione. Sunt enim qui volunt, fidelem teneri semper ad cohabitationem cum infideli, quando discessus non provenit ex facto individuali ipsius infidelis, qui aut non vult omnino amplius cohabitare, aut saltem non vult cohabitare sine contumelia Creatoris. Quare secundum hos lex aliqua prohibens cohabitationem cum infideli non efficeret per se sola, ut fidelis ad alias nuptias convolare posset. Cfr. quoad hoc Sanchez *de matrim. lib. VII. disp. 74*, ubi duas has refert sententias. Quare auctores isti recurrunt ad dispensationem dandam a Pontifice super interpellatione facienda, « quippe Pontificis est declarare in quibusnam circumstantiis desinat obligare praeceptum divinum, quo praedicta interpellatio ante rescissionem matrimonii videtur iniuncta ». Ben. XIV *de Syn. l. VI. c. 4. num. 3.*

Sed, praeterquam quod hoc nihil facit quoad casum, quo sine ulla interpellatione praemissa fidelis optime novit, infidelem velle cohabitare et sine ulla iniuria Creatoris, tantummodo nolle converti; haec dispensatio, ad quam hi auctores confugiunt,

videtur absurda. Nam lex naturae est, quod mulier virum suum non derelinquat, et si privilegium derelinquendi datum est tantummodo in casu discessus voluntarii ex parte infidelis, infidelis autem non discedit, manet lex naturae. Quomodo ergo ab ea dispensat Pontifex? Num dispensare posset ab inquirendo, utrum prior coniux mortuus sit necne, ad hoc ut alter coniux ad alias nuptias convolet? Cfr. B. P. *VI. 438.*

Potius dicendum in casu esset ab his auctoribus id, quod de casu dicitur, quo interpellatio est impossibilis. Scilicet, si impossibile sit, ut conversus compartem infidelem interroget, vel quia adiri infidelis non potest, vel quia non constat quaenam e pluribus personis ea sit, cum qua matrimonium in infidelitate verum consisteret, ut saepe in casu polygamiae, exquirenda est dispensatio a R. P. super priore matrimonio, tamquam rato et non consummato post baptismum susceptum, ut conversus ad novas nuptias possit convolare. Quam dispensationem concessisse, dicendi sunt Gregorius XIII (*Const.* « Populis ac nationibus » *25 ian. 1585*), et s. Pius V (*Const.* « Rom. Pontificis » *2 aug. 1571*), quum Brasiliensibus , Indis etc. ad fidem conversis vel concesserunt novum matrimonium contrahere, coniugis infidelis consensu minime requisito, vel alias huiusmodi concessiones fecerunt. Cfr. B. P. *l. c.* Pesch *de matr. n. 795.*

Notandum vero est, quod ad hoc, ut fidelis uti possit privilegio Paulino, necesse est, ut infidelis iniuria et malitiose recedat; nam si iure recedit, quia v. gr. mulier commisit adulterium, non est locus privilegio Paulino. Hoc autem ita intelligendum est, ut culpa, propter quam infidelis iure discedit, commissa fuerit post baptismum nec fuerit condonata; nam si commissa fuit ante baptismum per baptismum deletur omnino.

Attamen, si pars infidelis non cognoscat delictum a parte fideli post baptismum admissum, et proinde discedens discedat tantummodo quia non vult pacifice cohabitare, datur locus privilegio; et generatim in dubiis iudicium debet semper esse in favorem fidei. *S. U. I. ad episcopum Coccinensem 5 aug. 1759; S. C. P. F. 16 ian. 1797; ad vic. ap. Sutchuen. 30 ian. 1807*; *S. U. I. ad super, miss. Kwangensis 19 apr. 1899, 26 apr. 1899.*

Infidelis autem, qui interpellatus nullam vult dare responsionem, et interim iam separatus vivit, quia ex. gr. mulier est dimissa libello repudii, ut inter Iudaeos mos est, supponitur nolle cohabitare, et proinde ius dare parti fideli, ut ad alias convolet nuptias. *S. U. I. 17 ian. 1900.*

Si qua autem catholica, matrimonio civili inito, concubinarie vivit cum infideli, qui nuper baptizatus est, quique in infidelitate aliud contraxerat matrimonium, quod per mortem alterius partis non est solutum, non potest implorare sanationem in radice; matrimonium enim prius adhuc subsistit, et non solvitur, nisi quando post conversionem et interpellationem inutiliter factam, novum infidelis baptizatus contrahit matrimonium. *S. U. I. decr. nuper. cit.*

Quaerunt Doctores, quid iuris, si infidelis prius dicat, se velle prosequi pacificam cohabitationem sine contumelia Creatoris, sed postea idipsum facto neget, quia ex. gr. pacifice non cohabitat. Porro dicendum, etiam tunc locum habere privilegium Paulinum. *S. U. I. ann. 1759, 20 sept. 1848.*

Quare consummatio matrimonii post baptismum non obstat, quominus pars fidelis uti possit privilegio Paulino. *S. U. I. ad vic. ap. Natal. 11 iul. 1866.* Ac proinde ne renovatio quidem consensus post conversionem alterutrius tollit ius parti conversae hoc privilegio utendi. *S. U. I. ad vic. ap. Oceaniae Occident. 27 sept. 1848.*

3284 **De interpellatione facienda.** — Ex his, quae supra diximus, sequitur, quod si sistamus intra limites privilegii Paulini, necesse est omnino dicere, interpellationem esse necessario et semper faciendam, quia necessario debet constare in casu dari extrema privilegii a Paulo promulgati, idest dari conditiones, sub quibus tantum discessus a Domino est permissus. *S. U. I. 12 iun. 1850, 20 iun. 1858, 22 nov. 1871; S. C. C. 27 ian. 1722; S. C. P. F. ad vic. ap. Tungk. occ. 5 mart. 1816, 30 mart. 1836.*

Interpellatio autem fieri potest per interrogationem: An velit converti necne; sed, si huic interrogationi pars infidelis respondeat negative, adiungenda necessario est alia interrogatio: an consentiat habitare absque contumelia Creatoris, nisi, ut postea dicemus, indultum sit a Romano Pontifice, ut prima tantum interrogatio fiat. *S. C. P. F. 5 mart. 1816, ad vic. ap. Bombayen. 10 dec. 1885; S. U. I. 15 ian. 1886.*

Unus est casus, iuxta quosdam, in quo non necessario facienda est interpellatio, scilicet, quando iam moraliter certo constat de pertinacia infidelis, seu de eius discessu; de quo non tantum verbis, sed et factis constare potest, ut quum infidelis ad alias nuptias iam convolavit. B. P. *VI. 436.* Attamen quoad hoc habemus responsionem quamdam S. Congr. de Prop. Fide, quae interrogata, an solemnis expulsio uxoris a marito facta, dando libellum repudii, posset interpellationis locum tenere, respondit: « faciendam esse interpellationem etiam in casu, de quo agitur, si fieri possit, aut recurrendum esse ad sedem apostolicam pro obtinenda dispensatione ». *S. C. P. F. ad provic. gen. Tungkini occ. 5 mart. 1816.* Cfr. etiam eamdem S. Cong. *pro Sinis 16 ian. 1797.*

Interpellatio autem facienda est post baptismum, non ante, nisi ex Pontificis dispensatione. *S. U. I. 13 apr. 1859; ad vic. ap. Sutchuen. orient. 3 iun. 1874, 21 nov. 1883.*

Imo aliquando ex eiusdem Romani Pontificis dispensatione, sufficit partem fidelem aliam partem interpellare per hoc unicum quaesitum: num velit converti. *S. U. I. 5 aug. 1759, 8 iun. 1836; S. C. P. F. 5 mart. 1816.* Quod, ut ex dictis patet, sic videtur explicandum. Scilicet, si agitur de locis aut de tempore, in quibus interdicta est cohabitatio cum infideli, nisi verificetur ea conditio, habentur extrema privilegii Paulini, quia coniux infidelis censetur discedere; si de

aliis locis aut de aliis temporibus agitur, Romanus Pontifex dispensat super prius matrimonium, supposito quod infidelis non convertatur, et fidelis novas nuptias contrahat.

Coniux conversus, qui interpellationem fecit priori coniugi, liber est ad alias nuptias convolandi, etiamsi prior coniux parata sit redire et cohabitare sine contumelia Creatoris, si tamen de facto non redit, etsi redire non possit, quia ex. gr. dimissa a primo coniuge adhuc infideli alteri postea nupsit, a quo detinetur nec abire permittitur, vel quia ob aliam quamcumque causam prohibetur de facto redire, dummodo vir non sit causa impedimenti, quo mulier detinetur. *S. U. I. ad vic. ap. Cocincinae occ. 12 iun. 1850*; *ad vic. ap. Siam. 22 nov. 1871*; *ad vic. ap. Nyanzen. 8 iul. 1891*. Nec tenetur per se pluries facere interpellationem, sed una sufficit; attamen poterit ex caritate plures facere. Una autem interpellatione facta, potest praefinire iustum aliquod et rationabile temporis spatium, intra quod redeat, et si non redierit, ad alia vota transire. *S. U. I. decr. nuper cit. 12 iun. 1850*. Et si fidelis, facta interpellatione, distulerit aliud inire matrimonium, non ideo, si postea vult matrimonium inire, tenetur denuo interpellare priorem coniugem; voluit tamen S. C. de Prop. Fide, ut post annum, si a prima interpellatione facienda fuerit quis dispensatus, ad eamdem faciendam teneretur. *S. C. P. F. 26 iun. 1820*.

3285 *De dispensatione ad interpellatione facienda.* — Dispensatio ab interpellatione facienda non conceditur nisi ex iusta causa, qualis esset, si ex processu saltem summario constaret, interpellationem impossibilem vel difficillimam vel inutilem fore (*S. U. I. ad vic. ap. Iaponiae Merid. 4 febr. 1891, 13 mart. 1901*), ut si ex. gr. alter coniux sit mente captus. *S. C. P. F. ad vic. ap. Sutchuen. 5 mart. 1787*; *S. U. I. ad epum. Burlingtonensem 9 dec. 1903*. At nonnisi, baptismo suscepto, dispensatio ab interpellatione facienda petenda et concedenda est. *S. U. I. 13 apr. 1859, 3 iun. 1874*.

Aliquando conceditur aliis quoque, ut dispensationem concedant ab interpellatione facienda in casu legitimi impedimenti. Porro S. Congr. s. Officii sub Clemente XIV declaravit, nomine legitimi impedimenti pro interpellatione facienda non venire solam impudentiam viri, qui, sicut prima vice uxorem vendidit, timere facit, ne eamdem recuperatam secundo etiam vendere audeat; aut praesumptionem quod pars infidelis nolit redire, quia in priori cohabitatione continuis coniuges dissensionibus agitabantur; aut praesumptionem, quod maritus infidelis postea velit recipere uxorem conversam, sed simul retinere alteram, quam duxerat uxorem post primam; si autem haberetur timor ex parte christianorum, ne ob interpellationem, intelligens infidelis haberi in loco christianos, exinde religioni ipsi molestiam afferat, statuit, consulendam esse S. Sedem, ut iudicet, num sit locus omittendae interpellationis. *S. U. I. ad vic. ap. Chensi et Chansi 23 nov. 1769*.

Iuverit etiam annotare ex instru-

ctione S. Congr. Inquis. (*20 iun. 1883 n. 44*) sequentia: « Si matrimonium acciderit cum parte catholica post baptismi susceptionem, erit inquirendum, utrum praecesserit coniugis adhuc infidelis canonica interpellatio, aut saltem a legitima potestate fuerit super eadem interpellatione dispensatum. Quatenus constiterit de facta interpellatione aut de illius dispensatione, primum matrimonium nequit amplius constituere vinculum secundum connubium irritans; quatenus vero neque interpellatio neque eiusdem dispensatio praecesserit, primum matrimonium obstabit quidem secundo, sed ordinarius iudicium suspendere debebit, et casum cum omnibus suis circumstantiis ad S Sedem remittere ».

3286 ***De tempore, quo prius matrimonium solvitur.*** — Solvítur autem matrimonium tunc tantum, quum fidelis contrahit alias nuptias validas. *c. 8 tit. cit. X.* (*IV. 19*); *S. C. C. a 1726; S. U. I. 5 aug. 1759; S. C. P. F. ad vic. ap. Sutchuen. 30 ian. 1807;* Schmalzgrueber *in tit. cit. Decr. n. 24 sqq.;* Feije *de imp. et disp. matr. n. 498.*Ex quo consequitur, quod, si ille, qui infidelis permanserat, ad fidem et ipse convertatur, antequam coniux prius conversus aliud contraxerit matrimonium, prius coniugium non modo subsistit, sed confirmatur, et ad cohabitandum etiam compelli possunt. *c. 8 tit. cit. X.* (*IV. 19*); *S. U. I. 18 maii 1892, 17 aug. 1898;* B. P. *VI. 466.*

3287 ***Quinam sint infideles.*** — Infideles autem sunt ii omnes, qui non sunt valide baptizati, etsi nomine tenus pertineant ad aliquam sectam christianam, ex. gr. protestanticam; quare vir protestans non baptizatus, qui contraxit matrimonium cum muliere protestante non baptizata, dummodo vere ex processu saltem summario constet, tum virum tum mulierem non esse baptizatos, si baptizatur, uti potest privilegio Paulino. *S. U. I. 13 mart. 1901.*

Cuinam nubere potest fidelis, discedente infideli. — Infidelis ad fidem conversus, coniuge infideli post interpellationem discedente, nubere potest etiam infideli, dummodo accedat dispensatio Rom. Pontificis ab impedimento disparitatis cultus. *S. C. P. F. ad sup. Sem. miss. ad exter. 28 maii 1846; pro Siam 17 iul. 1850; pro Chorea 12 sept. 1855.* At postea nullo in casu poterit, vivente hoc coniuge, ad alia vota transire; nam in casu matrimonii initi a christiano cum infideli ex dispensatione pontificia non est locus privilegio Paulino. *S. U. I. pro Nankin. 5 mart. 1752; ad vic. ap. Siamen. 4 iul. 1855.* Quare in hoc casu, si infidelis, nulla habita ratione promissionis factae in contrahendo matrimonio, post aliquod tempus coniugem fidelem pertrahat ad peccatum, vel non velit cum ipso vivere nisi cum contumelia Creatoris, vel etiam discedat, adhiberi quidem possunt et debent iuris remedia ad hoc, ut factam promissionem servet, vel, si servare renuit, separari poterunt, vel etiam debebunt, quoad torum et cohabitationem; sed, quousque infidelis vivit, non poterit fidelis ad alia vota transire. *S. U. I. 1 aug. 1755.* 3288

3289 ***De iure, quod habet fidelis emittendi professionem religiosam aut suscipiendi sacros ordines, infideli discedente.*** — Infidelis, qui baptizatur, si altera pars recuset pacifice cohabitare, non solum potest ad alias nuptias convolare, sed potest etiam religiosam professionem emittere, aut, si vir sit, sacros ordines suscipere; manet tamen in casu vinculum prioris matrimonii.

At quid iuris, si pars infidelis postea baptizetur? Et si alia pars religionem ingressa sit, sed nondum professionem emiserit, redire certo debet ad coniugem conversum. B. P. *VI. 471.* — Si professionem solemnem emisit, verius dicendum, solutum esse matrimonium si enim ea solvitur matrimonium ratum fidelium, multo magis videtur dicendum, solvi matrimonium consummatum, sed non ratum, infidelium (*S. C. C. in Florentina a. 1679, 1680*, Ben. XIV *de Syn. lib. VI. c. 4. n. 4;* Sanchez *de matr. lib. VII disp. 76. n 9*, contra Conink, Palao, Perez; Schmalzgrueber *in tit. 19 lib. IV Decr. n. 39*). — Si ordines sacros suscepit, verius matrimonium non solvitur (Sanchez *loc. cit. n. 11*) sed nec redire potest ad suum coniugem, nisi accesserit dispensatio Pontificis (De Iustis *lib. II. c. 15. n. 43*), quae in casu haud difficulter concederetur, vel, si prius conversus non admitteret libenter dispensationem, recurrendum esset ad dispensationem a vinculo matrimonii rati et post baptismum non consummati a summo Pontifice concedendam; quod dicendum etiam esset in casu, quo prius conversus emisisset votum castitatis in seculo aut in aliqua congregatione religiosa. B. P. *VI. 473.*

I Cor. 7,12,15; C. XXVIII. q. 1; cc. 7, 8 de divortiis X. (IV. 19); Const. Pauli III « Altitudo » 1 iun. 1537; Const. Pii V « Rom. Pontificis » 2 aug. 1571; Const. Greg. XIII « Quoniam saepe »; Const. Greg. XIII « Populis ac nationibus » 25 ian. 1585; Const. Ben. XIV « In suprema » 16 ian. 1745; *Pignatelli* Consult. canon. tom IV. cons. 189; *Holderrieder* An iudaica infidelitas post conversionem alterutrius coniugum ad fidem christianam in re christ. publica sit iusta causa divortii; *Robeck* De matrimonii in infedelitate consummati indissolubilitate; *Schmid I.* Vindiciae neophyti in causa matrimonii; *Pronat* De eo quod iustum est in matrimonio infidelium, altero converso, dissertatio; *A S. Ursula Ch.* Diss. de coniuge infideli facto fideli; *Berg* Ueber das Eheband; *Binterim* De libertate coniugis infidelis factae fidelis, si infidelis alter recuset cohabitare pacifice nec sine contumelia Creatoris, quaestio retractata; *Lämner H.* Die interpellatio coniugis infidelis u. d. päpstliche Dispens v. derselb.; *Braun K. L.* Das Privilegium d. hl. Paulus 1 Cor. 7 zur Auflösung d. v. Ungläubigen abgeschloss. Ehe u. dessen Geltung f. Akatholiken; *Biederlack J.* Ueber d. sog. Paulin. Privilegium; *Hergenröther F.* Die Auflösung d. Ehe d. Ungläubigen b. d. Bekehrung d. e. Teils durch d. Privil. Paulin.; *Tarquini C.* Ueber die Frage ob das Paulinische Privileg (1. Cor. 7. 15) sich auch auf diejenigen Personen erstrecke, welche in einer christlichen Secte die hl. Taufe empfangen haben; *Brann K. L.* Zur Lehre v. d. Natur d. Paulinum Privil. 1 Kor. 7; *Esmein* Le mariage en droit canonique I. 229; *Wernz F. X.* In tract. can. de matrimonio, auctore Petro Gasparri etc.; *Freisen* Geschichte des can. Eherechts etc. 807 fl; *Palmieri D.* Tract. de matrimonio christiano th. 27; *Ballerini-Palmieri* Opus theol. morale VI. 429 sqq.; *Leitner* Lehrb. des ER. § 66 c.

Privilegium sabbatinum. — Vid. *Sabbatinum privilegium.*

3290 **Probabiliorismus.** — Probabilioriſmus est illud systema, secundum quod tunc tantum licet sequi partem faventem libertati, quum pro ea militat ratio vere et solide probabilior. Hinc pro probabilioristis, saltem puris, lex dubia est vera lex; imo ex opinione probabili agere non licet, quia opinio probabilis non vacat dubio. Caret solido fundamento. Cfr Arendt *Crisis.*

Bibliographiam quaere sub *Conscientia.*

3291 **Probabilismus.** — Probabilismus est illud systema, secundum quod licet sequi opinionem libertati faventem, modo sit vere et solide probabilis, etiamsi contraria opinio sit probabilior. Principia generalia, quibus praecipue fundatur probabilismus sunt: *non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet*, et *lex dubia non obligat.* Cfr. Arendt *Crisis.* Vid. *Conscientia, Opinio.*

Bibliographiam quaere sub *Conscientia.*

3292 **Probatio. — De natura et divisionibus probationis.** — Probatio, ut hoc loco sumitur, est actus iudicialis quo iudici ab actore vel reo fit fides rei dubiae.

Probatio alia est iudicialis, quae fit in iudicio ecclesiastico secundum leges procedurae can.; alia extraiudicialis, quae fit extra iudicium ecclesiasticum aut forma iudiciali non servata; - alia plena, qua iudici evidenter aut saltem certe probatur res controversa; alia semiplena, qua solum probabiliter res controversa probatur, quare sententia dari nequit; - alia naturalis, quae videtur dici posse illa quae directe et immediate rem controversam probat; alia artificialis, quae proxime et directe aliud factum probat ex quo veritas rei controversae deducitur; - alia simplex; alia mixta; - alia principalis; alia contraria seu reprobatio; - alia solemnis; alia summaria.

De subiecto seu de onere probationis. — Regula generalis est: Actor debet probare; atque, actore non probante, etsi reus nihil probavit in contrarium, absolvitur. 3293

Sunt tamen exceptiones:

a) et praecipua (si tamen vere exceptio dicenda est) est quod reus tenetur probare suas exceptiones; ratio autem est quia reus in exceptione actor est.

b) alia est, si praesumptio iuris stet pro actore contra reum, uti si parochus petat decimas sui districtus ab alio possessas tempore non longo.

c) si reus fiducia causae probationem in se suscipiat. Ac tunc si deficiat in probatione, propterea causam non amittit, nisi expresse se obligaverit ad perditionem causae pro casu deficientis probationis.

d) si actori privilegium competit transferendi in reum onus probandi, ut, si pupillus, minor etc. repetit indebite solutum, reus probare cogitur se debitum recepisse.

Quare alii forsan melius dicunt regulam generalem esse illum probare debere, contra quem militat praesumptio iuris.

De obiecto probationis. — Probari 3294
debet *res dubia* ad causam pertinens; quod enim nihil momenti habet reiicitur. - *factum vel ius*, at neutrum,

si notorium est aut manifestum. R. quidem Pontifex iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, sed locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta (quum sint facti et in facto consistant) potest probabiliter ignorare. Ius ergo commune allegari potest, si cuivis notum haud sit; ius particulare locorum et personarum vel particulares consuetudines probari debent. Idem dicas de privilegiis.

Pure et simpliciter negans v. g. se mutuum accepisse etc. numquam tenetur probare, imo talis negativa *facti pura* nec directe nec indirecte probari potest, quum per rerum naturam negantis factum probatio nulla sit (intellige per testes, instrumenta etc., nam per confessionem vel per iuramentum negantis utique probari potest). Negativa *facti* non pura sed *praegnans*, quae nempe virtualiter in se continet affirmativam, ut si neges te *sponte* renuntiasse beneficio, vel vestita circumstantiis loci, temporis personae etc., directe quidem probari non potest, quia non entis nullae sunt qualitates, sed potest indirecte, et, si negans in ea fundet suam intentionem, probari debet. Idem est de negativa *iuris*, qua negatur aliquid de iure fieri potuisse, v. g. Titium initiari ordinibus, testamentum legitime esse factum etc., et de negativa *qualitatis*, quae naturaliter et communiter inesse censetur, v. g. Titium esse legitime natum. Ratio est quia in his casibus negans aliquid virtualiter affirmat, v. g. se coactum esse ad renuntiandum beneficio, Titium fuisse natum extra legitimum matrimonium: dein quilibet tenetur probare id in quo fundat suam intentionem.

De forma et modo probationis. — 3295
Assertio et accusationes probandae sunt *iudici*, idest iudici de iis fides facienda est, non adversae parti quae vix umquam adduci poterit ut iustitiam causae contrariae et iniustitiam propriae satis probatam dicat. De iudice vulgo dicitur eum secundum allegata et probata debere procedere. At *probata* non sunt ipsa testimonia, non instrumenta in se spectata, sed quatenus iudici fidem faciunt. Porro probationes proponendae sunt notario publico praesente aut saltem duobus viris idoneis, qui illas illico in scriptum redigant.

Probatio, ex qua ferri possit ac debeat sententia, debet esse clara et regulariter plena et concludens vel convincens; in criminalibus vero ubi agitur de vita et membris luce meridiana clarior. Ceterum probatio plenior et efficacior vincit contrariam minus plenam et fortem, ita ut obtineat causam qui melius probat. Debet fieri tempore legitimo seu intra terminum probatorium a iudice constitutum, qui in processu canonico praesertim est post litis contestationem usque ad conclusionem in causa. Actor, qui vere plene suam intentionem probavit, non tenetur eam iuramento firmare.

De effectibus probationis. — Effectus *plenae* probationis sunt: 3296

a) ut iudex secundum illam ferre debeat sententiam;

b) ut si reus per argumenta positiva convictus est quod deliquerit, non admittatur probatio *negativae* eum

non deliquisse. Ceterum probatio innocentiae, qua argumenta contraria convelluntur, etiam post sententiam admitti debet in causa criminali.

Effectus *semiplenae* probationis sunt:

a) ut iuramentum suppletorium imponi atque una cum aliis adminiculis iudici plenam fidem facere valeat.

b) ut in causis modicis vel antiquis nulli praeiudicium inferentibus sufficiens habeatur fundamentum ad sententiam ferendam.

c) ut ad inquisitionem specialem et purgationem canonicam deveniri possit.

Tit. de probationibus X. (II. 19); idem tit. (II. 7) in Clem.; Instr. S. C. EE. RR. 11 iun. 1880 art. 16; *Mascardi I.* Conclusiones probationum omnium, quae in utroque foro quotidie versantur..., quibus canonicae, civiles, feudales, criminales caeteraeque materiae continentur etc.; *Cognaceni I.* De probationibus; *Obrecht G.* Commentaria de probationibus; *Paciani F.* Tract. de eo, cui incumbit onus probandi; *Cala M.* Tract. de modo articulandi et probandi; *Mynsingeri I.* Comm. practici in tit. de probationibus et testibus secundi libri decretalium recogniti ab Arnoldo de Rayger; *Perez de Navarrete A.* Ad cap. 1. de probationibus; *De Sanabria F.* Resolutiones super commentariis ad titulum de probationibus; *Fermosinus N.* De probationibus; *Matthaei A.* De probationibus; *Dornsperger I. A.* Syntagma iuris de probationibus etc.; *Stimpeli I.* Compendium Mascardi de probationibus; *Bentham I.* Teoria delle prove giudiziarie trad. di B. V. Zambelli; *Weber* Ueber die Verbindlichkeit zur Beweisführung im Civilprocess; *Gabriel* Essai sur la nature des preuves; *Mittermayer K. J. A.* Teoria della prova nel processo penale: trad. di F. Ambrosoli; *Langenbeck* Die Beweisführung in bürgerlichen Rechtsstreitigkeiten; *Endemann* Die Beweislehre des Civilprocesses; *Maxen* Ueber Beweislast, Einreden und Exceptionen; *Multini M.* Delle prove e dei principali caratteri, per cui vanno distinte; *Gross K.* Die Beweistheorie i. kan. Prozess; *Gerber* Beiträge zur Lehre von dem Klaggrunde und der Beweislast; *Benevolo F.* Dei limiti delle prove nei giudizi penali secondo la dottrina e la giurisprudenza; *Bonnier* Traité théorique et pratique des preuves en droit civil et en droit criminel; *Ricci F.* Delle prove; *Lessona C.* Teoria delle prove del diritto giudiziario civile italiano.

Probitas. — Probitas ministri in sacramentis ad valorem non requiritur (Conc. Trid. *sess. VII de sacr. in gen. can. 12*); requiritur vero ad licitam sacramentorum administrationem. Rit. Rom. *tit. I. c. un. n. 4*; S. Alph. *VI. 34.* Vid. *Sacramentum.* 3297

Processiones. — **Quinam teneantur accedere ad processiones ab episcopo indictas, et quomodo compelli possint.** — Ad processiones, quae fiunt in die festo SS. Corporis Christi in litaniis maioribus, in rogationibus, et ad quascumque alias publicas et consuetas, vel quae pro bono, causa aut honore publico instituuntur, accedere tenentur, si advocentur, clerici omnes tam seculares beneficiati (non beneficiati hortandi sunt potius quam compellendi, *S. C. C. 12 iun. 1677*), quam regulares (*S. C. EE. RR. in Meliten. 12 dec. 1902; in Tergestin, et Iustinopolitana 18 ian. 1907; S. C. C. in una Altamurae 26 mart. 1678, in Surrentina 6 aug. 1689. 21 mart. 1702; S. R. C. in Sulmonen. 20 dec. 1659.* [*1141*]*; in Leodien. 2. sept. 1662.* [*1244*]), nisi hi speciale 3298

privilegium habeant (*S. R. C. decr. cit. 2 sept. 1662*), vel in strictiori clausura perpetua vivant, aut ultra medium milliare a civitate distent. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 13 de reg; S. R. C. decr. cit. 20 dec. 1659.*

Confraternitates non possunt compelli ad interveniendum processionibus. *S. C. C. in Calaritana oct. 1588; in Polycastren. 16 dec. 1899.*

Pariter compelli non possunt ad interveniendum associationes aliae religiosae; sed hae quoque, si velint, etsi non sint stricte dictae confraternitates, locum in ipsis habent (cfr. Instr. Clem. § 22). Mon. ecc. *vol. IX. p. 2, pag. 116.* Locus antem laicorum in omnibus processionibus, etiam poenitentialibus, is est, ut vel praecedant sodalibus confraternitatum sacco indutis vel procedant post sacras imagines, etc., quae deferuntur. *S. R. C. in Aversana 8 aug. 1906.*

3299 **Quasnam processiones instituere regulares possint vel non.** — Regulares autem supradicti, etiam monachi et quomodolibet exempti, accedere renuentes, compelli possunt ab episcopis poenis sibi benevisis. *S. R. C. decretis nuper citatis.* Regulares, exceptis diebus infra octavam corporis Christi (*Const.* Gregor. XIII « Quum interdum » *11 mart. 1573*), non possunt facere processiones extra claustra (*S. R. C. in Savonen. 19 dec. 1671 ad 1* [*1440*]; *in Senogallien. 12 aug. 1673 ad 1* [*1487*]), quin prius obtineant veniam uniuscuiusque parochi, per cuius territorium transeundum est, vel episcopi; quod etiam infra octavam corporis Christi valet pro confraternitatibus. *S. C. C. 3 aug. 1889.*

Attamen regularibus et confraternitatibus in ecclesiis regularium permissum est, intra eorum ecclesias et claustra processiones facere, sed non extra; si vero ecclesiae claustro careant, eisdem licet processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem ecclesiarum, hoc est prope muros ecclesiae, sive exeundo ab una ex ianuis ecclesiae et intrando per aliam sive per eamdem ianuam; et semper prope muros ecclesiae et non extra dictum ambitum, nisi de licentia ordinarii, aut cum cruce parochi, et nisi aliquod habeant speciale apostolicum privilegium. *S. R. C. decr. gen. 28 sept. 1658* (*1096*).

De ordine et praecedentia in processionibus. — Quoad quaestiones de praecedentia in processionibus, Vid. *Praecedentia.* 3300

Ad episcopum privative pertinet ordinare et dirigere processiones quo et qua maluerit, nec sine eius licentia aliter fieri licet. *S. R. C. in Hispalen. 14 maii 1672* (*1444*).

Hinc nemo, ne capitulum quidem hoc ius sibi arrogare potest vel exclusive, vel cumulative etiam cum episcopo. *S. C. C. in Tranen. 28 apr. 1888.* Cfr. Mon. eccl. *vol. VIII. p. 1. pag. 260.*

De pueris et puellis in processione adhibendis vel non. — Relinquitur arbitrio ordinarii, an in processione SS. Corporis Christi admitti possint pueri ea ratione vestiti, qua angeli depingi solent, quorum alii flores per viam spargant, alii turibulos deferant, alii uvam ac frumenti spicas manibus gestent, etc. *S. R. C. in una ordinis Minorum 7 febr. 1874* (*3324*); *in* 3301

Westmonasterien 11 dec. 1896 ad 1 (*3935*).

Non permittitur tamen quod pueri cotta induti circumeant altare, spargendo flores et tus offerendo etiam tempore benedictionis. *S. R. C. in una Soc. Iesu 11 maii 1878. ad 9* (*3448*).

De colore paramentorum in processionibus (*remissive*). — Quoad colorem in processionibus adhibendum, Vid. *Color*.

3302 **Quae non possint deferri in processionibus ss. Sacramenti.** — In processionibus, in quibus defertur ss. Eucharistiae sacramentum, non licet simul deferre instrumenta passionis D. N. I. Ch. (*S. R. C. in Veneta 17 iun. 1684 ad 1* [*1731*]), vel imaginem sacri Vultus D. N. I. Ch. (*S. R. C. in Namurcen. 29 maii 1885 ad 3* [*3636*]), vel imagines seu reliquias B. M. V. aut sanctorum (*S. R. C. in Almerien. 31 ian. 1896* [*3878*]; *in Basileen. et Luganen. 1 iul. 1898* [*3997*]).

3303 **De procedendo in processionibus nudo capite vel non.** — Praeterea in processionibus ss. Sacramenti omnes, etiam confraternitatum sodales, incedere debent nudo capite. *S. R. C. in Toletana 31 aug. 1872 ad 2 [3276], 23 iul. 1897* (*3961*). – Nec solum in processionibus, in quibus defertur ss. Sacramentum, sed etiam in aliis, in quibus defertur aliqua reliquia vel imago, ii, qui eas deferunt, detecto capite debent incedere, quamvis aliis clericis incedendum sit capite tecto (seculares vero, quando deferuntur reliquiae, detecto capite incedunt). *S. R. C. in Caietana 2 sept. 1690 ad 1* (*1841*). Attamen aliquando ob nimium frigus aut ob nimium solis ardorem concessum est, ut etiam ipsi deferentes tecto capite incederent. *S. R. C. in Oriolen. 22 apr. 1871 ad 2* (*3246*).

Episcopus autem, si est paratus, et non agitur de deferendo ss. Sacramento, incedere debet cum mitra; si autem paratus non est, et ipse debet incedere capite detecto (*S. R. C. in Maioricen. 17 iun. 1673 ad 9* [*1476*]); quod intelligendum est etiam, quando defert reliquiam s. Crucis. *S. R. C. in Angren. 18 aug. 1877 ad 4* (*3434*).

De genuflexione in processionibus facienda vel non. — Genuflectendum est in processionibus, quae fiunt per ecclesiam, dum transitur ante altare ss. Sacramenti, non obstante quacumque consuetudine in contrarium. *S. R. C. in Pacen. 14 dec. 1602* (*117*). Imo ab accedentibus et recedentibus, etsi pluviali sint induti, genuflectendum est utroque genu. *S. R. C. in Minoricen. 24 nov. 1899 ad 11* (*4048*). 3304

Quando vero defertur ss. Sacramentum, non fit genuflexio, quia omnes sunt in actuali sacramenti servitio et adoratione. Merati *Cerem. II. tit. 14. n. 4*.

De cruce hastili in processionibus. — In processionibus solemnioribus, utputa candelarum, palmarum, in sabato sancto, in absolutionibus defunctorum, et quoties episcopus pontificaliter celebraturus in ecclesia cathedrali processionaliter procedit a sacrario, sive ab alio loco deputato, ad altare, subdiaconus, etiam canonicus, deferre debet crucem; in processionibus vero aliis a supradictis alius, nempe cruciferarius consuetus, indutus superpelliceo vel tunicella, 3305

non vero pluviali, crucem debet deferre. *S. R. C. in Oscen. 16 mart. 1591 ad 18* (*9*). Quoad hoc vero aliud quoque habemus decretum posterius, scilicet: « Ceremoniale episcoporum interpretatione non indiget, et sub respectivis capitibus aperte declarat, a quo, et qua sacra veste induto deferenda sit crux; nimirum in die Purificationis, Dominica Palmarum, feria V in Coena Dni, et feria VI in Parasceve a subdiacono diverso a ministrante, amicto tunicella aut planeta plicata, prout exigit sacrae actionis qualitas; die vero commemorationis omnium fidelium defunctorum a subdiacono missae ». *S. R. C. in Alexandrina 6 maii 1826 ad 1* (*2646*).

Propositum fuerat quaesitum: An parochi, attenta consuetudine, elevare possent omnes propriam crucem in processionibus ducendis, quum non accedit capitulum cathedralis; et responsum est:

« Si accedat capitulum ecclesiae cathedralis, omnes incedere debent sub cruce cathedralis; si vero non accedat, elevanda est unica crux ecclesiae, in qua fit processio, quam sequantur omnes, qui sunt de clero seculari ». *S. R. C. in Abellinen. 28 apr. 1866 ad 3* (*3144*).

Cfr. etiam *S. C. C. in Melevitana 27 iul. 1907.*

Regulares vero incedunt sub sua cruce, quam tamen deferre debent cum velo seu palio appenso. *S. R. C. in Neapolitana 14 ian. 1617* (*344*).

Rit. rom. tit. IX. c. 1; *Zittardus M.* De supplicatione seu processione cum gestatione sacrosanctae eucharistiae; *Serarius N.* De sacris processionibus; *Gretserus I.* De sacris processionibus et supplicationibus; *Sanderus N.* Auctariolum ad Serarium Gretserumque de ritu catholicarum processionum; *Eveillon I.* De processionibus ecclesiasticis; *Anon.* De processionibus ecclesiasticis, de litaniis sanctorum, et ss benedictionibus; *Quarti P. M.* Biga aetherea seu tract. duplex de processionibus ecclesiasticis et litaniis sanctorum; *Vatar R.* Des processions de l'Eglise, de leurs antiquité, utilité et des manières d'y bien assister; *De Bonis I. H.* De processionibus ecclesiasticis; *Falsina L.* Sopra l'antichità e l'origine delle processioni.

Proclamationes matrimoniales. — Vid. *Banna.*

Procuratio. — Vid. *Visitatio.*

Procurator. — Procurator peccat 3306
contra iustitiam, si causas protrahit, si dilationes indebite obtinet. Procurator generalis etiam contra iustitiam peccat, si ex odio, praecipitatione, etc., traducat innocentem in detentionem, in iudicium et in sententiam iniustam subeundam; vel accusationem sustineat contra aliquem, eius innocentia cognita, etc. G. B. *I. 964.* Vid. *Advocatus.* An agere quis valeat per procuratorem, Vid *Absens.* An beneficiatus possit per procuratorem emittere professionem fidei, Vid. *Professio fidei.*

Prodigi. — Prodigi iuridice denun- 3307
tiati inhabiles sunt ad certos ineundos contractus lege determinatos, absque assistentia consiliarii a iudice constituti. *C. C. a 339.* Nullitatis contractuum cum his initorum opponi non potest ab iis, qui cum illis contraxerunt. *C. C. a. 341.*

Hoppe F. Von den jurist. Verschwendern; *Wael R. I. U.* Diss. de prodigis; *Wicherlink G. Th. I.* De cura prodigorum; *Lomonaco G.* Della condizione giuridica del

prodigo; *Audibert* Etud. sur l'histoire du droit romain. I. La folie et la prodigalité; *Massebiaux* Etude pour la condition juridique du prodigue et du faible d'esprit en droit romain; *Bouvier* La folie et la prodigalité en droit romain; *Appleton* Le fou et le prodigue en droit romain.

3308 **Profectitia bona.** — Profectitia bona ea dicuntur iure romano, quae filius ex bonis paternis lucratur. Horum filius nullum dominium habet, quod totum est patris. Vid. *Bona.*

3309 **Professo fidei.** — ***De ipsa professione fidei.*** — Omnes, qui obtinuerunt beneficia curata, seu cum cura animarum (etiam parochi amovibiles seu succursalistae, *S. C. C. 15 dec. 1866*), tenentur ex Tridentino (*sess. XXIV. c. 12 de ref.*) in manibus episcopi, vel eo impedito coram vicario generali, orthodoxae fidei publicam professionem facere et in romanae ecclesiae obedientia se permansuros spondere ac iurare.

Huic obligationi ex tridentino satisfacere debebant ad minus inter duos menses a die adeptae possesionis (Conc. Trid. *loc. cit.*), quamvis si eam emisissent post susceptam institutionem vel collationem, et antequam in possessionem immitterentur, obligationi pariter satisfacerent. *S. C. C. in Zamoven. 23 apr. 1902.* Nunc autem fidei professio, quae a parochis et beneficiatis una cum iureiurando contra modernistarum errores (de quo postea) praestanda est, est emittenda ante possessionem beneficii. *S. C. Cons. 1 mart. 1911.*

3310 Episcopus non potest alium sacerdotem delegare ad eam excipiendam (*S. C. C. 15 dec. 1866*; *S. C. EE. RR. 14 apr. 1890*), nisi habeat indultum sedis apostolicae, quod aliquando ad tempus (*S. C. C. in Argentinensi 9 mart. 1892*), aliquando vero etiam generaliter datum est. *S. C. C. 15 mart. 1885*; *S. C. EE. RR. 9 mart. 1892.*

Hanc professionem fidei facere be- 3311
neficiatus non potest per procuratorem (*S. C. C. 9 febr. 1726*), eamque renovare debet, si ad aliam parochiam transferatur (*S. C. C. 15 dec. 1866*), et semper facere iuxta formulam Pii IV (*Const.* « Iniunctum » *id. dec. a. 1564*) cum additionibus factis a Pio IX, *20 ian. 1877.*

Hoc praeceptum tridentinum obli- 3312
gat sub gravi in conscientia (Bouix *de Parocho p. V. c. 1. q. 3*), et semper urget, quousque impleatur. Giraldi *Addit. ad. tract. Barbosae de parocho p. 1. c. 4. n. 10.*

Beneficiatus, qui hoc negligit, non facit fructus suos (fructus praebendae, non iura stolae, nec distributiones pro canonicis, *decr. S. C. C. 9 febr. 1726 apud Ben. XIV Inst. LX. n. 11;* D'Ann. *III. 68*), qui fructus applicandi sunt, secundum plures, fabricae ecclesiae vel pauperibus. Amissio horum fructuum secundum plerosque incurritur ipso iure, nec necessaria est sententia iudicis declaratoria (*decr. S. C. C. apud Ben. XIV. l. c. n. 15*). Ad petendam condonationem horum fructuum recurrendum est ad S. Congr. Concilii. Bargilliat *Prael. iur. can. n. 868 d.*

Hanc professionem debent etiam 3313
emittere episcopi (*Const. cit. Pii IV id. dec. 1564*), antea privatim in manibus illius praelati, cui inquisitio in

eorum vitam commissa est. (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 1 de ref.*), idest generatim secretarii aut substituti S. C. Consistorialis, vel, si sint extra Urbem, Nuntii, aut episcopi a R. P. deputati; postea publice in prima synodo provinciali, cui intersunt. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 2 de ref.*; *Const.* Greg. XIV «Onus apostolicae» *15 maii 1591.*

Canonici etiam, vel dignitates ecclesiae cathedralis debent eam facere coram episcopo et capitulo, quamvis, si in capitulo sit praesens episcopus, vel eius vicarius, sufficiat una professio fidei. *S. C. C. 25 ian. et 9 febr. 1726; 16 nov. 1906.* Haec professio fidei iteranda est in qualibet nova provisione canonicatuum, dignitatum etc. in ecclesiis cathedralibus. *S. C. C. 1 apr. 1786.*

Hi etiam omnes (episcopi quoque) professionem fidei iterare tenentur in ea dioecesana synodo, quae primo quoque tempore celebrabitur (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 2 de ref.*), si ad eam convenire tenentur.

Hi omnes, nisi praecepto satisfecerint, non faciunt fructus suos, ut supra diximus,

3314 Debent praeterea emittere professionem fidei promovendi in academiis ad gradus litterarios, et doctores vel magistri publici, saltem theologiae et iuris canonici. *Const.* Pii IV «In sacrosancta» *13 nov. 1564.*

Hac eadem obligatione tenentur etiam praelati monasteriorum, conventuum, domuum religiosarum, non exceptis praelatis ordinum militarium. *Const. cit.* Pii IV «Iniunctum» *13 nov. 1564.*

De iureiurando contra errores modernistarum. — Praeter profusionem fidei, de qua hucusque diximus, praestare debent suo antistiti (et proinde, ut videtur, seculares episcopo aut ordinario suo, regulares superiori suo regulari) iusiurandum a SS. Dno PP. Pio X propositum (cfr. Acta Ap. Sedis *II. pag. 669*): 3315

«1° clerici maioribus ordinibus initiandi; quorum singulis antea tradatur exemplar tum professionis fidei tum formulae edendi iurisiurandi, ut eas accurate praenoscant, adiecta violati iurisiurandi, ut infra, sanctione;

2° sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi;

3° parochi, canonici, beneficiarii ante ineundam beneficii possessionem;

4° officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis vicario generali et iudicibus;

5° adlecti concionibus habendis per quadragesimae tempus;

6° officiales omnes in romanis congregationibus vel tribunalibus coram cardinali praefecto vel secretario eiusdem sive congregationis sive tribunalis;

7° religiosarum familiarum congregationumque moderatores et doctores antequam ineant officium.

Professionis fidei, quam diximus (scilicet Pii IV cum adiectis definitionibus Concilii Vaticani) editique iurisiurandi documenta, peculiaribus in tabulis penes curias episcopales adserventur, itemque penes Romanarum Congregationum sua quaeque officia. Si quis autem, quod Deus

avertat, iusiurandum violare ausus fuerit, ad sancti officii tribunal illico deferatur. » *Mot. propr. Pii PP. X « Sacrorum antistitum » 1 sept. 1910.*

3316 Hae praescriptiones occasionem dedere sequentibus dubiis et respectivis declarationibus:

« Ad hanc sacram Congregationem proposita sunt quae sequuntur dubia circa Motum Proprium *Sacrorum Antistitum*, die 1 septembris proxime lapsi editum, nimirum:

« 1. utrum qui, in praesenti, plura obtinent officia vel beneficia, unum dumtaxat iusiurandum praestare possint, an tot iuramenta emittere teneantur quot possident officia vel beneficia;

« 2. coram quo moderatores generales ordinum aut congregationum religiosarum praestare debeant eiusmodi iusiurandum;

« 3. an vicarius generalis delegari possit ab episcopo, generali modo, ad iusiurandum excipiendum;

« 4. utrum iuramenti formula, pluribus simul convenientibus, ab omnibus singillatim legenda sit, an vero sufficiat, ut ab aliquo ex eis recitetur;

« 5. an quotannis teneantur renovare iusiurandum vicarii parochiales, confessarii et sacris concionatores, quibus facultas singulis annis prorogatur;

« 6. utrum parochi, in locis a residentia episcopi dissitis, teneantur emittere iuramentum coram vicariis foraneis, an sufficiat ut ad episcopum remittant iurisiurandi formulam ab ipsis subsignatam;

« 7. an novi beneficiarii debeant subscribere formulam tum professionis fidei tum iurisiurandi.

SSmus Dominus Noster Pius PP. X in audientia die 21 octobris 1910 emo Cardinali Secretario sacrae Congregationis Consistorialis concessa, mandavit ut respondeatur:

« ad 1. sufficere unum iusiurandum, sed de eodem prius praestito fides exhibenda est ei, qui ius habet aliud exigendi iuramentum;

« ad 2. moderatores generales, qui actu ordini vel congregationi vel instituto praesunt, coram Patribus sui definitorii, sive assistentibus sive consiliariis generalibus; moderatores autem generales, qui in posterum eligentur, coram praeside capituli generalis;

« ad 3. affirmative, postquam ipse in manibus episcopi iusiurandum praestiterit;

« ad 4. sufficere ut, formula iuramenti ab uno recitata, a ceteris singulis, iureiurando emisso, formula ipsa subscribatur;

« ad 5. negative;

« ad 6. pro hac prima vice sufficere ut memorati parochi subsignent iuramenti formulam iuxta indultum diei 25 septembris elapsi; in posterum vere parochos teneri ad iuramentum praestandum coram eo, a quo beneficii possessionem obtinebunt;

« ad 7. quoad professionem fidei, nihil innovandum; quoad iuramentum, servandam dispositionem Motus Proprii *Sacrorum Antistitum.*

Datum Romae ex aedibus sacrae Congregationis Consistorialis, die 25 octobris 1910 ».

His accessit alterum dubium, sci- 3317
licet: « Utrum iuramentum praestandum ante susceptionem ss. ordinum,

a motu-proprio « Sacrorum antistitum » 1 sept. 1910 praescriptum, emittendum sit ante singulos ss. ordines an solummodo ante s. subdiaconatum. « Cui dubio S. Congr. Consistorialis respondit: « Sufficere ut praestetur ante ineundum sacrum subdiaconatus ordinem, salvo ordinarii iure illud denuo exigendi ante collationem singulorum ss. ordinum, si ex qualibet causa necessarium vel utile ducat ». *S. C. Cons. 24 mart. 1911.*

3318 **Professio religiosa.** — ***De natura et divisionibus professionis religiosae.*** — Professio religiosa latiori sensu est emissio votorum sive simplicium sive solemnium in aliquo religioso instituto; strictiori sensu est eadem emissio votorum tantum solemnium. Schmalzg. *in tit. 31 lib. III Decr. n. 14*; Bouix *de iure reg. I. p. 4 sect. 2. c. 1 q. 1.*

Professio potest esse tacita et expressa; haec habetur, quum quis vota religiosa dicit expressis et formalibus verbis; illa vero appellatur, quae factis potius quam verbis fit, scilicet gestando habitum (*arg. c. 23 de regularib. etc. X.* [*III. 31*]; *c. 1 eiusd. tit.* [*III. 14*] *in 6°*), vel exercendo actus professorum (*c. 4 tit. cit. X.* [*III. 31*]; Suarez *de rel. lib. VI. c. 1 n. 7*). Professio tacita pro viris hodierno iure omnino abrogata est. *S. C. super statu reg. 12 iun. 1858.*

3319 ***De professione solemni.*** — **De requisitis ad valorem professionis.** — Ad valorem professionis stricte dictae requiritur:

a) *aptitudo voventis*, ut nempe expleverit decimum nonum aetatis annum (quod quidem pro viris inductum est litteris encyclicis S. Congr. super statu reg. *19 mart. 1857;* extensum vero est etiam ad mulieres decreto S. Congr. EE. et RR. *3 maii 1902*), novitiatum saltem per annum iuxta ordinis constitutiones peregerit (Vid. *Novitiatus*), post novitiatus annum iam inde a tribus annis vota religiosa simplicia emiserit (*Litt. encycl. supra cit.; Const.* Pii IX « Ad universalis » *7 febr. 1861*; hoc ius prius viros tantum respiciens extensum est ad mulieres decreto supra citato *3 maii 1902*); ab hac conditione de expleto triennio post vota simplicia dispensat ex iustis causis aliquando Sedes apostolica, et tunc ante postulationem dispensationis exquiri debet votum capituli mere consultivum, et annotari debet in ipsa supplicatione quale fuerit iudicium capituli circa personam candidati, quin postea, obtenta dispensatione S. Sedis, necesse sit expostulare alterum votum capituli, *S. C. EE. RR. 26 ian. 1903*;

b) *consensus et acceptatio*, expressa vel tacita, praelati ordinis vel capituli, et per eos ecclesiae ipsius (*cc. 13 16 tit. cit. X.* [*III. 31*]; Suarez *l. c. lib. II. c. 4 n. 6; lib. VI. c. 2 n. 4*);

c) *voventis libertas*, nempe ut professio fiat omnino libere (S. Th. *2. 2. q. 189 a. 5*; Suarez *l. cit. lib. VI. c. 3 n. 3*), absque omni fraude, dolo (Suarez *loc. cit. lib. VI. c. 5 n. 9*), vi et metu (*c. 1 de his quae vi etc. X.* [*I. 40*]; Conc. Trid. *sess. XXV. c. 19 de reg. et mon.*; Suarez *l. c. lib. VI. c. 4 n. 9*).

De immediatis effectibus solemnis professionis. — 3320 Effectus immediati solemnis votorum professionis prae-

ter effectus, qui ex votis exsurgunt (Vid. *Votum*), duo sunt: alius est vinculum professionis religiosae coram ecclesia, alius vinculum speciale cum ea religione, in qua quis vota emisit. Prius vinculum rarissime solvitur, hoc aliud facilius abrumpitur a Rom. Pontifice, vel etiam gravibus et iustis de causis a superioribus ordinum, nisi prohibeantur. Vid. *Religiosus, Eiectio*, etc.

Praeterea professio religiosa solemnis (non professio simplex et multo minus ingressus in religionem, *S. C. super statu reg. 25 ian. 1861*), matrimonium ratum nondum consummatum iure ecclesiastico dissolvit (*cc. 2. 14 de convers. coniug. X.* [*III. 32*]; Conc. Trid. *sess. XXIV. can. 6*), eodemque iure dirimit matrimonium contrahendum (*cc. 3. 7 qui clerici vel voventes etc. X.* [*IV. 6*]; *c. un. de voto etc.* [*III. 15*] *in 6°*: Conc. Trid. *loc. cit. can. 9*). Vid. *Votum.*

Ex singulari privilegio professio simplex in Soc. Iesu dirimit matrimonium contrahendum (*Constit.* Gregorii XIII «Ascendente Domino» *25 maii 1584*).

Regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium (etiam quod ex aliis causis non valeret, imo etiam civile, *S. U. I. 22 dec. 1880*), contrahere praesumentes, nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes incurrunt excommunicationem latae sententiae episcopo reservatam. *Const.* «Ap. Sedis» *ser. 3. n. 1.*

Praeterea illegitimus solemniter professus non est irregularis quoad ordines suscipiendos, quamvis sit inhabilis ad dignitates. *c. 1 de filiis presbyt. etc. X.* (*I. 17*).

Professio religiosa vim habet extinguendi et commutandi omnia vota praecedentia, quae cum ea simul impleri non possunt (*c. 4 de voto etc. X.* [*III 34*]); vota autem, quae natura sua non excluduntur ab ipsa professione, etiam extingui possunt per illam, si quis velit in eam illa commutare, quia commutatio in melius propria auctoritate fieri potest et bonum religionis melius est quolibet temporali voto (Suarez *de leg. lib. VI. c. 14 n. 10*); imo etiam votum simplex religionis strictioris extinguitur per professionem solemnem in laxiore. *c. 5 de regularibus etc.* (*III. 14*) *in 6°.*

Praeterea per professionem solemnem vacant omnis generis beneficia, quae professus possidebat.

De professione solemni invalida et nulla (*remissive*). — Quoad professionem invalidam et nullam, Vid. *Nullitatis declaratio.*

De ritu seravndo in emissione solemnis professionis. — 3321 Ritus servandus in solemni professione votorum, quae fit intra missam, hic est: scilicet celebrans profitentium vota exceptur-us, sumpto ss. Eucharistiae sacramento, absoluta confessione ac verbis, quae ante fidelium communionem dici solent, sacram hostiam manu tenens ad profitentes sese convertit; hi vero singuli alta voce professionem suam legunt, ac postquam quisque legerit, statim ss. Eucharistiae sacramentum sumit. *S. R. C. decr. gen. 27 aug. 1894* (*3836*). Verum quidem est, de-

cretum hoc Sacrae Congregationis Rituum, quamvis loquatur de *solemni* professione, forte tamen non respicere directe professionem votorum solemnium, quum sermo ibi sit de solemni professione in religiosis virorum ac mulierum *Congregationibus*; attamen certo refert praxim communem quoad professionem etiam votorum solemnium, si quando haec intra missam fit.

At non necessario intra missam facienda est; sed fieri potest tum publice extra missam, tum privatim, a moniali etiam coram ipsa superiorissa. Si privatim fiat, aut publice extra missam (et hoc decernere ordinarii est, vel praelati regularis quoad monasteria exempta, dummodo superiorissa et communitas postulent, ut professio publice fiat), requiritur tantummodo, ut professa proferat formulam professionis, adhibitis verbis solemnitatem votorum exprimentibus. *S. C. EE. RR. 15 ian. 1903.*

3322 ***De professione votorum simplicium.*** — **De professione votorum simplicium in ordinibus regularibus.** — **De professione votorum simplicium quoad viros.** — Quoad professionem votorum simplicium, quae praecedit professionem votorum solemnium pro viris, haec sunt notanda, quae Pius IX. praescripsit litteris encyclicis S. C. super statu regul. *19 mart. 1857.* Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, constitutionum apostolicarum et statutorum ordinis a S. Sede approbatorum, novitii vota simplicia debent emittere postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam maiorem, quae forsan a statutis proprii ordinis a Sancta Sede approbatis requiritur; et quoad laicos et conversos, postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in constitutione Clementis VIII incipiente «In supremo», praefinita est. Vid. *Novitiatus.*

Professi post triennum a die, quo vota simplicia emiserunt, computandum, si digni reperiuntur, ad professionem votorum solemnium debent admitti, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus fuerit concessa. Potest vero superior generalis ac etiam superior provincialis ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum differre, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum. Si vero in ordine seu instituto provinciales non habentur, eadem differendi professionem votorum solenium facultas attributa est etiam superiori domus novitiatus, de consensu tamen magistri novitiorum et duorum religiosorum, qui in instituto aliquo gradu insigniti sunt.

Patet autem, triennium hoc votorum simplicium ante professionem votorum solemnium requisitum remitti posse vel abbreviari per dispensationem apostolicam. Tunc superior ante expostulationem dispensationis exquirere debet votum capituli mere consultivum, annotando in ipsa supplicatione quale fuerit iudicium capituli circa personam candidati, nec necesse est, ut postea, obtenta dispensatione, alterum votum expostulet. *S. C. EE. RR. 26 ian. 1903.*

Debent praeterea novitii ad hoc ut ad validam professionem votorum simplicium admittantur, iis omnibus qualitatibus pollere, quae ad hoc a iure exiguntur.

3323 Hinc merito S. Congregatio de religiosis sequentibus dubiis subnexas dedit responsiones, scilicet:

« I. Quidam religiosus, dimissus, ab una domo ordinis, de consensu superioris generalis, in alia domo eiusdem ordinis ad novitiatum admissus fuit ante decretum d. d. 7 septembris 1909, quod incipit « *Ecclesia Christi* » (Vid. *Novitiatus*), sed post eiusdem decreti publicationem, professionem votorum simplicium emisit, non implorato indulto Apostolico. Quaeritur, utrum valida sit professio, an vero sanatione indigeat.

« II. Quidam religiosus, dispensatus a votis emissis in alio ordine, congregatione, vel instituto, ad novitiatum in diverso ordine admissus fuit ante publicationem supradicti decreti. Quaeritur, utrum ad professionem votorum simplicium indigeat indulto Apostolico, an vero absque indulto valeat professionem emittere.

« Et Sacra eadem Congregatio respondendum censuit, prouti respondet:

« Ad I. *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam.

« Ad II. *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam » *S. C. de rel. 4 ian. 1910.*

3324 Circa decretum autem *Ecclesia Christi* declarationes quaedam editae sunt, quae respiciunt tum admissionem ad novitiatum tum admissionem ad professionem, et hic referendae sunt. Sunt autem:

« I. An postulantes ad novitiatum admissi ante publicationem decreti et in ipso comprehensi, valide ad professionem admitti queant, absque venia Apostolicae Sedis.

« II. An ii, qui in aliqua familia religiosa primam tantum professionem emiserant ante publicationem decreti, valide admitti possint ad alteram professionem, scilicet solemnem in ordinibus regularibus, et perpetuam in ceteris institutis, si in decreto comprehensi fuerint.

« III. An valide et licite ad novitiatum admitti possint postulantes, qui a seminariis vel a collegiis sive ecclesiasticis sive religiosis, vel a novitiatu dimissi quidem non fuerunt *formaliter*, sed *aequivalenter*, id est, quos superiores induxerunt vel hortati sunt, ut sponte discederent ne dimitterentur.

« IV. An recipi valeant ii, qui professionem votorum temporaneorum in aliqua congregatione emiserunt, sed, peracto tempore, eamdem sponte non renovarunt.

« Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X respondendum mandavit.

« Ad I. *Negative.*

« Ad II. *Affirmative*; sed superiores sub gravi obligatione tenentur: *a*) opportunas, secretas iuratasque informationes exquirere superiorum seminarii, vel collegi, vel instituti religiosi a quo, circa veras causas exitus alumnorum, de quibus agitur; *b*) moraliter aliunde certos fieri et de bonis eorum religiosis moribus, et de solidae vocationis argumentis, et si agatur de clericis candidatis, etiam de idoneitate

litteraria. Et superiores a quo, graviter onerata eorum conscientia, tenentur sincere et sub iuramento secretas huiusmodi informationes a superioribus ad quos exquisitas transmittere.

« Ad III. Valide quidem per se, sed omnino illicite. Et ad fraudes vel abusus e medio tollendos in re tanti momenti, superiores nullum ex huiusmodi candidatis admittant, antequam per accuratas et secretas informationes a moderatoribus seminariorum, vel collegiorum ecclesiasticorum sive religiosorum, vel religiosi instituti, in quo novitii fuerunt, sub fide iuramenti habitas, certi omnino fuerint, candidatos, neque formaliter dimissos fuisse, neque aequivalenter. Quod si de candidatis clericis agatur, pariter constare debet de eorum idoneitate litteraria.

« Ad IV. *Affirmative*, praehabitis tamen iuratis informationibus, ut supra, in responsione ad II et III.

« Contrariis quibusqumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus » *S. C. de rel. 5 apr. 1910.*

25 Ad quaedam dubia diluenda, quae circa superius dicta enata sunt Pius IX, attentis precibus magistri generalis ordinis praedicatorum S. Dominici, haec decrevit (quae praesertim post const. « Ad universalis » *7 febr. 1862*, cunctos ordines prorsus afficiunt, Lucidi *de vis. sacr. lim. II. de 4° rel. cap. 145 not.*), videlicet:

1° Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient.

2° Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est Rom. Pontifici, cui professi gravibus urgentibus causis preces porrigere poterunt.

3° Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte ordinis in actu dimissionis professorum, ita ut, data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

4° Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad magistrum generalem ordinis cum suo generali consilio. Idem magister generalis cum suo generali consilio poterit in casibus extraordinariis, et praesertim pro regionibus et locis longinquis, ad dimissionem decernendam subdelegare probos et prudentes religiosos, qui saltem tres esse debent.

5° Licet ad decernendam dimissionem, neque processus, neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen superiores procedere debent summa caritate, prudentia, et ex iustis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota; secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit.

6° Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent.

7° Superiores regulares, ad quos

spectat, concedere poterunt huiusmodi professis litteras dimissorias dumtaxat ad primam tonsuram et ad ordines minores, servatis tamen de iure servandis, et praesertim quae circa ordinationes regularium ab Apostolica Sede praescripta sunt.

8° Anni professionis, qui in dicto ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur; et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.

9° Professi votorum simplicium dominium *radicale*, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et redituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo ordini (nota, pro Minoribus et Capucinis his verbis « ac etiam ordini » subrogata fuisse haec alia « non tamen suo erdini »), si ita pro eorum lubitu existimaverint.

10° Professi votorum simplicium remanere debent in domibus professorii et studiorum et vitam communem perfectam observare.

11° Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est.

Haec Sanctitas sua statuit atque constituit, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus, quibus Apostolica auctoritate derogat ac derogatum esse declarat. — *S. Congr. super statu reg. 12 iun. 1858.*

Professi votorum simplicium in or. 3326
dinibus vere regularibus non tenentur ad recitationem privatam divini officii, quamvis debeant choro interesse ut solemniter professi. *S. C. super statu regul. 6 aug. 1858.*

Novitii nequeunt admitti statim ad 3327
vota solemnia et professionem, etsi, quum novitiatum explent, viginti quinque annos fuerint praetergressi. *S. C. super statu regul. 20 ian. 1860.*

Professi votorum simplicium suf- 3328
fragium non habent in actis capitularibus sui conventus, quae respiciunt receptionem ad votorum solemnium professionem. Reiectio vero alicuius professi simplicis a maiori parte patrum in consilio, vel totius conventus in capitulo per suffragia secreta prolata, haberi nequit a magistro ordinis generali, nulla alia intercedente inquisitione aut informatione, tamquam legitima et iusta causa aut prudens iudicium, ad hoc ut eiusdem professi votorum simplicium dimissio ab ordine et eorumdem votorum solutio ab ipso cum suo generali consilio decerni et declarari possit. Pro admissione vero ad vota solemnia post expletum triennium votorum simplicium audiri quidem debet capitulum conventuale ad instructionem animi superiorum; minime vero a superiore generali vel ab eius subdelegato standum est resolutioni eiusdem capituli. Quod si aliunde habeantur legitimae causae ad dimittendos

professos votorum simplicium, hoc in casu servanda sunt ea, quae, articulis 4° et 5° decreti S. C. super statu regul. 12 iun. 1858 praescripta sunt. *S. C. super statu reg. 7 febr. 1862.*

Quaeri potest an professi votorum simplicium excludantur tantummodo a ferendo voto pro receptione ad professionem solemnem, de quo ex dictis patet, vel excludi censendi sunt etiam a voto ferendo, pro admissione ad simplicem professionem et forte etiam ad habitum. Circa hanc quaestionem triplex habemus responsum Ss. Congregationum.

Primum est s. Congr. super statu regularium (*20 aug., 1 sept. 1875*), quae ad petitionem ministri generalis ordinis Minorum ad sequens dubium, an videlicet inter actus receptionis ad votorum solemnium professionem recensitus intelligatur actus ferendi suffragium pro admissione ad professionem votorum simplicium, ita ut ab eo excludantur ipsi professi votorum simplicium, approbante SSmo, respondit: « Affirmative ».

Alterum est S. Congregationis episcoporum et regularium (*20 maii 1904*), quae respondens ministro generali ordinis Carthusiensis interroganti an professi votorum simplicium votum ferre possint pro admissione postulantium in ordinem, « perpensis omnibus decernendum esse censuit, prout praesentium tenore decernit, professos votorum simplicium, quamvis in subdiaconatus ordine constitutos, vocem non habere pro qualibet receptione. Eadem tamen S. Congregatio omnes et singulas receptiones aut admissiones ad ordinem hucusque peractas, in quibus contigerit etiam professos votorum simplicium in subdiaconatus ordine constitutos suffragium tulisse, ratas habet atque confirmat ».

Tertium constat ex responsionibus, quae eadem S. Congregatio episcop. et regul. dedit (*20 febr. 1905*) quibusdam dubiis propositis a vicario generali congregationis Cisterciensis Helveto-germanicae. Dubia et responsiones hic subnecto:

« 1° Habentne monachi congregationis Helveto-germanicae ordinis Cisterciensis communis observantiae simpliciter professi suffragium *a*) in admissione alicuius candidati ad novitiatum; *b*) in primo et secundo scrutinio pro novitiatu continuando; *c*) pro admissione ad vota simplicia emittenda post unum annum novitiatus?

2° Habentne iidem monachi simpliciter professi suffragium in quibuscumque alienationibus ex parte monasterii?

3° Habentne moniales congregationis Helveto-germanicae ordinis Cisterciensis communis observantiae simpliciter professae suffragium *a*) in admissione alicuius candidatae ad novitiatum; *b*) in primo et secundo scrutinio pro novitiatu continuando; *c*) pro admissione ad vota simplicia emittenda post annum unum novitiatus?

4° Habentne eaedem moniales simpliciter professae suffragium in quibuscumque abalienationibus ex parte monasterii?

5° Habentne eaedem moniales simpliciter professae vocem activam (ita ut possint eligere non autem eligi) in electione abbatissae in dies vitae?

Et responsum est: « Affirmative in omnibus ».

3329 Praeterea nota, ex eo, quod professi votorum simplicium fiunt participes omnium gratiarum et privilegiorum, nec non vocis activae et passivae, quemadmodum et professi votorum solemnium, non esse deducendum eos in superiores licite et valide eligi posse. *S. C. super statu regul. 16 ian. 1891.*

3330 Statutum quoque est, renunciationem, de qua Concilium Tridentinum *sess. XXV. c. 16 de reg. et mon.* loquitur, pro professis votorum simplicium locum habere infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium. *S. C. super statu regul. 1. aug. 1862.*

3331 Per professionem votorum simplicium, quae praecedunt professionem solemnem, beneficia etiam residentialia, quae professus habebat, non intelliguntur vacare. *S. C. EE. RR. 30 mart. 1908.*

3332 **De professione votorum simplicium quoad mulieres.** — Iuverit hic referre quoad partem dispositivam integrum decretum S. Congr. Episcoporum et Regularium relate ad vota simplicia monialium praemittenda solemni professioni. Porro decretum est sequens:

1° In omnibus et singulis sanctimonialium monasteriis cuiuscumque ordinis seu instituti, in quibus vota solemnia emittuntur, peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, constitutionum Apostolicarum et legum ordinis seu instituti a S. Sede approbatarum, novitiae vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Concilio Tridentino statutam, vel aliam maiorem quae forsan a constitutionibus proprii ordinis seu instituti a S. Sede approbatis requiratur.

2° Huiusmodi professae post expletum triennium a die, quo vota simplicia emiserunt, computandum, si dignae reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur; sublata cuilibet potestate hac super re dispensandi, ita nempe, ut si qua, non exacto integro triennio, ad professionem solemnem, quacumque ex causa admitteretur, professio ipsa irrita prorsus foret ac nullius effectus.

3° Firma tamen in suo quaeque robore manere declarantur indulta a S. Sede iam impertita, quorum vi, nonnullis in locis seu institutis, professio votorum simplicium ad longius tempus emitti possit.

4° Praeterea ex iustis et rationabilibus causis, de quibus tum monasterii superiorissa, tum novitiarum magistra fidem scripto facere debent, poterit ordinarius pro monasteriis suae iurisdictioni subiectis, et superior generalis seu provincialis pro monasteriis, quae exemptionis privilegio gaudent, indulgere in casibus particularibus, ut professio votorum solemnium differatur, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum.

5° Vota simplicia, uti praefertur emissa, perpetua sunt ex parte voventis; et dispensatio super iisdem Romano Pontifici reservatur.

6° Professae istiusmodi votorum simplicium fruuntur et gaudent iisdem indulgentiis, privilegiis et favoribus spiritualibus, quibus legitime fruuntur

et gaudent professae votorum solemnium proprii cuiusque monasterii; et quatenus morte praeveniantur, ad eadem respective suffragia ius habent.

7° Eaedem tenentur ad observantiam regularum et constitutionum, non secus ac solemniter professae, itemque tenentur choro interesse; quatenus vero legitime impediantur, quominus choro intersint, ad privatam officii divini recitationem non obligantur.

8° Tempus a constitutonibus cuiuslibet ordinis seu instituti praescriptum ad vocem activam et passivam assequendam, a die emissionis votorum simplicium computatur. Verumtamen professae votorum simplicium numquam suffragium, imo ne locum quidem habebunt in capitulis, in quibus et quatenus agitur de admittendis ad professionem solemnem; eaeque deputari quidem poterunt ad minora coenobii officia, sed ad munia superiorissae, vicariae, magistrae novitiarum, assistentis seu consiliariae, et oeconomae eligi nequeunt.

9° Potiores iure, utpote seniores, censentur, quae prius vota simplicia nuncupaverint, ita tamen ut quaecumque, iuxta superius dicta, professionem solemnem ultra triennium distulerint, loco interim cedant etiam iunioribus solemniter professis, recepturae iterum iura ratione prioris professionis quaesita, ubi primum vota solemnia et ipsae emiserint.

10° Dos pro quolibet monasterio statuta tradenda est ipsi monasterio ante professionem votorum simplicium.

11° Professae votorum simplicium retinent radicale suorum bonorum dominium, de quo definitive disponere non poterunt, nisi intra duos menses proxime praecedentes professionem solemnem, ad normam S. Conc. Trident. *sess. XXV de reg. et monial. cap. 16.* - Omnino vero interdicta ipsis est eorumdem administratio, nec non quorumcumque redituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo ordini seu monasterio, quatenus ex huius parte nihil obstet, et ipsae plena libertate id opportunum existimaverint. - Quod, si durante tempore votorum simplicium alia bona legitimo titulo eis obvenerint, eorum quidem dominium radicale acquirunt, sed administrationem, usumfructum et usum cedere quamprimum debent, ut supra, servata etiam lege non abdicandi dominium radicale, nisi intra duos menses proximos ante professionem solemnem.

12. Ad dimittendas e monasterio praefatas votorum simplicium professas recurrendum erit in singulis casibus ad S. Sedem, distincte exponendo graves causas, quae dimissionem suadere seu exigere videantur.

13. Sorori professae votorum simplicium a monasterio discedenti sive ob votorum dispensationem a Sancta Sede Apostolica impetratam, sive ob decretum dimissionis, ut supra, emissum, restituenda erit integra dos quoad sortem, exclusis fructibus.

Igitur haec S. Congregatio, de ex-

pressa apostolica auctoritate, praesentis decreti tenore quaecumque superius praescripta, declarata ac sancita sunt, ab omnibus, ad quos, seu quas spectat, ex obedientiae praecepto servari et exsecutioni demandari districte iubet, non obstantibus contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, quibus ad praemissorum effectum a Sanctitate sua specialiter et plene derogatum esse declarat. — Datum Romae *die 3 mai 1902.*

3333 Quum autem applicatio regularum in hoc decreto statutarum nonnullis dubiis visa fuerit obnoxia, emus cardinalis archiepiscopus Bononiensis quaedam dubia eidem S. Congregationi episcoporum et regularium proposuit. Dubia sunt sequentia:

1° Quaestio — Quaelibet instituta monialium suum habent ceremoniale seu rituale pro admittendis novitiis ad religiosam professionem. Ritus autem praescriptus generatim unicus est, quum unica fere ubique antehac exstiterit professio. Iam quaeritur, utrum ille ritus servandus deinceps erit pro prima, aut pro secunda, aut pro utraque professione. Quod si duplex ratio sacram functionem celebrandi deinceps erit inducenda, pro duplici nempe professione votorum simplicium et votorum solemnium, spectabitne ad episcopos (aut ad superiores generales quoad monasteria exempta) ceremonias servandas et formulam a profitentibus exprimendam determinare? Quatenus affirmative, quaenam in praxi erit norma generatim sequenda? Quatenus negative, ceremoniale seu rituale erit impetrandum ab ista S. Congregatione, aut a S. Congregatione SS. Rituum?

2ª Quaestio — In numero 8° decreti recognoscitur capitulum monialium pro admittendis ad professionem solemnem illis, quae congruo tempore in professione votorum simplicium permanserunt. Porro huiusmodi capitulum eritne necessario faciendum illis in communitatibus, in quibus de acceptatione, de vestitione et de professione alumnarum capitulariter agitur? Quod si fieri absolute debeat, sufficietne pro aliqua a professione excludenda, quod moniales capitulares secreto suffragia contraria conferant, aut necesse erit, ut quaelibet monialis suffragii contrarii rationem expresse declaret, exponendo nempe graves causas, quae dimissionem suadere seu exigere videantur, Sanctae Sedis iudicio subiiciendas? Ratio dubitandi ex eo oritur, quod, peracta professione simplici, communitas religiosa non est amplius libera retinendi aut dimittendi alumnam; sed res pleno iure ad supremam ecclesiae auctoritatem spectat.

3ª Quaestio — Numero 7° decreti declaratur, professas votorum simplicium choro interesse debere; quatenus vero legitime impediantur, quominus choro intersint, ad privatam officii recitationem non obligari. Quid vero si qua a choro abstineat absque legitimo impedimento? Quae ita se gerat, negligentiae notam coram sororibus, et, quod magis est, culpae maculam coram Deo videtur incurrere. At obligatane erit divinum officium privatim recitare?

4ª Quaestio — Numero 10° decreti

statuitur, dotem esse solvendam ante professionem votorum simplicium. — Numero 7° professis votorum simplicium omnes favores spirituales indulgentur, quae competunt professis votorum solemnium, nec non omnia suffragia, si morte praeveniantur. — Numero 12° decernitur, ad dimittendas e monasterio votorum simplicium professas recurrendum esse in singulis casibus ad S. Sedem. — Quae hisce in locis sanciuntur nullam difficultatem praeseferunt pro iis ordinibus aut institutis, in quibus hucusque unica observata est votorum professio. Ast adsunt religiosae familiae, que iuxta regulas approbatas a S. Sede, duplici professione, simplici et solemni utuntur. Quid sane, si ad tramites constitutionum huiusmodi institutorum, aut dos solvenda esset ante professionem solemnem, aut privilegia (praesertim pia post mortem suffragia) pro monialibus votorum simplicium essent minora, aut (quod potius videtur) superiorissa generalis haberet facultatem dimittendi professam votorum simplicium? Quae in privatis (*sic*) numeris enunciantur suntne praeceptiva pro omnibus omnino institutis votorum solemnium, aut exceptionem patiuntur relate ad ordines seu instituta, quae speciales dispositiones quoad praedicta habent, sive in regula, sive in constitutionibus?

S. C. Episcoporum et Regularium sub die 18 iulii 1902, respondit:

Ad 1^um^. Ritum seu ceremoniale in unoquoque monasterio receptum adhibendum esse in emittenda prima professione, pro qua consuetae formulae, suppressis, si adsint, verbis solemnitatem exprimentibus, adiiciatur, novitiam nuncupare vota simplicia iuxta decretum a S. C. EE. RR. die 3 mai 1902 editum; professionem autem secundam emitti posse privatim in choro, sive oratorio interiori, coram communitate in manibus superiorissae, praevia approbatione ordinarii, seu praelati regularis quoad monasteria exempta.

Ad 2^um^. Capitulum habendum esse etiam in praefatis casibus; eius tamen votum esse mere consultivum; locum quoque fieri posse discussioni super qualitatibus candidatae; scrutinium vero per secreta suffragia peragendum esse. Porro si omnia vel pleraque suffragia contraria forent admissioni ad solemnem professionem, ita ut attento etiam articulo quarto ipsius decreti ageretur de dimittenda sorore a monasterio, res subiicienda esset iudicio S. Sedis, ad quam proinde ordinarius, vel pro monasteriis exemptis praelatus regularis, distinctam omnium relationem transmittet.

Ad 3^um^. Professas votorum simplicium ad recitationem divini offici extra chorum non teneri.

Ad 4^um^. Recurrendum esse in casibus particularibus.

S. C. EE. RR. in Bononien. 18 iul. 1902.

Iuverit etiam hic referre responsiones S. Congr. de religiosis ad quaedam dubia eidem proposita circa novitias in quodam monasterio admissas post decretum *Perpensis* ad professionem votorum solemnium non praemisso triennio votorum simplicium ex ignorantia eiusdem decreti emissionem votorum simplicium ante 3334

vota solemnia praescribentis, ut supra diximus.

Dubia et relativae responsiones hae sunt:

« An professio, quam moniales praedictae emiserunt post diem 3 mai 1902 tamquam solemnem, non praemisso triennio votorum simplicium ex ignorantia decreti *Perpensis*, haberi debeat tamquam nulla. Et quatenus affirmative:

2° An professio, in iis circumstantiis emissa, debeat saltem haberi valida uti professio simplex.

3° An renuntiatio, donationes etc., a moniali factae occasione talis invalidae professionis habendae sint tamquam nullae ac proinde res donatae ab illa legitime repeti possint cum dote ».

Et responsum est: « Ad 1° Affirmative; Ad 2° Negative; Ad 3° Affirmative ». *S. C. de relig. 30 iul. 1909.*

3335 Nota praeterea, dotem, quae iuxta ea, quae supra diximus, monasterio tradenda est ante professionem votorum simplicium, si, durante triennio, professa moriatur ante emissionem votorum solemnium, monasterio manere, nec heredibus, qui ab intestato defunctae succedunt, esse restituendam. *S. C. EE. RR. 26 mart. 1904.*

Hae votorum simplicium professae debent sicut aliae moniales vivere in communitate sub exclusiva dependentia superiorissae, non autem sicut novitiae sub dependentia adhuc magistrae novitiarum et sub disciplina novitiatus. *S. C. EE. RR. 12 oct. 1904.*

Quoad explorationem voluntatis puellarum ante professionem, Vid. *Examen.*

De professione votorum simplicium in congregationibus recentioribus. — 3336 In his vota distinguuntur in perpetua et temporaria, et novitius, antequam emittat professionem perpetuam in pluribus institutis debet aliquod tempus in votis temporaneis transigere. Hoc tempus pro futuris institutis approbandis omnino exigitur in constitutionibus determinatum. Etenim *Normae* (*aa. 103-107*) circa hoc sequentia statuunt:

« a. 103. Tria praedicta vota (paupertatis, castitatis et obedientiae) emittantur ad annum per periodum trium annorum minimum, et sex annorum ut maxime.

a. 104. Post tres annos votorum annualium fieri potest, si instituto placet, alia professio triennalis: ita prorsus ut universa periodus votorum temporaneorum extendatur ad sex annos maximum.

a. 105. Elapso tempore votorum temporaneorum in constitutionibus praefinito, soror admittenda est ad vota perpetua, si digna est; si secus, ab instituto dimittatur.

a. 106. Statim ut vota ad certum tempus emissa exspirant, sine interposita mora renoventur a singulis et publice ».

Haec vota, etiam temporaria, s. Sedi 3337 reservata sunt. *Const.* Leonis XIII « Conditae » *8 dec. 1900.*

Vota perpetua in his institutis emissa (non autem temporaria vota) inducunt vacationem beneficiorum, quae professus antea possidebat. *S. C. EE. RR. 25 aug. 1903.*

Vota temporaria non faciunt ut professus exinde instituto suo omni-

no incardinatus diei debeat, sed hic est effectus votorum tantum perpetuorum; verum ius quoddam tribuunt professo ut ex instituto sine iusta causa non dimittatur. Vid. *Dimissio*.

Quoad effectus votorum simplicium in congregationibus religiosis nota eos generatim similes esse effectibus ortis ex voto simplici in ordinibus regularibus. Ceterum vid. *Paupertas*, *Obedientia*.

Decr. Grat. C. XVII. qq. 1. 2; C. XXVII; C. XXXIII. q. 5; tit. de regularibus etc. X. (III, 24); idem tit. (III. 14) in 6°; idem tit. (III. 9) in Clem.; idem tit. (III, 8) iu Xvag. comm.; tit de conversione coniug. X. (III. 32); tit. de voto et voti redemptione X. (III. 34); idem tit. (III. 15) in 6°; idem tit. (VI) in Xvag. Ioann. XXII; tit. de statu monach. ét canon. regul. X. (III. 35); idem tit. (III. 16) in 6°; idem tit. (III. 10) in Clem.; tit. qui clerici vel novantes etc. (VI. 6); *Pellizarius* Manuale regularium tr. 3; *Rodriguez M.* Quaestiones regul. et canonicae; *Puccini* Tratt. della proprietà e peculiarità dei regolari; *Scrofa* De invaliditate professionis ante legitimam actatem profitentium; *Suarez* De religione tr. 7; *Schmier* Iurisprudentia c an.-civilis . 2; *Sanchez* In decalogum lib. 5; *Bordoni* Tr. de professione regulari; *Rotarius* Th. mor. regularium; *Passerini* De hominum statibus tom. 3; *Schmalzgrueber* In tit. 31 lib. 3 Decr.; *Reiffenstuel* in tit. 31 lib. III Decr.; *Pellizarius* Tract. de monialibus; *Rocco* La capacità civile del religioso professo; *Bouix* De iure regularium; *Ballay F.* Quaestiones quaedam de votis simplicibus, praesertim quae votis solemnibus praemittuntur; *Grospietsch M.* De regularium ficta morte sive de vi et effectu professionis religiosae in causis privatis; *Hellmann F.* Das gem. Erbrecht der Religiosen; *Louis* Des effets de la professio monastica quant aux droits du patrimoine; *Nilles N.* Selectae disputationes academicae iuris ecclesiastici I De iuridica votorum solemnitate; *Collette* Religiosae professionis valor satisfactorius; *Nilles N.* De dispensation. in sollemn. relig. castitatis voto concessis; *Esmein* Le mariage en droit can. I. 269 ss; *Biederlach I.* De iure regularium; *Gengler G.* Die Wirkungen d. votum paupertatis f. d. kan. u. bayr. Recht: *Wilpert J.* Die gottgeweihten Jungfrauen i. d. ersten Jahrhdten d. Kirche; *Mayer* Die professio religiosa i. kan. gem. u. geltenden deutschen Reichsrecht; *Battandier Albert* Guide canonique pour les constitutions des instituts à voeux simples; *Nervegna I.* De iure practico regularium; *Geiger A.* Die Stellung d Klöster u. Ordenspersonen i. BGB; *Landry A.* La mort civile des religieux dans l'ancien droit français; *Faré A.* Les vœux monastiques et leurs effets civils dans l'ancien droit et le droit moderne; *Ab Appeltern V.* Comp. prael. iuris regularis Piati Montani; *Bachofen A.* Compendium iuris regularium; *Souarn R.* La profession religieuse empêchement canonique de mariage chez les Grecs; *Vermeersch* De religiosis institutis et personis; *Piat Mont.* Praelectiones iuris regularis; *Koch H.* Virgines Christi; *Prümmer D. M.* Manuale iuris ecclesiastici (vol. 2° Ius regularium speciale); *Besson J.* La profession simple et la vacance des bénéfices residentiels; *Scharnagl* Das feierliche Gelübde als Ehehinderniss in seiner geschichtlichen Entwicklung dargestellt; *Bastien* Directoire canonique.

Prohibitio librorum. — Vid. *Libri prohibiti, Diaria*, etc. 3338

Nota etiam, ordinarios, qui, peracto examine alicuius libri, praeviae eorum censurae commissi, licentiam denegant eumdem publicandi, si liber videatur correctionis seu expurgationis capax, teneri auctori rationes de-

negatae licentiae indicare. *S. C. Ind. 3 sept. 1898.*

3339 **Promissio** — Promissio est contractus, quo quis libere et spontanee se obligat ad aliquid gratuito praestandum vel omittendum in alterius favorem. Cfr. B. P. *III. 626.*

Promissio acceptata a promissario verius obligat vel ex sola fidelitate, vel etiam ex iustitia iuxta mentem promittentis. Laymann *Th. mor. lib. III. tr. 4. c. 12. n. 1.* Obligatio ex fidelitate nullum ius dat promissario, sed solum obligat promittentem et quidem sub levi. Laymann *loc. nuper cit.* Obligatio ex iustitia supponit verum ius ad rem in alium esse translatum, ac proinde in materia gravi obligat sub gravi. Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 18. n. 55;* Laymann *loc. cit.* Mortuo promittente, promissio obligat heredes eodem modo, quo obligabat promittentem. G. B. *I. 800.* Vis acceptatae promissionis cessat, si promissarius sponte cedat iuri suo (G. B. *I. 799. 4°*); si res promissa fiat illicita vel inutilis (S. Alph. *III. 720*; *reg. 69 iur. in 6°*); si conditiones ita immutentur, ut promittens non videatur comprehendisse eum quoque casum, quando promisit (ctr. S. Th. *2. 2. q. 110. a. 3. ad 5*; *C. It. art. 1083*); si promissarius non stet suis promissis. G. B. *I. 799.*

Azpilcueta Navarrus Mart. De datis et promissis pro iustitia vel gratia obtinenda; *De Boccatiis V.* De pactis et promissionibus cum declaratione constitutionum Bon. VIII et Greg. XIII, scilicet de promissionibus factis per litigantes pro obtinenda gratia vel iustitia; *Bremi P.* Tract. de securitatibus, promissionibus et fide publica.

Promulgatio — Promulgatio est 3340 publicatio legis facta a legitima auctoritate, ad obligationem in subditos inducendam. Wernz *Ius Decr. I. 99.* Necessaria est ut lex obliget, et in foro externo sufficit ad obligandum sine legis notitia; non item in foro interno. G. B. *I. 96.* Sufficit autem, ut facta fuerit in aliqua civitate, seu loco conspicuo; et in legibus pontificiis, sufficit ut promulgentur in ephemeride officiali s. Sedis, seu in Actis apostolicae Sedis. Vid. *Lex.* Dubie promulgata lex non obligat. G. B. *I. 97.* Directe vel indirecte prohibentes promulgationem actorum s. Sedis incurrunt excommunicationem speciali modo R. P. reservatam. *Const.* «Ap. Sedis» *ser. 1. n. 8.* Vid. *Lex.*

Pronuntiatio. — Quoad pronuntiationem in horis canonicis, Vid. *Horae canonicae.*

Propaganda Fide (S. Congr. de). - 3341 Haec congregatio praeformata fuit a Gregorio XIII, qui, zelo fidem conservandi et ampliandi, commissionem constituit trium cardinalium, ut curam insumerent eorum, quae necessaria aut conducentia erant ad servandam fidem inter catholicos orientales et ad revocandos schismaticos in unitatem ecclesiae. Quae Gregorius XIII inchoaverat, promovit strenue Clemens VIII. Tandem anno 1622 Gregorius XV constitutione sua «Inscrutabili» congregationem specialem instituit plurium cardinalium qui «tam sancto et divinae maiestati maxime grato operi (curandi ut ubique praedicetur evangelium), quanto melius fieri poterit, incumbant, om-

niaque et singula negotia ad fidem in universo mundo propagandam pertinentia cognoscant et tractent et graviora ad Pontificem referant ».

Congregatio de Propaganda Fide, tum ab ipsis Pontificibus, praesertim Innocentio XII et Clemente XII, tum a piis fidelibus, multis bonis et reditibus dotata est, quibus finem suum attingere aliquo modo posset. Hinc patrimonium huius s. congregationis, Deo favente, non mediocriter excrevit ideoque cardinali praefecto generali, qui scilicet congregationem regebat ad modum aliorum cardinalium in aliis congregationibus praefecturam pariter gerentium, additus postea fuit specialis cardinalis, qui praefecturam haberet oeconomiae. Praeter hanc praefecturam specialem oeconomiae, habiti sunt aliquando speciales praefecti officinae impressoriae librorum, quae etiam progressu temporum huic s. congregationi addita est.

Praeter cardinales praefectos habuit etiam congregatio plures officiales et consultores, quot scilicet pro cumulo negotiorum necessarii erant.

3342 Nova legislatio invecta per pianam constitutionem « Sapienti consilio » aliquam induxit mutationem in constitutione huius congregationis. Sublata enim est praefectura specialis oeconomiae, uno manente cardinali praefecto, cui in piana constitutione iam non amplius tribuitur titulus praefecti generalis, quum unicus sit. Cardinali praefecto adiungitur, prout prius, praelatus a secretis, cui ad exemplum aliarum congregationum subsecretarius additus est. Secretarius et subsecretarius sunt huius congregationis maiores administri, quibus plures adduntur administri inferiores. Collegium etiam consultorum manet prout ante.

Constitutio piana aliquas induxit 3343
immutationes in antiqua competentia (circa quam conter De Luca *Relatio rom. curiae for disc. 23. n. 6*), istius quoque congregationis. Immutationes autem istae respiciunt et personas et loca et causas seu negotia.

Circa *personas* competentia seu iu- 3344
risdictio Congregationis de Propaganda Fide non solum restricta est indirecte, prout plures, in quos hactenus haec congregatio iurisdictionem exercebat, eidem non amplius subsunt ratione territorii, quod ab ambitu ipsius competentiae avulsum est; sed etiam directe, et hoc duobus modis. Religiosi enim, qui prius vel in territorio huic congregationi subiecto domum matrem seu generalitiam habebant, vel ex fine sui instituti peculiari ad missiones destinabantur, in omnibus eidem congregationi erant subiecti. Post constitutionem « Sapienti consilio » e contra Congregatio de Propaganda Fide quoad sodales religiosos ea tantummodo sibi vindicat, quae religiosos qua missionarios sive uti singulos sive simul sumptos tangit; ea vero, quae religiosos, qua tales, sive uti singulos sive simul sumptos attingit, ad congregationem de religiosis spectant, ad quam proinde ab hac congregatione, si quae talia eidem offerantur, remittenda sunt. — Praeter hoc, sacra haec congregatio plures poterat facultates concedere et indulta iis quoque, qui in locis exsistebant iuri communi sub-

iectis; huiusmodi erant facultates quinquennales et decennales episcopis ab hac congregatione concedi solitae, quas nunc concedere spectat ad alias congregationes pro vario suo munere.

3345 Circa *loca* maior est immutatio facta et consequens imminutio in iurisdictione huius congregationis. Nam ante pianam constitutionem, de facto saltem, eius iurisdictio sese extendebat ad plures quoque regiones, in quibus iam erat regulariter hierarchia instituta. Scilicet restituta hierarchia non statim deventum etiam est ad subtrahendas eas regiones a iurisdictione Congregationis de Propaganda, tum quia saepe hoc ipsum a fidelibus illius regionis exoptabatur et petebatur, tum quia facilior exinde erat negotiorum expeditio, quum uni huic congregationi pro quacumque causa recurrendum esset, tum quia haec congregatio omnia gratis omnino expedit; qui privilegiatus status non immerito conservabatur his regionibus, quae in ecclesiastico regimine novum quid adhuc praeseferebant. Ita factum est ex. gr. pro Hollandia et Anglia, postquam Pius IX in eis ecclesiasticam restituit hierarchiam.

In piana constitutione antiqua directiva principia retenta sunt. Statutum enim est tamquam generalis regula, huic congregationi subiecta esse debere omnia et sola loca seu omnes et solas regiones, ubi, sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Attamen et in nova constitutione admissum est, ut tamquam exceptio et transeunter maneant adhuc sub iurisdictione istius congregationis ea quoque loca, quae, etsi in his hierarchia iam fuerit restituta, inchoatum tamen aliquod adhuc praeseferunt. Dixi: per modum exceptionis et transeunter, quia scilicet, quum primum variabuntur conditiones illae, quae efficiunt ut status illarum regionum inchoatum quid praeseferat, ad ius commune et proinde ad congregationes, quae pro ordinariis contingentiis statutae sunt, reduci eas regiones convenit. His statutis principiis, eadem constitutio piana eorum facit applicationem, declaratque quasdam regiones, in quibus iam, Deo favente, res catholica prospere geritur, a iurisdictione huius congregationis avulsas.

Eae sunt: in Europa — ecclesiasticae provinciae Angliae, Scotiae, Hiberniae et Hollandiae ac dioecesis Luxemburgensis; in America — provinciae ecclesiasticae dominii Canadensis, Terrae novae et foederatarum civitatum seu *Statuum unitorum*.

Ex altera parte alia loca ad iurisdictionem huius congregationis reducta sunt. Sunt autem vicariatus apostolici omnes et apostolicae omnes praefecturae nec non quaelibet missiones, quae hucusque subiiciebantur s. Congregationi a negotiis eccl. extr. Hi vicariatus sunt: Antofogastensis in rebuspubl. Cilena et Boliviana, Canelos ac Macas, Mendez ac Gualaquiza, Napensis et Zamorensis, qui omnes pertinent ad rempublicam Aequatorianam; Casanarensis et Goajirensis pertinentes ad rempublicam Columbianam: Tarapacensis, qui pertinet ad respublicas Peruvianam et Cilenam. Praefecturae autem aposto-

licae sunt: Caquetana, Intendentiae orientalis et Plan. S. Martini (Piani di S. Martino), omnes in republica Columbiana.

3346 Quoad *causas* etiam aliqua immutatio est facta. Antiquitus enim pro locis, quae eidem subiiciebantur, omnia haec congregatio negotia pertractabat, ita ut adagium esset, eam omnes alias congregationes in ventre habere. Una Poenitentiaria excipiebatur ab hac regula. Nunc antiquum illud adagium non amplius locum habet. Ex nova enim constitutione ea, quae pertinent ad fidem vel ad matrimonium vel ad sacrorum rituum disciplinam, subducta sunt a iurisdictione istius congregationis, quae proinde ea remittere respective debet ad congregationem S. Officii, vel ad congregationem Sacramentnrum aut ad S. Rom. Rotam, vel ad congregationem SS. Rituum. Quod quidem inductum est, quemadmodum ipsa constitutio loquitur, ut unitati regiminis consuleretur.

3347 Abolita praeterea est, ut diximus, praefectura specialis pro re oeconomica, ac ipsi congregationi demandata administratio bonorum omnium, etiam *Rever. Camerae spoliorum.*

3348 Ut autem huius congregationis competentiae limites melius clarescant, non abs re erit referre heic quaedam ex dubiis, quae cardinalis praefectus eiusdem s. congregationis ut rite, sicuti aiebat, exsequi valeret praescripta constitutionis apostolicae *Sapienti consilio* et adiectae ordinationis s. congr. Consistoriali proposuit et quorum ab ipsa solutionem postulavit. Sunt autem ea, quae sequuntur:

I. Utrum vicariatus apostolici, qui tamquam suffraganei pertinent ad provincias ecclesiasticas a iurisdictione Congregationis de Propaganda, vi memoratae constitutionis, exemptas, iugiter subsint eidem Congregationi de Propaganda.

II. Utrum Congregatio de Propaganda, ob peculiaria adiuncta moderatorum dioecesum et missionum in longinquis regionibus Indiarum, Tonkini, Sinarum, Iaponiae, Australiae-Oceaniae aliisque huiusmodi etiam in posterum concedere possit episcopis, vicariis apostolicis, praefectis vel moderatoribus missionum *formulas* facultatum, quarum plures matrimonium respiciunt.

III. Utrum eadem congregatio adhuc tribuere valeat titulum *Missionarii Apostolici ad honorem,* addita solita facultatum *formula.*

IV. Cum s. Congregatio de Propaganda teneatur deferre ad s. Congregationem Rituum « quaecumque attingunt sacrorum rituum disciplinam » quaeritur, utrum hoc praescriptum respiciat rituum disciplinam, prout ipsa determinatur ac circumscribitur a constitutione *Sapienti consilio,* an extendatur quoque ad facultates missam, divinum officium aliaque spectantes, quas ante largiri consueverant sive Congregatio Rituum sive etiam Congregatio de Propaganda.

V. Utrum Congregatio de Propaganda deferre debeat ad Congregationem de religiosis etiam quidquid attingat congregationes missionarias tum virorum quum mulierum, quarum constitutiones a Congregatione de Propaganda approbatae fuerunt.

VI. Utrum Congregatio pro negotiis rituum orientalium valeat etiam in posterum concedere dispensationes matrimoniales mixtae religionis ac disparitatis cultus.

VII. Utrum acta conciliorum, quae celebrari contigerint in territorio Congregationi de Propaganda relicto, remittenda sint ad Congregationem Concilii.

His dubiis s. Congr. Consistorialis, annuente SSmo respondit (*12 nov. 1908*):

Ad I. Affirmative, dum ita permanent. Expedit tamen ut s. Congregatio de Propaganda, quamprimum fieri possit, memoratos vicariatus erigat in dioeceses, eosque proinde deducat ad ius commune.

Ad. II. Affirmative, re tamen agitata et composita cum s. Congregatione de sacramentis.

Ad. III. Affirmative quoad sibi subditos.

Ad IV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad V. Etiam quoad congregationes religiosas, quarum regulae seu constitutiones approbatae sunt a Congregatione de Propaganda, standum praescriptis constitutionis *Sapienti consilio.*

Ad VI. Affirmative, excepto tantummodo privilegio Paulino, quod pertinet ad Congregationem s. Officii.

Ad VII. Negative.

3349 Sacra haec congregatio ad exemplum aliarum congregationum sic procedebat, ut causas minoris momenti, quae iam alias pluries decisae nullam admittebant dubitationem, in *congressu* dirimerentur a cardinali praefecto cum secretario eoque ex officialibus (*minutantibus*), cui regio, ad quam negotium pertinebat, erat demandata; causae vero maioris momenti ad plenariam congregationem deferrentur et ab ea deciderentur sive praevia tantummodo orali relatione secretarii, sive, si aliquod maius pondus haberent, *in folio* redactae et impressae et ab aliquo ex cardinalibus congregationis in ipsa congregatione propositis, qui tamquam *Ponens* eas referret.

Haec a nova constitutione non sunt immutata, imo in *normis peculiaribus* expresse cautum est, ut haec congregatio retineat constitutionem, disciplinam et agendi rationem sibi propriam in iis omnibus, quae cum dispositionibus novae constitutionis et adiunctarum normarum componi possunt. Unum proinde immutabitur, scilicet in congressu locum habebit etiam subsecretarius, admisso etiam seu retento, ni fallor, *minutante*, cui illius negotii recta expeditio commissa est.

De Congregatione de Propaganda Fide pro negotiis rituum orientalium. — Specialem hanc congregationem de Propaganda Fide pro negotiis rituum orientalium instituit Pius IX constitutione sua « Romani Pontifices » 6 ian. 1862. 3350

Hanc praecesserant duae aliae congregationes ab Urbano VIII erectae, altera super dubiis orientalium, altera super correctione euchologii Graecorum et alia a Clemente XII instituta pro correctione librorum orientalium.

Eius constitutio ita a Pio IX sta-

tuta est, ut scilicet haec congregatio communem haberet cum congregatione de Propaganda Fide praefectum, alios vero omnes officiales distinctos, solis exceptis cardinalibus, quibus constat, qui ex constitutione « Romani Pontifices » desumendi essent ex cardinalibus ipsius congregationis de Propaganda Fide. Aliquando tamen huic congregationi ascripti sunt etian cardinales, qui ad generalem congregationem de Propaganda non pertinebant.

Consultores etiam huic ongregationi a Pio IX constituti sunt ab aliis consultoribus congregationis de Propaganda Fide distinctis, quorum unus semper est secretarius S. C. de Propaganda Fide, quemadmodum secretarius istius congregationis de Prop. Fide pro negotiis ritus orientalis semper est consultor s. congregationis de Prop. Fide. Hi consultores, quos Pius IX voluit non solum theologica scientia, verum etiam rerum orientalium peritia instructos aliisque dotibus ornatos, quibus congregationi utilitati et auxilio esse possent, etiam nunc manent post constitutionem « *Sapienti consilio* » a consultoribus congregationis latini ritus distincti.

3351 Competentia istius congregationis probe definitur ab ipso Pio IX in sua citata constitutione. Ait enim: « Omnia itaque negotia, quae ex commemoratis decessoris nostri Gregorii XV litteris *Inscrutabili* aliorumque Romanorum Pontificum constitutionibus ad eamdem congregationem de Propaganda Fide pertinent, erunt in posterum in duas plane distinctas classes divisa, nempe in negotia latini ritus et negotia orientalis ritus. Nova congregatio a nobis instituta omnia orientalium negotia, etiamsi mixta, quae scilicet sive rei sive personarum ratione latinos attingunt, tractare debebit, nisi eadem congregatio negotia ipsa ad generalem Propagandae Fidei congregationem deferenda esse interdum existimaverit ». Haec s. congregationis competentia nullam subiit immutationem ex nova piana constitutione. Imo in Normis peculiaribus (*cap. 7 art. 6. n. 4*) statutum expresse est: « Congregatio de Propag. Fide pro negotiis ritus orientalis sua munia ex integro servabit ».

Nova constitutio piana nihil quoad hoc immutavit, ut supra vidimus, quod directe respiceret huius congregationis procedendi modum, quamvis velit, ut haec quoque congregatio servet normas generaliter statutas pro omnibus congregationibus. Cfr. Norm. peculiar. (*loc. cit.*).

De commissionibus Congregationi de Propaganda Fide annexis. — De institutis seu coetibus huic congregationi adiunctis constitutio « Sapienti consilio » unum memorat, coetum scilicet pro unione ecclesiarum dissidentium. Qui coetus a s. m. Leone XIII Motu proprio « Optatissimae » 19 mart. 1895 institutus est ad promovendam schismaticarum ecclesiarum reductionem ad unitatem ecclesiae. In quem finem ipse Leo XIII plura iam prius excogitaverat et perfecerat, saepius quoque ad eas gentes litteris datis, ut « Praeclara » 20 iun. 1894 et « Orientalium dignitas » 30 nov. 1894. Tandem hunc coetum instituit, qui peculiare 3352

esset ac stabile consilium proprio munere et cura deditum reconciliationi dissidentium fovendae, ut ipse Pontifex loquitur in citato Motu proprio. Illud constare voluit ex nonnullis cardinalibus, quos Pontifex ipse nominatim designaret, quibusque ipse Pontifex praeesset, quique coram eo statos haberent conventus. His addidit convenientem consultorum numerum, qui ab ipso Pontifice designarentur, in quibus pari loco ii haberentur, quos patriarchae catholici orientales tamquam legatos suos in Urbe consistentes, singuli singulos, destinassent. Unus ex consultoribus debebat esse ab actis eiusdem commissionis, cui propterea liceret ipsis pontificiis congressionibus eiusdem commissionis interesse.

Nunc post pianam constitutionem, quum haec commissio congregationi de Propaganda Fide addicta fuerit, non videtur amplius Pontifex eius praefecturam retenturus, sed eamdem demandatam dicerem emo Praefecto congregationis de Propaganda Fide.

3353 Altera commissio, de qua siletur in constitutione piana, quaeque huic congregationi addicta est, est commissio ad revisendas constitutiones institutorum religiosorum dependentium a s. congregatione de Propaganda Fide. Haec quidem commissio, quum in nova constitutione statutum sit, religiosos missionarios a s. congregatione de Propaganda Fide ritus latini nullam amplius habituros dependentiam qua religiosos, eidemque subiectos permansuros tantummodo qua missionarios, suum scopum fere in totum amisisset, nisi in eadem constitutione statutum simul esset, s. congregationem de Propaganda Fide pro negotiis rituum orientalium in suo antiquo statu integre et sine immutatione permansuram esse. Quae igitur respiciunt loca aut personas huic congregationi subiectas, et ad religiosos ordines aut instituta spectant, ea tractabuntur in posterum ab hac commissione. Et de facto etiam post pianam constitutionem pro his negotiis suos habuit conventus haec commissio, quae habet praesidem cardinalem nec non praelatum secretarium et nonnullos consultores.

Commissio alia erat ad revisendas 3354
relationes dioecesium et vicariatuum apostolicorum dependentium a s. congregatione de Propaganda Fide super statu eorum ecclesiae. Haec commissio, quae habebat praelatum praesidem et alium praelatum secretarium nec non plures consultores, nunc abolita est.

Alia quoque est commissio, de 3355
qua silent constitutio « Sapienti consilio » et normae eidem adiectae, cuius tamen mentio est in indice praepositorum et officialium etc. publicato in officiali ephemeride s. Sedis. Ea est commissio super revisione synodorum provincialium, quae habet cardinalem praesidem, praelatum secretarium et aliquot consultores.

Specialis alia commissio super re- 3356
visione et correctione librorum ecclesiae orientalis desumpta ex cardinalibus etc. s. congregationis de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis non amplius memoratur in documentis supra citatis, et forte tamquam specialis commissio

ab ipsa congregatione distincta suppressa est.

Cohellius Notitia cardinalatus etc. Congr. III de Propaganda Fide; *Lunadoro* Relatione della corte di Roma cap. 16, Della Congregazione di Propaganda Fide; *De Luca* Rel. rom. Curiae for., disc. 23; *De Luca* Il Cardin. prat. c. 36, Della Congregatione della propaganda della fede; *Bayer Sigfr.* Breve compendium historiae congregationis de Propaganda Fide; Bullarium pontificium S. Congr. de Prop. Fide; *Moroni* Congregazione di Propaganda Fide; *Mejer O.* Die Propaganda, ihre Provinzen und ihr Recht; *Pieper* Die Propaganda-Congregat. u. d. nordische Mission im XVIII Jahrh.; *De Martinis R.*, Ius pontificium de Prop. Fide; *Putzer* Comm. in facultates apostolicas episcopis nec non vicariis et praefectis apostolicis per modum formularum concedi solitas, ad usum ven. cleri, imprimis Americani, concinnatum ab Antonio Konnigs; *Baumgarten P. M.* Die hl. Kongregation z. Verbreit. d. Glaubens u. ihr Gebiet; *Pieper A.* Gründung u. erste Einrichtung d. Propaganda-Kongregation; *Goddard* Manual of ecclesiastical law and practice in missionary countries; Collectanea constitutionum, decretorum, indultorum ac instructionum S. Sedis ad usum operariorum apostolicorum Societatis missionum ad exteros, selecta et ordine digesta cura moderatorum Seminarii Parisiensis eiusdem Societatis; Collectanea S. Congregationis de Prop. Fide, seu decreta, instructiones, rescripta pro apostolicis missionibus ex tabulario eiusdem S. Congregationis deprompta; Collectanea S. Congregationis de Prop. Fide seu decreta, instructiones, rescripta pro apostolicis missionibus, vol. I (ann. 1622-1866; nn. 1-1299); vol. II (ann. 1867-1906; nn. 1300-2317).

3867 **Propositiones** — Propositiones falsae vel noxiae in censuris theologicis variis gradibus distinguuntur. Sic ecclesia aliquas propositiones damnavit tamquam haereticas, alias tamquam haeresi proximas, haeresi et schismati faventes, haeresim sapientes, suspectas de haeresi, blasphemas, impias, seditiosas, in ecclesiam contumeliosas, ecclesiae iniuriosas, temerarias, perniciosas, scandalosas, piarum aurium offensivas, male sonantes, falsas, erroneas. Cfr. *Const.* Clem. XI «Unigenitus» *8 sept. 1713.* — Pleraeque ex his denominationibus explicatione non indigent, nonnullas iuvat explicare.

Propositio *haeretica* ea dicitur, quae directe et immediate adversatur iis, quae ab ecclesia, sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata proponuntur.

Haeresi proxima ea propositio dicitur, quae impugnat aliquam veritatem fidei proximam, vel aliquod dogma, cuius propositio, ab ecclesia facta, non est omnino evidens, aut saltem dogmati manifesto non aperte repugnat.

Haeresim sapiens dicitur propositio duplicem sensum referens, catholicum et haereticum, sed ad hunc potius inclinat.

Temeraria, quae adversatur sententiae in ecclesia communiter receptae, ut sententiae Patrum aut fere omnium theologorum etc., sine fundamento.

Erronea ea est, quae opponitur conclusioni theologicae seu veritati, quae ex dogmate aliquo evidenter ratione colligitur, ac proinde dogmati repugnat non immediate, sed mediate. Cfr. Hurter *Comp. theol. dogm. I. 510.*

Propositionibus haeresi proximis, falsis, erroneis, temerariis, impiis etc., adhaerere letale est; item propositiones scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas coram aliis proferre ratione scandali a gravi pec cato excusari nequit. D'Ann. *II. 3 (4)*.

Docentes vel defendentes, sive publice, sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae incurrunt eamdem excommunicationem l. s. Romano Pontifici simpliciter reservatam; eamdem excommunicationem incurrunt docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitentibus nomen complicis prout damnata est a Benedicto XIV in constitution. « Suprema » *7 iul. 1745*; « Ubi primum » *2 iun. 1746*.

Quoad secundam istam excommunicationem, Vid. *Complex.*

Quoad primam nota, ad excommunicationem incurrendam necesse esse docere (seu nescientibus tradere), vel defendere (idest earum patrocinium suscipere, quasi fuerint damnatione indignae) propositiones ab ipsa Sede Apostolica, idest a Romano Pontifice, non autem a conciliis, etiam generalibus, et multo minus a romanis congregationibus (contra Comm. Patav.) damnatas, et quidem non quomodocumque ab ipso Rom. Pontifice damnatas, sed damnatas expresse sub poena excommunicationis, non autem ex. gr. sub censuris et poenis in iure statutis. Sufficit autem eas docere vel defendere verbo tenus, etsi quis aliud sentiat interius. D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 105.*

Propositum. — Propositum relate 3365
ad confessionem sacramentalem est voluntas non peccandi de cetero. Duplex distinguitur: explicitum, implicitum. Saltem implicitum est omnino necessarium ad remissionem peccati. B. P. *V. 92 sqq.*; D'Ann. *III. 313.* Debet tamen esse firmum, efficax, et quum agitur de mortalibus, universale. B. P. *V. 100 sqq.* Ad firmitatem non pertinet constantia. G. B. *II. 272.* Explicitum, verius non requiritur ad rite percipiendum sacramentum poenitentiae. B. P. *V. 92 sqq.*; D'Ann. *loc. cit.*

Proprietas. — Vid. *Dominium.*

Prorogatio. — Prorogatio iurisdi- 3366
ctionis est extensio iurisdictionis iudicis de consensu partium facta ultra limites, intra quos ceteroquin est constricta. Cfr. *ll. 1 et 2 de iudiciis etc. D.* (*V. 1*); *l. 14 de iurisdictione D.* (*II. 1*); *c. 18 de foro comp. X.* (*II. 2*). Prorogatur autem iurisdictio:

a) de persona in personam; quando scilicet iudici, qui limitatam iurisdictionem habet in una civitate vel territorio, subditi alieni mutuo consensu sese ipsi subiiciunt, ut causa eorum per illum cognoscatur, cui alias quoad suas personas non sunt subiecti (cfr. *ll. 1 et 2 tit. cit. D.* [*V. 1*]; *l. 18 tit. cit. D.* [*II. 1*];

b) de re ad rem; hinc iudex, qui iurisdictionem habet pro causis centum aureos attingentibus, ex consensu partium potest iudicium facere ultra hanc summam pecuniae (Pirhing *in tit. 2 lib. II Decr. n. 182*);

c) de loco ad locum, quando de uno loco territorii ad alium eiusdem territorii de consensu partium trans-

fertur forum seu iudicium; quod si partes prorogare velint iurisdictionem ab uno loco ad alium alterius iurisdictionis aut territorii, tunc requiritur consensus iudicis illius loci (Pirhing *loc. nuper cit.*);

d) de tempore ad tempus, quum causa, intra certum quoddam tempus terminanda, cum consensu partium et iudicis prorogatur, ut etiam post illud cognosci et definiri possit. *l. 2 tit. cit. D.* (*V. 1*) § *2.*

360 Ad prorogandam iurisdictionem requiritur:

a) ut is, cui partes sese subiiciunt, habeat aliquam iurisdictionem (*l. 1 tit. cit. D.* [*V. 1*]); secus partes novum magistratum crearent, quod privatorum ius excedit (*l. 3 de iurisdictione etc. C.* [*III. 13*]);

b) ut iudex, cuius iurisdictio prorogatur, habeat iurisdictionem ordinariam; nam iurisdictio delegata (nisi delegata fuerit ad universitatem causarum, quippe quae ordinariae aequiparatur) etiam de consensu partium prorogari nequit de persona ad personam vel de causa ad causam non expressam (*c. 40 de off. et pot. iud. del. X.* [*I. 29*]);

c) ut ea, ad quae prorogatur, huiusmodi sint, quae relationem habeant ad genus causarum, in quibus iudex iurisdictionem habet; hinc iudici civili ad causas criminales iurisdictio nequit prorogari (*l. 61* § *1 tit. cit. D.* [*V. 1*]);

d) ut prorogatio fiat de expressa permissione legis. *ll. 1 et 2 tit. cit. D.* (*V. 1*); Pirhing *loc. cit. n. 187.*

Ut autem valeat prorogatio, requiritur, ut partes consentiant in iudicem ex certa scientia, idest sciant se non esse subiectos iurisdictioni eius, et tamen in eum consentiant (*l. 2 tit. cit. D.* [*V. 1*]), eaeque sint, quae personam habeant standi in iudicio, et a prorogatione facienda iure non sint impeditae. Santi *in tit. 2 lib. II Decr. n. 19.* Hinc clerici non possunt in se prorogare iurisdictionem iudicis ecclesiastici, nisi de consensu proprii ordinarii (*c. 18 de foro comp. X.* [*II. 2*]), et multo minus iurisdictionem iudicis secularis, ne de consensu quidem episcopi sui. *cc. 12. 18 tit. cit. X.* (*II. 2*).

Sufficit autem consensus partium etiam tacitus, qui explicatur ipso facto, dum partes coram iudice litem contestantur vel opponunt exceptionem dilatoriam. Schmalzgrueber *in tit. 2 lib. II Decr. n. 144.*

An prorogari possit iurisdictio in 3361
foro quoque sacramenti poenitentiae? Et sunt, qui id affirmant (cfr. D'Ann. *I. 78*, qui iurisdictionis prorogationem de persona in personam videt in confessario absolvente peregrinos in sua dioecesi; de loco ad locum in parocho valide absolvente suos subditos in parochia vel dioecesi aliena; de tempore ad tempus in confessario, qui electus est in iubilaeo, absolvente a reservatis aliquem, quem ad se redire iusserat); sunt et qui negant (cfr. Pirhing *loc. cit. n. 189*). Hi forte rectius dicunt, quum ex mente iuris ad prorogationem requiri videantur partes litigantes; in sacramento autem poenitentiae non habeantur partes, sed unus poenitens, qui simul est accusator et reus. Ceterum de hoc videant sapientiores.

3362 **Protector.** — Cardinalis protector in ordinibus et congregationibus religiosis nullam proprie habet iurisdictionem, nisi ex mandato speciali Romani Pontificis aliud in peculiari quodam casu dicendum sit; quod facilius conceditur cardinalibus protectoribus religiosarum congregationum mulierum. Eius officium est ordinem suae curae commissum in quieto et pacifico statu conservare et augere, eumdem adversus impugnatores et molestantes tueri, et cum regulis prudentialibus magis quam iurisdictionalibus invigilare, ne superiores in subditos iusto severius agant, eosque non forma facti gregis ex animo, sed quasi dominantes, opprimant. Cfr. *Const.* Inn. XII « Christifidelium » *17 febr. 1694;* Bouix *de iure reg. II. p. 5. sect. 2. c. 4.*

Quoad cardinales protectores nuper sequentia dubia proposita sunt S. Congregationi ceremoniali; scilicet:

Dub. II. — Haud semel accidit, ut Patres cardinales electi protectores, in solemnibus possessionis, pro simplici aulaeo, duobus a solo gradibus, usi sint throno proprie dicto, tribus a pavimento gradibus elevato, superimposita umbella, seu peristromate. Contigit etiam ut, cardinali protectore templum subeunte, decantata fuerit, quemadmodum in possessu tituli, antiphona: « *Ecce sacerdos magnus* »; vel « *Fidelis namque* ». Denique ut idem cardinalis protector, in ecclesia publica confraternitatis aut religiosi ordinis, palliolum, seu *mantelletum*, deposuerit.

Ad certam normam pro variis casibus constituendam quaeritur:

1° Utrum Patribus cardinalibus, qui alicuius ecclesiae protectores a Summo Pontifice fuerint renunciati, cum plena in ipsam iurisdictione, memorata signa honoris, in solemni possessionis ritu, competant.

2° Utrum purpurati Patres electi protectores ordinum regularium, monasteriorum, confraternitatum aliorumve institutorum, possint, dum possessionem ineunt, in horum aedis aula maiori, vel in interiore sacello; aut ad ianuam templi vel annexi publici oratorii excipi cum cantu antiphonae: « *Ecce sacerdos magnus* », vel: « *Fidelis namque* ».

3° Utrum iidem cardinales protectores ordinum regularium, monasteriorum, confraternitatum, aliorumve institutorum, possint in interiore aula religiosae domus vel confraternitatis vel instituti; aut etiam in ecclesia vel publico oratorio, thronum adhibere triplici cum gradu, superimposita umbella, seu peristromate.

4° Utrum liceat iisdem palliolum deponere, et retecto suppari, seu *rochetto* et *mozzetta*, astare in ecclesia vel in publico oratorio, si in alterutro locum habeat actus possessionis.

5° Purpuratis Patribus, qui a Summo Pontifice fuerint dati protectores regnis, civitatibus, academiis, aliisve, competuntne peculiaris honoris aliqua signa?

Dub. III. — Si contigua ecclesiae aedes propria sit cardinalis titularis, eademque inhabitetur a religiosa familia vel instituto subiecto alteri cardinali utpote protectori, utri purpurato liceat intra aedem ipsam incedere cum *mozzeta* tantum.

Dub. IV. — 1° Utrum cardinalis protectoris collocari insignia, seu *stemmata*, possint super ianua domus aut templi ad religiosam familiam, ad confraternitatem aliudve institutum pertinentium.

2° Item probandane sit consuetudo in urbe recepta, ponendi super ianuis templorum ad confraternitates pertinentium insignia seu *stemmata* primicerii una cum *stemmate* cardinalis protectoris.

His dubiis responsum est:

Ad II^um^ 1° *Affirmative.*

2° *Negative*, i. e. excluso cuiusvis antiphonae cantu.

3° Ad primam partem *affirmative*: ad secundam *negative.*

4° *Negative.*

5° *Negative.*

Ad III^um^ Competit utrique.

Ad IV^um^ 1° Insignia, seu *stemmata* cardinalis protectoris super ianuas domus rite apponuntur. — Id ubi fieri nequeat, poterunt apponi super ianuas ecclesiae, sed una cum *stemmate* romani Pontificis, et nisi ratio habenda sit potioris iurisdictionis aut patronatus.

2° *Negative.*

S. Congr. Cerem. 23 mai 1902.

Protestantes. — Vid. *Haereticus.*

Protonotarii. — Protonotarii primitus ad conscribenda acta martyrum inducti sunt; postea retenti sunt ad conscribenda acta et gesta Romanorum Pontificum.

Privilegia protonotariorum *ad instar* participantium praefiniverat iam Pius IX const. « Apostolicae Sedis officium » *IV kal. sept. 1872.* Pius X rem totam accuratiori examini subiiciens privilegia omnium protonotariorum strictius determinavit motu proprio « Inter multiplices » *21 febr. 1905*, quem hic integre damus.

« Inter multiplices curas, quibus ob 3364
officium nostrum apostolicum premimur, illa etiam imponitur, ut venerabilium fratrum nostrorum, qui episcopali charactere praefulgent, pontificales praerogativas, uti par est, tueamur. Ipsi enim apostolorum sunt successores: de iis loquitur Cyprianus (*ep. 69. n. 8*) dicens, *episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in episcopo*; nec ulla adunatur Ecclesia sine episcopo suo, imo vero Spiritus ipse Sanctus *posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (*Act. XX. 38*). Quapropter, *presbyteris superiores esse episcopos*, iure definivit Tridentinum Concilium (*Sess. XXIII. c. 7*). Et licet nos, non tantum honoris, sed etiam iurisdictionis principatum supra ceteros episcopos, ex Christi dispositione, tamquam Petri successores, geramus, nihilominus fratres nostri sunt episcopi, et sacra ordinatione pares. Nostrum ergo est, illorum excelsae dignitati sedulo prospicere, eamque pro viribus coram christiano populo extollere.

Ex quo praesertim pontificalium usus per decessores nostros romanos Pontifices aliquibus praelatis, episcopali charactere non insignitis, concessus est, id saepe accidit, ut, vel malo hominum ingenio, vel prava aut lata nimis interpretatione, ecclesiastica disciplina haud leve detrimentum ceperit, et episcopalis dignitas non parum iniuriae.

Quum vero de huiusmodi abusibus

:3362 **Protector.** — Cardinalis protector in ordinibus et congregationibus religiosis nullam proprie habet iurisdictionem, nisi ex mandato speciali Romani Pontificis aliud in peculiari quodam casu dicendum sit; quod facilius conceditur cardinalibus protectoribus religiosarum congregationum mulierum. Eius officium est ordinem suae curae commissum in quieto et pacifico statu conservare et augere, eumdem adversus impugnatores et molestantes tueri, et cum regulis prudentialibus magis quam iurisdictionalibus invigilare, ne superiores in subditos iusto severius agant, eosque non forma facti gregis ex animo, sed quasi dominantes, opprimant. Cfr. *Const.* Inn. XII « Christifidelium » *17 febr. 1694;* Bouix *de iure reg. II. p. 5. sect. 2, c. 4.*

Quoad cardinales protectores nuper sequentia dubia proposita sunt S. Congregationi ceremoniali; scilicet:

Dub. II. — Haud semel accidit, ut Patres cardinales electi protectores, in solemnibus possessionis, pro simplici aulaeo, duobus a solo gradibus, usi sint throno proprie dicto, tribus a pavimento gradibus elevato, superimposita umbella, seu peristromate. Contigit etiam ut, cardinali protectore templum subeunte, decantata fuerit, quemadmodum in possessu tituli, antiphona: « *Ecce sacerdos magnus* »; vel « *Fidelis namque* ». Denique ut idem cardinalis protector, in ecclesia publica confraternitatis aut religiosi ordinis, palliolum, seu *mantelletum*, deposuerit.

Ad certam normam pro variis casibus constituendam quaeritur:

1° Utrum Patribus cardinalibus, qui alicuius ecclesiae protectores a Summo Pontifice fuerint renunciati, cum plena in ipsam iurisdictione, memorata signa honoris, in solemni possessionis ritu, competant.

2° Utrum purpurati Patres electi protectores ordinum regularium, monasteriorum, confraternitatum aliorumve institutorum, possint, dum possessionem ineunt, in horum aedis aula maiori, vel in interiore sacello; aut ad ianuam templi vel annexi publici oratorii excipi cum cantu antiphonae: « *Ecce sacerdos magnus* », vel: « *Fidelis namque* ».

3° Utrum iidem cardinales protectores ordinum regularium, monasteriorum, confraternitatum, aliorumve institutorum, possint in interiore aula religiosae domus vel confraternitatis vel instituti; aut etiam in ecclesia vel publico oratorio, thronum adhibere triplici cum gradu, superimposita umbella, seu peristromate.

4° Utrum liceat iisdem palliolum deponere, et retecto suppari, seu *rochetto* et *mozzetta*, astare in ecclesia vel in publico oratorio, si in alterutro locum habeat actus possessionis.

5° Purpuratis Patribus, qui a Summo Pontifice fuerint dati protectores regnis, civitatibus, academiis, aliisve, competuntne peculiaris honoris aliqua signa?

Dub. III. — Si contigua ecclesiae aedes propria sit cardinalis titularis, eademque inhabitetur a religiosa familia vel instituto subiecto alteri cardinali utpote protectori, utri purpurato liceat intra aedem ipsam incedere cum *mozzeta* tantum.

Dub. IV. — 1° Utrum cardinalis protectoris collocari insignia, seu *stemmata*, possint super ianua domus aut templi ad religiosam familiam, ad confraternitatem aliudve institutum pertinentium.

2° Item probandane sit consuetudo in urbe recepta, ponendi super ianuis templorum ad confraternitates pertinentium insignia seu *stemmata* primicerii una cum *stemmate* cardinalis protectoris.

His dubiis responsum est:

Ad II^um^ 1° *Affirmative.*

2° *Negative*, i. e. excluso cuiusvis antiphonae cantu.

3° Ad primam partem *affirmative*: ad secundam *negative.*

4° *Negative.*

5° *Negative.*

Ad III^um^ Competit utrique.

Ad IV^um^ 1° Insignia, seu *stemmata* cardinalis protectoris super ianuas domus rite apponuntur. — Id ubi fieri nequeat, poterunt apponi super ianuas ecclesiae, sed una cum *stemmate* romani Pontificis, et nisi ratio habenda sit potioris iurisdictionis aut patronatus.

2° *Negative.*

S. Congr. Cerem. 23 mai 1902.

Protestantes. — Vid. *Haereticus.*

3306 **Protonotarii.** — Protonotarii primitus ad conscribenda acta martyrum inducti sunt; postea retenti sunt ad conscribenda acta et gesta Romanorum Pontificum.

Privilegia protonotariorum *ad instar* participantium praefiniverat iam Pius IX const. « Apostolicae Sedis officium » *IV kal. sept. 1872.* Pius X rem totam accuratiori examini subiiciens privilegia omnium protonotariorum strictius determinavit motu proprio « Inter multiplices » *21 febr. 1905*, quem hic integre damus.

« Inter multiplices curas, quibus ob 3361
officium nostrum apostolicum premimur, illa etiam imponitur, ut venerabilium fratrum nostrorum, qui episcopali charactere praefulgent, pontificales praerogativas, uti par est, tueamur. Ipsi enim apostolorum sunt successores: de iis loquitur Cyprianus (*ep. 69. n. 8*) dicens, *episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in episcopo*; nec ulla adunatur Ecclesia sine episcopo suo, imo vero Spiritus ipse Sanctus *posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (*Act. XX. 38*). Quapropter, *presbyteris superiores esse episcopos*, iure definivit Tridentinum Concilium (*Sess. XXIII. c. 7*). Et licet nos, non tantum honoris, sed etiam iurisdictionis principatum supra ceteros episcopos, ex Christi dispositione, tamquam Petri successores, geramus, nihilominus fratres nostri sunt episcopi, et sacra ordinatione pares. Nostrum ergo est, illorum excelsae dignitati sedulo prospicere, eamque pro viribus coram christiano populo extollere.

Ex quo praesertim pontificalium usus per decessores nostros romanos Pontifices aliquibus praelatis, episcopali charactere non insignitis, concessus est, id saepe accidit, ut, vel malo hominum ingenio, vel prava aut lata nimis interpretatione, ecclesiastica disciplina haud leve detrimentum ceperit, et episcopalis dignitas non parum iniuriae.

Quum vero de huiusmodi abusibus

ad hanc apostolicam sedem episcoporum querelae delatae sunt, non abnuerunt praedecessores nostri iustis eorum postulationibus satisfacere, sive apost. litteris, sive s. Rit. Congr. decretis pluries ad rem editis. In id maxime intenderunt Benedictus XIV per epist. S. R. Congr. d. d. 31 martii 1744 « SSmus Dominus noster », iterumque idem Benedictus d. 17 februarii 1752 « In throno iustitiae »; Pius VII d. 13 decembris 1818 « Cum innumeri », et rursus idem Pius d. 4 iulii 1823 « Decet Romanos Pontifices », et Pius IX d. 29 augusti 1872 « Apostolicae Sedis officium ». E sacr. Rit. Congregatione memoranda in primis decreta quae sequuntur: de praelatis episcopo inferioribus, datum die 27 mensis septembris 1659 et ab Alexandro VII confirmatum; dein decreta diei 22 aprilis 1684 de canonicis Panormitanis; diei 29 ianuarii 1752 de canonicis Urbinatibus; diei 27 aprilis 1818 de protonotariis titularibus, a Pio pp. VII approbatum; ac diei 27 augusti 1822 de canonicis Barensibus.

Hisce tamen vel neglectis, vel ambitioso conatu, facili aufugio, amplificatis, hac nostra aetate saepe videre est praelatos, immoderato insignium et praerogativarum usu, praesertim circa pontificalia, viliores reddere dignitatem et honorem eorum, qui sunt revera Pontifices.

Quamobrem, ne antiquiora posthabeantur sapienter a praedecessoribus nostris edita documenta, quin imo, ut iis novum robur et efficacia adiiciatur, atque insuper praesentis aevi indoli mos iuste geratur, sublatis omnibus consuetudinibus in contrarium, nec non amplioribus privilegiis, praerogativis, exemptionibus, indultis, concessionibus, a quibusvis personis, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, nominatim, collective, quovis titulo et iure, acquisitis, assertis, aut praetensis, etiam praedecessorum nostrorum et Apostolicae Sedis constitutionibus, decretis, aut rescriptis, confirmatis, ac de quibus, ad hoc, ut infirmentur, necesse sit peculiariter mentionem fieri, exquisito voto aliquot virorum in canonico iure et liturgica scientia peritorum, reque mature perpensa, motu proprio, certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, declaramus, constituimus, praecipimus, ut in posterum, praelati episcopis inferiores aliique, de quibus infra, qua tales, non alia insignia, privilegia, praerogativas audeant sibi vindicare, nisi quae hoc in nostro documento, motu proprio dato, continentur, eademque ratione ac forma, qua hic subiiciuntur.

a) — **De protonotariis apostolicis.**

1. Quatuor horum habeantur ordines: I. Protonotarii apostolici de numero participantium, septem qui collegium privative constituunt; II. Protonotarii apostolici supranumerarii; III. Protonotarii apostolici ad instar participantium; IV. Protonotarii apostolici titulares, seu honorarii (extra urbem).

I. — Protonotarii apostolici de numero participantium.

2. Privilegia, iura, praerogativas et exemptiones, quibus, ex summorum Pontificum indulgentia iamdudum

gaudet collegium protonotariorum apostolicorum de numero participantium, in propriis statutis nuperrime ab ipsomet collegio iure reformatis inserta, libenter confirmamus, prout determinata inveniuntur in apostolicis documentis inibi citatis, ac praesertim in constitutione « Quamvis peculiaris » Pii pp. IX diei 9 mensis februarii 1853, paucis exceptis, quae, uti infra, moderanda statuimus.

3. Protonotarii apostolici de numero participantium habitu praelatitio rite utuntur, et alio, quem vocant *pianum*, atque insignibus prout infra numeris 16, 17, 18 describuntur.

4. Habitu quotidiano incedentes, caligas, collare et pileum ut ibidem n. 17 gestare poterunt, ac insuper annulum gemmatum, quo semper iure utuntur, etiam in privatis missis aliisque sacris functionibus.

5. Quod vero circa usum pontificalium insignium, Xystus V in sua constitutione « Laudabilis sedis apostolicae sollicitudo », diei 6 mensis februarii 1686, protonotariis participantibus concessit: « Mitra et quibuscumque aliis pontificalibus insignibus, etiam in cathedralibus ecclesiis, de illarum tamen praesulum, si praesentes sint, si vero absentes, absque illorum consensu, etiam illis irrequisitis, extra curiam uti », in obsequium praestantissimae episcoporum dignitatis, temperandum censuimus, ut pro pontificalibus, extra urbem tantum agendis, iuxta S. R. C. declarationem quoad episcopos extraneos vel titulares, diei 4 mensis decembris 1903, ab ordinario loci veniam semper exquirere teneantur, ac insuper consensum praelati ecclesiae exemptae, si in ea sit celebrandum.

6. In pontificalibus peragendis, semper eis inhibetur usus throni, pastoralis baculi et cappae; item septimi candelabri super altari, et plurium diaconorum assistentia; faldistorio tantum utentur, apud quod sacras vestes assumere valeant. Pro concessis enim in citata Xysti V constitutione, « quibuscumque aliis pontificalibus insignibus », non esse sane intelligenda declaramus ea, quae ipsis episcopis extra dioecesim sunt interdicta. Loco *Dominus vobiscum* numquam dicent *Pax vobis;* trinam benedictionem impertientur numquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini* et *Adiutorium*, sed in missis tantum pontificalibus, mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos*, de more populo benedicentes: a qua benedictione abstinebunt, assistente episcopo loci ordinario, aut alio praesule, qui ipso episcopo sit maior, ad quem pertinet eam impertiri.

7. Ad ecclesiam accedentes, pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induti, supra mantelletum crucem gestare possunt pectoralem, a qua alias abstinebunt; et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores ecclesiae non excipientur ut ordinarius loci, sed a ceremoniario ac duobus clericis, non tamen canonicis seu dignitatibus; seipsos tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio illis porrecto, et per ecclesiam procedentes populo numquam benedicent.

8. Crux pectoralis, a protonotariis participantibus in pontificalibus functionibus adhibenda, aurea erit, cum unica gemma, pendens a funiculo serico *rubini* coloris commixto cum auro, et simili flocculo retro ornato.

9. Mitra in ipsorum pontificalibus erit ex tela aurea (numquam tamen pretiosa) quae cum simplici alternari possit, iuxta ceremoniale episcop. (*I, XVII, nn. 2 et 3*); nec alia mitra nisi simplici diebus poenitentialibus et in exsequiis eis uti licebit. Pileolo nigri coloris sub mitra dumtaxat uti poterunt.

10. Romae et extra, si ad missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare, in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere, aliquem clericum *in sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros. Fas erit praeterea canonem et palmatoriam, urceum et pelvim cum manutergio in lance adhibere. In aliis missis lectis, a simplici sacerdote ne differant, nisi in usu palmatoriae. In missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam canone et urceo cum pelvi et lance ad manutergium.

11. Testimonium autem exhibere cupientes propensae voluntatis Nostrae in perinsignem hunc coetum, qui inter cetera praelatorum collegia primus dicitur et est in romana Curia, protonotariis participantibus, qui a locorum ordinariis sunt exempti, et ipsis abbatibus praecedunt, facultatem facimus declarandi omnibus qui missae ipsorum intererunt, ubivis celebrandae, sive in oratoriis privatis, sive in altari portatili, per eiusdem missae auditionem diei festi praecepto rite planeque satisfieri.

12. Protonotarius apostolicus de numero participantium, qui ante decimum annum ab adepto protonotariatu collegium deseruerit, aut qui a decimo saltem discesserit, et per quinque alios, iuxta Xysti V constitutionem, iisdem privilegiis gavisus fuerit, inter protonotarios *ad instar* eo ipso erit ascriptus.

II. — Protonotarii apostolici supranumerarii.

13. Ad hunc protonotariorum ordinem nemo tamquam privatus aggregabitur, sed iis tantum aditus fiet, qui canonicatu potiuntur in tribus capitulis Urbis Patriarchalium, id est Lateranensis ecclesiae, Vaticanae ac Liberianae; itemque iis qui dignitate aut canonicatu potiuntur in capitulis aliarum quarumdam extra urbem ecclesiarum, quibus privilegia protonotariorum *de numero* Apostolica Sedes concesserit, ubique fruenda. Qui enim aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque protonotariis aliisve praelatis urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in nostro documento nn. 80 et 81 erit sermo.

14. Canonici omnes, etiam honorarii, tum patriarchalium urbis, tum

aliarum ecclesiarum de quibus supra, tamquam singuli, insignibus et iuribus protonotariorum ne fruantur, nec gaudeant nomine et honore praelatorum, nisi prius a Summo Pontifice inter praelatos domesticos per Breve ascripti sint, et alia servaverint quae infra num. 34 dicuntur. Protonotarius autem *ad instar*, qui canonicis eiusmodi accenseatur, eo ipso privilegia protonotarii supranumerarii acquiret.

15. Protonotarii apostolici supranumerarii subiecti remanent proprio ordinario, ad formam Concilii Tridentini (*Sess. 24, c. 11*), ac eorum beneficia extra Romanam Curiam vacantia Apostolicae Sedi minime reservantur.

16. Habitum praelatitium gestare valent coloris violacei, in sacris functionibus, idest caligas, collare, talarem vestem cum cauda, numquam tamen explicanda, neque in ipsis pontificalibus celebrandis: sericam zonam cum duobus flocculis pariter sericis a laeva pendentibus, et palliolum, seu mantelletum supra rocchetum: iusuper nigrum biretum flocculo ornatum coloris *rubini*: pileum item nigrum cum vitta serica, opere reticulato exornata, eiusdem *rubini* coloris, cuius coloris et serici erunt etiam ocelli, globuli, exiguus torulus collum et anteriores extremitates vestis ac mantelleti exornans, eorum subsutum, itemque reflexus (*paramani*) in manicis (etiam rochetti).

17. Alio autem habitu uti poterunt, praelatorum proprio, vulgo *piano*, in congregationibus, conventibus, solemnibus audientiis, ecclesiasticis et civilibus, idest caligis et collari violacei coloris, veste talari nigra cum ocellis, globulis, torulo ac subsuto, ut supra, *rubini* coloris, serica zona violacea cum laciniis pariter sericis et violaceis, peramplo pallio talari item serico violaceo, non undulato, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris, ac pileo nigro cum chordulis et sericis flocculis *rubini* coloris. Communi habitu incedentes, caligas et collare violacei coloris ac pileum gestare poterunt, ut supra dicitur.

18. Propriis insignibus seu stemmatibus imponere poterunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde pendentibus, eiusdem *rubini* coloris, sine cruce vel mitra.

19. Habitum et insignia in choro dignitates et canonici protonotarii gerent, prout capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu rochetti et mantelleti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim protonotarius, praelatitio habitu assistens, neque locum inter canonicos tenebit, neque distributiones lucrabitur, quae sodalibus accrescent.

20. Cappam laneam violaceam, pellibus ermellini hiberno tempore, aestivo autem *rubini* coloris serico ornatam, induent in Cappellis Pontificiis, in quibus locum habebunt post protonotarios participantes. Ii vero canonici protonotarii, qui praelati

non sunt, seu nomine tantum protonotariorum, non vero omnibus iuribus gaudent, ut nn. 13 et 14 dictum est, in cappellis locum non habebunt, neque ultra limites pontificiae concessionis habitu praelatitio et *piano*, de quibus nn. 16 et 17, uti umquam poterunt.

21. Habitu praelatitio induti, clericis quibusvis, presbyteris, canonicis, dignitatibus, etiam collegialiter unitis, atque praelatis ordinum regularium, quibus pontificalium privilegium non competat, antecedunt, minime vero vicariis generalibus vel capitularibus, abbatibus, et canonicis cathedralium collegialiter sumptis. Ad crucem et ad episcopum non genuflectent, sed tantum sese inclinabunt; duplici ductu turificabuntur: item si sacris vestibus induti functionibus in choro assistant.

22. Gaudent indulto oratorii privati domi rurique, ab ordinario loci visitandi atque approbandi, in quo, etiam solemnioribus diebus (exceptis Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., SS. Apostolorum Petri et Pauli, nec non loci patroni principalis festis) celebrare ipsi missam poterunt, vel alius sacerdos, in propriam, consanguineorum, affinium, familiarium et cohabitantium commoditatem, etiam ad praeceptum implendum. Privilegio autem altaris portatilis omnino carere se sciant.

23. Licet iisdem acta conficere de causis beatificationis et canonizationis servorum Dei, quo tamen privilegio uti non poterunt, si eo loci alter sit e collegio protonotariorum participantium.

24. Rite eliguntur in conservatores ordinum regularium aliorumque piorum institutorum, in iudices synodales, in commissarios et iudices apostolicos etiam pro causis beneficialibus et ecclesiasticis. Item apud ipsos professionem fidei recte emittunt, qui ex officio ad eam adiguntur. Ut autem iuribus et praerogativis, hic et num. 23 expressis, frui possint canonici protonotarii in s. theologia aut in iure canonico doctorali laurea insigniti sint oportet.

25. Extra urbem, et impetrata venia ordinarii loci, cui erit arbitrium eam tribuendi quoties et pro quibus solemnitatibus voluerit, atque obtento etiam consensu praelati ecclesiae exemptae, in qua forte celebrandum sit, pontificali ritu missas et vesperas aliasque sacras functiones peragere poterunt. Quod functiones attinet collegialiter, seu capitulo praesente, celebrandas, a propriis constitutionibus, de ordinarii consensu, provideatur, iuxta apostolica documenta.

26. Ad ecclesiam accedentes, pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induti, supra mantelletum crucem gestare possunt pectoralem (a qua alias abstinebunt); et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores ecclesiae non excipientur ut ordinarius loci, sed a ceremoniario et duobus clericis, non tamen a canonicis seu dignitatibus: seipsos tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio sibi porrecto, et per ecclesiam procedentes populo numquam benedicent.

27. Pontificalia agent ad faldisto-

rium, sed vestes sacras in sacrario assument et deponent, quae in missis erunt: *a*) caligae et sandalia serica cum orae textu ex auro; *b*) tunicella et dalmatica; *c*) crux pectoralis sine gemmis, e chordula serica *rubini* ex integro coloris pendens, auro non intertexta, simili flocculo retro ornata; *d*) chirothecae sericae, sine ullo opere phrygio, sed tantum orae textu auro distinctae; *e*) annulus cum unica gemma; *f*) mitra ex serico albo, sine ullo opere phrygio, sed tantum cum orae textu ex auro, et cum laciniis similiter aureis, quae cum simplici ex lino alternari poterit, iuxta cerem. episcopor. (*I, XVII, nn. 2 et 3*); haec vero simplex, diebus poenitentialibus et in exsequiis una adhibebitur; *g*) canon et palmatoria, a qua abstinendum coram ordinario seu maiori; *h*) urceus et pelvis cum mantili in lance; *i*) gremiale.

28. In vesperis solemnibus (post quas benedictionem non impertientur) aliisque sacris functionibus pontificaliter celebrandis, mitra, cruce pectorali, annulo utentur, ut supra. Pileolus, nigri dumtaxat coloris, nonnisi sub mitra ab eis poterit adhiberi.

29. In pontificalibus functionibus eisdem semper interdicitur usus throni, pastoralis baculi et cappae; in missis autem pontificalibus, septimo candelabro super altari non utentur, nec plurium diaconorum assistentia; presbyterum assistentem pluviali indutum habere poterunt, non tamen coram episcopo ordinario aut alio praesule, qui ipso episcopo sit maior; intra missam manus lavabunt ad Ps. *Lavabo* tantum. Loco *Dominus vobiscum,* numquam dicent *Pax vobis;* trinam benedictionem impertientur numquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini* et *Adiutorium,* sed in missis tantum pontificalibus, mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos*, de more populo benedicentes: a qua benedictione abstinebunt assistente episcopo loci ordinario aut alio praesule, qui ipso episcopo sit maior, cuius erit eam impertiri. Coram iisdem, in pontificalibus celebrantes, mitra simplici solummodo utantur, et dum illi sacra sumunt paramenta, aut solium petunt vel ab eo recedunt, stent sine mitra.

30. De speciali commissione ordinarii, missam quoque pro defunctis pontificali ritu celebrare poterunt protonotarii supranumerarii, cum absolutione in fine, mitra linea utentes; numquam tamen eamdem absolutionem impertiri illis fas erit, post missam ab alio celebratam; quod ius uni reservatur episcopo loci ordinario.

31. Romae et extra, si ad missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere (non tamen crucem pectoralem et annulum), aliquem clericum *in sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros; canonem et palmatoriam, urceum el pelvim cum manutergio in lance adhibere; sed ante ℣. *Communio* manus ne lavent. In aliis missis lectis a simplici sacerdote ne differant, nisi in

usu palmatoriae; in missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam canone, urceo cum pelvi, ac lance ad manutergium, nisi ex statutis vel consuetudine in propria ecclesia haec prohibeantur.

32. Canonico protonotario apostolico supranumerario pontificalia peragere cum ornamentis ac ritu superius enunciatis fas non erit, nisi infra terminos propriae dioecesis; extra autem, nonnisi ornatu et ritu, prout protonotariis *ad instar*, ut infra dicetur, concessum est.

33. Cum tamen canonicos trium patriarchalium urbis, ob earumdem praestantiam, aequum sit excellere privilegiis, eo vel magis quod in urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, pontificalium privilegium exercere nequeunt, illis permittitur, ut in ecclesiis totius terrarum orbis, impetrata ordinariorum venia, ac praesulum ecclesiarum exemptarum consensu, pontificalia agant cum ritu atque ornamentis nn. 27, 28, 29 recensitis. Insuper, licet aliquis ex ipsis inter praelatos nondum fuerit ascriptus, palmatoria semper, etiam in privatis missis uti poterit.

34. Recensita hactenus privilegia illa sunt, quibus dumtaxat protonotarii apostolici supranumerarii fruuntur. Verum, cum eadem collective coetui canonicorum conferantur, canonici ipsi, tamquam singuli, iis uti nequibunt, nisi praelati urbani fuerint nominati et antea suae ad canonicatum vel dignitatem promotionis et auspicatae iam possessionis, atque inter praelatos aggregationis, ut n. 14 dicitur, testimonium collegio protonotarium participantium exhibuerint; coram ipsius collegii decano, vel per legitimum procuratorem, fidei professionem et fidelitatis iusiurandum de more praestiterint, ac de his postea, exhibito documento, proprium ordinarium certiorem fecerint. Quibus expletis, eorum nomen in sylloge protonotariorum apostolicorum recensebitur.

35. Canonici ecclesiarum extra urbem, qui ante nostri huius documenti motu proprio editi publicationem, privilegia protonotariorum, una cum canonicatu, sunt assecuti, ab expeditione brevis, de quo supra, num. 14, dispensantur; iusiurandum tamen fidelitatis coram ordinario suo praestabunt infra duos menses.

36. Collegialiter tamquam canonici pontificalibus functionibus, iuxta caeremoniale episcoporum, sacris vestibus induti assistentes non alia mitra utantur, quam simplici, nec unquam hoc et ceteris fruantur protonotariorum insignibus et privilegiis exta propriam ecclesiam, nisi in diplomate concessionis aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem subdiaconatus non sit promotus, neque in choro cum aliis mitra umquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de mitra non habebunt, prout in pontificalibus uni celebranti competit. Qui in missa solemni diaconi, subdiaconi aut presbyteri assistentis munus agunt, dum dignitas, vel canonicus, aut alter privilegiarius pontificaliter celebrant, mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegia-

liter assistentibus, quo in casu, cum ministrant, aut cum episcopo operantur, maneant detecto capite.

37. Protonotarius supranumerarius defunctus efferri aut tumulari cum mitra non poterit, neque haec eius feretro imponi.

38. — Ne autem protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de quibus supra, canonici honorarii, sive infra, sive extra dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui capitulum iure constituunt.

39. Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso, protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint.

40. Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae canonici, sed tamquam protonotarii conveniant, non idcirco collegium praelatitium constituere; verum quando una cum protonotariis de numero participantium concurrunt, v. gr. in pontificia cappella, tunc quasi unum corpus cum ipsis effecti censentur, sine ullo tamen amplissimi collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem cappellae et familiae pontificiae consuetudinibus.

41. Si quis (exceptis canonicis trium patriarchalium urbis) quavis ex causa dignitatem aut canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativae protonotarii apostolici supranumerarii annexa sint, ab eiusmodi titulo, honore et praerogativis statim decidet. Qui vero pontificium breve inter praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

III. — Protonotarii apostolici ad instar.

42. Inter protonotarios apostolicos *ad instar* participantium illi viri ecclesiastici annumerantur, quibus apostolica sedes hunc honorem conferre voluerit, ac praeterea dignitates et canonici alicuius capituli praestantioris, quibus collegialiter titulus et privilegia protonotariorum, cum addito *ad instar*, ubique utenda, fuerint ab eadem apostolica sede collata. Canonici enim, qui aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque protonotariis aliisve praelatis urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in nostro documento nn. 80 et 81 erit sermo.

43. Qui protonotarii apostolici *ad instar* tamquam singuli iuribus honorantur, eo ipso sunt praelati domus pontificiae; qui vero ideo sunt protonotarii quia alicuius ecclesiae canonici, praelatis domesticis non annumerantur, nisi per breve pontificium, ut num. 14 dictum est. Omnes protonotarii *ad instar* subiecti remanent, ad iuris tramitem, ordinario loci.

44. Beneficia illorum, qui protonotarii *ad instar* titulo et honore gaudent tamquam canonici alicuius capituli, si vacent extra romanam curiam, apostolicae Sedi minime reser-

vantur. Beneficia vero eorum, qui tali titulo et honore fruuntur. tamquam privata persona, non poterunt nisi ab Apostolica Sede conferri.

45. Quod pertinet ad habitum praelatitium, *pianum* et communem, stemmata et choralia insignia, habitum et locum in pontificia cappella, omnia observabunt, uti supra dictum est de protonotariis supranumerariis, nn. 16, 17, 18, 19, 20.

46. Iisdem iuribus gaudebunt, praecedentiae, privati oratorii, conficiendi acta beatificationis et canonizationis, passivae electionis in conservatores, ceterisque; item recipiendae fidei professionis, reverentiae ad crucem, turificationis, quibus omnibus fruuntur protonotarii, supranumerarii, ut supra nn. 21, 22, 23, 24, ac iisdem sub conditionibus.

47. De venia ordinarii et praesulis consensu ecclesiae exemptae, extra urbem, missas, non tamen de requie, pontificali ritu et ornatu celebrare poterunt, prout supra notatur, ubi de protonotariis supranumerariis, nn. 25, 26, 27, 28, 29; verum his legibus: nec faldistorio nec gremiali umquam utantur, sed una cum ministris in scamno, cooperto panno coloris diei, sedeant; caligis et sandaliis utantur sericis tantum, cum orae textu item serico flavi coloris ornato, et similiter sericis chirothecis sine alio ornamento; mitra simplici ex serico damasceno, nullo ornamento, ne in oris quidem distincta, cum rubris laciniis ad vittas. Extra cathedrales ecclesias tantum, assistentem presbyterum habere poterunt pluviali indutum, dummodo non assistat episcopus ordinarius aut alius praesul ipso episcopo maior. Crucem pectoralem auream sine gemmis gerent, appensam funiculo serico violacei ex integro coloris, auro non intertexto. Omnia, quae in missa cantanda vel legenda sunt, numquam ad scamnum, sed ad altare cantabunt et legent. Manus infra missam lavent tantum ad Ps. *Lavabo*.

48. Poterunt insuper, pariter extra urbem, de venia ordinarii et cum praesulis ecclesiae exemptae consensu, mitra, cruce pectorali et annulo ornati, ad scamnum, more presbyterorum, celebrare vesperas illius festi, cuius missam ipsi pontificaliter acturi sint, vel peregerint (absque benedictione in fine). Iisdem ornamentis eodemque ritu uti licebit, de speciali tamen commissione ordinarii, in vesperis festi, cuius missa in pontificalibus ab alio quolibet praelato celebretur, itemque in benedictione cum sanctissimo Sacramento solemniter (non tamen trina) impertienda, in processionibus, et in una ex quinque absolutionibus in solemnioribus exsequiis, de quibus in Pontificali Romano.

49. Romae missam lectam, aliqua cum solemnitate celebrantes, si praelatitio habitu sint induti, ea retineant, quae de protonotariis supranumerariis n. 31 constituta sunt; extra urbem, de speciali tamen commissione ordinarii, eodem modo se gerent; aliis in missis et functionibus, tamquam praelati domestici, ut n. 78, palmatoriam tantum, si velint, adhibeant.

50. Qui canonicorum coetui ascriptus, cui hactenus recensita protonotariorum *ad instar* privilegia concessa sint, tamquam privata persona

iisdem uti velit, prius breve pontificium, ut dicitur nn. 14 et 43, de sua inter praelatos domesticos aggregatione, servatis servandis, obtineat, simulque suae ad canonicatum vel dignitatem promotionis, initaeque possessionis ac inter praelatos aggregationis testimonium collegio protonotariorum participantium exhibeat. Tum coram ipsius collegii decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, fidei professionem ac fidelitatis iusiurandum, de more, praestet; de his denique exhibito documento proprium ordinarium certiorem faciat. Qui vero tamquam privata persona huiusmodi titulum rite fuerit consecutus, non ante privilegiis eidem titulo annexis, uti poterit, quam legitimum suae nominationis testimonium memorato collegio exhibuerit, fidei professionem et fidelitatis iusiurandum, uti supra, ediderit, de hisque omnibus authenticum documentum suo ordinario attulerit. Haec ubi praestiterint, eorum nomen in sylloge protonotariorum recensebitur.

51. Qui ante has litteras, motu proprio editas, iuribus gaudebant protonotarii *ad instar,* tamquam alicuius ecclesiae canonici, a postulatione brevis, de quo in superiori numero, dispensantur, quemadmodum et a iureiurando, ut ibidem dicitur, praestando, quod tamen proprio ordinario infra duos menses dabunt.

52. Habitum et insignia in choro dignitates et canonici protonotarii gerent, prout capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis, tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu rochetti et mantelleti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim protonotarius, habitu praelatitio assistens, neque locum inter canonicos tenebit, neque distributiones acquiret, quae sodalibus accrescent.

53. Collegialiter tamquam canonici pontificalibus functionibus, iuxta ceremoniale episcoporum, sacris vestibus induti assistentes, non alia mitra utentur quam simplici, nec umquam hoc aliisve supra memoratis insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam, nisi in concessionis diplomate aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem subdiaconatus non sit promotus, ne in choro quidem cum aliis mitra umquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de mitra non habebunt, prout in pontificalibus uni celebranti competit. Qui in missa solemni diaconi, subdiaconi aut presbyteri assistentis munus agunt, dum dignitas, vel canonicus, aut alter privilegiarius pontificaliter celebrant, mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt, episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter assistentibus, quo in casu, cum ministrant, aut cum episcopo operantur, maneant detecto capite.

54. Protonotarius *ad instar* defunctus efferri aut tumulari cum mitra non poterit, nec eius feretro ipsa imponi.

55. Ne autem protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de

quibus supra, canonici honorarii, sive infra, sive extra dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui capitulum iure constituunt.

56. Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso, protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint.

57. Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae canonici, sed tamquam protonotarii, conveniant, non idcirco collegium praelatitium constituere; verum, quando una cum protonotariis de numero participantium concurrunt, v. gr. in pontificiis cappellis, tunc quasi unum corpus cum ipsis censentur, sine ullo tamen amplissimi collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem cappellae et familiae pontificiae consuetudinibus.

58. Si quis, quavis ex causa, dignitatem aut canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativae protonotariorum *ad instar* annexa sint, statim ab iisdem titulo, honore et praerogativis decidet. Qui vero pontificium breve inter praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

IV. — Protonotarii apostolici titulares seu honorari.

59. Cum Apostolica Sedes, non sibi uni ius reservaverit protonotarios titulares seu honorarios nominandi, sed nuntiis apostolicis, collegio protonotariorum participantium et forte aliis iamdiu illud delegaverit, antequam de eorum privilegiis ac praerogativis aliquid decernamus, leges seu conditiones renovare placet, quibus rite honesteque ad eiusmodi dignitatem quisque candidatus valeat evehi, iuxta Pii PP. VII praedecessoris nostri constitutionem « *Cum innumeri* », idibus decembr. 1818 datam.

60. Quoties igitur de honorario protonotariatu assequendo postulatio praebeatur, proferantur, ab ordinario recognita, testimonia, quibus constet indubie: 1° de honesta familiae conditione; 2° de aetate saltem annorum quinque et viginti; 3° de statu clericali ac caelibi; 4° de laurea doctoris in utroque, aut canonico tantum iure, vel in s. theologia, vel in s. scriptura; 5° de morum honestate et gravitate, ac de bona apud omnes aestimatione; 6° de non communibus in ecclesiae bonum provehendum laudibus comparatis; 7° de idoneitate ad protonotariatum cum decore sustinendum, habita etiam annui census ratione, iuxta regionis cuiusque aestimationem.

61. Quod si huiusmodi protonotariatus honor alicui canonicorum coetui collective ab Apostolica Sede conferatur (quod ius collective protonotarios nominandi, nemini censeri posse delegatum declaramus), eo ipso, quo quis dignitatem aut canonicatum est legitime consecutus, protonotarius nuncupabitur.

62. Pariter, qui vicarii generalis aut etiam capitularis munere fungitur, hoc munere dumtaxat perdurante, erit protonotarius titularis; hinc, si dignitate aut canonicatu in cathedrali non gaudeat, quando choro interesse

velit, habitu protonotarii praelatitio, qui infra describitur, iure utetur.

63. Protonotarii apostolici titulares sunt praelati extra urbem, qui tamen subiecti omnino manent locorum ordinariis, praelatorum domus pontificiae honoribus non gaudent, neque inter Summi Pontificis familiares annumerantur.

64. Extra urbem, dummodo Summus Pontifex eo loci non adsit, in sacris functionibus rite utuntur habitu praelatitio, nigri ex integro coloris, idest veste talari, etiam, si libeat, cum cauda (nunquam tamen explicanda), zona serica cum duobus flocculis a laeva pendentibus, rochetto, mantelleto et bireto, absque ulla horum omnino parte, subsuto aut ornamento alterius coloris.

65. Extra urbem, praesente Summo Pontifice, descripto habitu indui possunt, si hic tamquam chorale insigne concessus sit, vel si quis uti vicarius adfuerit.

66. Habitu praelatitio induti, omnibus clericis, presbyteris, etiam canonicis, singulatim sumptis, praeferantur, non vero canonicis, etiam collegiatarum, collegialiter convenientibus, neque vicariis generalibus et capitularibus, aut superioribus generalibus ordinum regularium, et abbatibus, ac praelatis romanae curiae; non genuflectunt ad crucem vel ad episcopum, sed tantum se inclinant, ac duplici ductu turificantur.

67. Super habitu quotidiano, occasione solemnis conventus, audientiae et similium, etiam Romae et coram Summo Pontifice, zonam tantum sericam nigram, cum lacinis item nigris, gestare poterunt, cum pileo chordula ac floccis nigris ornato.

68. Propriis insignibus, seu stemmatibus, pileum imponere valeant, sed nigrum tantummodo, cum lemniscis et sex hinc sex inde flocculis pendentibus, item ex integro nigris.

69. Si quis protonotarius titularis, canonicatus aut dignitatis ratione, choro intersit, circa habitum se gerat iuxta normas protonotariis *ad instar* constitutas, num. 52, vestis colore excepto.

70. Sacris operantes, a simplicibus sacerdotibus minime differant; attamen extra Urbem in missis et vesperis solemnibus, pariterque in missis lectis aliisque functionibus solemnius aliquando celebrandis, palmatoria tantum ipsis utenda conceditur, excluso canone aliave pontificali supellectili.

71. Quod pertinet ad acta in causis beatificationis et canonizationis, et ad passivam electionem in conservatores ac cetera, iisdem iuribus gaudent, quibus fruuntur protonotarii supranumerarii, uti nn. 23 et 24 supra dictum est.

72. Beneficia eorum qui, tamquam privatae personae, protonotariatum titularem assecuti sunt, non vero qui ratione vicariatus, canonicatus sive dignitatis eodem gaudent, ab Apostolica tantum Sede conferantur.

73. Noverint autem, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae canonici, sed tamquam protonotarii, conveniant, non ideo collegium constituere.

74. Tandem qui protonotariatu apostolico honorario donati sunt, tam-

quam privatae personae, titulo, honoribus et privilegiis protonotariatus uti nequeunt, nisi antea diploma suae nominationis collegio protonotariorum participantium exhibuerint, fideique professionem, ac fidelitatis iusiurandum coram ordinario, aut alio viro in ecclesiastica dignitate constituto emiserint. Qui vero ob canonicatum, dignitatem, aut vicariatum, eo potiti fuerint, nisi idem praestiterint, memoratis honoribus et privilegiis, quae superius recensentur, tantummodo intra propriae dioecesis limites uti poterunt.

75. Qui secus facere, aliisque, praeter descripta, privilegiis uti praesumpserint, si ab ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso honore et iuribus protonotarii privatos se sciant: quod si protonotariatum tamquam privata persona adepti sint, etiam titulo.

76. Vicarii generales vel capitulares, itemque dignitates et canonici nomine atque honoribus protonotariatus titularis gaudentes, si, quavis ex causa, a munere, dignitate aut canonicatu cessent, eo ipso, titulo, honoribus et iuribus ipsius protonotariatus excident.

b) **De ceteris praelatis Romanae Curiae.**

77. Nihil detractum volumus honoribus, privilegiis, praeeminentis, praerogativis, quibus alia praelatorum Romanae Curiae collegia, Apostolicae Sedis placito, exornantur.

78. Insuper concedimus, ut omnes et singuli praelati urbani seu domestici, etsi nulli collegio ascripti, ii nempe, qui tales renunciati, breve Apostolicum obtinuerint, palmatoria uti possint (non vero canone aut alia pontificali supellectili) in missa cum cantu, vel etiam lecta, cum aliqua solemnitate celebranda; item in vesperis aliisque solemnibus functionibus.

79. Hi autem habitum, sive praelatitium sive quem vocant *pianum*, gestare poterunt, iuxta Romanae Curiae consuetudinem, prout supra describitur nn. 16, 17; numquam tamen vestis talaris caudam explicare, neque sacras vestes ex altari assumere valeant, nec alio uti colore, quam violaceo, in bireti flocculo et pilei vitta, opere reticulato distincta, sine chordulis et flocculis, etiam in pileo stemmatibus imponendo ut n. 18 dictum est, nisi, pro eorum aliquo, constet de maiori particulari privilegio.

c) **De dignitatibus, canonicis et aliis, qui nonnullis privilegiis praelatorum propriis fruuntur.**

80. Ex Romanorum Pontificum indulgentia, insignia quaedam praelatitia aut pontificalia aliis collegiis, praesertim canonicorum, eorumve dignitatibus, quocumque nomine nuncupentur, vel a priscis temporibus tribui consueverunt; cum autem eiusmodi privilegia deminutionem quamdam episcopali dignitati videantur afferre, idcirco ea sunt de iure strictissime interpretanda. Huic principio inhaerentes, expresse volumus, ut in pontificalium usu nemini ad aliquod ex supra memoratis collegiis pertinenti in posterum ampliora suffragentur privilegia, quam quae, superius descripta, competunt protonotariis sive supranumerariis, sive *ad*

instar, et quidem non ultra propriae ecclesiae, aut ad summum dioeceseos, si hoc fuerit concessum, limites; neque ultra dies iam designatos, aut determinatas functiones; et quae arctiora sunt, ne augeantur.

81. Quoniam vero de re agitur haud parvi momenti, quippe quae ecclesiasticam respicit disciplinam, ne quis audeat arbitraria interpretatione, maiora quam in concedentis voluntate fuerint, sibi privilegia vindicare; quin potius paratum sese ostendat, quatenus illa excesserint, minoribus coarctari; singulis locorum ordinariis, quorum sub iurisdictione vel quorum in territorio, si de exemptis agatur, aliquis ex praedictis coetibus inveniatur, demandamus, ut, tamquam Apostolicae Sedis Delegati, Apostolicarum concessionum documenta ipsis faventia, circa memorata privilegia, infra bimestre tempus, ab hisce nostris ordinationibus promulgatis, sub poena immediatae amissionis eorum quae occultaverint, ad se transmitti curent, quae intra consequentem mensem ad Nostram SS. Rituum Congregationem mittent. Haec autem, pro suo munere, omnia et singula hisce nostris dispositionibus aptans, declarabit et decernet, quaenam in posterum illis competant.

Haec omnia rata et firma consistere auctoritate nostra volumus et iubemus: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXI Februarii MCMV, Pontificatus Nostri anno secundo.

Nota autem hic ea, quae declaravit s. Rituum Congreg. (*14 mart. 1906*) scilicet: «Quoad insignia, pontificalium usum, aliaque quaecumque privilegia, praescriptiones in citato motu proprio (Pii PP. X) contentae debent integre atque adamussim servari; ita ut quae ipsis conformia sint, libere et licite retineantur; quae vero contraria exstent, ea tamquam omnino abrogata habeantur, non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis. Si autem dubia deinceps hac super re adhuc oriantur, illa ordinarii locorum ad memoratam commissionem penes S. R. C. peculiariter institutam deducant, quae, servatis dispositionibus in laudato motu proprio sancitis, suffragium suum queat proferre.»

Super legitima interpretatione art. II, n. 14 et 34 et art. III, n. 43 in superiori Motu proprio *Inter multiplices* diei 21 febr. 1905 sacrae Rituum Congregationi sequens quaestio proposita fuit: An canonicus rite ascriptus capitulo, quod collegialiter gaudet privilegiis seu insignibus et iuribus ad protonotarios apostolicos, vel supranumerarios vel ad instar participantium, pertinentibus, ius aliquod acquisierit, quo inter praelatos domesticos cum expeditione brevis recenseatur. Et s. Congr. respondit: «*Negative*, et ascriptionem coetui praelatorum domesticorum unice pendere ex benigna liberalitate Summi Pontificis, attentis in singulis casibus, omnibus circumstantiis et specialibus meritis personae». *S. R. C. 24 maii 1911.*

Sacchetti Privilegia protonotariorum apostolicorum; *Andreucci* Tratt. de protonotariis apostolicis; *Riganti* De protonotariis

apostolicis; *Buonaccorsi Marchesi* Antichità del protonotariato apostolico partecipante; *Brunet* Le parfait notaire apostolique et procureur des officialités et formules ecclésiastiques; *Micke* De protonotariis apostolicis dissert; *Renaud* Des protonotaires apostoliques; *Trombetta* De iuribus et privilegiis praelatorum romanae Curiae.

3365 **Proxeneta.** — Próxeneta ille est, qui gratis, vel pacto stipendio, ex commissione vendit rem non suam, vel pro altero rem emit.

Vendens supra, aut emens infra pretium sibi designatum, non potest per se excessum pretii sibi retinere (G. B. *I. 915*; Salmanticenses *Th. mor. tr. XIV. c. 2 dub. 9. nn. 72. 76*; Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 21 dub. 19. n. 137*; Monitore eccl. *vol. XIV pag. 326 sqq.*); potest tamen rem, pretio determinato vendendam, sibi emere, eam maioris venditurus. G. B. *I. 916.*

Proximus. — Quomodo praximus sit diligendus, Vid. *Caritas;* quomodo corrigendus, Vid. *Correctio fraterna.*

3366 **Prudentia.** — Prudentia est recta ratio agibilium (S. Th. *1. 2. q. 57. a. 4*), seu virtus recte ordinans ea, quae sunt ad finem totius vitae. S. Th. *l. c. ad 3um.* Sunt autem agibilia materia prudentiae, secundum quod sunt obiectum rationis, idest sub ratione veri. S. Th. *2. 2. q. 47. a. 5 ad 3um.* Prudentia autem adiuvat omnes virtutes et in omnibus operatur. S. Th. *loc. nuper cit.*

Ei opponitur imprudentia, quae dupliciter accipitur: uno modo privative, in quantum aliquis caret prudentia, quam quis natus est et debet habere, et secundum hoc imprudentia est peccatum ratione negligentiae, qua quis non adhibet studium ad prudentiam habendam. Alio modo imprudentia dicitur contrarie, secundum quod ratio contrario modo movetur vel agit prudentiae, et hoc modo imprudentia est peccatum secundum propriam rationem prudentiae. Non enim potest hoc contingere, quod homo contra prudentiam agat, nisi divertens a regulis, quibus ratio prudentiae rectificatur. Unde, si hoc contingat per aversionem a regulis divinis, est peccatum mortale; si vero praeter eas agat absque contemptu et absque detrimento eorum, quae sunt de necessitate salutis, est peccatum veniale. Ita fere ad verbum S. Th. *2. 2. q. 53. a. 1.* Cfr. Laymann *lib. III sect. 2;* Lessium *de iust. et iure lib. I. c. 2 dub. 4.*

Pubertas. — Puberes in iure dicun- 3367
tur pueri, qu 14^{um} aetatis annum, et puellae, quae 12^{um} expleverunt (*l. 3 quando tutores etc. C.* [*V. 60*]); ceteri sunt impuberes. Hac aetate iure canonico matrimoniis contrahendis idonei habentur, non ante eam; quia pubertas iure nostro necessario requiritur ad valorem matrimonii. *cc. 3. 6 de desponsat. impuber. X.* (*IV. 2*). Haec pubertas dicitur minus plena; plena in feminis 14°, in maribus 18° anno completur. Vid. *Aetas.*

Bechmanni I. De obligatione impuberis; *Cramer A. G.* De pubertatis termino ex disciplina Romanorum; *Marro* La pubertà studiata nell'uomo e nella donna in rapporto all'antropologia, alla psichiatria, alla pedagogia ed alla sociologia.

Puellae. — Lex de confessario or- 3368
dinario pro singulis monasteriis de-

putando non respicit collegia puellarum (*S. C. EE. RR. 7 dec. 1906 ad 7*), et proinde etiam lex triennii horum confessarios non respicit. Vide *Monialis n. 2792.*

3369 **Pueri.** — Pueri, nisi fuerint septennes, non tenentur legibus ecclesiasticis abstinentiae, observantiae dierum festorum etc. (Vid. *Lex*), sed expedit eos ad iugum Domini portandum assuescere.

Pueri post septennium tenentur observare qualitatem ciborum ab ecclesia praescriptorum. S. Poen. *15 mart. 1837.* Ante septennium expletum pueri, etsi usum rationis habeant, valde probabiliter nullis ecclesiae legibus ligantur (Croix *Th. mor. lib. 1. n. 676, lib. III. p. 1. 2. 615*); imo etiam post septennium, etsi, si adepti sunt usum rationis, pueri legibus ecclesiasticis teneantur, donec tamen sunt impuberes, non tenentur poenis transgredientibus forte impositis. B. P. *I. 336 sqq.*

Pueri sunt dominii capaces G. B. *I. 524. 4.*

Pueri etiam septennes, ad confessionem sensim praeparandi sunt, et si deprehendatur in eis peccatum mortale, etiam dubium, absolvendi; imo etiam quando de nulla mortali labe etiam dubia constat, non sunt dimittendi sine absolutione. Cfr. S. Alph. *III. 270*; *VI. 666.*

In periculo mortis pueris usum rationis nondum adeptis viaticum non est dandum aliis dandum omnino est (G. B. *II. 131. 5°*), et praeter ipsum etiam extrema unctio. *Mot. propr. Pii X de prima comm. puer.*

Qua aetate sint admittendi ad primam communionem, vid. *Communio paschalis, Prima communio.*

Occasione admissionis puerorum ad primam communionem altaria ornari possunt floribus et pulsari organa etiam tempore quadragesimae. *S. R. C. in una Soc. Iesu 11 maii 1878.*

Moontier Hist. de la la protection de l'enfance à Rome; *Drucker* La protection des enfants maltraités et moralment abandonnés; *Blanc P.* Les enfants maltratiés ou moralment abandonnés; *Goguillot* Les lois protectrices de l'enfance. Etude de legislation comparée et projets de reforme; *Milhand L.* De la protection des enfants sans famille. Enfants assistés et enfants moralment abandonnés; *Marro* La pubertà studiata nell'uomo e nella donna in rapporto all'antropologia, alla psichiatria, alla pedagogia ed alla sociologia; *Guillemin* De la protection des enfants du premier âge; *Forel* La question sexuelle exposée aux adultes cultivés; *Trust E.* La formation de la chasteté; *Bourdelette A.* Lois protectrices de l'enfance; *André S.* L'assistance publique de l'enfance; *Förster F. W.* Il problema sessuale nella morale e nella pedagogia; *Förster F. W.* Alle soglie della maggiore età; *Fonsegrive* L'educazione della purezza; *Bloch Ivan* La vita sessuale dei nostri tempi nei rapporti con la civiltà moderna.

Puerpera. — In rituali romano ha- 3370
betur peculiaris benedictio pro puerperis, ad quam ius tantummodo habent mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepererunt (*S. C. C. 18 iul. 1859*), etiamsi proles mortua fuerit sine baptismo. *S. R. C. in Molinen. 12 sept. 1857 ad 17* (*3059*); *in Vicentina 19 maii 1896* (*3904*). Neque est deneganda benedictio post partum mulieri petenti. eo quod eius proles ex legitimo matrimonio mixto baptizata

fuerit apud haereticos, nisi constet, ipsam consensisse, aut pro viribus non obstitisse. *S. U. I. 18 iun. 1873.*

Ius benedicendi puerperas non spectat privative ad parochos; in libertate puerperarum est ad quamcumque ipsis benevisam ecclesiam accedere, ut eamdem recipiant *S. C. C. 7 dec. 1720.* Sed parochus expetitus hanc benedictionem impertiri debet; alii sacerdotes omnes expetiti eam impertiri possunt in quacumque ecclesia vel oratorio publico, certiore facto superiore ecclesiae. *S. R. C. in Romana 21 nov. 1893* (*3813*); *S. C. C. a. 1896* (cfr. apud Monitore eccl. *vol. IX. part. 2 pag. 74*).

3371 **Punctatores.** — Punctatores duo plerumque eliguntur in capitulis, quibus onus incumbat annotandi quotquot a choro et ab aliis functionibus, quibus diebus, et quali temporis spatio, seu a recitanda qua officii parte absunt. Bened. XIV *de syn. lib. IV. c. 4.*

Punctatores autem convenit esse de gremio capituli et residentes in choro, ac proinde non convenit punctatorem esse cappellanum amovibilem ad nutum capituli. *S. R. C. in Cortonen. 10 sept. 1701 ad 17* (*2079*). Poenitentiarius, quum non possit semper choro adesse, non potest esse punctator. *S. C. C. 3 oct. 1671.*

Punctatores quolibet anno eligendi sunt a capitulo ipso cathedralium et collegiatarum, non ab archidiacono aut ab aliis privative. *S. C. C. in Conversana 4 dec. 1706.* At si duo sint punctatores, potest unus a capitulo, alter ab episcopo eligi (*S. C. C. in Salernitana 27 sept. 1732*), qui semper potest deputare contra-punctatorem. *S. C. C. in Alben. 19 sept. 1710.*

Punctaturae. — Vid. *Fallentiae* et confer *S. C. C. in Guastallen. Consuetudinum quoad servitium chorale, 21 nov. 1903.*

Punctio cordis. — In aliquibus re- 3372 gionibus mos est ut aliquando medici antequam cadaver sepeliatur vel in capsa recondatur, sive ad petitionem familiae defuncti sive ad morem gerendum voluntati ab ipso defuncto vel voce vel testamento manifestatae, eidem seu arteriam aperiant seu cor depungant, ne periculum sit eum vivum sepeliendi. Quaestio facta est utrum hoc licitum sit. Sententia negans nonnullis placet; at sententiam propugnantem liceitatem defendunt, quod sciam, Noldin (*de praeceptis n. 339*), Pruner (*Moralth. I, 526*), Génicot (*Casus consc. I, pag. 159*), Müller (*Th. mor. II. § 153*).

Pupillus. — Vid. *Tutor.*

Purificatio calicis. — Purificatio ca- 3373 licis, quae distinguitur ab ablutione digitorum, quae eam sequitur, ex rubricis missalis, quae citra maximam penuriam vini, servandae omnino sunt, saltem in purificatione seu in prima ablutione (*S. U. I. 14 iun. 1707*), vino facienda est. Attamen ex necessitate aliquando conceditur, ut purificatio etiam aqua tantum fiat, uti concessum est pro China, Cochinchina et Tungkino ob maximam vini penuriam. *S. C. P. F. 13 ian. 1665.*

Eadem permissio aliquando abstemiis facta est. *S. C. R. in Romana 5 ian. 1847* (*2926*); *in Calaguritana 5 mart. 1847* (*2947*).

Etiamsi post sumptionem sanguinis et ante ablutionem, quaedam particulae vini consecrati reperiantur reliquae in calice, statim ablutio sumenda est, nec iterum admovendus est calix ori celebrantis ante ipsam ablutionem; nam S. Rituum congregatio de hoc interrogata respondit, servandas esse in casu rubricas missalis *S. R. C. in Colimen. 12 iul. 1901*.

Quoad purificationem calicis in prima missa, quando quis binare debet' vide *Binare*.

3374 **Purificatorium**. — Purificatorium debet necessario esse ex lino vel ex cannabe. De Herdt *Sacrae lit. praxis I. 167*. Non constat de gravi praecepto illud adhibendi. S. Alph. *VI. 389*.

Sine speciali indulto Sedis Apostolicae ablutio corporalium, purificatoriorum et pallarum spectat ad clericos, qui saltem subdiaconi sint. *S. C. EE. RR. 9 iun. 1860*.

Purificatoria non benedicuntur. *S. R. C. in Tuden, 7 sept. 1816 ad 12 (2572)*. Vid. *Corporale*.

3375 **Pyxis**. — Pyxis, nec necessario consecrata, nec necessario argentea esse debet, sed ex metallo, benedicta et intus deaurata. De Herdt *Sacrae lit. praxis I. 173*. Hinc, quum episcopus Mindoniensis efflagitasset, an adhiberi posset pyxis vitrea ad servandam et administrandam sacram synaxim in locis silvestribus ac imperviis, ubi latrones metalli amore capti pyxides furabantur, S. Congregatio rituum respondit: negative. *S. R. C. in Mindonien. 30 ian. 1880 (3511)*.

Benedictio impertienda est ab eo, qui facultatem habet benedicendi paramenta sacerdotalia, et mediante formula, quae in missali et rituali inscribitur: Benedictio tabernaculi seu vasculi pro sacrosanta eucharistia consecranda. Rit. Rom. *tit. VIII c. 23*.

Si ss. Sacramentum in pyxide exponitur, vel cum ciborio datur benedictio, congruentius omittitur purificatio (*S. R. C. in Ariminen. 11 sept. 1847 [2957]*); saltem sex lumina sunt accendenda; sub benedictione vero tota pyxis cooperiri debet extremitatibus veli oblongi humeralis. *S. R. C. in Meliten. 23 febr. 1839 ad 1 (2786)*. Quoad benedictionem populo impertiendam cum sanctissimo Sacramento in pyxide recondito vide *Benedictio*.

Iuvat hic referre sequentem concessionem circa purificationem pyxidis, quae pro peculiari casu a s. Congregatione Rituum facta est.

Exposuit Superior Gen. Congreg. SSmi Redempt. in danda communione leprosis et in purificanda pyxide hactenus missionarios vic. apostolici Surinamensis sumpsisse, secundum rubricas, minutas particulas quae forte remanerent: in his vero facile esse ut reperirentur fragmenta quae labia et salivam leprosorum tetigissent. Quare necessarium putabat quasdam cautelas adhiberi in ea purificatione peragenda, et ad hoc novum quemdammodum proponebat.

Sacra porro Rituum Congregatio respondit: « Paretur super altari vasculum cum aqua et stuppa seu gossypio, in quod vasculum purificatio pyxidis, modo solito peragenda, immittatur, eaque quam primum fieri poterit, in sacrarium iniiciatur ». *S. R. C. in una Congr. Ss. Redemptoris 19 febr. 1909*.

Q

3376 **Quadragesima.** — Sub hoc nomine quadragesimae venit ieiunium antepaschale, quod ab antiquissimo tempore ex ecclesiae institutione viget apud fideles et cunctos obligat, qui ad aetatem pervenerunt praescriptam. Ieiunium hoc antepaschale non paucas subiit modificationes, temporibus progredientibus, et ab antiquo rigore, si examinemus praesentem disciplinam, non parum deflexit.

Quaenam sit aetas, in qua fideles ad hoc ieiunium obligantur, quinam sit modus illud observandi etc. vide sub *Ieiunium*.

Decr. Grat. c. 8, D. LXXVI; c. 2 de observatione ieiuniorum X. (III. 46); Const. Ben. XIV « Non ambigimus » 30 mart. 1741; Const. Ben. XIV « In suprema » 22 aug. 1741; *Ciacconi A.* De ieiuniis et varia eorum apud antiquos observantia; *Van Dassel G.* De inre temporis quadragesimalis; *Filesacus I.* Quadragesima christiana; *Anon.* Cibus quadragesimalis ex responsionibus Hermanni Ewichii et Wilhelmi Hulsii ad Landgravium Hassiae; *Daillé I.* De ieiuniis et quadragesima; *Launoi* De vero ciborum delectu in ieiuniis christian.; *Homborgius I.* De quadragesima christianorum veterum et ritibus in ea quondam usitatis diss. historico-theologica; *Scack I.* Disp. iuridica de sancto tempore quadragesimae; *Andry N.* Traité des aliments du carême; *Amatus M.* De piscium atque avium esus consuetudine in antepaschali ieiunio; *Walchius I. G.* Diss. de ieiunio quadragesimali; *Berthelet* Traité de l'abstinence; *Martène* De antiquis ecclesiae ritibus; *de l'Isle* Historie dogmatique et morale du jeûne; *Concina D.* La disciplina antica e moderna della romana chiesa intorno al sacro quaresimale digiuno; *Becker I. B.* De ieiuniis veterum christianorum; *Ehrlich I. G.* Diss. de quadragesimae ieiunio; *Albaspinaeus G.* De ieiuniis et stationibus; *Bertalazzone C.* Il precetto del digiuno quadragesimale stabilito sull'apostolica tradizione; *Liemke H.* Die Quadragesimalfasten d. Kirche; *Funk* Die Entwicklung d. Osterfastens; *Duchesne L.* Origines du culte chrétien; *Vacandard* Les origines du carême; *Ermoni V.* Le carême; *Villien* Histoire des commandements de l'église ch. 7.; reliquam bibliographiam quaere sub *Ieiunium*.

Quaestum. — Quaestum facientes 3377
ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, eas publicando, etc., excommunicationem latae sententiae R. P. simpliciter reservatam incurrunt. *Const.* S. Pii V « Quam plenum » *2 ian. 1569; Const.* « Ap. Sedis » *ser. 2. n. 11.*

Quarta funeraria. — Quarta funeraria dicitur portio canonica, seu 3378
certa aliqua oblatio a iure canonico inducta, ad quam parochus ius habet, quando aliquis parochianus defunctus extra parochiam sepelitur (Leurenius *For. benef. part. 1. q. 454. n. 1*), eique solvi debet de iis omnibus, quae occasione funeris obveniunt ecclesiae tumulanti (*c. 2 de sepulturis* [*III. 7*] *in Clem.;* Leurenius *loc. cit. q. 455. n. 1*), ut candelis et cereis oblatis (non de illis, quae a presbyteris seu fratri-

bus confraternitatum deferuntur, nam hae his remanent, *Decl. Bened. XI;* Leurenius *loc. cit. q. 455. n. 2; S. Congr. super neg. episc. 5 mart. 1616*), de iis, quae dantur pro legendis missis, etc. Leurenius *loc. nuper cit. n. 3.*

Si defunctus duplex habuerit domicilium, et extra utramque parochiam elegerit sepulturam, quarta funeraria inter duos parochos dividenda est. *c. 2 de sepulturis* (*III. 12*) *in 6°.*

Si autem defunctus habuerit domicilium, et quasi domicilium; moriatur autem in loco quasi domicilii, omnia emolumenta obveniunt parocho quasi domicilii, et nihil debetur parocho domicilii. Cfr. Ben. XIV *Inst. CV. n. 45;* Mon. eccl. *vol. IX. p. 1 pag. 120, vol. XIII pag. 376. n. 76.*

Portio, quae debetur parocho, non est praecise quarta pars horum omnium (*c. 9 de sepulturis X. III.* [*28*]), sed ea pars, quam episcopus determinaverit vel iuxta consuetudines locorum statuta sit.

Nota tandem, quod quarta funeralis seu portio canonica usque ad quartam exclusive potest praescribi spatio decem annorum absque titulo; ad hoc autem ut praescribatur infra quartam, vel ut nihil solvatur, requiritur et sufficit consuetudo 40 annorum cum titulo, aut centenaria vel immemorialis. Ferraris *Prompt. bibl. v.* « *Quarta funeralis* » *n. 3;* Petra *Tom. II. Const. 9a. Inn. III. n. 55; S. C. C. in Theiesin. 22 aug. 1901.*

« Quod si funus non ipsa depositionis die, sed qua alia fiat, etsi diu post, parocho nihilominus debebitur *quarta pars omnium intorticiorum et candelarum, quae circa coenothaphium et in altaribus eiusdem ecclesiae accensa fuerint* (Benedictus XIII *Rom. Pontifex* 26 apr. 1725). Et si postero die aliud funus solemniori pompa peragatur, huius quoque canonica portio parocho (S. C. Epp. 3 aug. 1862; Acta V. 604) ab ecclesia debetur: primo quia debetur de *obventionibus omnibus funeralibus* (Clem. 2. § Per 7 de sepult.), unde quarta funeralium dicitur (Trid. XXV. R. 13); deinde ne secus fraus legi et parochis fiat (ex cap. 4 de sepult.). Porro non nemo ex recentioribus docet parocho quartam deberi etiam ex his, quae deferuntur die 3°, 7° et 30°, sed nullo auctore, nullo iure; et a iuribus supra recensitis alienum videtur ». Ita D'Annibale *III. 177* (*92*).

Et cum D'Annibale sentiunt plures ex antiquioribus ex. gr. Antonelli (*de iurib. cleric. I. p. 5. c. 61. n. 6*), Ursaya (*disceptat. eccl. tom. 1. p. 1 disc. 10*), Barbosa (*de off. et pot. parochi part. 3. c. 24. n. 38*), etc.

Attamen haec sententia non omnino certa est. Sunt enim recentiores responsiones SS. Congregationum, quae in sententiam contrariam potius inclinant. Cfr. *S. R. C. in una ord. Min. conv. 13 maii 1879* (*3494*) *ad 1; S. C. EE. RR. in Tusculana 13 maii 1904; in Iannen. 15 iul. 1905; S. C. C. in una de Serena 23 febr. 1907.* Cfr. etiam Monitore eccl. *vol. XIX. pag. 55. sqq.*

Bibliographiam quaere sub *Sepultura.*

Quasi-castrensia. — Quasi-castrensia dicuntur ea bona, quae filiusfamilias ex aliquo officio civili acquisivit. Eorum filius habet perfectum dominium. Vid. *Bona.* 3379

3380 **Quasi-contractus.** — Quasi-contractus, tunc habetur, quum consensus non manifestatur formaliter, sed ex alia actione aut ex officii susceptione colligitur. Sic medicus exercens artem suam, promittere censetur, se id facturum, quod a suo munere exigitur. G. B. *I. 754.*

Ius italicum quasi-contractum definit: factum voluntarium et licitum, ex quo profluit obligatio erga tertium, aut obligatio mutua inter partes. *C. C. a. 1140.*

Ex quasi-contractu oritur obligatio ex iustitia. B. P. *III. 552.*

An vero haec obligatio, ait Lugo (*de iust. et iure disp. XXII. n. 5*), oriatur ex voluntate illius, qui obligatur, an vero ex lege vel aequitate obligante: dicendum est, aliquando ex voluntate ipsius obligati provenire, quando sponte suscipit illud officium; eo enim ipso videtur velle suscipere onera et obligationes ei annexas. Aliquando provenit ex lege superiore imponente tibi etiam invito et repugnanti tale officium, cui annexa est obligatio illa ex iustitia. Aliquando ex iustitia seu aequitate, et tunc ex hac parte deficit a vera ratione contractus, et ideo appellatur obligatio ex quasi-contractu seu officio, quae tamen imitatur obligationem ortam ex contractu.

Quasi-domicilium. — Vid. *Domicilium.*

Querela nullitatis. — Quemadmodum contra sententiam iniustam datur appellatio, ita contra sententiam invalidam datur querela nullitatis. Eaque duplex est, sanabilis et insanabilis, prout vitium, quo processus laborat, spectat ad id, quod ex rei natura ad processum intrinsece et absolute necessarium est; vel ad id tantum spectat, quod ex mera legis praescriptione requiritur. Proponi autem potest vel coram ipso iudice, qui sententiam tulit, si fuerit ordinarius (non vero, si fuerit delegatus), vel coram iudice superiore; et melius coram hoc proponitur. Cfr. De Luca Mar. *Prael. iur. can. de iudic. n. 245.* 3381

Quindennia. — Quindennia dicuntur taxae quaedam, quae annatis seu mediis annatis aequivalent et solvi debent singulis quindenniis ex fructibus officiorum, quae monasteriis vel aliis officiis ecclesiasticis incorporata sunt. Quum enim haec incorporata officia numquam revera vacent, inducta fuit haec fictio iuris ut vacare tamen censeantur singulis quindecim annis, quo tempore subiiciuntur cuidam taxae ad instar annatae seu mediae annatae, quae a noviter provisis de beneficiis quibusdam solvenda est. Vid. *Mediae annatae.* 3382

Quinquennales facultates. — Vid. *Facultates quinquennales*, ubi etiam de facultatibus vicariis apostolicis ad quindennium concedi solitis.

R

3383 **Rapina.** — Rapina est rei alienae, domino rationabiliter invito, aperta ablatio cum violentia. B. P. *III. 274.* Addit novam malitiam furto ex personali iniuria, quam domino infert ratione violentiae, quae ipsam comitatur. S. Th. *2. 2. q. 66. a. 4 et 9;* Koch *Lehrbuch der Moralth.* § *150.*

3384 **Raptus. — De natura et divisionibus raptus.** — Raptus est violenta personae abductio libidinis explendae vel coniugii cum ea ineundi, vel alterius boni adipiscendi, ex. gr. pecuniae, causa, e loco tuto ad locum non tutum.

Quare in raptu, ut est *crimen,* et ut de eo nunc loquimur, includitur etiam casus abductionis masculi; qui, ut videbimus, excluditur in raptu, si raptus consideratur ut impedimentum matrimoniale.

Raptus dividitur in raptum violentiae et raptum seductionis.

Habetur raptus violentiae, quando mulier (aut vir) neque raptui consentit neque matrimonio, et tamen invita abducitur et detinetur sive vi physica sive morali, idest metu vel dolo; vel etiam quando mulier (aut vir), blanditiis seducta aut dolo, consentit in abductionem, et postea vi aut dolo detinetur, sed non consentit in matrimonium, aut viceversa consentit in futurum matrimonium, sed non in abductionem.

Raptus autem seductionis tunc habetur, quando mulier consentit in matrimonium et in abductionem, sed inscii sunt aut inviti parentes vel tutores, sub quorum potestate forte adhuc constituitur. Wernz *Ius. Decr. IV. 277.*

Habetur *crimen* raptus, sive vis inferatur soli personae raptae, sive solum iis, sub quorum potestate est, sive utrisque. Cf. B. P. *VI. 692 sqq.*

In raptu duplex plerumque peccatum est, luxuriae generatim ex parte finis, iniustitiae semper ex parte actionis; hinc sive libido expleatur sive non, raptus est accusandus in confessione.

De raptu, prout est impedimentum matrimonii. — Quandonam impedimentum locum habeat. — Raptus est etiam *impedimentum dirimens* matrimonii, si habeatur violenta abductio cuiuslibet invitae mulieris (non viri, Sanchez *de matr. lib. VII. c. 13. n. 6;* Feije *de imp. et disp. matr. n. 156;* D'Ann. *III. 446;* Gasparri *de matr. I. 621*) de loco tuto in locum non tutum, ubi detineatur sub potestate raptoris, matrimonii ineundi causa. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 6 de ref. matr.; S. C. C. 23 ian. 1586.;* Feije *loc. cit. n. 149 sqq.* 3385

Violenta autem abductio etiam tunc habetur, quum non solum coactione absoluta, sed etiam metu gravi aut dolo et insidiis mulier abducitur. Nam mulier, quae ex dolo et insidiis

alterius agit, non consentit in fugam, quum nihil adeo adversetur consensui, quam error; quare tali mulieri vere vis infertur. Cfr. *S. C. C. in Herbipolen. 24 apr. 1857, 18 iun. 1859;* Gasparri *loc. cit. I. 628.*

Quare ad incurrendum impedimentum necesse est, quod habeatur raptus violentiae; et quotiescumque raptus violentiae habetur, incurritur impedimentum. Et nota, quod semper, maxime autem quum puella sub potestate parentum aut tutorum constituta est, contra virum stat praesumptio, quod puella, si sponsalia non praecesserunt, etsi consenserit in raptum, non consenserit in matrimonium; aut, si praecesserunt sponsalia, quod, etsi consensit in matrimonium futurum, non consenserit in raptum. Quare, nisi vir luculenter probaverit consensum in utrumque, idest et in matrimonium et in raptum, ex parte puellae, pro exsistentia impedimenti iudicandum est. Wernz *loc. cit. IV. 282.*

Dirimit autem raptus matrimonium inter raptorem et raptam, etiamsi raptor eam per alios rapuerit, et in sua potestate per alios retineat. Feije *loc. cit. n. 154.*

3886 **Quandonam impedimentum non habeatur.** — Qui pro alio rapiunt, peccant contra iustitiam, sed non incurrunt impedimentum. Schmalzgrueber *in tit. 17 lib. V Decr. n. 20;* Gasparri *de matr. I. 624.*

Imo nec raptus seductionis, quo mulier muneribus, blanditiis etc. inducitur ad raptorem sequendum, inducit impedimentum. B. P. *VI. 693;* Gasparri *de matr. I. 634.*

Multo minus tunc habetur impedimentum, quum mulier aufugit seu abducitur ex condicto inter ipsam et raptorem, eoque magis si tractatus matrimoniales praecesserunt. Cfr. *S. C. C. in Mediolanen. 21 aug. 1661; in Aquen. 16 feb. 1889.*

An etiam casus detentionis seu sequestrationis iniustae, quum ex. gr. mulier, quae sponte in aliquem locum venerit, ibidem iniuste detineatur matrimonii contrahendi causa, comprehendatur sub hoc impedimento dirimente, controvertunt, doctores, alii negantes (D'Ann. *III. 446* etc.), alii affirmantes (Feije *loc. cit. n. 157* etc.).

Sed negantium sententia videtur praeferenda, praesertim quia concilium tridentinum, loquens de raptu stricte sumpto videtur intellexisse omnino abductionem physicam, sine qua esse potest quidem raptus late sumptus seu sequestratio, non autem raptus stricte sumptus; impedimentum vero dirimens non statuitur nisi expressis verbis, et non patitur extensionem ad casus similes. Rosset *de sacr. matr. II. 1347.*

Quum autem mulier rapta in loco tuto ac libero extra potestatem raptoris collocata fuerit, si in matrimonium cum raptore consenserit, etsi maneant poenae per raptum contractae, matrimonium certo valet. Feije *loc. cit. n. 186.*

Attamen etiam tunc parochus, ut matrimonio licite assistat, iuxta quosdam debet exspectare arbitrium et iudicium authenticum ordinarii, quo legitime constet, mulierem collocatam fuisse in loco tuto ac libero. Bangen *II. pag. 145;* Gasparri *loc. cit. I.*

645; Alii putant, hoc iure particulari reservare sibi posse episcopum, sed de iure communi non vigere. Wernz *l. c. IV. 286 (48).*

3387 **De poenis in raptores latis.** — Raptores (mulierum), et eiusmodi raptoribus consilium, auxilium vel favorem praebentes, incurrunt excommunicationem latae sententiae nemini reservatam. Conc. Trid. *loc. cit.;* Feije *l. c. n. 152.*

Haec excommunicatio, quum ab ipso tridentino lata fuerit, viget etiam post constitutionem « Apost. Sedis », et tenet praeter ipsum raptorem omnes praebentes consilium, auxilium vel favorem *ad raptum;* quare ea non tenentur ii, qui haec praestant post raptum admissum *ad matrimonium*, scilicet ad hoc, ut capta, quum potest, assentiatur nubere raptori. De Iustis *de disp. matr. lib. II. c. 18. n. 42;* D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 155 (1).*

Quoad hanc excommunicationem nota sequentem responsionem S. C. de Prop. Fide *ad vic. ap. Sutchuen. 17 apr. 1784:* « An vero qui puellas a parentibus gentili viro desponsatas invitas rapiunt et traducunt ad domum sponsi, in excommunicationis poenam incurrant, sic habe: Aut sponsalia inita sunt a parentibus, priusquam puellae rationis usu potirentur, nec constat post rationis usum illa confirmasse ac rata habuisse; quum haec sponsalia irrita omnino sint, profecto qui raptui harum virginum consilium, auxilium aut favorem praebent, sunt ipso iure excommunicati iuxta caput 6 sess. XXIV de ref. matr. concilii tridentini; secus vero, si sponsalia cum earum consensu vel primum inita, aut deinde confirmata sunt, ac proinde firma ac valida reputantur; non enim raptorum poenis subiiciuntur, qui sponsam ad sponsum vi pertrahunt, quamvis invitas et renuentes ».

Nota etiam, ex tridentino (*loc. nuper cit.*) teneri raptorem mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, arbitrio iudicis dotare.

De origine, natura et dispensatione istius impedimenti. — Impedimentum hoc est iuris mere ecclesiastici, et, in quantum est impedimentum distinctum ab impedimento vis et metus, viget iure tridentino, quo ex praesumptione metus et in poenam tanti criminis inductum est. Iure antetridentino hoc impedimentum non vigebat, nisi in quantum includebat vim et metum. Cfr. *dictum Gratiani ad c. 11. C. XXXVI. q. 2; c. 7 de raptoribus etc. X. (V. 17).* 3388

Sancta Sedes aliquando, sed rarissime, super hoc impedimento dispensat. Quod quidem confirmatum est etiam recenter in instructione, quam S. Congregatio s. Officii transmisit ad episcopos Albaniae super hoc impedimento raptus, in qua, postquam assertum fuerit frequentiam criminis raptus non solum non esse iustam causam, ob quam abolenda sit lex tridentina, sed suadere potius, eam firmissime retinendam, additur, quod, si de raptae vere libero consensu certo constet et sufficientia ad dispensandum motiva praesto sint, eidem succurri poterit per dispensationem, quae tamen S. Sedi reservata est. *S. U. I. 15 febr. 1901.*

Decr. Grat. C. XXXVI; tit. de raptoribus etc. X. (V. 17); Conc. Trid. sess. XXIV. c. 6 de ref. matr.; *S. Raymundus* Summa lib. II. t. 5 de raptoribus; *Bossii Aeg.* Tract. varii criminales (ubi etiam de raptu); *Sharrock Rob.* Iudicia de variis inconscientiae speciebus (ubi etiam de raptu); *Hauemann Mich.* Gamalogia synoptica seu de iure connubiorum (ubi in 3° libro de raptu); *Struve* Von Entführung der Frauen und Jungfrauen; *Rau* Examen iuris canon. in causa raptus; *Engelhardt* De raptu sponsae; *Kaiser* Ueber das impedimentum raptus; *Fessler J.* Ein Beitrag z. richt. Verständniss d. kirchl. Ehehindern. der Entführung; *Colberg* Ueber das Ehehinderniss der Entführung; *Freisen* Gesch. des can. ER. 587-615; *Duguit* Etude historique sur le rapt de séduction; *Salman* Interpretation des cap. VI Cum causam X. de raptoribus V. 17; *Esmein* Le mariage I. 391 ff.; *Dillov* Interpretation des cap. 6 X. de rapt. V. 17.

3389 **Ratihabitio.** — Ratam habentes interfectionem, mutilationem, iniuriam factam cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, Sedisque apostolicae legatis vel nunciis excommunicationem latae sententiae incurrunt R. P. specialiter reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 5.*

Ratihabitio mandato comparatur (*l. 12 de solut. etc. D.* [*XLVI. 3*]; *reg. 10 de regulis iuris in 6°*), ac proinde ratihabitio non intelligitur de iis, quae quis ebrius aut ignorans fecit, et postea rata habet; nemo enim sibi mandatum dat. D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 51.* Effectus autem ratihabitionis est, ut voluntatem nostram declaremus, et negotium, quod alioqui ad nos nihil pertineret, nostrum faciamus. Vicat *Vocab. iuris utriusq. v.* « *Ratihabitio* ». Attamen necesse est, ut negotium, quod ratum habere volumus, nomine nostro, etiam nobis insciis, gestum fuerit; nam ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. *Reg. 9 de regulis iur. in 6°.* Insuper notandum est, ratihabitionem retrotrahi. *Reg. 10 de reg. iur. in 6°.*

Hinc ad incurrendam hanc excommunicationem necesse est non solum, ut interfectio etc. facta ab aliquo fuerit suo nomine, illamque ipse postea factam approbet quasi mandato suo factam, sed etiam, ut eo tempore, quo facta est, potuerit ipse eam facere, vel mandare ut fieret. Quare, si eo tempore erat amens, non intelligeretur ratihabitio. D'Ann. *loc. cit. n. 51.*

Ratiocinium. — De obligatis ad ratiocinia, Vid. *Administratio.*

Ratum matrimonium. — Vid. *Matrimonium.*

Rebaptizare. — Qui publice et solemniter rebaptizat (D'Ann. *I. 410;* B. P. *VII. 423*), et qui scienter rebaptizatur (*c. 10. C. 1. q. 7*), imo et ctericus assistens baptismo iterum collato (*c. 2 de apostatis etc. X.* [*V. 9*]), fit irregularis; quae irregularitas prohibet a sola ordinum susceptione, atque ideo verius a susceptorum exercitio non prohibet. D'Ann. *loc. cit.* Qui occulte rebaptizat, vel ex metu, probabiliter non est irregularis. D'Ann. *I. 409.* 3390

An et quando liceat baptismum sub conditione iterato conferre; an haeretici redeuntes ad catholicam, et sub conditione rebaptizati teneantur confessionem generalem peccatorum suorum post baptismum facere. Vid. *Baptismus, Haereticus, Poenitentia.*

Receptans. — Receptans ille est, 3391

qui scienter et libere latroni praebet assecurationem. Is tenetur de damnis. Qui amicos vel consanguineos malefactores domi recipiunt, vel ii, qui eos sub spe emendationis occultant, non sunt receptantes. Vid. *Cooperatio.*

Relate ad excommunicationem, recipere seu receptare est igitur refugium abscondendi causa praestare in suo vel in alieno loco, D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 12.* Attamen ad hoc ut aliquis sit receptans, necesse est non solum, ut occultet seu refugium alicui praestet, verum etiam, ut hoc idem faciat ad hoc, ut receptatus poenas effugiat. Scilicet receptor pro excommunicatione formaliter intelligi debet, qui nempe haeretico refugium praebet ut haeretico, directe intendens, haereticum fovere et defendere. B. P. *VII. 273.* Vid. *Haereticus.*

3392 **Receptitiae ecclesiae.** — Receptitiae ecclesiae eae dicuntur, quae numeratae non sunt, seu quibus distinctae praebendae et distincta beneficia non adsunt, sed tot admittuntur canonici vel beneficiati aut mansionarii, quot ex reditibus massae communis sustentari possunt. Cfr. *c. 9 de constitut. X. (I. 2); c. 25 de praebendis etc. X. (III. 5); c. 8 de concessione praeb. (III. 7) in 6°.*

3393 **Recidivus.** — Recidivus ille est, qui habitum malum contraxit, et post confessionem in idem peccatum relabitur. S. Alph. *VI. 459:* B. P. *V. 130, 134 sq.* At meliorem definitionem recidivitatis tradit Lugo (*de poen. disp. XIV. n. 166*), nempe recidivitas est « frequens reincidentia in eadem peccata post multas confessiones absque ulla emendatione ». Cfr. B. P. *loc. cit. et sqq.*

Quoad recidivos, regula generalis statuenda haec videtur: eos nempe, quemadmodum poenitentes quoslibet, non esse absolvendos, quoties non apparent dispositi; absolvi vero posse, si sufficientia verae poenitentiae indicia praebeant. Cfr. Lugo *loc. nuper cit.;* B. P. *V. 137 sqq.;* Bucc. *II. 809;* cfr. etiam Rit. Rom. *tit. III. c. 1. n. 19.* Quod vero quis post factam confessionem relapsus fuerit, non est signum certum deficientiae contritionis, sed tantum praesumptio, quae cedere debet veritati, seu prudenti probabilitati in contrarium; haec autem deducitur ex signis, quae nullo iure, ut videtur, a quibusdam recentioribus reducuntur ad quaedam extraordinaria signa doloris, in qua ordinarietate, ut ita dicam, vel extraordinarietate signorum discordes plerumque sunt, et quibusdam extraordinaria sunt, quae aliis sunt omnino ordinaria. B. P. *V. 179.*

Sed in confessione recidivorum, sicut et in aliorum confessione, meminisse debet confessarius doctrinae catechismi romani (*tit. de poen. sacr. n. 82*), ex quo, si iudicaverit in poenitente dolorem omnino non defuisse, idest, si ei positive non innotescit dolorem deesse, eum absolvere potest. Quomodo autem aliter hoc constare potest confessario, nisi vel prudenter certo iudicare possit, poenitentem confessionem sacramentalem non serio, sed alio motivo adductum tunc perficere, vel ipse poenitens aperte confessario dixerit se dolorem

de praeteritis peccatis non habere, vel malam gerere voluntatem eadem peccata iterandi? Poenitenti enim credendum est tam pro se quam contra se, et voluntas hominis est mutabilis valde. Quare, si hic et nunc poenitens serio dicit, se de admissis dolere, eademque cavere in posterum velle, qua ratione iudicare recte potero in ipso *dolorem omnino deesse?* Quia pluries eadem peccata commisit et habitum peccandi contraxit? sed « quantumcumque aliqua virtus efficaciam habeat, flexibilitatem a libero arbitrio non tollit, dum est in statu viae ». S. Th. *in 4 dist. 14. q. 1 art. 4. q. 2.* Quia probabiliter relapsurus est? sed « illud, quod futurum est, non potest esse de substantia vel de integritate alicuius virtutis, nisi secundum quod est praesens in apprehensione vel in voluntate..., et ideo potest esse vera poenitentia, et tamen ab ea postmodum aliquis excidet ». S. Thom. *ibid.*

Quoad clericos ordinandos in sacris, qui sunt recidivi in peccatis turpibus, confer id, quod diximus sub *Ordo.* Vid. etiam Monitore eccl. *vol. VII. p. 2 pag. 10 sgg.*

Haringer Anleitung zur Verwaltung des Busssacram. § 22; *Pighi Jo. B.* Commentarius de iudicio sacramentali; *Aertnys* Fasciculus theol. mor. de occasionariis et recidivis; *Müller Ernest* Theol. moralis III. § 157; *Berardi A.* De recidivis et occasionariis; omnes moralistae quando de poenitentia. Reliquam bibliographiam quaere sub *Confessarius*, *Confessio.*

3394 **Reclamatio.** — Reclamatio sponsalium fieri potest ab uno ex sponsis, quando alter, non dissolutis legitime prioribus sponsalibus, alia sponsalia contraxit et nuptias cum tertia quadam persona inire tentat. Reclamatio porrigi potest parocho vel episcopo. Feije *de imp. et disp. matr. n. 556.*

Parochus ante omnia, vel ex seipso vel mandante episcopo, studere debet, ut res amice componatur, sed, si hoc fieri nequit, videat oeconomice de validitate priorum sponsalium vel de iustitia causarum, quae ad recedendum adducuntur. Cfr. Giovine *de dispensat. matr. tom. 1. § 191.*

Si sponsalia non sunt certo invalida, neque huiusmodi rationes certo sunt insufficientes, sistere debet in proclamationibus, nec debet celebrare nuptias, sed causam episcopo remittere, qui audiet partes, et iuridice videbit de valore sponsalium vel de sufficientia causarum ad sponsalia dissolvenda. Feije *l. c. n. 557.*

Quando ille, qui reclamat, nil aliud intendit, nisi compensationem habere a parte resiliente, vel aut nuptias aut compensationem, necesse non est proclamationes interrumpere vel novas nuptias differre, sed, etiamsi non conveniant in compensationem statuendam, potest parochus nuptias celebrare, relicta parti reclamanti facultate tuendi in iudicio sua iura contra resilientem.

Si vero reclamans insistit pro matrimonio, cui revera ius habet, episcopus debet partem, nolentem suae obligationi (quae sub gravi eam urget, ita ut non solvendo promissum peccet mortaliter, S. Th. *in 4 dist. 27. q. 2 art. 1 ad 2;* B. P. *VI. 64*) satisfacere, de ipsius obligationis gravitate monere (*c. 2 de spons. et matr. X.*

[*IV. 1*]; Giovine *loc. cit. § 190. n. 3*): et quoties monitio non proderit, nihil aliud restat, quam, petere dispensationem a vinculo sponsalium, quam dispensationem unus Rom. Pontifex concedere potest (Feije *l. c. n. 557*; Giovine *l. c. § 188*), qui eam, habito a S. C. C. (nunc autem Sacramentorum) voto affirmativo pro dispensatione concedenda, pluries concessit et ordinarie cum hac clausula: « imposita (ab episcopo, cui rescriptum mittitur) gravi ac salutari poenitentia, et salvo mulieri iure agendi coram quo, prout et quatenus de iure, contra virum pro dote ac damnis ». Cfr. *S. C. C. in Melevitana 25 iul. 1896*.

Si sponsalia fuerint iurata, non solum monendus est ille, qui fidem sub iuramenti religione datam servare renuit, ut suae obligationi satisfaciat, sed potest etiam ad hoc per ecclesiasticas censuras compelli (*c. 10 tit. cit. X.* [*IV. 1*]), quamvis etiam tunc prudentius est mitius agere, quum coactiones in his difficiles soleant exitus habere. *c. 17. tit. cit. X.* (*IV. 1*).

3395 **Reclusio.** — Poenam reclusionis, quae annos quinque excedit, sequitur ex iure italico privatio patriae potestatis, auctoritatis maritalis et iuris testandi, imo reddit nullum testamentum etiam antea factum; praeterea qui huic poenae subiacet, tempore poenae durante, legaliter interdictus est. *C. Poen. It. a. 33.*

3396 **Reconciliatio.** — Reconciliatio ecclesiae consecratae de iure communi per episcopum tantum fieri potest, qui sine speciali indulto nequit (Rit. Rom. *tit. VIII. c. 28. n. 8*) ad hoc simplicem sacerdotem delegare, eamque peragere debet ritu descripto in pontificali romano (*p. II. de eccl. et coem. reconciliatione*); reconciliatio ecclesiae benedictae per sacerdotem etiam fieri potest, qui sine ullo indulto ad hoc potest delegari ab episcopo (et haec delegatio necessaria est, *S. R. C. in Nolana 8 iul. 1904*), et fieri debet ritu assignato in rituali romano (*tit. VIII. c. 28*). Laurentius *Inst. iuris. eccl. n. 741*. Et nota, quod ecclesia polluta non censetur reconciliata per celebrationem missae in ea factam; valide autem, etsi non licite, reconciliatur ab episcopo non habente iurisdictionem in loco. *S. R. C. in Oppiden. 19 aug. 1634 ad 2 et 3* (*611*). Cfr. Passerini *De ecclesiarum reconciliatione*.

Pro reconciliatione coemeterii, vid. *Coemeterium*.

Recurrentes. — Recurrentes ad fo- 3397
rum seculare ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica (etiam ea, quae proveniunt a SS. RR. Congregationibus, *S. U. I. 16 ian. 1892*) vel ab eiusdem legatis aut delegatis quibuscumque profecta, incurrunt excommunicationem l. s. speciali modo R. P. reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 8*.

Eamdem excommunicationem incurrunt illi, qui ad impediendum directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori ad forum seculare recurrunt, et ii, qui eius mandata procurant, edunt, aut auxilium, consilium vel favorem praestant. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 6*.

Recurrere autem est alicuius opem contra aliquem vel contra aliquid im-

plorare. D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 61.* Et ex eodem D'Annibale (*loc. cit.*) notandum est, quod ad incurrendam excommunicationem necesse est recurrere ad impediendum exercitium iurisdictionis ecclesiasticae. Quare si quis recurreret, quia iudex ecclesiasticus improbe differt, vel quia merito suspectus est, vel quia propter iniuriam temporum ei non paretur impune, vel denique quacumque alia de causa non contemnenda, excommunicatio cessat, si tamen excipias causas mere spirituales. Quum praeterea excommunicatio feratur in recurrentes ad forum seculare, idem D'Annibale putat, excommunicationem non incurrere eum, qui non ad iudices recurrit, sed ad magistratus ceteros, qui forum non habent, ut sunt praefecti urbium, etc.

3398 **Recusatio.** — Recusatio est declinatio iudicis tamquam suspecti quaesita ex iusta causa, quia ex. gr. recusanti est inimicus, vel adversario specialiter familiaris aut consanguineus vel affinis, vel quia in causa habet interesse, etc. Pichler *in tit. 28 lib. II, Decr. n. 33.*

Recusatio proponenda est intra 20 dies ab oblato libello et ante litis contestationem vel alium actum iudicialem.

Recusari autem potest de iure canonico tam iudex ordinarius, quam delegatus. Cfr. *c. 4 de foro competenti X.* (*II. 2*); *c. 39 de off. etc. delegati X.* (*I. 29*).

Si autem causa suspicionis est dubia, spectato iure communi, cognoscunt arbitri ab utraque parte eligendi, (*c. 39 nuper cit.; c. 2 de appellat. etc.* [*II. 15*] *in 6°*), vel delegans, si recusetur iudex delegatus, vel episcopus, si recusetur eius vicarius. *c. 4 de off. et pot. iud. deleg.* (*I. 14*) *in 6°*.

Redemptio. — Vid. *Compositio.*

Reductio. — ***De reductione donationis vel legati*** (*remissive*). — 3399 Reductio donationis vel legati est eiusdem rescissio pro rata excessus super quantitatem disponibilem; quae quidem rescissio auctoritate publica fiat opertet. G. B. *I. 806.* Vid. *Collatio.*

De reductione et condonatione seu absolutione missarum. — 3400 Accidit aliquando, ut cappellaniae seu piae fundationes impares evadant suis reditibus ad satisfaciendum oneribus sibi impositis, ut si quando testator reliquit pro centum missis quamdam pecuniae summam, cuius fructus postea, aucta taxa dioecesana pro missis celebrandis, non sufficiunt ad celebrationem centum missarum: vel etiam quum valor fundi, cuius reditus ad missarum celebrationem a testatore stabiliti sunt, adeo decreverit, ut impossibilis evadat oneris satisfactio.

Tunc necesse est, ut hoc negotium legitima ecclesiae auctoritate componatur. Nonnulli tamen putant, in altero casu non necessario adeundam Sedem Apostolicam pro reductione. B. P. *IV. 1033.* Cfr. etiam Gennari *Consult. Can. consult. II. n. 8 not.;* Monitore ecclesiastico *vol. XII. pag. 127. n. 30.* Hoc D'Annibale (*III. 75*) extendit etiam ad casum aucti stipendii.

Quoad praeteritum petenda est absolutio; quoad futurum conceditur reductio. — De hac primum.

3401 **De reductione missarum. — Quid sit, et an pro ea adeunda S. Sedes.** — Reductio igitur ea proprie dicitur, qua onera quaedam pia (praesertim missarum) ad minorem numerum vel quantitatem coercentur pro futuro tempore, sive id in perpetuum, sive ad statum tempus fiat. Lucidi *De vis. sacr. lim. de sept. rel. cap. n. 80.*

Facultas reducendi haec pia opera, quippe quae includit immutationem voluntatis testatorum, uni Apostolicae Sedi reservatur. Gasparri *de ss. euch. I. 613.* Hoc, si de missarum oneribus quaestio est, aperte definitum est in decreto Sacrae Congregationis Concilii *21 iunii 1625* auctoritate Urbani VIII edito et ab Innocentio XII *23 novembris 1697* confirmato.

Hinc episcopi et quicumque alii praelati, etiam regulares, nullam quoad hoc habent facultatem; et si quid circa hoc attentare praesumpserint, huiusmodi reductiones irritae plane et nullius roboris sunt. *Decr. S. C. C. nuper cit.;* Lucidi *loc. cit. n. 78.*

Notandum tamen est, id quod diximus de vera reductione missarum, non esse extendendum ad alios casus consimiles, ut si quando heres probaret bona a testatore relicta pro missis celebrandis testatoris hereditate non contineri, etc.; nam in hoc casu episcopus posset *declarare* onus missarum hereditati impositum non sustineri, etc. Ben. XIV *de Syn. lib. XIII. c. ult. n. 9;* Lucidi *loc. cit. n. 80.*

At, si questio est de vera missarum reductione, hoc adeo effugit auctoritatem episcoporum, ut non solum tamquam certa regula idipsum apud Sacram Congregationem Concilii retineatur (Ben. XIV *loc. cit. n. 18*); sed hoc episcopis inhibitum sit etiam in ipso limine fundationis, antequam legata recognoscantur et acceptentur; et in eo tantum casu id ipsis praestare liceat, quum haec ipsa facultas ipsis tribuitur in tabulis testatoris. Ben. XIV *loc. cit. n. 19*; Lucidi *loc. cit. n. 79.* Et si quando Concilium Tridentinum (*sess. XXV. c. 4 de ref.*) concessit, ut episcopi in synodo dioecesana, et abbates ac generales ordinum in capitulis generalibus, missarum onera possent reducere, hoc intelligi tantum debere de prima synodo vel capitulo generali post idem concilium celebratis ac de oneribus missarum celebrandarum ante idem concilium impositis, Sacra Congregatio Concilii pluries definivit. Bened. XIV *loc. cit. n. 18*; Lucidi *loc. cit. n. 78*; Gasparri *de ss. euch. I. 618.*

Quare res tota nunc, unico excepto casu, quem superius memoravimus, ad Sedem Apostolicam reservata est.

Quandonam reductioni locus est, vel non. 3402 — Attamen reductioni locus non fit, quando universa hereditas missarum onere gravata fuerit: quare in hac specie facti, etiamsi heres fundum aliquem ecclesiae pro adimplendo legato assignaverit et tradiderit, si postea fundi reditus ob inopinatam imminutionem, vel ob auctam taxam synodalem, impares evadunt oneri satisfaciendo, non ideo liberatur, a persolvendis his, quae necessaria fiunt ad missas omnes celebrandas. *S. C. C. 18 april. 1773 apud Lucidi loc. cit. n. 97 sqq.*; Ben. XIV *l. c. n. 33.*

Idem dicendum est, si fundus aliquis *demonstrative* designetur in hereditate ut oneribus adimplendis destinatus, quo in casu heres cogendus est ad supplendum id, quod deest. Gasparri *l. c. n. 620.* Tunc autem *demonstrative* designatus dicitur fundus, quum testator legando, vel aliquo modo disponendo, orationem seu dispositionem prius inchoavit ab impositione oneris missarum celebrandarum, et subinde assignationem fundi adiecit; ut si dixerit in testamento: heres centum missas quotannis pro me celebrandas curabit, in quem finem ipsi lego fundum (eumque determinet). Lucidi *loc. cit. n. 104.* At si designatio fundi *taxative* facta fuerit, quod tunc locum habet, quum testator orationem seu dispositionem inchoavit a designatione fundi, et subinde missarum onera adiecit, ut si dixerit: lego Titio fundum (eumque determinat) in eum finem, ut centum missas pro me quotannis celebrandas curet; tunc imminutis reditibus vel aucta taxa synodali, heres nihil supplere tenetur, et reductio missarum peti potest ac conceditur.

Si quando vero missarum onus per contractum fuerit acceptatum, missarum reductioni locus non est; sed tunc coram iudice ordinario agendum est, ut iuridice cognoscat, an contractus adhuc sustinendus sit, vel ob imminutionem redituum sit rescindendus, aut ad aequitatem redigendus. Lucidi *loc. cit. n. 101.*

3403 ***De episcopis ex indulto hanc reductionem concedentibus.*** — Haec, quae ipsa Sancta Sedes observare generatim solet, quando immediate concedit missarum reductionem, prae oculis habenda sunt ab episcopis, qui indultum obtinent ab eadem Sancta Sede huiusmodi reductiones faciendi.

Praeterea nosse debent episcopi se, si quando indultum habuerint reducendi missas, non posse exinde reducere etiam alia pia legata aliasque pias dispositiones (Ben. XIV *loc. cit. n. 22*), quamvis haec minoris momenti sint, et missae sint praeferendae. Attamen in casu, quo indultum ad utrumque se extenderet, idest ad reductionem tum missarum tum aliorum onerum, haec potius alia onera, quam missae, essent reducenda. *S. C. C. 3 sept. 1718, 11 ian. 1721;* Ben. XIV *loc. cit. n. 23*; Gasparri *loc. cit. num. 619.* Et si quando celebranda essent anniversaria vel aliae missae cum cantu, et reditus ad hoc non sufficerent, satis tamen essent ad easdem numero missas sine cantu celebrandas, non esset facienda reductio quoad numerum missarum, sed quoad ritum et solemnitatem. *S. C. C. 15 ian. 1772, 12 mart. 1774, apud Lucidi loc. cit. n. 102.*

Episcopus, qui vi indulti habiti reducit onera missarum, debet eas reducere ad taxam synodalem pro missis manualibus, non ad minorem. Ben. XIV *loc. cit. n. 35;* Lucidi *l. c. n. 105.*

De iusta causa ad reductionem requisita. — Ad reductionem missarum faciendam requiritur iusta causa; et in ea elargienda magni facienda est, ut ait Lucidi (*loc. cit. n. 106*), inculpata redituum imminutio (*S. C. C. 15 ian. 1791, 10 mai 1783*), idque eo magis attenditur, si agatur de fundatoris, consanguineo ad paupertatem 3404

redacto. *S. C. C. 17 septem. 1796, 17 dic. 1791.*

At e contra non habet locum reductio missarum, si redituum imminutio eveniat ex facto et culpa legatarii. *S. C. C. 18 septem. 1773.*

Praeterea paupertas saepe praebet legitimam causam ad reductionem faciendam; nec solum mendicitas (qua quis victo ostiatim emendicato vivit), sed etiam simplex paupertas (qua quis vel omnibus bonis sive immobilibus sive mobilibus caret, vel adeo pauca ex his habet, ut vel manuum labore vel animi facultatibus aliquam industriam ad vivendum exercere cogatur, Lucidi *loc. cit. n. 92*), sufficiens causa reputatur. Imo paupertas, etiam relativa tantummodo, qua quis bonis careat ad vitam agendam iuxta generis nobilitatem, vel dignitatem quam obtinet etc, sufficiens causa ad hoc habetur. *S. C. C. 21 iun. 1879;* Lucidi *loc. cit. nn. 93. 95.*

3405 **De absolutione seu condonatione.** — Reductio numquam locum habet pro missis manualibus, et nemo sperare potest facultatem sibi factum iri, ut minore missarum numero satisfaciat obligationi susceptae pro maiore missarum numero. In casu enim, si quis potest obligationem implere sive per se sive per alium, ad id omnino cogitur (*S. C. C. 23 febr. 1824*); si autem impotens evadat ad implendam obligationem, ut si quis magnum quemdam numerum missarum accepisset, et pecuniam consumpsisset, nec aliunde haberet quomodo missas celebrandas curaret, debet a Sancta Sede absolutionem et condonationem petere. Condonatio igitur extinguit onus iam susceptum, et complectitur tum missas manuales, tum missas fundatas. Gasparri *loc. cit. n. 613.*

Ea nonnisi a Sancta Sede conceditur, quae eam concedendo supplet de thesauro ecclesiae. *Decr. cit. Urb. VIII.* At Sancta Sedes numquam eam concedit, nisi ex iusta et rationabili causa, quae pro missis fundatis tunc praecipue habetur, quum absque culpa legatarii missae celebratae non sunt, et reditus, qui supersunt, non sufficiunt ad supplendas praeteritas omissiones (cfr. *S. C. C. 31 aug. 1819, 14 dec. 1822, 27 apr. 1805, 29 ianuar. 1825, apud Lucidi loco citato n. 87*); pro missis vero manualibus habetur praecipue, quum adest impotentia, seu paupertas (*S. C. C. 30 mart. 1776, 24 ian. 5 sept. 1778*), etiamsi sit relativa tantum. *S. C. C. 22 nov. 1738.* Paupertas autem relativa tunc dari intelligitur, quum alicuius bona non sufficiunt ad hoc ut quis iuxta familiae conditionem vel dignitatis obtentae exigentias vitam convenientem agere possit. *S. C. C. 21 iun 1879.*

Si quis autem sub spe obtinendae condónationis missas celebrare omisisset, etsi postea condonationem obtineat, gratia ei non suffragatur (*Decr. cit. Innoc. XII*), nisi expresse solitae clausulae, quae in condonationibus concedendis apponitur: « dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem », derogetur. Sancta Sedes, concedens condonationem, aliquam generatim poenitentiam imponit, et praesertim aliquem certum numerum missarum celebrandarum. *S. C. C. 9 iul. 1825*; Lucidi *loc. cit. n. 89.*

3406 **De partiali quadam reductione.** — Ad partialem quamdam reductionem revocari potest facultas immutandi tempus, vel locum, seu altare aut ecclesiam, in qua missa celebrari debet ex intentione testatoris vel dantis. Utraque translatio non conceditur, nisi ex iusta causa, et ab una S. Sede. *S. C. C. 24 sept. 1718, 14 mart. 13 iunii 1731*; Gasparri *loc. cit. n. 621.* Cfr. etiam causam *in Romana 30 apr. 1904.*

Attamen episcopus potest concedere translationem loci, si aliqua cappellania fundata esset in ecclesia quadam destructa, quae reaedificari non potuit (Conc. Trid. *sess. XXI. c. 7 de ref.*); et secundum quosdam, sia gatur de sanctuario, in quo plures dicendae forent missae, quam eae quae celebrari ibi possunt. Gasparri *l. c. n. 621, citans Gennari Consultazioni p. II consult. III.*

Missae facilius a S. Sede transferuntur de altari ad altare in eadem ecclesia, quam de ecclesia ad ecclesiam; ordinarie vero de dioecesi ad aliam dioecesim trasferuntur numquam. Lucidi *loc. cit. n. 108 sqq*; Gasparri *loc. cit. n. 621.*

3407 **De iis, a quibus petenda est absolutio vel reductio.** — Absolutio, seu etiam reductio, petenda est a sacra Congregatione Concilii si debet vim habere etiam pro foro externo; secus petitur a Sacra Poenitentiaria.

Circa hanc materiam confer causas agitatas in S. C. Concilii per summaria precum apud Lingen et Reuss *Causae selectae* etc. praesertim nn. 144, 156, 183-186, 198, 202, 203, 217-243, 349, et Mühlbauer *Thes. res S. C. C. v. Anniversarium n. 20.* Cfr etiam Lucidi *de vis. ss. lim. tom. II cap. 7. n. 84 sqq.*

Reductio ad statum laicalem. — Ille, 3408 qui ordinis sacramentum recepit, vere et proprie ad laicalem statum reduci nequit; retinet enim semper characterem ordinis indelebilem in anima impressum. Qui autem non recepit sacramentum ordinis, sed tantum initiationem ad ordines vel etiam ordines minores tantum aut etiam subdiaconatum, in sententia eorum, qui in his sacramentalitatem non admittunt nec proinde consequentem characteris impressionem, ad statum laicalem vere et proprie per se reduci posset. Consuevit tamen ecclesia ordines omnes nec non ipsam initiationem ad ordines, seu primam tonsuram, ita conferre ut potestatem collatam aut ascriptionem ad clerum inamissibiliter tradat. Hinc vere et stricte dicta reductio ad statum laicum alicuius clerici locum numquam habet in praesenti ecclesiae disciplina.

Datur autem reductio quaedam impropria et extrinseca, non solum quae illegitime fiat privato arbitrio, sed etiam legitime facta, interveniente scilicet ecclesiae auctoritate, quae sive iuris ipsius dispositione (*c. un. de bigamis* [*I. 12*] *in 6°*), sive legitimi superioris sententia condemnatoria aut gratiosa dispensatione sive etiam simplici approbatione saltem tacita (quando non agitur de clerico maiorum ordinum) locum habeat. Cfr. Conc. Trid. *c. 17 sess. XXIII de ref.*; *S. C. EE. RR. in Meliten. 2 mart. 1838, in Parmen. 23 apr. 1847*; *S. C. C. in Neten. 5 mart. 1887.*

Reductionis huius impropriae et extrinsecae effectus est, ut clericus, manente ascriptione ad clerum vel etiam potestate ordinis, quam obtinuerat, prohibeatur tamen ab eo ut tamquam clericum se gerat et ut potestatem quam habet exerceat, et privetur omnibus iuribus (et saepe etiam vel omnibus vel quibusdam officiis) clericalibus.

Clericis maiorum ordinum ad laicalem statum redactis ordinarie remittitur vel commutatur obligatio recitandi horas canonicas; obligatio autem castitatis servandae firma retinetur. Aliquando tamen et haec remittitur, intra certos saltem limites, sed extraordinarie ut in casu clerici concubinarii quando vel ipse vel concubina mortaliter decumbit et potestatem habens ad normam decreti s. Officii *20 febr. 1888* et decreti S. C. de sacramentis *14 maii 1909* cum eo dispensat ab impedimento.

409 **Referendarius.** — Referendarius ille dicitur, qui aliquando in causis iudicialibus explanandis adhibetur. Ei quandoque committuntur acta litigantium discutienda, ut postmodum eorum fundamenta, quasi in compendium redacta, iudicibus referat. Liquet quanta scientia, diligentia, peritia et fidelitate pollere debeat referendarius, ut causas debito modo referat et iudices recte instruat. G. B. *I. 964.*

410 **Regestum.** — Circa articulum nonum decreti « Ne temere » quo praescribitur descriptio matrimonii celebrati in libro seu in regesto tum matrimoniorum, tum baptizatorum sequentes petitiones s. Congregationi de sacramentis oblatae sunt; scilicet « 1° episcopi Rosensis postulantis dispensationem ab obligatione imposita per articulum IX, § 2 annotandi in libro baptizatorum coniuges tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse; 2° vicarii apostolici Kian-Si orientalis postulantis dispensationem non solum ab obligatione annotandi matrimonium contractum in libro baptizatorum, sed etiam in libro matrimoniorum; 3° . . . ; 4° episcopi Mangalorensis, qui postulat ut sibi facultas detur permittendi ut matrimonium celebratum in libro matrimonium describi possit a sacerdote, qui ex delegatione parochi matrimonio astitit, quando parochus sit absens ». Porro proposito dubio in eadem s. Congregatione an et quomodo his petitionibus annuendum esset, s. Congregatio respondit: « Ad 1. Non expedire et ad mentem. Mens est, ut ordinarius aliiqui ipsius cooperatores, quantum in Domino possunt, satagant illam perniciosam superstitionem ab animis fidelium avertere, qua ab usurpandis sanctorum nominibus in baptismo receptis deterrentur. Doceant ipsos frequenter, idcirco nomina eis imponi sanctorum, ut eorum exemplis ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur. Parochis vero aliisque animarum curam praepositis sacerdotibus commendent, ut quamdiu illa perniciosa superstitio eradicari non possit, omni, qua valeant, diligentia libros parochiales conscribant, etiam adhibita opera aliorum, quorum industria ea in re iuvari posse credant. Quodsi in casu particulari verum nomen coniugati scire non poterunt, stante morali impossi-

bilitate legem observandi, ea non obligantur.

Ad 2. Non expedire quoad utrumque et ad mentem. Mens est: ordinarios curare debere ut ea missionariis regesta celebratorum matrimoniorum diligenter conficiantur et conserventur, eisque pro suo prudenti arbitrio praescribere cautiones ad vitanda incommoda exposita, adhibitis etiam, si opus fuerit, signis conventionalibus.

Ad 3...

Ad 4 Pro gratia, prudenti arbitrio et conscientia episcopi. *S. C. S. 12 mart. 1910.*

3411 **Regio.** — Tria sequentia dubia proposita sunt circa interpretationem art. 8 decreti « Ne temere », quae versantur circa intellectum vocis *regionis,* qua decretum utitur dicens: « Si contingat ut in aliqua *regione* parochus locive ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus ».

Dubia sunt haec:

1° Quid intelligendum sit nomine *regionis,* seu in qua distantia debeant versari contrahentes a loco, in quo est sacerdos competens ad assistendum matrimonio, ut hoc possit valide et licite iniri coram solis testibus ad normam art. 8 decreti « Ne temere ».

2° Accidit non raro ut ob sacerdotum inopiam plures paroeciae ab uno tantum parocho regantur, qui easdem omnes singulis mensibus invisere nequit. Sunt pariter quaedam amplae paroeciae, vicos etiam cum sacello publico valde dissitos continentes, qui infra mensem, tum ob viarum asperitatem, tum ob fluminum impetum lustrari a parocho nequeunt omnino, nec parochus a fidelibus adiri potest. Quaeritur: *a*) possintne fideles paroeciarum in primo casu, elapso mense quin parochus advenerit, valide ac licite matrimonium contrahere coram duobus testibus tantum iuxta art. 8; *b*) quilibet vicus in secundo casu possitne tamquam *regio* haberi, ita ut ibi degentes facultate praefati art. 8 uti valeant.

3° Utrum valide matrimonium coram solis testibus ineat, qui in *regionem*, de qua art. 8 *in fraudem legis* se conferat ».

Et s. Congregatio de sacramentis respondit:

« Ad 1. Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine praesentia sacerdotis competentis ad assistendum, semper ac, elapso iam mense, sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat ».

« Ad 2. Provisum in primo ».

« Ad 3. Affirmative ». *S. C. S. 12 mart. 1910.*

Regressus. — Conditio regressus in renunciatione beneficii tunc habetur, quum quis renunciat beneficio, quod iuridice iam possidet, sub conditione, ut si quando ipse velit, vel si resignatarius praemoriatur, beneficium ad se revertatur. Schmalzgrueber *in tit. 9 lib. I Decr. n. 3.* Renunciatio beneficii sub hac conditione est prohibita in iure (Conc. Trid. *sess. XXV.* 3412

c. 7 de ref.; Const. Pii V «Intolerabilis» *kal. iun. a. 1569*), quippe quae laborat vitio simoniae confidentialis. B. P. *II. 449.*

3413 **Regulae.** — Regulae in plerisque ordinibus religiosis, generatim loquendo et per se, non obligant sub peccato, ne veniali quidem; attamen semper obligant ad poenam subeundam, si quae imponatur propter transgressionem. Transgressio tamen regulae, ob rationes extrinsecas, raro omni culpa vacat.

3414 **Regulae cancellariae.** — **De ipsis regulis cancellariae.** — Regulae cancellariae sunt certae constitutiones apostolicae, quas singuli pontifices a principio sui regiminis circa causas beneficiales et iudiciales facere, vel a praedecessoribus suis iam factas renovare, augere, vel minuere consueverunt. Reiffenstuel *in tit. 5 lib. III Decr. n. 474.*

Triplex est genus regularum cancellariae. Aliae enim sunt *directivae* vel *expeditivae,* quae praescribunt modum sequendum in actis et negotiis sedis apostolicae expediendis per apostolica litteras; aliae sunt *beneficiales* vel *reservatoriae,* quae ordinant quaedam spectantia ad beneficia et praecipue ad eorum reservationes; aliae *iudiciales,* quae definiunt ordinem iudicialem servandum in appellationibus et in aliis partibus processus canonici. Wernz *Ius decr. I. 252.*

Regulae cancellariae sic appellantur, non quia obligent solos officiales cancellariae apostolicae, sed quia pleraeque ex ipsis concernunt negotia in cancellaria expedienda. Reiffenstuel *loc. cit. n. 475.* Imo eae habent vim iuris communis, et ubique obligant, nisi s. Sedes alicubi per concordata huic obligationi derogaverit. Riganti *Comment. in regul. constit. et ordinat. cancell. apost. prooem. n. 26 sqq., n. 52 sqq., n. 61 sqq.;* Ferraris *Prompta bibl. v.* «*Beneficium*» *art. 10. n. 143;* Wernz *loc. cit.*

Antiquitus hae regulae, mortuo pontifice, cessabant, nec reviviscebant nisi per expressam confirmationem successoris; at postea ex declaratione Urbani VIII vim suam exserere iterum ceperunt a crastina die post assumptionem novi rom. pontificis, etiamsi nondum essent publicatae, idest iterum confirmatae et promulgatae. Riganti *loc. cit. n. 38;* Wernz *loc. cit.*

Nunc iuxta «Normas peculiares» additas constitutioni «Sapienti consilio» cuidam cardinalium commissioni datum est munus eas corrigendi.

Inter regulas cancellariae eae, quae sunt maioris momenti practici, sunt sequentes:

a) Regula nona, seu regula de reservatione mensium apostolicorum et alternativa pro episcopis residentibus; de ea vide *Reservatio beneficiorum.*

b) Regula decimanona, seu regula *de viginti,* qua statuitur «quod si quis in infirmitate resignaverit, sive in romana curia, sive extra illam, aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendae cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatae, et postea infra viginti dies a

die per ipsum resignantem praestandi consensus computandos de ipsa infirmitate decesserit; et ipsum beneficium, quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio sit nulla, ipsumque beneficium nihilo minus per obitum censeatur vacare ».

c) Regula vigesima *de idiomate*, qua statuitur « quod si contingat, tam in curia quam extra, alicui personae de parochiali ecclesia, vel quovis alio beneficio exercitium curae animarum parochianorum quomodolibet habente, provideri, nisi ipsa persona intelligat, et intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi ecclesia vel beneficium huiusmodi consistit, provisio seu mandatum et gratia desuper quoad parochialem ecclesiam vel beneficium huiusmodi nullius sint roboris vel momenti ».

d) Regula vigesima prima, qua statuitur, quod « si quis supplicaverit sibi de beneficio quocumqne tamquam per obitum alicuius, licet tunc viventis, vacante provideri, et postea per obitum eius vacet; provisio et quaevis dispositio, etiam vigore alterius novae supplicationis vel gratiae, dicto supplicanti per obitum huiusmodi denuo faciendae, nullius sint roboris vel momenti ».

e) Regula tricesima seu *de verisimili notitia*, qua statuitur « quod omnes gratiae, quas de quibusvis beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, secularibus vel regularibus, per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in antea (ssmus Dnus) fecerit, nullius roboris vel momenti sint, nisi post obitum et ante datam gratiarum huiusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsae de locis, in quibus personae praedictae decesserint, ad notitiam eiusdem ss. Domini Nostri verisimiliter potuerint pervenire ».

f) Regula tricesima quinta *de annali possessore*, et tricesima sexta *de triennali possessore;* de his vide *Beneficiatus*.

Regulae cancellariae non comprehenduntur sub generalibus derogationibus, ut ex. gr. *non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis;* neque ipsis censetur derogatum, nisi de his specialiter mentio fiat. *Reg. 71 cancell.;* Reiffenstuel *loc. cit. n. 494.*

De ipsa cancellaria apostolica. — 3415
Quum de regulis cancellariae sermo fuerit, aliquid brevissime innuendum est de ipsa cancellaria apostolica. Ea est antiquissimum tribunal curiae romanae (Riganti *loc. cit. prooem. p. 2. sqq.*), eiusque munus semper est habitum tamquam unum de praecipuis curiae.

Inutile est insistere in quaestione de origine cancellariae apostolicae. Quoad substantiam retrahenda est evidenter ad prima tempora ecclesiae, necessitate ipsa rerum ita exigente. Quoad nomen, ipsum non est proprium iuris nostri, quum a civili iure et aula fuerit desumptum. Iuxta Moroni (*Dizionario, ecc., v. Cancelleria della s. Romana Chiesa*) habemus iam seculo sexto cancellarios, qui hoc nomine publicis actibus subscribunt.

Cancellaria apostolica, annis et seculis sibi succedentibus, varias passa est mutationes. Martinus V multa officia cancellariae primus instituit,

multa etiam officia *vacabilia* (Vid. *Vacabilia*) induxit Sixtus V. Eorum, qui vacabilia ista officia obtinebant, plura etiam collegia habita sunt, de quibus antiquiores scriptores loquuntur, et quae recenset Moroni (*loc. cit.*). Sixtus V constitutione sua « Quum sanctae » 3 apr. 1590 quaedam ex officiis vacabilibus tribuit vicecancellario, ut nempe eorum pretium in eius bonum cederet.

Has facultates et liberalitates in vicecancellarium revocavit Innocentius XI, restituit autem paullo post Alexander VIII. Pius VII reduxit officia cancellariae ad sequentia, scilicet ad vicecancellarium S. R. C. et summistam; ad regentem cancellariae; nec non ad pro summistam seu subsummistam; ad substitutum summistatus; ad plumbatorem; ad notarium secretarium; ad collegium praelatorum abbreviatorum parci maioris cum suo secretario; ad custodem cancellariae; ad substitutum contradictorum; ad registratores bullarum et ad magistros registri.

Post constitutionem Pii X « Sapienti consilio » praeter Cancellarium et regentem nec non protonotarios apostolicos de numero, ad quos ex ipsa constitutione translatum est munus subscribendi apostolicas bullas, manent in cancellaria apostolica sequentes tantum officiales, adiutorem scilicet studii, notarium secretarium, qui et archivi custos est, tabularum seu protocolli custodem et quatuor scriptores.

Vicecancellarius, qui ex dispositione pianae constitutionis iam Cancellarii nomen habet, est primus inter cancellariae officiales. Imo ipse est, qui officialibus omnibus praeest. Eius nominatio consistorialis est seu in consistorio fieri debet.

Quoad auctoritatem et munus cancellarii notandum est ipsum maximi semper fuisse momenti, crevisse autem magis quum Alexander VIII constitutione « Creditae nobis » id. mart. 1690 voluit ut duo officia vicecancellarii et summatoris seu summistae in perpetuum unirentur.

Cardinalis cancellarius habet semper in titulum ecclesiam s. Laurentii in Damaso, eamque, si fuerit cardinalis episcopus suburbicarius, habet in commendam, secus in verum titulum cardinalitium; quare ecclesia s. Laurentii in Damaso hoc sibi proprium habet, quod si cardinalis cancellarius sit de ordine cardinalium presbyterorum sit titulus presbyteralis, si autem pertineat ad ordinem diaconorum sit diaconia.

Officium, quod cancellario manet in praesenti, est notarium agere in sacris consistoriis et regere totum cancellariae officium.

Relicta expositione eorum, quae cancellaria apostolica hucusque exercuit, circa quod videri possunt praesertim Riganti in suo insigni opere « Commentaria in regulas etc. cancellariae apostolicae » (*Comm. in reg. 72*) et card. De Luca in sua « Relatio romanae curiae forensis » (*disc. cit. X*) ad innuendum hodiernum munus istius officii curiae sufficiat referre ea, quae in piana constitutione habentur. Sunt autem:

« Huic officio praesidet unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui posthac can-

cellarii, non autem vice-cancellarii nomen assumet. Ipse iuxta pervetustam consuetudinem, in sacris consistoriis, ex officio, notarii munere fungitur.

« Ad cancellariae officium in posterum hoc unum tamquam proprium reservatur munus, Apostolicas expedire litteras *sub plumbo* circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa novarum dioecesium et capitulorum institutionem, et pro aliis maioribus ecclesiae negotiis conficiendis ».

Quum praecipuum cancellariae munus fuerit semper expeditio bullarum pontificiarum, ad indicandum eius modum procedendi, recolendum est bullas antiquitus solitas fuisse expediri sive *per viam curiae*, sive *per cancellariam*, sive *per viam secretam*, sive *per viam camerae*. Ex variis autem formis, quibus concipiuntur, vocantur vel *in forma gratiosa* simplici, vel *in forma gratiosa tribus iudicibus*, vel *in forma commissoria*, vel *in forma dignum*, vel *in forma rationi congruit*.

Per *viam curiae* expediuntur bullae, quas Papa motu proprio iubet expediri et quae universum catholicum orbem concernunt. Quum romanus pontifex bullis numquam subscribat, iis exceptis, quae de canonizatione sanctorum eduntur, quibus tum pontifex tum omnes cardinales in curia praesentes subscriptionem suam apponunt, bullae, quae per viam curiae expediuntur, subscribebantur a cardinalibus pro-datario et secretario brevium. Nullas solvebant taxas hae bullae collegiis vacabilistarum.

Per *cancellariam* sunt bullae communes, quae revidebantur ab abbreviatoribus parci maioris, et subscribebantur ab ipsis et a vacabilistis, quibus taxae solvebantur statutae.

Per *viam secretam* eae dicebantur expediri, quae in favorem dabantur quorumdam privilegiatorum, quales erant ex. gr. praelati palatini, auditores rotae, consanguinei cardinalium. Eximebantur a taxis et subscribebantur a cardinali vicecancellario.

Per *viam de camera* eae expediebantur, quae respiciebant negotia pertinentia ad cameram apostolicam, et quibus proinde non poterant aptari regulae et stylus cancellariae. His bullis expediendis Alexander VI instituit officium summatoris seu summistae.

In *forma gratiosa* expediebatur bulla provisionis beneficii, quae novo beneficiato mittebatur directe.

In *forma gratiosa tribus iudicibus* sunt eaedem bullae non beneficiato ipsi, sed aliis tribus directe qui novum beneficiatum immittant in possessionem beneficii.

In *forma commissoria* sunt bullae episcopo aut eius vicario directae ut beneficium aliquod alicui conferant, quibusdam prius verificatis.

In *forma dignum* ex primis verbis bullae eae dicuntur, quae episcopo dantur ut beneficium alicui conferat, postquam ei per examen constituit ipsum dignum esse, cui beneficium illud conferatur.

In *forma rationi congruit* eae sunt, et tales dicuntur ex primis bullae verbis, quae a pontifice successore expediuntur circa gratiam ab antecessore signatam.

Haec quidem referunt antiquum procedendi modum. Post constitutionem nostram res immutatae non parum sunt, ut constat ex sequentibus praescriptionibus, quae in eadem constitutione habentur:

« Unus erit earum expediendarum modus, hoc est per *viam cancellariae*, iuxta normam seorsim dandam, sublatis iis modis qui dicuntur per *viam secretam*, *de camera* et *de curia*.

« Expedientur memoratae litterae seu *bullae* de mandato congregationis consistorialis circa negotia ad eius iurisdictionem spectantia, aut de mandato Summi Pontificis circa alia negotia, servatis ad unguem in singulis casibus ipsius mandati terminis.

« Suppresso collegio praelatorum, qui dicuntur *abbreviatores maioris vel minoris residentiae*, seu *de parco maiori vel minori*; quae ipsius erant munia in subscribendis apostolicis bullis transferuntur ad collegium protonotariorum apostolicorum, qui vocantur *participantes de numero* ».

His omnibus adde illud, quod in eadem constitutione habemus, scilicet abolitum fuisse antiquum usum cancellariae datandi litteras apostolicas ab incarnatione dominica, scilicet a die 25 martii, et statutum esse ut in omnibus apostolicis litteris, etsi eae expediantur a cancellaria, initium anni ducendum esse a kalendis ianuariis.

Mortuo Pontifice, suspenditur ipso facto iurisdictio cardinalis cancellarii, et sigillum pontificium, quo bullae signantur, coram patribus cardinalibus simul prima vice convenientibus rumpitur. Bouix *De Curia Romana part. II. cap. 14.* § *2. n. 3.*; card. De Luca *loc. cit. disc. X. XI.*

Cassiodori Gul. Super XIV reg. Cancellariae; *Barchin Pauli Hier.* Practica Cancellariae apostolicae cum stylo et formis in curia romana usitatis; *Mandosius* Comm. in regulas Cancellariae Iulii III; *Millaei Io.* Annotationes in regulas Gomesii Cancellariae apostolicae; *Mandosius Quintilian.* In regulas Cancellariae apostolicae commentar.; *Molina Car.* Comm. in regulas Cancellariae apostolicae; *Pauli H.* Practica Cancellariae apost. cum stylo et formis in Curia rom. usitatis; *Gomes Lud.* In Cancellariae apost. regulas iudiciales; *Rebuffus P.* Addit. in reg. Cancellariae; *Bladii H.* Constitut. Pii IV, V et Gregor. XIII cum regulis Cancellariae; *Gonzalez Hier.* Ad regulam VIII Cancell. de reservatione mensium; *Buthilleri Dion.* Tract. ad regul. Cancellariae de infirmis resignantibus; *Peleus* In regulas Cancellariae; *A Chockier Erasm.* Comm. in reg. Cancellariae apostoticae sive in glossemata Alphonsi Soto nuncupati Glossatoris; *De Quesada Rod.* Regulae Cancellariae apostolicae Gregorii XV cum notis et indicibus; *Louetius Georg.* Notae ad comm. Caroli Molinaei in regulas Cancellariae apostolicae; *Sprengeri Io. Theod.* Roma nova cum regulis Cancellariae apostolicae et de privilegiis clericorum; *Ciampini* De abbreviatoribus de parco maiori sive assistent. S. R. E. Vice-cancellario in litterarum apostolicarum expeditionibus, etc.; dissertatio historica; *Le Pelletier Jacques* Instructions pour les expéditions de cour de Rome; *Castel Perard* Paraphase du commentaire de M. Ch. Du Moulin sur les règles de la Chancellerie romaine; *Ciampini* De S. R. E. Vice-cancellario illiusque munere auctoritate et potestate deque officialibus Cancellariae apostolicae, etc.; *Anon* Compendaria notitia abbreviatoris de curia; *Oczenassek* Prael. iur. can. seu comm. in regulas Cancellariae Clementis XI; *Bo-*

vio Giov. B. La pietà trionfante sulle distrutte grandezze del gentilismo, etc.... e degli ufficii della Cancelleria apostolica e dei Cancellieri della S. R. Chiesa; *Riganti I. B.* Commentaria in regulas, constitutiones et ordinationes Cancellariae apostolicae, opus posthumum; *Le Bret* Geschichte der römisch. Kanzleiregeln; *Hedderich* Disputatio ad regulam Cancellariae de non tollendo ius quaesitum in Germania, diss. XVII; *Erler* Der Liber Cancellariae apostolicae v. J. 1380; *Winkelmann E.* Sicilische und päpstliche Kanzleiordnungen und Kanzleigebräuche des XIII Jahrhunderts; *Rosshirt* Von den päpstlichen Kanzleiregeln; *v. Ottenthall E.* Die päpstlichen Kanzleiregeln von Johann XXII bis Nikolaus V; *Tangl M.* Die päpstlichen Kanzleiordnungen von 1200-1500; *Kehr P.* Scrinium und Palatium. Zur Geschichte des päpstlichen Kanzleiwesens im 11 Jhrh.; *Göller E.* Mitteilungen und Untersuchungen über das päpstliche Register und Kanzleiwesen im 14 Jahrh., besonders unter Johann XXII und Benedikt XII; *Chiari Andrea* Memoria giuridico-storica sulla Dataria, Cancellaria, rev. Camera apostolica, Compenso di Spagna, vacabili e vacabilisti; *An.* Die Vacabilia d. päpstl. Kanzlei u. d. Datarie; *Von Hofmann W.* Zur Geschichte der päpstl. Kanzlei vornehmlich in der 2 Hälfte des 15 Jahrh.; *Schmitz-Kallenberg L.* Practica Cancellariae apostolicae seculi xv exeuntis; *Baumgarten* Aus Kanzlei u. Kammer; *Göller* Die Kommentatoren der päpstlichen Kanzleiregeln vom Ende des 15 bis zum Beginn des 17 Jahrhunderts; *Baumgarten* V. d apostol. Kanzlei; *Jackowski L.* Die päpstlichen Kanzleiregeln und ihre Bedeutung für Deutschland.

3416 **Regulares.** — **Quinam sint.** — Regulares sunt religiosi, qui pertinent ad aliquem verum ordinem religiosum, seu in quo est solemnitas votorum. D'Ann. *I. 102.*

Alumni congregationum religiosarum votorum simplicium, sed perpetuorum, sunt veri religiosi (Cfr. *Const.* Greg. XIII « Quanto fructuosius » *a. 1583.*, « Ascendente Domino » *a. 1584;* attamen alii putant, ex his constitutionibus Gregorii XIII id unum iure deduci, scilicet professos votorum simplicium *in ordine vere regulari*, in quo scilicet a nonnullis saltem emittuntur vota solemnia, esse veros religiosos; quoad alios vero congregationum recentiorum hoc iure deduci nullo modo posse; deducitur tamen saltem ex praxi et ex modo loquendi romanarum congregationum); sed nec in odiosis nec in favorabilibus veniunt in iure nomine regularium. G. B. *edit XIII. I. 1088.*

De regulari ad episcopatum promovendo vel promoto. — Regulares possunt ad episcopatum provehi (*c. 1. electione etc.* [*I. 3*] *in Clem.*), sed ad hoc ut consentiant electioni de se factae (quando nempe eliguntur a quodam capitulo ecclesiae cathedralis hoc privilegium habente, non quando nominantur ab ipso romano pontifice) debent obtinere licentiam praelati sui regularis. *c. 27 de electione etc.* (*I. 6*) *in 6°.* 3417

Regularis promotus ad episcopatum non liberatur votis emissis; sed voto obedientiae ligatur, in quantum non sub religionis suae praelato, sed sub Papæ obedientia constituitur; voto autem paupertatis, in quantum non sibi acquirit, sed ecclesiae suae cathedrali. *c. un. C. XVIII. q. 1;* Lugo *de iust. et iure disp. 3. n. 232.* Verum a die confirmationis fit capax dominii acquirendi, et recuperat iura

successionum, earum etiam, quibus renunciaverat, dummodo post promotionem ipsi fuerint delatae (*S. C. C. 3 dec. 1639*); attamen, quum suae ecclesiae cathedrali acquirat, non sibi, ut diximus, de quaesitis nec disponere nec testamentum facere potest (D'Annib. *III. 225*), sed eorum habet usumfructum (*S. C. C. decr. cit. 3 dec. 1639.*); imo et de suis reditibus ecclesiasticis disponere potest inter vivos, non secus ac episcopi seculares. Sanchez *in decalogum lib. VI. c. 6. n. 10.*; D'Ann. *loc. cit.*; cfr. Molina *de iust. et iure tract. 2 disp. 276.*

Votis, quae in religione praeter substantialia emisit, si adhuc iis materia maneat, etiam post promotionem tenetur (Bouix *de iure reg. p. V. c. 8. q. 5*), imo et regulis, non quidem omnibus, sed iis, quae pontificale officium minime impediunt (*decr.* Alex. VII. *26 iul. 1662; Const.* Benedicti XIII. «Custodes» *7 mart. 1725*), ita tamen ut in peculiaribus casibus prudenter iudicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali illae conveniant. *S. C. EE. RR. 6 maii 1864.*

Episcopus regularis debet breviarium recitare et divina officia celebrare iuxta ritum suae dioecesis, et non sui ordinis. *S. R. C. 11 iun. 1605 ad 1 (181).*

Habitum ferre debet regularem (*c. 15 de vit. et hon. cleric. X.* [*III 1*]); retento tamen colore habitus suae religionis, potest se conformare cum episcopis secularibus in forma seu figura. Ferraris *Prompta bibl. v.* «*Episcopus*» *art. 7. n. 4 sqq.* Quare debet uti cappa pontificali coloris propriae religionis (*S. R. C. in Calaritana 12 iun. 1636* [*628*]); nec potest uti habito serico, quemadmodum et ipsi cardinales regulares eo uti prohibentur. *S. R. C. in Tarraconen. 12 aug. 1673* (*1488*).

Episcopus regularis, qui cum licentia romani pontificis episcopatui renuntiavit, debet redire ad eadem claustra (*Const. cit.* Ben. XIII. *7 mart. 1725*), et in religione non potest eius dignitates et officia obtinere. Ferraris *loc. cit. num. 19.*

De acceptione munerum a regularibus. — Ille qui accepit munera (quorum materia fuerit gravis) a regularibus utriusque sexus, exceptis donis remuneratoriis sive rerum medicinalium (*Const.* Clem. VIII «Religiose» *XIII. kal. iul. 1594; Const.* Urb. VIII «Nuper» *XVI kal. nov. 1640*), si potest ea restituere, absolvi nequit, antequam realiter restituerit; et quidem totum, si donum valeat plus *10 scut. monetae* secus partem, ad arbitrium card. maioris poenitentiarii. Quod si statim restituere non posset, absolvendus esset, postquam tamen promiserit, se quamprimum restituturum. *Const.* Ben. XIV «Pastor bonus» *Id. apr. 1744;* S. Alph. *VI. 580;* D'Ann. *III. 325.* 3418

De iis, quae regularibus conferri possunt vel non. — Regularis, nisi habeatur specialis permissio non potest assumi in vicarium generalem. Bouix *de iure reg. p. V. c. 6. q. 5.* 3419

Regularis potest esse parochus (cfr. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 11 de reg.*), sed sine speciali permissione S. Sedis hodierno iure (*c. 5 de statu monach. etc. X.* [*III. 35*]; Leurenius *for.*

ben. part. 1 pag. 51) non potest ei conferri in titulum parochia secularis (cfr. *Const.* Bened. XIV «Quod inscrutabili» *9 iul. 1745;* Bouix *l. c. p. V. c. 4. prop. 3*); nec beneficium simplex seculare, ut canonicatum, obtinere potest absque venia romani pontificis. Fagnanus *in c. 5 tit. 35 lib. III Decr. n. 18;* Bouix *l. c. p. V. c. 6. q. 1.*

Nec regularibus, imo ne religiosis quidem congregationum votorum simplicium, nisi habeant speciale privilegium, potest episcopus sine licentia sedis apostolicae seminaria regenda tradere. Bargilliat *Prael. iur. can. n. 267.*

De privilegiis et aliis (*remissive*). — Multis regulares gaudent privilegiis, praesertim quoad exemptionem a iurisdictione episcopali (vid. *Exemptio*), quoad dispensationes concedendas, etc. G. B. *I. 1121 sqq.*

Quoad ordinationes regularium, Vid. *Dimissoriae.*

3420 **De absolutione a censuris quoad suos.** — Quoad absolutionem a censuris nota, s. Congregationem s. Officii declarasse, praelatos regulares vi suorum privilegiorum suos subditos a censuris per constit. «Ap. Sedis» latis, sive speciali modo, sive simpliciter Romano Pontifici reservatis (1°) non posse absolvere; at (2°) posse absolvere a censuris episcopo reservatis, etsi occultis; et (3°) quantum ad eorumdem praelatorum facultatem subditos suos absolvendi a censuris Romano Pontifici reservatis non contentis in praedicta constitutione et pertinentibus ad internum regimen, nihil esse per eamdem constitutionem innovatum; (4°) regulares impeditos adire Romam non posse absolvi per suos superiores regulares a censuris contentis in ea constitutione et Summo Pontifici reservatis, sed recurrere debere ad S. Sedem pro necessariis facultatibus. *S. U. I. 22 mart. 1881.*

An prohibitum sit regularibus, pueros intra claustra hospitio excipere. — 3421
Existimatur ab aliquibus regulares non posse iuvenes, qui vicesimum aetatis annum non expleverint, intra claustra hospitio excipere. Sed haec opinio fundatur in pravo intellectu decreti Clementis X. *16 maii 1675.* In eo habetur: «Ut de cetero nemo pro tertiariis vel oblatis, seu donatis aut commissis, vel servientibus, nec pro hospitibus seu postulantibus vel cantoribus aut alio quocumque nomine nuncupatis ac quovis habitu indutis vel induendis, seu quovis praetextu vel causa, aut quaesito colore, recipiant seu admittant ad habitandum intra claustra (Ferraris *Prompta bibl. v.* «*Habitus*» *n. 33 sqq.* legit *ad habitum*), nisi vicesimum aetatis suae annum expleverint, omnesque sic receptos seu admissos (iis tantum exceptis, qui completa aetate annorum quindecim pro clericis seu choristis in habitu novitiorum annum probationis agunt) a monasteriis seu domibus regularibus omnibus omnino amoveant et eiiciant infra terminum duorum mensium». Nonnulli id, quod de hospitibus dicitur, extenderunt ad omnes hospites, quum decretum loquatur de iis tantum «hospitibus seu postulantibus», qui volunt «se recipi pro clericis ad habitum probationis».

Hinc error. Idipsum patet ex scopo decreti, qui is fuit, ut removerentur abusus inducti contra decreta Innocentii X et Alexandri VII, quae de admissione novitiorum ad habitum sermonem habebant. Praeterea ipsa prohibitio recipiendi *ad habitandum* excludit aliquam diuturnam, non hospitalem et brevem moram. Quare de iure communi nulla exstat prohibitio hospitio excipiendi intra claustra iuvenes nondum viginti annos natos; nec contraria consuetudo per errorem inducta ullam vim obligandi habet, sicubi exstat. Cfr. Mon. eccl. *dec. 1898. p. 232, febbr. 1899 pag. 279.*

3422 **Reincidentia.** — Absolutio a censuris dari potest non solum absolute, sed etiam conditionate, nec solum sub conditione suspensiva, ut nempe valere incipiat tunc tantum, quum censurae obnoxius aliquid praestiterit, sed etiam sub conditione resolutoria, idest ut statim quidem valeat, sed nisi censurae obnoxius intra certum tempus aliquid praestiterit, ipso iure in eamdem censuram iterum prolabatur. Haec ultimi generis absolutio a censuris dicitur absolutio sub poena reincidentiae. D'Ann. *I. 354.* Potest esse statuta a iure aut ab homine; incurri autem nequit, nisi nova gravis culpa admittatur cum contumacia coniuncta, quae scilicet adest in omissione operis iniuncta; hinc rationem per se habet novae numero censurae. Ferri proinde ab eo tantum potest, qui potest ferre censuras. Suarez *de censuris disp. VII sect. 8. n. 10 sq. n. 16 sqq.*

Sub poena reincidentiae in censuras incursas, nisi saltem infra mensem per epistolam et per confessarium absolutus recurrat ad S. Sedem, potest confessarius quilibet poenitentem absolvere a censuris etiam speciali modo R. P. reservatis; sed tantum in casibus vere urgentioribus, in quibus nempe absolutio differri nequit absque periculo gravis scandali aut infamiae. *S. U. I. 23 iun. 1886.* Et haec absolutio est directa, non tantum indirecta. *S. U. I. 19 aug. 1891.* Vid. *Reservatio casuum.*

Relatio. — Relatio (*Report*) ad re- 3423
trovenditionem refertur, et consistit imprimis in actionibus ad pecuniam apud mercatorias societates collocatam vendendis et reemendis. Haec retrovenditionis species damnanda per se non est, et a viris etiam probis passim exercetur. Attamen, nisi iustis constringatur limitibus, usurae labem saperet, atque mohatram redoleret. G. B. *I. 906.*

Relatio in iure dicitur etiam consultatio iudicis inferioris, in causa dubitantis de iure cum consensu utriusque partis ad summum principem missa, quem interrogat, quid in ea iudicandum et per sententiam decidendum sit. *c. 68 de appellat. etc. X. (II. 28)*; Reiffenstuel *in hunc tit. n. 329*

Religio. — Praecipui actus religio- 3424
nis sunt adoratio, oratio, sacrificium, votum, iuramentum, et sanctificatio quorumdam dierum. Vid. *singula suis locis.* — Vitia vero religioni opposita sunt: per excessum, superstitio; per defectum, irreligiositas. Et haec *suis locis* vide.

Religiosorum S. Congregatio. — 3425
Congregationem super consultationibus regularium prior erexit et con-

stituit Sixtus V per Breve « Rom. Pontifex » 17 maii 1586, et per constitutionem « Immensa » confirmavit tamquam distinctam ab alia congregatione super consultationibus episcoporum et aliorum praelatorum, quam eadem constitutione pariter confirmavit et ordinavit. Quae duae congregationes saltem iam anno 1601 in unam coaluerant, in congregationem scilicet episcoporum et regularium.

Huic congregationi postea accesserunt primum congregatio super statu regularium, postea congregatio super disciplina regulari, tandem etiam congregatio de statu regularium ordinum. Prima, super statu regularium scilicet, seu, ut eam vocat De Luca (*disc. XXII*) reformationis regularium, auctorem habuit Innocentium X, qui constitutione « Instaurandae » 15 oct. 1652 eam instituit ad exsequendam reformationem regularium Italiae; eaque, a Clemente IX constitutione « Iniuncti » 11 apr. 1668 confirmata, ab Innocentio XII constitutione « Debitum » 4 aug. 1698 extincta est. Cuius suppressionis seu extinctionis ratio ea forte fuit, tum quod ea munus suum magna ex parte expleverat, tum quod inutilis ferme evaserat, instituta iam ab eodem Pontifice constitutione sua « Sanctissimus » 18 iulii 1695 nova congregatione super disciplina regulari.

Altera seu super disciplina regulari, quae ab Innocentio XII constitutione « Sanctissimus » ut diximus, instituta est, ab eodem pontifice constitutione citata « Debitum » confirmata easdem per novam hanc constitutionem habuit facultates eademque munia, quae commissa eousque erant congregationi super statu regularium ex constitutionibus citatis Innocentii XII et Clementis IX, nec non officium habuit « Romano Pontifici ea suggerere ac proponere, quae pro eorumdem regularium fovenda seu reparanda disciplina opportuna fore in Domino » iudicasset. Munus igitur istius congregationis non fuit restrictum ad regulares Italiae, sed ad regulares totius orbis extensum in quantum respiciebat consilia proponenda pontifici pro regulari disciplina fovenda vel reparanda.

Tertia, seu super statu regularium ordinum, a Pio IX instituta est encyclica sua « Ubi primum » 17 iunii 1847. Quae quidem congregatio distincta prorsus fuit tum a congregatione super disciplina regulari, tum etiam ab antiqua congregatione super statu regularium. Neque enim Pius IX congregationem iamdiu institutam ab Innocentio X et ab Innocentio XII extinctam restituit, sed novam constituit. Discrimen inter novam hanc et antiquam congregationem in eo praesertim fuit, quod, ait Bouix (*Tract. de curia romana p. II. c. 6.* § *3*), « priscae ab Innocentio XII suppressae proprium officium fuerit iam editorum pro instauranda regulari disciplina decretorum exsecutionem atque observantiam urgere; at vero satis indicat Pius IX citatis litteris eo consilio institui a se dictam congregationem ut nova hac de re praeparentur ac condantur decreta ». Haec nova congregatio, manente adhuc congregatione super disciplina regulari, munus assumpsit alterius proprium sug-

gerendi Pontifici opportuna consilia pro disciplina tuenda. Hae duae igitur congregationes super disciplina regulari ed de statu regularium ordinum ad hos ultimos usque annos manserunt, quousque scilicet Pius X motu proprio « S. Congregationi » 26 maii 1906 utramque suppressit propter rationes, quas ibidem exposuit his verbis: « At vero, mutatis hodie adiunctis rerum ac temporum, iam non satis esse causae videtur cur hae duae congregationes a congregatione episcoporum et regularium distinctae permaneant; multum esse, cur ipsae cum illa coalescant, nempe ut religiosorum negotia melius et facilius, servato rerum ordine ac similitudine, expediantur. Eo magis, quod congregatio super disciplina regulari iamdiu communi utitur cardinali praefecto et communis cum congregatione episcoporum et regularium est utriusque secretarius: congregatio autem de statu regularium ordinum munus sibi demandatum iam magna ex parte ad exitum feliciter adduxit ». Abolendo autem pontifex has duas congregationes facultates ipsarum omnes in sacram congregationem episcoporum et regularium perpetuo transtulit.

Nova autem constitutione « Sapienti consilio », translatis ad s. Congregationem Concilii negotiis, quae ad s. Congregationem episcoporum et regularium pertinebant, in quantum ea erat congregatio super consultationibus episcoporum et aliorum praelatorum, congregationi episcoporum et regularium non remanserunt nisi negotia ad regulares spectantia et proinde congregatio dicta est congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita, ut vocatur in ipsa nova constitutione, vel congregatio de sodalibus religiosis, quemadmodum ei nomen fit in Normis peculiaribus, vel etiam brevius congregatio de religiosis, ut iam vulgo appellatur, et ipsa congregatio in suo authentico sigillo posuit.

Non immerito autem diceres, ut patet ex dictis, antiquam congregationem episcoporum et regularium penitus constitutione nostra fuisse extinctam, eique suffectam fuisse pro negotiis ad regulares spectantibus congregationem de religiosis. Hoc autem probari etiam videtur ex facto, quod pro congregatione religiosorum novi omnino consultores post promulgatam constitutionem a summo pontifice creati sunt.

Sacra haec congregatio de religiosis, quemadmodum prius S. Congregatio episcoporum et regularium, constat pluribus cardinalibus a romano pontifice electis, quorum unus munus gerit praefecti. Cardinales adiuvant secretarius, vel praelatus vel religiosus, et subsecretarius, qui in hac congregatione maiores administri sunt. His adiunguntur inferiores ministri aliquot. Est etiam coetus consultorum, qui a summo pontifice eliguntur.

Congregatio autem haec, ob multiplicitatem religiosorum institutorum quae habentur, ne in expeditione negotiorum confusio oriretur, quoad suam internam constitutionem triplici fere sectione subdivisa est. Tres igitur constituti sunt adiutores, quorum alter id sibi munus commissum habuit ut ea, quae ad religiosos ordines

pertinent, alter ea quae ad congregationes et omne genus instituta virorum, alter ea quae ad congregationes et instituta mulierum, curent. Pro unoquoque horum munerum sui etiam sunt scriptores distributi.

Limites, intra quos detinebatur competentia antiquae congregationis episcoporum et regularium, amplissimi erant, ac proinde quam maxima erant negotia huius congregationis, quae propterea *occupatissimae* nomen obtinuit.

Competentia autem circa ea, quae ad regulares pertinebant, latissima erat, ita ut De Luca dicat (*l. c.*): « in summa omnia peragit, quae religionum ac regularium bonum regimen ac directionem concernunt ». Limites hos latissimos non solum non coarctavit, sed ampliavit potius constitutio piana. Non solum enim ea omnia pertractat quae religiosos attingunt, in causis disciplinaribus seu in linea administrativa actis, verum etiam, generaliter loquendo, omnes favores religiosis concedendi ab hac congregatione in posterum exclusive provenire debent. His enim statuitur in constitutione nostra huius congregationis competentia:

« Haec sacra congregatio iudicium sibi vindicat de iis tantum, quae ad sodales religiosos utriusque sexus tum solemnibus, tum simplicibus votis astrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque ad tertios ordines seculares, in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis.

Quapropter ea omnia sibi moderanda assumit, quae sive inter episcopos et religiosos utriusque sexus sodales intercedunt, sive inter ipsos religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis, quae ratione disciplinae, seu, ut dici solet, *in linea disciplinari* aguntur, religioso sodali sive convento sive actore; ceterae ad Sacram Romanam Rotam erunt deferendae, incolumi semper iure sancti Officii circa causas ad hanc congregationem spectantes.

Huic denique congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis. »

Ex his satis patet, quomodo regimen omnium institutorum religiosorum, non exceptis tertiis ordinibus secularibus, ab hac congregatione dependet.

Imo haec congregatio est tribunal competens quoad omnes causas, quae agitantur *in via disciplinari,* quando conventus vel etiam actor est institutum quoddam religiosum aut quidam religiosus sodalis.

Potestas tamen huius congregationis restricta est ad causas, quae respiciunt regimen et disciplinam internam religiosorum; in quibus tamen ea est exclusiva. Ex quo factum est, ut in his causis haec sacra congregatio sit adeunda, etsi religiosus sit actor, reus vero sit vir non religiosus.

Declaratum etiam fuit non spectare ad congregationem hanc de religiosis facultatem admittendi ad compositionem eos, qui bona ecclesiastica quaecumque occuparunt aut detinent, etiam quando agitur de bonis ad ordines aut religiosas familias perti-

nentibus; sed eam spectare ad congregat. Concilii. *S. C. C. 8 iul. 1909.*

Pariter declaratum fuit non huic congregationi sed congregationi Concilii tributam fuisse ex constitutione « Sapienti consilio » competentiam in confraternitates aut pias uniones, quae dependent ab ordinibus et congregationibus religiosis, vel erectae sunt in eorum ecclesiis seu domibus. *S. C. Cons. 9 dec. 1909.*

3426 **Religiosus.** — ***De ipso statu religioso.*** — Substantia status religiosi consistit in tribus votis perpetuis paupertatis, castitatis et obedientiae (Suarez *de relig. lib. II. c. 1. n. 1*), nec requiritur ut sint solemnia, sed sufficit si sint simplicia (*Constitut.* Greg. XIII « Quanto fructuosius » a. *1573* « Ascendente Domino » a. *1584;* Schmalz. *in tit. 31 lib. III Decr. n. 14 sqq.;* Bouix *de iure reg. p. I sect. 3. c. 6*), sed emissa in aliquo religioso instituto (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 1 sqq.*), et ab ipso acceptata ac per ipsum ab ecclesia. Suarez *loc. cit. c. 4. n. 6 sqq.;* Bouix *loc. cit. p. I sect. 2 prop. 6.* Haec acceptatio semper habetur, quando vota emittuntur in aliquo instituto a sede apostolica approbato, nec sunt omnino privata. Confer tamen quoad haec *Regularis.*

Quare ad statum religiosum requiritur:

a) stabilitas, idest perpetuitas status, quem christianus suscipit libera professione, quae veram personalem obligationem inducit; Suarez *loc. cit. c. 3. n. 1 sqq.;*

b) emissio trium votorum substantialium; Suarez *l. c. c. 2. n. 3;* Bouix *l. c. sect. 2.* § *1 prop. 4;*

c) approbatio ecclesiae (*c. 9 de relig. domib. etc.* [*III. 36*]; *c. un. de relig. dom.* [*III. 17*] *in 6°*), quae ad inchoandas congregationes religiosas dari potest etiam ab episcopis (Lucidi *de vis. sacr. lim. II. p. 257*, praehabita tamen ex recentissimo iure licentia S. Sedis, vid. *Congregationes religiosae*), ad inchoandos autem veros ordines religiosos reservatur sedi apostolicae. *c. 9 cit. X.* (*III. 36*).

De obligationibus religiosorum 3427
(*plura remissive*). — Religiosus vi voti tenetur ad paupertatem (vid. *Paupertas*), ad castitatem (vid. *Castitas*), ad obedientiam (vid. *Obedientia*).

Solemniter professus, in ordinibus destinatis ad chorum, tenetur ad horas canonicas (Schmalzgrueber *in tit. 41 lib. III Decr. n. 78;* S. Alph. *IV. 142; cfr. c. 1 de celebr. miss. etc.* [*III. 14*] *in Clem.;* vid. *Horae canonicae*). Tenetur autem in horis recitandis sequi calendarium sui ordinis, si proprium habeat (vid. *Calendarium*); attamen si quando ipsi una cum cura animarum precario committeretur administratio alicuius ecclesiae secularium, non liceret ipsi sacras functiones iuxta proprium calendarium peragere, relicto calendario dioecesano, cui populus iam fuerit assuetus. *S. R. C. in Neoporten. 4 febr. 1898* (*3979*).

Religiosus vi suae professionis non tenetur esse perfectus (S. Alph. *IV. 9*), sed tenetur sub gravi tendere ad perfectionem (S. Alph. *loc. cit.;* G. B. *II. 1092*), saltem per media essentialia status religiosi, nempe per observationem trium votorum paupertatis, castitatis et obedientiae: media vero accidentalia, quae ipsi proponuntur

in propriis regulis ad perfectionem acquirendam, nisi ex alio capite iis strictius teneatur, debet non contemnere. Ball. *in Gury II. 1092* (*7*). Ea autem contemnere dicendus esset ille, qui determinato proposito omnia huiusmodi media abiiceret, puta non oraret, non ieiunaret, non meditaretur, non castigaret carnem, silentium non servaret, non studeret, sacramenta negligeret, etc. (B. P. *IV. 59 sqq.*); non ille qui, etsi habitualiter, quodlibet horum mediorum negligeret. B. P. *loc. cit.*

Religiosus debet praeterea habitum religiosum gestare, si tamen ad ordinem pertineat, cui proprius habitus sit. Vid. *Habitus religiosus.*

3428 ***De confessione a religiosis instituenda.*** — Confessarii *regularium* iurisdictionem et approbationem recipiunt a praelatis ordinis, non autem ab episcopis.

Ordinarie regulares stricte dicti confiteri nequeunt extra ordinem, imo nonnisi designatis in ordine (S. Alph. *VI. 574*); iter facientes, nonnisi socio, si quem idoneum habeant (B. P. *V. 405*); secus cuilibet sacerdoti seculari vel regulari, iuxta quosdam etiam non approbato (S. Alph. *VI. 275,* qui citat quoad hoc declarationem quamdam Innocentii VIII, quae potius Innocentio VII tribuenda est, cfr. Mocchegiani *Iurispr. eccl. I. 1008*), iuxta alios dummodo approbatus fuerit ab ordinario loci (Clericatus etc., Mocchegiani *loc. cit. n. 1013*), vel iuxta quosdam a praelato regulari pro suis (Miranda, Gaudentius a Ianua, etc.), aliis contradicentibus. Mocchegiani *loc. cit. n. 1019.*

Pro fratribus Capucinis tributa est P. Ministro Generali facultas indulgendi, ut religiosi sui ordinis, nisi praesto ipsis sint *duo* saltem sui ordinis confessarii, libere peccata sua confiteri possint cuicumque confessario approbato, a quo absolvi valeant etiam a casibus in suo ordine reservatis et ab incursis proinde censuris, nec religiosi ita absoluti teneantur se praesentare superiori suo regulari ad novam obtinendam super reservatis et censuris absolutionem; dummodo tamen de suorum superiorum licentia extra claustra degant vel iter peragant, non autem pro iis, qui ex industria vel in fraudem legis itinera arripiant. *S. C. EE. RR. 5 apr. 1897.*

Quoad novitios nota, soli magistro committendam esse curam audiendi confessiones novitiorum, quamvis liceat superiori, etiam locali, si ita expedire iudicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem novitiorum confessiones audire. *Decr.* Clem. VIII. *19 mart. 1603.*

Superioribus vero regularium non 3429
licet confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum hi admiserint (quoad hoc tamen vide *Reservatio casuum*), aut ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab eis petierint. *Decr.* Clem. VIII. *26 maii 1593.* His omnibus non est derogatum per decretum S. Congr. Inquisitionis *5 iul. 1899,* quo pro urbe prohibitum, pro aliis vero locis inculcatum est, ne superiores suorum subditorum confessiones excipiant. *S. U. I. 23 aug. 1899.* Attamen congregationes religiosae votorum smi-

plicium eodem decreto diei 5 iul. 1899 omnino tenentur. *S. U. I. 30 dec. 1899.*

3430 Affert praeterea Vermeersch (*Periodica I n. 39 pag. 99 sqq.*) hoc responsum S. Officii (quod ipse desumpsit ex *L'ami du clergé, 15 mart. 1903*, ubi tamen sine data referebatur), scilicet: « Edito decreto S. R. et U. Inquisitionis 1899 (5 iul.), quo monebantur in urbe religiosarum communitatum, seminariorum et collegiorum superiores, ne, excepto aliquo raro casu, suorum alumnorum in eadem domo manentium sacramentales confessiones exciperent, interrogata est S. R. et U. Inquisitio ab aliquo superiore, utrum saltem, si quando, ut in missionibus vel domibus inchoatis, unus tantum vel duo sacerdotes forent in domo, quorum alter esset superior, possent ambo confratrum et alumnorum confessiones excipere, respondit: Standum decreto 1899; et in casu, quo praeter superiorem aut superiores nullus adsit in domo confessarius, omnis sacerdos, iurisdictionem ab episcopo habens, idoneus reputandus est ad sacramentales confessiones excipiendas ». Huic decreto addit Vermeersch: « Verbo plurali *superiores* intelliguntur, praeter caput totius domus, alii, qui veluti *minister* domus ceteris praeesse solent ».

3431 Iuverit autem quoad hanc materiam de confessionibus religiosorum integrum addere decretum a S. Poenitentiaria recenter datum. Est autem sequens:

« Titio sacerdoti approbato ad audiendas confessiones, non raro contigit confessiones excipere regularium variorum ordinum. Quare, quo prudentiore agat ratione, ab hoc sacro tribunali enixe postulat solutionem dubiorum, quae statim proponuntur hic infra:

1° Caius, sacerdos regularis, sub vesperum accessit ad Titium facturus exomologesim. Interrogatus de recepta a superiore facultate, respondit, superiorem domo abesse, nec eodem reversurum die, nullum autem alium in conventu adesse praesentem sacerdotem. Potuitne in hac domestici confessarii inopia, a Titio valide et licite absolvi?

2° Inter facultates, quae s. Poenitentiaria pro foro interno cum confessariis communicare solet, legitur n. 8° facultas— absolvendi religiosos cuiuscumque ordinis, dummodo apud te legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem.... etiam a casibus et censuris in sua religione reservatis. — Valetne illa facultas ad casus quolibet modo reservatos? Soliti enim sunt in religionibus casus reservari alii superiori immediato, alii provinciali, alii generali. Istas tamen observare distinctiones confessario extraneo valde fuerit difficile. Suadet igitur expeditus facultatis usus ut omnes comprehendat casus religionis proprios. Prudens ceterum confessarius non omittet ea imperare, quibus ordinis bono vel iuri satis sit cautum.

3° Utrum confessario regulari praefata facultate uti liceat, quum confessionem excipit religiosi eiusdem ordinis, ad quem pertinet ipse, ita ut in reservata proprii ordinis polleat iurisdictione non formaliter a supe-

riore accepta, an contra coerceatur usus ad religiosos extraneos?

4° Utrum superior, qui confessionem permittit, addita conditione v. gr.: dummodo pro reservatis serves ordinis consuetudinem, impedire valeat praefatae facultatis usum; an contra, semel concessa confitendi licentia, electus confessarius habeat vi facultatis Poenitentiariae potestatem in reservata a voluntate superioris plane independentem?

5° Num dicta n. 4 omnino transferenda sint in religiosum *itinerantem*, qui ad adeundum confessarium extraneum expressa superioris facultate non habuit opus?

Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis, ad proposita dubia respondet:

Ad 1^um^. Si superior domus aliique confessarii tamdiu absint, saltem per unum diem, ut grave sit religioso poenitenti toto eo tempore carere absolutione sacramentali, is licite et valide absolvitur ab extraneo confessario idoneo, h. e. approbato.

Ad 2^um^ *Affirmative.*

Ad 3^um^ Dummodo confessarius regularis approbatus sit ad recipiendam confessionem religiosi proprii ordinis *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad 4^um^ *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad 5^um^ Si confessarius extraneus habeat a S. Sede facultatem absolvendi religiosos a casibus reservatis in eorum ordine *affirmative*; secus *negative.*

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria die 14 mai 1902.

Superiores regulares in singulis domibus deputare debent duos, tres aut plures confessarios pro subditorum numero maiori vel minori, qui sint docti, prudentes ac caritate praediti, quique eos absolvant a non reservatis et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis confessarius iudicaverit. *Decr. Clem. VIII* « *Sanctissimus* » *26 maii 1593 insertum ab Urb. VIII in suo decr.* « *Sacra Congregatio 21 sept. 1624.* 3432

De confessionibus a religiosis excipiendis. — Quoad confessiones regulares proprie dicti non solum iuxta quosdam immediate a Romano Pontifice iurisdictionem accipiunt (quod tamen alii negant, cfr. Bizzarri *Collectanea pag. 757 sqq.*, Mocchegiani *Iurispr. eccl. I. 986 sqq.*), sed nunc de facto etiam ab episcopis per approbationem, sicut declaravit Sacra Congr. Episcoporum et Regularium *2 mart. 1866.* Approbatio vero pro suis audiendis a superioribus ordinis (G. B. *II. 369*), pro aliis ab episcopo loci ipsis confertur. Conc. Trid. *sess. XXIII cap. 15 de ref.*; *Const.* Pii V « Romani Pontificis » *8 aug. 1571*; *Const.* Inn. XII « Quum sicut » *19 apr. 1700*; cfr. *prop. 12, 13 damn. ab Alex. VII decr. diei 24 sept. 1665.* 3433

Approbationem denegare sine causa regularibus episcopus non potest (Lugo *de poen. disp. XXI n. 54*; B. P. *V. 353*); potest tamen eos approbare cum limitatione temporis, personarum aut locorum (*Const.* Innoc. XIII « Apost. ministerii » *23 maii 1723*; *Constit.* Bened. XIII

« In supremo » *23 septemb. 1724*; *Const.* Ben. XIV « Apostolica indulta » *5 aug. 1744*); imo, iusta de causa confessionem concernente, approbationem revocare potest sua auctoritate, si agatur de aliquo regulari individuo (*Constit.* Clem. X « Superna » *22 mai 1760*): si vero agatur de omnibus regularibus eiusdem communitatis, nonnisi audita S. Congr. Episcoporum et Regularium (nunc Religiosorum). *Const. cit. Clem. X*; G. B. *II. 372. 4.* Ctr. *resp. S. C. C. in una S. Deodati 13 febr. 1896.*

Religiosus sine examine approbatus, potest ab episcopo ad examen vocari. G. B. *II. 373.*

Semel approbatus in aliqua dioecesi, dummodo sine limitatione, semper ibi est approbatus, etiamsi mutato domicilio eodem redeat, vel eadem transeat. B. P. *V. 359.*

Regularis ex facultate episcopi, inscio vel etiam invito superiore, valide absolvit, sed peccat graviter contra obedientiam (*S. C. EE. RR. 2 mart. 1866*); item absque episcopi approbatione potest regularis absolvere familiares in monasterio degentes, idest eos seculares, qui sunt *de familia* regularium, et in monasterio diu noctuque remanent, ita ut sint continui commensales et vivant sub obedientia religiosorum. *Const. cit.* Clem. X « Superna » *§ 4.*

An regulares sine episcopi approbatione possint absolvere etiam convictores, in suo monasterio vel sua domo habitantes, Vid. *Alumni.*

434 ***Acta recentissima sacrae Congregationis de religiosis.*** — Decretum **de religiosis servitio militari astrictis.** — Inter reliquas difficultates, quibus premitur Ecclesia Christi nostris temporibus, ea quoque recensenda lex est, qua ad militiam adiguntur etiam iuvenes, qui in religiosis familiis Deo famulantur.

Nemo sane non videt, quantum detrimenti ex hac infausta lege provenire possit, quum iuvenibus, tum ipsis sodalitatibus. Dum enim militiae vacant religiosi tyrones, facile vitiis maculari possunt, quibus infecti, vel, neglectis, quae emiserant, votis, ad secularia remigrabunt, vel quod longe peius est, religiosam repetent domum, cum periculo alios contaminandi.

Ad haec igitur praecavenda mala, Sacra Congregatio, negotiis religiosorum sodalium praeposita, in plenario coetu eminentissimorum patrum cardinalium, die 26 mensis augusti 1910 ad Vaticanum coadunato, sequentia decrevit:

I. In ordinibus regularibus, in quibus vota solemnia emittuntur, iuvenes, quos exemptos esse certo non constet a servitio militari activo, scilicet ab eo servitio, quod ipsi primitus ad militiam vocati ad unum vel plures annos praestare debent, admitti nequeunt ad sacros ordines vel ad solemnem professionem, quousque non peregerint servitium militare et, hoc expleto, saltem per annum, iuxta infra dicenda, in votis simplicibus permanserint, servato quoad laicos decreto *Sacrosancta Dei Ecclesia,* hac eadem die edito.

II. In institutis votorum simplicium iuvenes, de quibus in articulo praecedenti, ad vota dumtaxat temporaria

admitti poterunt usque ad tempus militaris servitii: nec illis, dum militiae operam dant, professionem renovare liceat. — A militari servitio dimissi cum fuerint, professionem iterum, saltem ad annum, emittent, antequam professionis perpetuae vinculo se obstringant.

III. Caveant autem iuvenes militiae servientes, ne sanctae vocationis donum amittant ac ea semper modestia et cautela conversentur, quae decet religiosos viros. Quamobrem a locis et conventiculis suspectis abhorreant, a theatris, choreis aliisque spectaculis publicis abstineant; malorum commercium, lubricas conversationes, res a religione absonas, viros doctrinas suspectas profitentes, lectiones moribus aut fidei a S. Sedis dictatis contrarias ceteraque peccandi pericula evitent; ecclesias, sacramenta, quantum eis liceat, frequentare non omittant; circulos seu coetus catholicos ad animi recreationem et instructionem adeant.

IV. Ubicunque eorum statio ponatur, si ibi domus suae religionis aut instituti habeatur, eam frequentent et sub superioris immediata vigilantia sint. — Si vero domus praedicta non adsit, vel eam commode frequentare nequeant, sacerdotem ab episcopo designatum adeant, eius consiliis et consuetudine utantur, ut quando eamdem stationem deserere oporteat, testimonium in scriptis de observantia eorum omnium, quae in articulo praecedenti scripta sunt, ab eodem accipere valeant. — Quodsi sacerdos ab episcopo designatus non habeatur, ipsi sibi eligant prudentem sacerdotem, statim indicandum superioribus suis, qui ab ordinario de moribus, doctrina et prudentia eiusdem sibi notitias comparabunt. Praeterea, epistolarum commercium instituant, ac, quantum fieri potest, sedulo persequantur cum suo respectivo superiore aliove religioso seu sodali sui instituti ad id designato, quem certiorem faciant de suae vitae ratione et conditione, de singulis mutationibus suae stationis et praesertim illi notificent nomen et domicilium illius sacerdotis, cuius consuetudine et directione utuntur, ut supra praescriptum est.

V. Superiores generales aut provinciales etiam locales, iuxta uniuscuiusque instituti morem, per se vel delegatum sodalem (qui sacerdotali ordine sit insignitus in clericalibus institutis) de vita, moribus et conversatione alumnorum, perdurante militari servitio, inquirere omnino teneantur, opera praecipue sacerdotis vel sacerdotum, de quibus supra, per secretas epistolas, si opus sit, ut certiores fiant, an ii rectam fidei et morum viam servaverint, cautelas supra praescriptas observaverint et divinae vocationi se fideles praebuerint, graviter onerata eorum conscientia.

VI. Cum a militari servitio activo definitive dimissi fuerint, recto tramite ad suas quisque religiosas domus remeare teneatur, ibique, si certo constet de eorum bona conversatione, ut in articulo praecedenti dictum est, praemissis aliquot diebus sanctae recollectionis, qui institutis votorum simplicium addicti sunt, ad renovandam professionem temporariam admittantur; in ordinibus vero regula-

ribus, inter iuniores clericos seu professos, aut saltem in domo, ubi perfecta vigeat regularis observantia, sub speciali vigilantia et directione religiosi, pietate et prudentia commendabilis, qui in institutis clericalibus sacerdos esse debet, collocentur. In eo statu integrum tempus (quod minus anno esse non poterit iuxta dicta in articulis I et II) ad tramitem apostolicarum praescriptionum et propriae religiosae familiae constitutionum praemittendum votis solemnibus vel perpetuis, complere debent, ita tamen, ut computetur quidem tempus in votis simplicibus vel temporaneis transactum a prima votorum emissione usque ad discessum a domo religiosa, servitii militaris causa; non vero quod militiae datum fuit.

VII. Eo tempore, studiis et regulari observantiae dent operam; superiores autem immediati ac sodales iuniorum directioni praepositi eos diligentissime considerent, eorum mores, vitae fervorem, placita, doctrinas, perseverandi studium perscrutentur, ut de eis ante ultimam professionem maioribus superioribus rationem sub fide iuramenti reddere valeant.

VIII. Si qui, perdurante militari servitio vel eo finito, antequam ad professionem solemnem aut perpetuam admittantur, dubia perseverantiae signa dederint, vel praescriptis cautelis militiae tempore non obtemperaverint, aut a morum vel fidei puritate deflexerint, a superiori generali de consensu suorum consiliariorum seu definitorum dimittantur, eorumque vota ipso dimissionis actu soluta habeantur. — Quodsi ipsi iuvenes a votorum vinculo se relaxari desiderent aut sponte petant, facultas fit superioribus praedictis, tamquam Apostolicae sedis delegatis, vota solvendi, si agatur de institutis clericalibus; si vero res sit de institutis laicorum, vota soluta censeantur per litteras superiorum, quibus licentia eis fit ad seculum redeundi.

IX. Hisce praescriptis teneantur etiam ecclesiasticae societates, quae, licet non utantur votis, neque solemnibus neque simplicibus, habent tamen simplices promissiones, quibus earum alumni ipsis societatibus astringuntur.

X. Si quid novi in hoc decreto non praevisum, vel si quid dubii in ipsius intelligentia occurrerit, ad hanc Sacram Congregationem in singulis casibus recurratur.

Qnae omnia Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente subsecretario, rata habere et confirmare dignatus est, die 27 eiusdem mensis augusti 1910. Contrariis non obstantibus quibuscumque. — *S. C. Rel. 1 ianuarii 1911.*

Instructio circa debita et obligationes oeconomicas a religiosis familiis suscipienda. — Inter ea, quae religiosis familiis maius detrimentum afferunt, quaeque sicut earum tranquillitatem perturbant, ita bonam existimationem in discrimen vocant, praecipue est numeranda nimia facilitas, qua aliquando debita contrahuntur. 3435

Saepe enim aes alienum inconsulto et intemperate suscipitur, sive ad excitandas domos, sive ad eas augendas et ampliandas, sive ad ty-

rones plus aequo recipiendos, sive ad manum apponendam operibus vel instituendae iuventutis, vel sublevandae miseriae.

Quae quidem omnia, licet vel in se, vel ratione praestituti finis, sint opera laude digna, quum tamen regulis christianae prudentiae et aequae administrationis non semper respondeant, ideoque apostolicarum praescriptionum verbis et spiritui contraria sint, Deo esse grata non possunt, nec proximo valent permansuram afferre utilitatem.

Quum autem in dies misere succrescat huiusmodi abusus debita contrahendi absque prudentibus cautelis, et frequenter sine venia, sive superioris generalis sive huius Apostolicae Sedis; attentis peculiaribus et extraordinariis sane circumstantiis, in quibus publicae et privatae res oeconomicae versantur; ne domus quaecumque religiosae, ex sua leviori agendi ratione, in aere alieno contrahendo damnum in posterum persentiant; sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, habitis suffragiis emorum patrum cardinalium huius sacrae congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae, in plenario coetu ad Vaticanum habito die 30 iulii 1909, post maturum examen, haec decernere, statuere et praescribere dignatus est, a singulis ordinibus, congregationibus, institutis, utriusque sexus, sive votorum solemnium sive simplicium, a monasteriis, collegiis et domibus religiosis, sui quoque iuris, vel ordinariis locorum subiectis, apprime servanda:

I. Moderatores, sive generales, sive provinciales seu regionales, sive locales nulla debita notabilia contrahant, nullasque notabiles obligationes oeconomicas suscipiant, directe vel indirecte, formaliter vel fiducialiter, hypothecarie vel simpliciter, cum onere vel absque onere redituum seu fructuum, per publicum vel privatum instrumentum, oretenus vel aliter:

a) absque praevio consensu consilii generalis seu definitorii, si agatur de curia generali, aut de domo vel domibus immediate iurisdictioni seu directioni curiae generalis subiectis;

b) vel absque praevio consensu consilii seu definitorii provincialis, et expressa licentia moderatoris generalis, accedente voto deliberativo consilii seu definitorii generalis, si agatur de debitis vel obligationibus a superioribus provincialibus vel regionalibus contrahendis seu suscipiendis;

c) vel absque praevio consensu consilii localis seu monasterii sive domus, quocumque nomine designetur, sub nullo superiore provinciali seu regionali positae, et expressa licentia moderatoris generalis, eiusque consilii seu definitorii generalis. Quod si ordo in varias congregationes seu familias, proprium praesidem seu moderatorem generalem seu quasi generalem habentes, divisus sit, huius praesidis seu moderatoris eiusque consilii licentia necessaria omnino erit;

d) vel absque praevio consensu consilii localis, si agatur de monasteriis vel domibus nulli moderatori generali subiectis, accedente tamen

licentia in scriptis ordinarii loci, si nonasteria seu domus huiusmodi ab ordinarii iurisdictione vere exempta non sint.

II. In debitis vel in obligationibus oeconomicis contrahendis, habenda est notabilis quantitas, quae superat 500 libellas, nec attingit 1000, si agatur de monasteriis vel domibus singulis; quae superat 1000 libellas, nec attingit 5000, si agatur de provinciis vel quasi provinciis; quae superat 5000 libellas, si de curiis generalibus. Quod si domus, provincia vel curia generalis debita vel obligationes contrahere intendat, quae valorem 10,000 libellarum excedant, praeter licentiam respectivi consilii, ut supra, requiritur beneplacitum apostolicum.

III. Non licet per diversa debita vel per obligationes diversas, quae quomodolibet contracta sint vel contrahantur, summam respectivam in praecedenti articulo expressam superare; sed omnia et singula debita omnesque et singulae obligationes, quomodolibet contracta, semper coalescunt. Ideoque nullae omnino erunt licentiae ad nova debita contrahenda novasque obligationes suscipiendas, si anteacta debita vel obligationes nondum extincta sint.

IV. Pariter nulla erunt indulta seu beneplacita apostolica ad contrahenda debita vel ad suscipiendas obligationes, valorem 10,000 libellarum excedentia, si domus, provincia vel curia generalis oratrix in precibus reticeat alia debita vel alias obligationes, quibus forsan adhuc gravatur.

V. Si qua autem congregatio et institutum votorum simplicium aliaeque religiosae familiae consilia generalia, provincialia et localia non habeant, illa intra tres menses constituant ad hunc finem vigilandae administrationis oeconomicae. Monasteria autem seu domus, quae sint sui iuris, nec consilium libera capituli localis electione constitutum habeant, pariter intra tres menses sibi eligant. Consiliarii autem per triennium in officio permaneant, et sint quatuor in monasteriis vel domibus, quae saltem duodecim electores habent, et duo ad minus in aliis.

VI. Suffragia, de quibus agitur in articulo I, toties quoties exquirantur, et semper secreta atque deliberativa sint, non mere consultiva; licentiae autem, virtute suffragiorum concessae, numquam oretenus, sed in scriptis dentur. Acta vero consilii subscribantur tum a moderatore tum a singulis consiliariis.

VII. Graviter oneratur moderatorum conscientia, ne per se vel oeconomum, vel aliter, consiliariis occultent, ex toto vel ex parte, bona quaecumque, reditus, pecunias, titulos, donationes, eleemosynas et alia valorem aliquem oeconomicum habentia, etiamsi data sint moderatori intuitu personae; neque de debitis vel obligationibus quomodolibet contractis taceant; sed omnia plene, exacte, sincere, fideliter revisioni, examini et approbationi consilii committantur; omnia etiam documenta, bona temporalia vel oeconomiam respicentia, pariter consiliariis examinanda tradantur.

VIII. Nulla fundatio monasterii vel domus, nullaque fundationis amplificatio vel mutatio fiat, si pecunia solvenda non habeatur, et hac de causa debita vel obligationes oeconomicae contrahenda sint, etiamsi fundus vel materia ad aedificandum, vel aliqua pars aedificii gratuito donetur, vel construatur; nec sufficit promissio pecuniae etiam in magna quantitate ab uno vel pluribus benefactoribus tribuendae, quia huiusmodi promissiones saepe non adimplentur, cum periculo gravis nocumenti materialis et moralis religiosorum.

IX. Ut pecuniae, reditus aliique proventus legitime collocentur in aliquo tuto, licito ac fructifero investimento, et ut potius in uno quam in alio investimento ponantur, requiritur votum consilii, toties quoties exquirendum, exhibitis praefato consilio omnibus notitiis circa formam, modum et alias investimenti circumstantias. Quod item valet pro qualibet investimenti mutatione, servatis aliis de iure servandis.

X. Quae de triplici clavi capsam claudente deque ipsius capsae visitatione, necnon de recta administratione rerum temporalium praescribuntur in constitutionibus singularum familiarum religiosarum, si severiori ratione, quam in singulis articulis praesentis instructionis ordinentur, accurate serventur in iis, quae ipsi instructioni contraria non sint. Et ubi administratio temporalis per propria statuta ordinata non fuerit, omnia quamprimum ordinentur, prae oculis habitis quae in *Normis, cap. VI,* dicuntur, quaeque non solum sorores, sed et viros religiosos respiciunt, ut habetur in nota in fine pag. 3 earumdem *Normarum* posita, salvis semper praescriptionibus huius instructionis.

XI. Fundus, legata et alia quaecumque bona, quae quomodolibet missas annexas habent, eorumque fructus vel reditus nullo pacto debitis vel obligationibus oeconomicis cuiuscumque conditionis sint, ne quidem ad breve tempus, gravari possunt, et pecuniae pro missis manualibus vel aliis celebrandis acceptae, ante ipsarum celebrationem, nullo pacto nullaque de causa, neque ex toto neque ex parte expendi possunt, sed integre servari debent. Qua in re speciali vigilantia procedant tum moderatores tum consiliarii.

XII. Quae de dotibus monialium et sororum non alienandis ab apostolica Sede iamdudum statuta sunt, erunt apprime servanda. Nullo igitur pacto neque cuiusvis utilitatis intuitu fas erit capitalia huiusmodi dotum consumere, quousque respectivae moniales vel sorores vivant; sub poenis a iure determinatis. Et apostolicae Sedis venia erit expetenda, si ob gravissimas circumstantias perutilis iudicetur etiam unius tantum dotis alienatio.

XIII. Donationes, etiam titulo eleemosynae vel subsidii, non fiant, nisi iuxta conditiones a Sancta Sede praescriptas, et iuxta mensuram in singulis constitutionibus ordinatam, vel a capitulis, et in eorum defectu, a superioribus generalibus cum respectivis consiliis legitime determinatam.

XIV. Omnia, quae in hac instru-

ctione praescribuntur, non solum ordines, congregationes et instituta virorum, sed etiam monialium et sororum respiciunt.

Violatores autem earumdem praescriptionum graviter puniantur, et si violatio sit de iis, quae de iure communi vel iuxta praesentem instructionem apostolicum beneplacitum requirunt, poenis ipso facto subiaceant, alienatoribus bonorum ecclesiasticorum inflictis.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus. *S. C. Rel. anno 1909.*

3436 **Decretum laicos religiosos respiciens.** — Sacrosancta Dei ecclesia ordines religiosos decorandos voluit solemnitate votorum, quo status prosequentium in eis evangelica consilia eret aestimatione et effectu in christiana societate stabilior. Ad quae vota solemniter profitenda eos quoque admittit, qui nulla sacerdotii Christi participatione donati, conversi seu laici vocantur.

Quum vero per votorum solemnitatem prorsus irrevocabili, arctissimo et publico nexu mancipetur homo divino servitio coram ecclesia et fidelibus universis, decet omnino, ut qui, hac ratione, Christi vestigia se proprius ac perpetuo secuturos spoponderunt, ii fideliter in sua promissione perseverent. Quod praesertim de laicis seu conversis dicendum est, quos nonnisi admiratione summa et scandalo cernerent fideles, post solemnem professionem ad secularia vota redire, nullo a se vitae prioris signo distinctos.

Spiritus autem temporum, qui omnimodam libertatem infausto vindicat hominibus, sancta quoque monasteriorum septa est furtim praetergressus; idque etiam effecit, ut cum desiderio vitae humilioris, absconditae in Christo, qualis conversorum solet esse in coenobiis, propositi perseverantia simul imminueretur, in iis praesertim laicis, quos forsan religiosos potius fecerat necessitas, quam voluntas, vel quos superiores absque debitis cautelis exceperant, vel quos acceptis a Deo beneficiis abuti contigerat. Hos parvi facientes verba Sancti Augustini: *Nec ideo te vovisse poeniteat, imo gaude iam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus et dicta imple factis; ipse adiuvabit qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quae in meliora compellit* (S. Aug., *ep. 127, 8*), mater ecclesia, studens minori malo, licet non sine magna commiseratione, aliquando permisit abire.

Ut igitur dignitas votorum, quae etiam laici solemni ritu promittunt, in laude, qua in ecclesia gaudent, perseveret, et ad sanctum vocationis propositum impensiore cura provehendum, nostra difficillima aetate, haec sacra congregatio, negotiis religiosorum sodalium praeposita, rem attentissime in Domino consideravit, discussis sedulo causis, propositisque mediis ac remediis; sententiamque expetivit quum moderatorum generalium praecipuorum ordinum, tum plurium ex suis consultoribus. Quae omnia emi patres cardinales sacri eiusdem consessus, in plenario coetu, die 29 iulii anno 1910 ad Vaticanum

habito, diligentissime perpendentes, quaedam statuenda rati sunt, quae laicorum ingressum, tyrocinium, institutionem, votorum emissionem in posterum opportune moderentur.

Haec igitur erunt apprime servanda ab omnibus religiosis familiis, apud quas a conversis quoque solemnia vota nuncupantur, nimirum:

1. Moderatoribus generalibus facultas fit permittendi toties quoties superioribus provincialibus, ut excipere valeant eos quoque iuvenes, ad laicorum munia destinatos, qui vix expleverint decimum septimum aetatis annum, servatis servandis.

2. Nemo ad novitiatum admittatur, qui per duos saltem annos, vel per plures, si magis diuturnum experimentum constitutiones ordinis praescribant, postulatum non expleverit sub poena invalidae postea professionis.

3. Novitiatus ante vigesimum primum aetatis annum initium non habeat, ad tramitem iuris vigentis; isque unum vel etiam duos annos perduret, iuxta proprii ordinis constitutiones.

4. Expleto novitiatu, servatisque quae servanda sunt, laici admitti possunt ad simplicem votorum professionem, quae quidem, perpetua ex parte voventis, sit ad tempus sexennii ex parte ordinis.

5. Absoluto sexennio votorum simplicium et expleto trigesimo aetatis anno ac non prius, sub poena item invaliditatis, servatisque pariter servandis, laici vota solemnia nuncupare poterunt.

6. Quae in praecedentibus articulis respiciunt professionem votorum simplicium et solemnium erunt quoque servanda quoad laicos nunc in coenobiis viventes, qui solemnem professionem nondum nuncuparunt.

Spatium hoc sat diuturnum novem annorum sperandum est, fore ut quum superioribus tum tyronibus opportunitatem det explorandi illinc voluntatem, hinc vitae institutum, ad quod postea solemniter amplectendum, virtute firmior, potest homo maturius afferre iudicium.

Haec autem aliquam, non tamen omnino firmam darent perseverantiae spem, nisi ea comitentur sequentes et aliae id genus cautelae et industriae, quas Apostolica Sedes, decursu seculorum, edixit vel adhibendas suasit, et observantiores familiae religiosae laudabili consuetudine et felici exitu expertae sunt.

Et in primis quoad conversorum receptionem, multae sunt eaeque sedulae adhibendae cautelae et inquisitiones praemittendae. Provincialis indaget oportet de legitimitate natalium, de morum honestate, de optima coram populo fama, de idoneitate tyronum, ac praesertim de natura finis, quo ipsi aguntur, amplectendi statum religiosum. Plures enim sunt, qui religionem ingressi, non videntur commoda dereliquisse, sed quaerere; qui quaerunt *in monasterium quae nec foris habere potuerunt* (*Reg.*, S. Aug. c. I. 3), quique facilem vitam curarumque expertem, immerito nominis honore, gerere cupiunt. Hi sane non sunt, quibus cum Sancto Augustino exclamare fas est: *Quam suave mihi subito factum est carere sua-*

vitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat! (S. Aug. *Conf.* l. 9. c. 1). Erunt quidem hi habitu religiosi, non virtute, quos rectius fuerat in seculo ambulasse per plana, quam ad altiora tendentes forsan in discrimen suam aeternam vocare salutem.

Quos factae, etiam secreto, inquisitiones et exhibita documenta serio commendaverint, ii tantum, praehabita de more maiorum superiorum licentia, ad postulatum admittantur.

Satis exploratum est, habet Clemens VIII in instructione *Cum ad regularem* (n. 22), super receptione et educatione novitiorum, *perfectam educationem* conversorum *tum religioni decorem et ornamentum, tum aliis Christifidelibus aedificationem, exemplum atque utilitatem afferre.* Necesse igitur est, ut statim ab ipso initio eorum animum spiritus religiosus et ordinis totum pervadat. *Qui disciplinam in novae conversationis initio negligit, ad eam postmodum difficile applicatur, et formam, quam primo quis recipit, vix deponit* (S. Bonaventura, *In Spec. Disc.*, prolog. n. 1).

Ad hoc assequendum praeficiatur postulantibus pater, quem et aetas probaverit et vita, cui dicit sanctus Bernardus: *Zelum tuum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia* (S. Bernardus *Serm. 20 n. 4, Cant.*), et de quo sanctus Gregorius Magnus scripsit (*Reg. Past. p. 2 c. 6*): *Curandum quippe est ut rectorem subditis et matrem pietas et patrem exhibeat disciplina. Atque inter haec sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa... Miscenda ergo est lenitas cum severitate; faciendum quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur.*

Saepe ab ipsa civili educatione initium ducendum est; quum inferioris soleant esse fortunae qui laicorum numero petunt ascribi. Inurbanitas in agendi modis, in responsionibus dandis, in incessu, in ipsa corporis sumenda refectione, erit paulatim, sed omnino, evellenda. Sordidi habitus, quos sibi non amor humilitatis et contemptus mundi sollicite elegit, sed rudis negligentia foedavit, non olent spiritum Christi, ideoque non semper bene de iis, quorum corpora tegunt, annuntiant. Corporis habitusque mundities, comite semper modestia ac simplicitate, erit summopere curanda. Quas item in mundo civilis educatio moderatas regulas constituit humani consortii, eas caritas quoque fraterna adhibendas suadet etiam in coenobiis, quum caritatis sit, quidquid proximum perturbare potest, attente defugere. Inurbanitas autem, quae ex studio sui commodi procedit cum aliorum neglectu, non potest quin molestiam aliis inferat detque occasionem patientiae.

Externe haec sese habendi compositio viam sternit animo plenius educando, iis scilicet nobilibus sensibus infundendis, quibus mens trahitur ad aliorum levem quamque offensionem vitandam, desideria praevenienda, gratum animum facile demonstrandum, alios sibi praeferendos.

Haec tamen singula informet oportet, regat ac nobilitet caritas Christi, ita ut quidquid verbis, operibus, omissionibus nostris laudabile est ac proximo gratum, procedat ex corde pleno caritatis.

Quae omnia, si laicos decent, summopere eminere debent in sacerdotibus et iis, qui ad sacerdotium erunt promovendi, quorum igitur laici intuentes exempla, pertrahantur non solum ad virtutis, sed etiam ad modestae urbanitatis tramitem prosequendum.

Monitis, hortamentis, patientia ac praesertim exemplo, rudiorum quoque non erit difficile in urbanos et amabiles ita convertere mores ac modos, ut, non multo post eorum ingressum in religionem, de ipsis repetere liceat illud sancti Bernardi: *Induerunt sibi faciem disciplinatam, et bonam totius corporis compositionem... sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior. Verum, quia haec noviter coepere, ipsa sui novitate flores censenda sunt et spes fructuum, magis quam fructus* (Serm. 63, in Cant. n. 6).

Fructus hos quidem gignet institutio spiritualis, cui toti sint cum postulantibus praepositus, et cum novitiis magister. Laicorum profectum in viam sanctitatis faciant ipsi opus et lucrum suum, opus et lucrum sane nobile et ingens.

Ad normam decretorum Apostolicae Sedis, eis explicent universam doctrinam christianam, praesertim quoad sacramenta confessionis et communionis rite et fructuose percipienda, prae oculis habentes catechismum Concilii Tridentini ad parochos. Simul eos doceant, quasnam obligationes secum trahat votorum professio, quid exigant votis respondentes virtutes. Eas quoque explanent regulae et constitutionum partes, quae ad conversos pertinent.

Habeantur statis diebus collectiones seu sermones ad laicos, non tantum vero ad novos, sed ad omnes, seniores quoque votorum professione et aetate; quibus collectionibus seu sermonibus argumentum sint non solum catechismus, vitae spiritualis monita, regulae et constitutionum explanatio, verum etiam normae practicae et exempla modestae moderataeque urbanitatis.

Laicorum autem animum iis virtutibus ac praesidiis superiores roborare satagant, quae laicorum status, praecipua quadam ratione, reposcit, nempe humilitate, obedientia, spiritu orationis ac sanctificatione laboris.

Et in primis, exteriorem et cordis humilitatem studeant assequi laici. *Nec aliam tibi... viam munias, quam quae munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus vidit infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas: et quoties interroges, hoc diceres* (s. Augustinus *Ep. 118, n. 22*). Nam, ut habet divus Bernardus (*De Cons. l. 5 c. 14 n. 32*): *Virtutum... stabile fundamentum, humilitas...; si nutet illa, virtutum aggregatio nonnisi ruina est.* Quod ita explicat Sanctus Thomas: *Humilitas primum locum tenet, in quantum scilicet expellit superbiam, cui Deus resistit, et praebet hominem subditum et sem*

per patulum ad suscipiendum influxum divinae gratiae, in quantum evacuat inflationem superbiae; ut dicitur Iac. IV, *quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; et secundum hoc, humilitas dicitur spiritualis aedificii fundamentum* (*II. II q. 161 art. 5 ad 2*).

Quum vero *ad veram humilitatem inducat frequens in despectis operibus exercitatio, dicente Sacra Scriptura quod numquam ad humilitatis virtutem perveniet qui opera humilitatis refugit* (B. Alb. M. *de Par. animae c. 2*), muneribus quibus funguntur, eo potissimum debent gaudere laici, quod humilitatis exercendae et augendae veluti indeficientem habeant opportunitatem.

Excellat quoque in laicis obedientia. Noverint in ea nullum esse peccandi periculum; cum ea, certissima est victoria, inexpugnabile tutamen, merita plurima, pax summa. Sit autem oportet munita supernaturalibus motivis. Iuxta sanctorum documenta, rectores nostri sunt vicarii Dei super nos. Et ideo debemus eis sicut Domino obedire et non sicut hominibus, quia non propter ipsos, sed propter Deum eis subiacemus. Ac sanctus Gregorius Magnus docet: *Vera namque obedientia nec praepositorum intentionem discutit, nec praecepta discernit... qui obedientiae bonum exsequitur, non iniunctum opus debet considerare, sed fructum.* (*In I Reg. l. 2. c. 4 n. 11*). Quapropter S. Bernardus merito improperat eorum obedientiam, qui *non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt et diiudicant, eligentes in quibus obediant imperanti* (*In Conv. S. Pauli, serm. I, n. 6*); et quos constat, iuxta eundem sanctum Bernardum, *nec umquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit quod libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas* (*De praec. et dispensat.* c. 10 n. 23). Huic exercendae virtuti validissimum dent auxilium et animum verba et exempla Christi Iesu, qui non desiit asseverare: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam. Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Ego quae placita sunt ei, facio semper. Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius. Pater mi... non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Ioan. 6,38; 5,30; 14,31; 8,29; 4,34; Matth. 26,39*); quique *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip. 2, 8*).

Spiritus quoque orationis erit magnopere provehendus. *Orandi diligentia tibi in primis necessaria est: impenetrabilis enim armatura, certum perfugium, securus portus, tutissimumque asylum est oratio. Haec una et mala omnia depellit ab anima, et bona omnia in illam invehit. Ipsam animam purgat, poenam peccatis debitam summovet, praeteritas negligentias sarcit, divinam gratiam impetrat, pravas concupiscentias extinguit, effrenatas animi passiones domat, hostes prosternit, tentationes*

superat, calamitates lenit, moerorem fugat, laetitiam infundit, pacem conciliat, hominem Deo coniungit, coniunctumque ad aeternam gloriam sublevat. Precando impetrabis quidquid utile tibi fuerit (Lud. Blosius, *Canon vitae spirit. c. 17, n. 1*). Clemens VIII ad conversorum religiosam institutionem id quoque praescripsit: *Pro eorum capacitate et commoditate, de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt* (*Instr. super rec. et educ. Novit., n. 22*).

Curandum igitur est, ut bene noscant laici virtutem et exercitium orationis; ut statis horis orationi quum mentali tum vocali fideliter vacent; ut tempus ad hoc statutum in constitutionibus ordinis unice orationi integrumque dicent; nec satis sit eos meditationi operam dare, quum missis inserviunt. Indagent autem superiores, praesertim postquam laici tyrocinium absolverint, utrum meditationi et orationibus incumbant,

Brevium quoque orationum, quas iaculatorias vocant, sit ipsis usus continuus inter diem. Compendiosa est enim via ad consequendam animae unionem cum Deo, ad merita augenda, ad rectam intentionem servandam, ad tentationes praeripiendas et superandas, ad omnia sanctitate extollenda.

Manuale opus, quod in coenobiis est munus laicorum praecipuum, pariter sanctificent, non ad oculum servientes, non laudis expetentes praemium, sed unice voluntatis Dei ac superiorum solliciti. *Quam pudendum et dolendum* est, *si delectat labor ut... cuppa et sacculus impleatur... et non delectat, ut Deus acquiratur* (S. August. *De bon vit. c. 21*). *Quanta apud Deum merces, si in praesenti pretium non sperarent! Quantis sudoribus hereditas cassa expetitur! Minori labore margaritum Christi emi poterat* (S. Hieron. *ad Nep. de vita cler. et monac.* 6).

Habeant tandem prae oculis monita Sancti Bonaventurae: *Continue mentem tuam ita habeas ordinatam cum Deo, quod omne opus tuum atque exercitium tam mentis quam corporis sit oratio, omniaque servitia, et maxime humiliora cum tanto facias caritatis fervore, ac si ea Christo corporaliter exhiberes. Quod certe debes et potes veraciter cogitare, quoniam ipse dixit in evangelio: Quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis. Scias indubitanter, carissime frater, quod nisi perfecte abnegaveris temetipsum, sequi non poteris vestigia Salvatoris et sine sollicitudine continua et labore eius gratiam adipisci nequibis, et nisi assidue pulsaveris portas eius, ingredi non poteris ad pacem mentis, et nisi te instanter in timore Dei tenueris, cito domus tua corruet in profundum* (*Memorial. n. 19 et 25 conclus.*).

Ad quae omnia consequenda laici sacrae mensae assidui sint per frequentem, imo etiam quotidianam ssmae Eucharistiae sumptionem ad normam recentiorum instructionum Apostolicae Sedis. Itemque omnino peculiarem colant devotionem erga

Deiparam Virginem Mariam, quam ut suam amantissimam matrem semper invocare, honorare et imitari conentur.

Curent quoque superiores, ut sacerdotes et laici mutuam sibi summamque observantiam et caritatem adhibeant. Revereantur laici presbyteros, a quibus ministeria ac mysteria maxima accipiunt. Honorent presbyteri laicos et *studeant.... de pauperum fratrum societate gloriari* (*Reg.* S. Aug. *c. I, 5*). Id meminerint sacerdotes, plurimos in religiosis ordinibus laicos, ab humilioribus occupationibus, quibus per vitam functi fuerant, ad altarium honores evectos et inter beatos coelites post mortem annumeratos fuisse. Illud igitur genus vitae in laicis pia colant observantia, quod tam frequenti et mirificae sanctitati aditum patefecit.

Ne gravitate munerum exercendorum in conventu laici superbiant, animo efferantur et parvi faciant ipsos sacerdotes, officia graviora cuiusvis generis ne demandentur eis, nisi necessitate cogente, idque fiat semper sub omnimoda dependentia et obedientia alicuius patris gravioris aetatis et consilii, cui agendorum et gestorum ipsi rationem fideliter reddant.

Haec sufficiant de plurimis pauca. Ceterum haec sacra congregatio summopere confidit, fore ut superiores generales omnium ordinum religiosorum ad simile vitae studium pro viribus provocare nitantur suos laicos. Sic eorum vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina. Nam *nil tam fixum animo, quod neglectu et tempore non obsolescat* (S. Bern., *de Cons. l. 1, c. 2*). *In hoc enim differunt laudabiles religiones et iam dilapsae, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impune peccare sinatur, et peccandi aditus studiose praecludantur, et incorrigibiles et alios inficientes eliminentur, et boni foveantur et diligantur, ut perseverent et in melius semper proficiant* (S. Bonavent., *De sex alis Seraph. c. 2, n. 13*). *S. C. Rel. 1 ian. 1911.*

Dubia de manuscriptis religiosorum typis edendis. — 3437 « Quaesitum est ab hac s. congregatione de religiosis:

1. An religiosi pertinentes ad instituta votorum simplicium iisdem teneantur legibus ac regulares votorum solemnium, quoad imprimatur seu beneplacitum a suis superioribus expostulandum, quoties aliquod suum manuscriptum in lucem edere cupiunt?

2. An religiosi, quoties eis a suis moderatoribus publicatio alicuius manuscripti fuerit interdicta, vel imprimatur denegatum, possint idem manuscriptum alicui typographo tradere, qui illud publicet cum imprimatur ordinarii loci suppresso auctoris nomine?

Emi autem cardinales sacrae congregationis de religiosis in plenario coetu ad Vaticanum habito die 2 mensis iunii 1911, suprascriptis dubiis responderunt:

Ad 1^um^ Affirmative.

Ad 2^um^ Negative ». *S. C. Rel. 15 iun. 1911.*

Decretum de methodo servanda in 3438

ferenda sententia expulsionis vel dimissionis ob ordinibus et institutis religiosis. — « Quum singulae praescriptiones ac solemnitates a iure statutae, praesertim ab Urbano VIII, ad ferendam sententiam expulsionis vel dimissionis ab ordinibus et institutis religiosis, commode servari nequeant, huic sacrae congregationi opportunum visum est alias statuere praescriptiones, magis expeditas et hodiernis temporum circumstantiis melius accomodatas.

Quare emi patres cardinales eiusdem sacrae congregationis, in plenario coetu die 3 martii 1911 ad Vaticanum habito, sequentia statuere decreverunt, nempe:

1. Curiam competentem vel tribunal competens ad ferendam sententiam constituunt superior seu moderator generalis et definitores vel consiliarii seu assistentes, non minus quatuor; si qui deficiant, eorum loco totidem religiosos eligat praeses curiae vel tribunalis, de consensu aliorum consiliariorum.

In congregationibus monachorum tribunal constituunt abbas generalis cum suo consilio. Si aliqua abbatia nulli annexa sit congregationi, recurrendum ad Sanctam Sedem in singulis casibus.

2. In qualibet curia seu tribunali constituatur a consilio generali promotor iustitiae pro iuris et legis tutela, qui sit religiosus eiusdem ordinis vel congregationis.

3. Processus dumtaxat summarius in posterum instituatur in expellendis vel dimittendis religiosis, qui vel vota solemnia in ordinibus, vel vota perpetua in congregationibus vel institutis professi sunt, vel, si vota tantum temporanea emiserint, tamen in sacris sunt constituti; salvis specialibus privilegiis, quibus aliquis ordo vel institutum gaudeat.

4. Ad processum instruendum deveniri nequit, nisi postquam trina et data monitio et inflicta correctio incassum cesserint, salvis exceptionibus sub num. 17 et 18.

5. Monitio facienda est a legitimo superiore etiam locali, de mandato tamen vel licentia superioris provincialis seu quasi-provincialis; qui postremae monitioni opportune adiunget expulsionis vel dimissionis comminationem. Ad effectum expulsionis vel dimissionis non valet monitio vel correctio, nisi ob grave aliquod delictum data fuerit.

6. Monitiones repeti nequeunt, nisi delictum repetitum fuerit, sed in delictis continuatis seu permanentibus intercedat necesse est inter unam et alteram monitionem spatium saltem duorum dierum integrorum. Post ultimam monitionem sex dies integros erit exspectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat.

7. Ex processu constare debet de conventi reitate, necnon de gravitate et numero delictorum, de facto triplicis monitionis, et de defectu resipiscentiae post trinam monitionem.

8. Ut de conventi reitate constet, tales probationes afferendae sunt, quae animum viri prudentis moveant. Hae probationes desumi possunt ex rei confessione, ex depositione duorum saltem testium fide dignorum, iuramento firmata, atque aliis admi-

niculis roborata et ex authenticisdocumentis.

9. Gravitas delicti desumenda est non tantum a gravitate legis violatae, sed etiam a gravitate poenae a lege sancitae, a gravitate doli, et a gravitate damni, sive moralis sive materialis communitati illati.

10. Ad effectum, de quo agitur, requiruntur ad minus tria crimina gravia eiusdem speciei, vel, si diversae, talia, ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, vel unum tantum crimen permanens, quod triplici monitione virtualiter triplex fiat.

11. Ut constet de facto triplicis monitionis regulariter de hoc afferri debet authenticum documentum. Proinde oportet:

a) ut haec fiat vel coram duobus testibus, vel per epistolam, a publicis tabulariis inscriptam, exquisita fide receptionis vel repudii;

b) ut documentum redigatur de peracta monitione, a dictis testibus subscriptum et in regestis, vel tabulario, servandum: vel ut exemplar conficiatur supradictae epistolae, a duobus item testibus pro conformitatis testimonio ante expeditionem subscriptum et in regestis vel tabulario pariter asservandum.

12. Defectum resipiscentiae probant novum crimen, post trinam monitionem commissum, vel pervicax et obdurata agendi ratio delinquentis.

13. Superior provincialis vel quasiprovincialis religiosi delinquentis, postquam monitiones et correctiones incassum cesserint, omnia acta et documenta, quae de huius religiosi reitate exstant diligenter colliget et ad superiorem generalem transmittet, qui ea tradere debet procuratori iustitiae, ut ea examinet et suas accusationes, si quas proponendas existimabit, proponat.

14. Accusationes a procuratore iustitiae propositae et processus resultantia accusato notificari debent, eidemque tempus congruum, arbitrio iudicis determinandum, concedi, quo suas defensiones, sive per se, sive per alium eiusdem ordinis vel instituti religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, curia vel tribunal defensorem alumnum respectivi ordinis vel instituti ex officio constituere debet.

15. Curia seu tribunal, diligenter perpensis allegationibus sive promotoris sive rei, si quidem eas adversari iudicaverit convento, sententiam expulsionis vel dimissionis pronuntiare poterit; quae tamen, si condemnatus intra decem dies a sententiae notificatione rite ad sacram Congregationem de religiosis appellaverit, exsecutioni demandari nequit, donec per eamdem sacram Congregationem iudicium latum fuerit.

16. Non obstante autem appellatione, reus poterit ad seculum statim remitti a moderatore supremo vel abbate generali, cum consensu sui capituli vel consilii, si ex eius praesentia periculum vel gravissimi scandali, vel damni item gravissimi communitati eorumque alumnis immineat. Interim habitum dimittat et maneat suspensus, si in sacris constitutus sit.

17. Qui reus fuerit etiam unius tan-

tum delicti, ex quo periculum gravis scandali publici vel gravissimum detrimentum toti communitati immineat, poterit etiam a superiore provinciali vel abbate, ad seculum item remitti, habitu religioso illico deposito; dummodo certo constiterit de ipso delicto et de religiosi, cui illud imputatur, reitate; et interim instituatur processus ad sententiam expulsionis vel dimissionis ferendam. Qui in sacris constituti sunt pariter suspensi maneant.

18. Item contra quaedam delicta censetur veluti lata a iure poena expulsionis vel dimissionis. Quae delicta sunt:

a) publica apostasia a fide catholica;

b) apostasia ab ordine vel instituto, nisi intra tres menses religiosus redierit;

c) fuga a monasterio, suscepta secum muliere;

d) et multo magis contractus, ut aiunt, civilis, vel attentatio aut celebratio matrimonii, etiam validi, seu quando vota non sint solemnia vel non habeant solemnium effectum.

Sufficit in istis casibus, ut superior generalis vel provincialis cum suo respectivo consilio emittat sententiam declaratoriam facti.

19. Sententia expulsionis vel dimissionis, quocumque modo lata, si agatur de religioso in sacris, illico communicanda erit ordinario originis et ordinario loci, ubi ille moratur, aut sedem suam statuere velle dignoscatur.

20. Omnes religiosi, de quibus agitur, in sacris constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi manent, donec a competente auctoritate, post emendationem vitae, dispensationem obtinuerint. Religiosi vel clerici, non in sacris, expulsi vel dimissi prohibentur, quominus ad superiores ordines ascendant sine venia Sanctae Sedis. Omnes autem expulsi vel dimissi, etiamsi sese vere emendaverint, ad suum vel ad alium ordinem vel congregationem admitti non poterunt, absque speciali licentia Sedis Apostolicae.

21. Ad expellendas moniales, vota sive solemnia sive simplicia in ordine proprie dicto professas, et ad dimittendas sorores, quae vota perpetua emiserunt in institutis religiosis, exiguntur graves causae exteriores, una cum incorrigibilitate, iudicio abbatissae vel superiorissae cum suo consilio, respective manifestando per secreta suffragia, experimento prius habito, ita ut spes resipiscentiae evanuerit et ex continuis culpis monialis vel sororis incorrigibilis damna immineant monasterio vel instituto. Causae minus graves requiruntur ad dimittendas sorores votorum simplicium in ordinibus religiosis. Iustae et graves causae probari debent ab ordinario loci et, si monasterium regularibus subiectum sit, etiam a superiore regulari. Insuper accedat necesse est confirmatio sacrae Congregationis, ita ut expulsio vel dimissio ex parte ordinis vel instituti, iuridicum effectum non sortiatur, antequam a sacra Congregatione confirmata fuerit. Solummodo in casu gravis scandali exterioris, episcopo loci approbante, monialis vel soror statim ad seculum remitti possit, ita tamen ut Sanctae

Sedis confirmatio absque mora petatur ». *S. C. Rel. 16 maii 1911.*

3439 **De evulgatione decretorum sacrae Congr. de religiosis.** — « Apostolica Sedes... Saepe vero contingit, ut quae Apostolica Sedes sapienter constituit, ad notitiam omnium congregationum vel domorum religiosarum, praesertim monialium, non perveniant, legum beneficio sic prorsus amisso... Haec igitur s. Congr. negotiis religiosorum sodalium praeposita summopere commendat revmis locorum ordinariis eorumque delegatis seu deputatis ad monasteria, praesertim monialium quae domum sui iuris constituunt nec generalem superiorissam habent, ut notitiam decretorum, etiam in posterum edendorum, quae vitam religiosam respiciunt, efficaciter evulgent inter religiosas familias et instituta quoque dioecesana ad abusus, si qui irrepserint, tollendos, ad bonum largius diffundendum et uniformitatem in rerum canonicarum observantia ubique obtinendam. *S. C. Rel. 3 iul. 1910.*

Varia (*remissive*). — Quoad approbationem novorum religiosorum institutorum, Vid. *Congregationes religiosae*, *Ordo religiosus.*

Quoad discrimen inter vota simplicia et vota solemnia, Vid. *Votum.*

Quoad facultatem concionandi, Vid. *Approbatio.*

Vid. etiam *Exemptio, Communicatio privilegiorum*, *Communio, Electio*, *Dimissio*, etc.

3440 ***De religiosis in Italia dispersis.*** — Quoad regulares dispersos propter recentes perturbationes in Italia haec nota praecipua:

S. Poenitentiaria (*18 apr. 1867*) haec inter alia statuit in quadam sua instructione;

« 3° Decernit, praefatas domos (a superioribus designatas, in qua dispersi religiosi convenerint), dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum convenerint regulares, iurisdictioni ministri provincialis fore subiectas, easque regendas esse per peculiarem superiorem ibi constituendum.

4° Indulget, ut in iisdem domibus, dummodo in eis quatuor saltem degant sacerdotes regulares, erigi possit, servatis de iure servandis, privatum oratorium..., ita ut in eo missa a sacerdotibus regularibus celebrari, ssma Eucharistia asservari et a religiosis atque oblatis dumtaxat s. communio sumi et praecepto de audiendo sacro satisfieri possit.

5° Indulget pariter, ut in oratoriis sic erectis ipsi regulares frui possint omnibus et quibuscumque indulgentiis concessis et assignatis domibus seu ecclesiis, a quibus exturbati fuerunt.

16° Concedit pariter regularibus solemniter professis, ut cappellanias aut unum dumtaxat beneficium ecclesiasticum etiam residentiale, vel cum cura animarum, de consensu et ad nutum ordinarii loci ac annuentibus superioribus suis, in administrationem assequi et retinere legitime possint; quod tamen dimittere teneantur statim ac ab iisdem superioribus ad claustra revocati fuerint.

17° Facultatem concedit locorum ordinariis quoad moniales, et superioribus generalibus quoad viros re-

gulares, indulgendi, sive per se, sive per idoneas personas ab eis subdelegandas, respectivis subditis in Italia suppressis, ut, attentis peculiaribus circumstantiis iisque perdurantibus, non obstante solemni paupertatis voto, bona sibi legitimo iure spectantia, ac etiam hereditates, salvo tamen iure tertii quaesito, recipere, adire et retinere, deque iis nedum contractus inire, sed etiam in pios honestosque usus, ac praesertim in favorem sui ordinis aut instituti, nec non in grati animi significationem, per actus sive inter vivos sive causa mortis, disponere valeant, accedente ipsius ordinarii aut superioris aut alterius per eum deputati, aut saltem in causa necessitatis confessarii consilio et approbatione. Ita tamen, ut rerum suarum administrationem et reditus, quamdiu vixerint in communitate, quae temporalia bona possidere possit, eidem communitati tradere, et quidquid ex bonis propriae religionis eisdem provenerit, ipsi religioni adhibitis cautelis relinquere teneantur. Quod si communitas sit ex iis, quibus possessio bonorum temporalium permissa non sit, administrationem hoc in casu committant alicui tertiae personae, ita ut absque licentia ordinarii aut superiorum regularium, nihil de fructibus sibi applicare aut quomodocumque disponere possint.

18° Omnibus et singulis utriusque sexus regularibus suppressis indulget, ut pecunias legitimo titulo acquisitas de licentia superiorum suorum, et, quatenus agatur de monialibus, de licentia ordinarii loci, in honesto et licito investimento sive per interpositas personas caute collocare possint, ea tamen lege ut regulares in communitate viventes titulos ac reditus earumdem pecuniarum eidem communitati aut alicui tertiae personae, ut supra, tradere teneantur, neque de illis ullo modo absque licentia, eorumdem superiorum aut ipsius ordinarii disponere valeant ».

Quod ad hanc instructionem spectat, propositum fuit eidem s. Poenitentiariae, inter alia plura, sequens dubium: « 2° An relatum decretum s. Poenitentiariae (n. 3) comprehendat casum, in quo, vel ob defectum habitationis, vel violentia impediti, simul habitare non possunt, et tamen multo plures quam tres quotidie conveniunt ad sacrum faciendum, ad confessiones audiendas ac alia peragenda officia, ad ecclesiam proprii ordinis, quae ab eorum confratre tenetur, ibique etiam, vel in sacrario, vel in aliquo cubiculo, de rebus ordinis et conventus regulariter pertractant? ». Respondit autem s. Poenitentiaria: « Ad 2um quatenus praedicti regulares, qui ob defectum habitationis vel violentiam prohibentur habitare intra claustra, in domo proxima conventui commorentur, unaque cum eo, vel iis, quibus permissum est intra claustra habitare, convenire soleant, quemadmodum in quaesito asseritur, ad sacras functiones in ecclesia propria peragendas, et ad ea, quae ad ordinem et conventum pertinent, curanda, affirmative, idest comprehendi; secus negative: ita tamen, ut ordinarii suam in personas iurisdictionem ultra politiam et disciplinam ecclesiasticam extendere nequeant, salva quoad di-

sciplinam regularem, et obligationes, quae ex religiosa professione promanant, iurisdictione superiorum regularium iuxta numerum 2um instructionis praedictae ». *S. Poen. 12 sept. 1872.*

Relate ad eamdem instructionem propositum est aliud dubium: « An facultas, quae continetur sub n. 17 instr. s. Poen. 18 apr. 1867, extendi etiam possit religiosis subditis Italiae, priusquam emiserint votum solemne paupertatis, idest an dum votorum solemnium fit professio, eisdem permitti possit a superioribus generalibus, ut retinere valeant etc. bonorum et hereditatum legitimarum proprietatem, quibus iam potiebantur ? ». Et responsum est: « Negative, sed teneri se omnino abdicare omni iure ac proprietate eorumdem bonorum iuxta proprii ordinis constitutiones. Declarat vero s. Poenitentiaria mentem suam, in concedenda facultate expressa n. 17 instr. 18 apr. 1867, datae, nullatenus fuisse, ut per superiores generales ordinum regularium subditis in Italia suppressis indulgeri valeat proprietas seu dominium bonorum, quacumque ratione sibi obvenientium, quae iidem regulares, ratione solemnis professionis, non sibi sed monasterio seu ordini acquirunt ». *S. Poen. 21 maii 1880.*

3441 ***De religiosis in Gallia dispersis.*** — **De viris.** — Iuverit etiam hic annotare ea, quae recenter pro religiosis viris et mulieribus in Gallia a s. Congregatione episcoporum et regularium statuta sunt. Alia sunt pro viris statuta, et sunt sequentia:

1° Curandum est pro viribus, ut sodales religiosarum congregationum, qui proprias domos deserere coguntur, ad aliam eiusdem instituti domum sese conferant, ibique regulas sive constitutiones, quas professi sunt, observare satagant.

2° Quod si aliqui ex dictis sodalibus, iustis de causis, super quibus superioris generalis conscientia graviter onerata maneat, in aliis proprii instituti domibus recipi nequeant, idem superior generalis facultatem habebit, de consensu consilii generalitii, eis indulgendi, ut extra instituti domos commorari valeant, sub obedientia ordinarii loci, in quo degent, ad nutum S. Sedis ac ipsius superioris, in habitu religioso, ac etiam, quatenus ita ferat necessitas, in habitu presbyteri secularis quoad sacerdotes et in habitu laicali modesti coloris quoad laicos, retento tamen interius aliquo signo habitus religiosi, et servando, quantum fieri potest, substantialia votorum; impertita dumtaxat dispensatione super regulis sive obligationibus cum eo statu non compatibilibus.

3° Iidem sodales, quamdiu ob enunciatas causas extra domos proprii instituti commorari contigerit, subiiciantur etiam territoriali provinciali, si agatur de institutis in provincias iam rite divisis, sin minus, superiori domus vicinioris, qui de ipsorum moribus, quotannis et quandocumque rogatus fuerit, moderatori generali referat, et eos, quatenus opus fuerit, in officio contineat.

Porro facultates, de quibus supra, ad annum tantum conceduntur. *S. C. EE. RR. 24 mart. 1903.*

3442 **De mulieribus.** — Pro mulieribus idem fere statutum est, quibusdam pro subiecta materia immutatis, scilicet:

1° Curandum est pro viribus, ut sorores, quae proprias domos deserere coguntur, ad aliam eiusdem instituti domum sese conferant, ibique regulas sive constitutiones, quas professae sunt, observare satagant.

2° Quod si aliquae ex dictis sororibus, ob iustas causas ab ordinario domus principis examinandas, in alias proprii instituti domos se recipere nequeant, idem ordinarius de consensu moderatricis generalis eis indulgere poterit, ut apud suos consanguineos vel honestas matronas in habitu decenti, retento tamen interius aliquo signo religiosi habitus, firmo voto castitatis, servatis substantialibus aliorum votorum, quantum in eo statu commode fieri potest, adimpletisque quotidie aliquibus pietatis operibus ab ipso ordinario praescribendis, sub obedientia ordinarii loci, in quo commorabuntur, ad nutum S. Sedis et propriae cuiusque moderatricis generalis, manere licite valeant.

3° Quamdiu autem sorores ob enunciatas causas extra domos proprii instituti commorari contigerit, subiiciantur etiam praepositae provinciali loci commorationis, si agatur de institutis in provincias iam rite divisis, sin minus, superiorissae domus vicinioris, quae de ipsorum moribus, et quandocumque rogata fuerit, moderatrici generali referat, et eas, quatenus opus fuerit, in officio contineat.

Porro facultates, de quibus supra, ad annum tantum conceduntur. *S. C. EE. RR. 24 mart. 1903.*

Tit. de regularibus etc. X. (III. 31); idem tit. (III. 14) in 6°; idem tit. (III. 9) in Clem.; idem tit. (III. 8) in Xvag. comm.; tit. de conversione coniugatorum X. (III. 32); tit. de statu monachor. et canonic. regular. X. (III. 35); idem tit. (III. 16) in 6°; idem tit. (III. 10) in Clem.; tit. de religiosis domibus ut episcopo sint subiectae X. (III. 36); idem tit. (III. 17) in 6°; idem tit. (III. 11) in Clem.; idem tit. (tit. 7) in Xvag. Ioann. XXII; idem tit. (III. 9) in Xvag. comm.; tit. de capp. monach. et aliorum religios. X. (III. 37); idem tit. (III. 18) in 6°; Conc. Trid. sess. XXV de ref. de regular. et monial.; Const. Sixti IV « Regiminis universi » a. 1474; Const. Sixti V « Ad Rom. » a. 1588; Const. Clem. VIII « Religiosae » a. 1594; Const. Clem. VIII « Regularis disciplinae » 12 mart. 1596; Instr. Clem. VIII 19 mart. 1603; Const. Clem. VIII « In suprema » 2 apr. 1603; Const. Clem. VIII « Quoniam » 23 iul. 1603; Const. Greg. XV « Sanctissimus » 20 sept. 1621; Const. Greg. XV « Cum alias » 17 aug. 1622; Const. Urb. VIII « Rom. Pontifex » a. 1624; Const. Urb. VIII « Nuper » a. 1640; Const. Clem. X. « Superna » 21 iun. 1670; Const. Inn. XII « Christifidelium » 17 febr. 1694; Const Ben. XIV « Firmandis » 6 nov. 1744; Const. Ben. XIV « Impositi nobis » 27 febr. 1746; Const. Ben. XIV « Apostolic. minister. » 30 maii 1753; Const. Ben. XIV « Quam grave » 2 aug. 1757; Const. Pii IX « Ad universalis ecclesiae » 7 febr. 1862; litt. Leonis XIII ad arch. Parisiens. 22 oct. 1880; Const. Leonis XIII « Rom. Pontifices » 8 id. mai. 1881; *Coriolani A.* Comm. super regul. D. Augustini; *Hermelinus Fel.* Tract. contra validos mendicantes, begardos, anachoretas etc; *Via Ant.* Collectanea privilegiorum omnium ordinum, mendicantium et non mendicantium; *Galenus* Origines monasticae; *Morigia* Istoria delle origini di tutte le religioni; *Aspilcueta* De regularibus comm. quattuor; *Gonzaga* De ori-

gine seraphicae religionis; *Navarrus* Consiliorum sive responsorum libri quinque; *Gretser* Historia ordinis iesuitici; *Sutlivius* De monachis adversus Bellarminum; *Trulli Lud. Io.* De canonicis regularibus eorumque ordine et disciplina libri IV; *Miraeus* Origines equestrium seu militarium ordinum; *Rodericus E.* Quaestiones regulares et canonicae; *Caracciolo* Constitutiones clericorum regularium; *Bellarminus* De monachis (de controv. II. lib. II); *Ghislerius F.* De iudice regularium tract.; *Alteserra* Asceticon seu originum rei monast. libr. decem; *Middendorp* Originum anachoreticarum silva; *Confetti I. B.* Collectio privilegiorum ss. ordinum FF. mendicantium et non mendicantium; *Miranda L.* Manuale praelatorum regularium in quo religionum omnium origines, progressus et dilationes recensentur, cum additionibus Berti; *A Iesu Thomas* Expositio in omnes fere regulas, praesertim Carmelitarum; *Miraeus* Origines Carthusienses; *Crux I.* De statu religionis et de privilegiis, quibus a S. Pontif. est decoratus; *Miraeus* Originum monast. lib. quatuor; *Rodericus E.* Nova collectio privilegiorum apostolicorum regularium mendicantium et non mendicantium; *Crosbeeck* In regulam s. p. Benedicti comment.; *Chopini R.* Monasticon sive de iure coenobitarum libri duo; *Scrofa R.* Opusculum de invaliditate professionis ante legitimam aetatem profitentium; *Stellartius P.* Fundamina et regulae omnium ordinum monasticorum et militarium; *Suarez* De virtute et statu religionis; *Landtmeter* De clerici monachi vetere instituto; *De Vecchis B.* Praxis observanda in admittendis novitiis; *A Iesu Maria Nicol.* Apologia vitae spiritualis sive propugnaculum religionum omnium, maxime mendicantium; *A Chockier E.* Controversia iuris inter ordinarios et exemptos etiam regulares; *Miranda L.* De sacris monialibus tractatus; *Miraeus A.* De congregationibus clericorum in communi viventium ut Theatinorum, Societatis Iesu, Barnabitarum liber singularis; *De Peyrinis L.* Religiosus subditus et praelatus; *Lemaistre* Instauratio antiqui episcoporum principatus et religiosae erga eosdem monachorum et clericorum omnium observantiae; *Hay I.* Astrum inextinctum sive ius agendi antiquorum religiosorum ordinum pro recipiendis suis monasteriis; *Marchant* Baculus pastoralis seu potestas episcoporum in regulares non exemptos; *Novarius I. M.* Lucerna regularium utriusque sexus; *Mangionio V.* Astri inextincti theoriae sive ius agendi antiquorum ordinum; *Mantelli* Ars artium seu de regimine sanctimonialium; *Archangeli* De privilegiis religiosorum et non religiosorum libri tres; *Haeftenius* Disquisitionum monasticarum lib.; *Giragi I. F.* Dubiorum centuria de regimine regularium; *A Lobkowitz Caramuel* Theol. regul. idest in S. Benedicti, Basilii, Augustini, Francisci regulas comment.; *Cespedes F.* Tract. de exemptione regularium tam ex iure antiquo quam ex novo desumptus; *Bellasius P.* Promptuarium regulare pro foro utroque; *Pellizarius F.* Tract. de monialibus; *Bivarii* De veteri monachatu et regulis monasticis; *Laynensis Donatus* Rerum regularium quadipartita praxis; *Raggi I.* De regimine regularium centuria prima et secunda; *De Lezana I. B.* Summa quaestionum regularium; *De Lezana I. B.* De casibus conscientiae ad regulares utriusque sexus valde spectantibus; *Bordoni F.* Tract. de professione regulari; *Alviset* De privilegiis ordinum regularium; *Pellizzarius* Manuale regularium seu tractatus varii de statu ac regimine universali regularium; *Passerini P. M.* Commentaria in sextum librum Decretalium; *Minolo Andreas* De ordinibus militaribus disquisitiones canonicae, theologicae, morales et historicae pro foro interno et externo; *Hospinianus* De monachis h. e. de origine monachatus cum respons. adversus Bellarminum; *De Franchis* Controversiae inter episcopos et regulares cum observat. Pasqualigi; *Chassaing B.* Privile-

gia regularium quibus aperte demonstratur regulares ab omni ordinariorum potestate exemptos esse; *Meyer G. Th.* De ascetis; *Godefroy* La conduite canonique de l'église pour la réception des filles dans les monastères; *A Spiritu Sancto Antonius* Directorium regularium; *Donatus Hiac.* Rerum regularium praxis resolutoria; *Geisser* Privilegia ordinis S. Benedicti illustrata; *Passerini P. M.* Regulare tribunal; *Lucca* Il religioso pratico; *Ab Angelis Petrus* Speculum privilegiorum regularium in communi; *Karg I. F.* Pax religiosa de exemptionibus et subiectionibus religiosorum; *A Chockier Erasmus* Tract. de iurisdictione ordinarii in exemptos; *Carraria* De iure regular.; *Engel* Tract. de privilegiis et iuribus monasteriorum; *Bouthillier de Rancé J. A.* La règle de S. Benoit nouvellement traduite et expliquée selon son véritable esprit; *Martène E.* Comm. in regulam s. p. Benedicti; *Martène* De antiquis monachorum ritibus; *Tamburini A.* De iure et privil. abbat., praelat., abbatiss. et monialium; *Hebenstreit* De eremitis; *Bonanni* Catalogo degli ordini religiosi della Chiesa; *Matthaeucci A.* Officialis curiae regularis; *Putignani* De regularium institutionibus; *Helyot* Histoire des ordres monast.; *A Lantusca Ang.* Theatrum regularium; *Pittoni F. M.* Constitutiones pontificiae et Roman. Congregationum decisiones ad regulares spectantes; *Tanner E.* Rosetum pont. gratiis consitum seu relig. privileg.; *Rotario Th. Fr.* Th. moralis regularium; *Madrano* Hist. de la orden de Predicadores; *De Luca Card.* De regularibus et monialibus (in Th. inst. et verit. lib. XIV p. 1 edit. Venet. 1726, tom. 10); *Passerini P. M.* De hominum statibus et officiis; *Plantamura* Diss. de origine ord. Praedicatorum; *Wolf Christ.* De sacris ordinibus equestribus eorumque iuribus; *Mallechich* Quadripartitum de privilegiis religios.; *Muratori* De monasteriorum erectione et monachorum institutione diss. 65 (in Antiquitates italicae V. 361-492); *Forti P. M.* De iudice conservatore regularium tract. canonicus; *Grueber* De privilegiis relig.; *Ab Aragonia Didacus* Dilucidatio privilegiorum ordinum regularium, praesertim mendicantium; *Da Modigliana Gabr.* Narrazione del principio... di tutta la religione cappuccina; *Van Espen* Repagulum canonicum adversus nimiam exemptionum a iurisdictione episcoporum extensionem; *Holstenius* Codex regularum monasticarum et canonicarum; *A Vicentia G. A.* De privilegiis regularium tam pro administrando quam pro suscipiendo poenitentiae sacramento; *An.* Ristretto delle costituzioni apostoliche spettanti ai regolari; *Henrion* Histoire des ordres religieux; *Weber C. I.* Die Möncherei; *Giucci* Iconografia storica degli ordini religiosi; *Schmid C.* Die Mönchs- Nonnen- u. d. geistlichen Ritterorden; *Guillardin* Les Trappistes; *Cibrario* Descrizione storica degli ordini religiosi; *Dubois* La grande Chartreuse; *Fehr* Allgem. Geschichte d. Mönchsorden nach Baron Henrion; *Brühl* Geschichte der Gesellschaft Jesu; *Verhoeven M.* De regularium et secularium clericorum iuribus et officiis; *Mangold* De monachatus originibus et causis; *Montalembert* Les moines d'Occident; *Mittermüller* Canonisches Recht der Regularen nach Bonix; *v. Eckstein* Geschichtliches über die Askesis der alten Welt (mit Vorwort von Döllinger); *Evelt* Das Mönchtum in seiner inneren Entwicklung; *Cropp* Origines et causae monachatus; *Bizzarri* Collectanea in usum Secretariae S. C. Episcop. et regul.; *Zöckler* Krit. Gesch. der Askese; *Sentis F.* Die Stellung d. relig. Orden unt. d. Herrschaft d. franz. u. and. verwandt. Gesetzgebungen; *Daris* Quaest. canonico-civiles de statu religioso; *Trochon* Tr. du régime légal des communautés réligieuses en France; *Bouix* De iure regularium; *Birker* Idee der religiösen Orden; *Reimer* De crescente in ecclesia auctoritate monachorum; *Zechner* Des Ordenslebens Wesenheit etc.; *Huber* Der Jesuitenorden; *Giustiniani S.* Le pensioni mona-

stiche in Roma e la denunzia nel censimento del 1871; *Calmette* Tr. de l'administration temporelle des congrégations et des communautés réligieuses; Compendium apost. constitutionum et decretorum, quae a regularibus ubique locorum in publica mensa sive alias in capitulo legenda sunt; *Ballay F.* De transitu regularium; *Wolter* Praecipua ordinis monastici elementa e regula S. Benedicti; *SingerH.* Die Behebung d. f. Ordenspersonen besteh. Beschränkungen in commercium mortis causa; *Bérengier* Tableau hist. du monachisme occidental; *Bärenreither* Das Vermögensrecht d. geistl. Orden u. ihrer Mitglieder; *Gautrelet F. X.* Traité de l'état religieux; *Hyrvoiz* L'ordre des Chartreux; *Schmid F.* Uebertritt i. e. and. Orden; *Mosandl* Das Ordenswesen; *Massebieau* Le traité de la vie contemplative et la question des Thérapeutes; *Hervé-Bazin* Les grands ordres et congrégations des femmes; *Bocheux* Des dons et legs faits aux congrégations réligieuses reconnues et non reconnues; *Simonnet* Les congrégations réligieuses non autorisées dans l'état; *Ursmer-Berlière* Les origines du monachisme et la critique moderne; *Remondière* Les congrégations réligieuses; *Smith* Christian monasticism from the IV to the IX cent. of the christian Era; *Del Capellano L.* Le pensioni monastiche; *Coviello L.* Professione religiosa. Difetto di età. Conferma tacita canonica. Effetti civili; *Timmermans* Diss. de fine et instituto ord. Praemonstratensis; *Schiappoli* Diritto ecclesiastico vigente in Francia; *Spreitzenhofer* Die Entwicklung des alten Mönchtums in Italien; *Seydel* Die Privatrechtsfähigkeit d. Ordensgeistl. u. d. Zulassung ders. z. Eintrag. i. d. Genossenschaftsregister; *Eckenstein* Woman under monasticism; *Allies* The monastic life from the fathers of the desert to Charlemagne; *Grützmacher* Pachomius und das älteste Klosterleben; *Keller* Les congrégations réligieuses en France, leur service et leur droit; *Kranich* Die Ascetik in ihrer dogmatischen Grundlage bei Basilius d. Gr.; *Woodhouse* Monasticism ancient and modern; *v. Hammerstein L.* Das kath. Ordenwesen; *Battandier* Guide canonique pour les constitutions des soeurs à voeux simples; *Piat F.* Praelectiones iuris regularis; *A SS. Corde Iesu Angelus* Manuale iuris communis regularium et specialis Carmelitarum discalceatorum; *Dolhagaray B.* De la simonie réelle à l'occasion de l'entrée en religion; *Kahl W.* Die Errichtung von Handelsgesellschaften durch Relig.; *Marschand* Moines et Nonnes; *Nervegna* De iure practico regularium; *Whisart* Hist. of monks and monaster; *Völter* D. Ursprung d. Möncht.; *Arndt Aug.* D. kirchl. Rechtsbestimmungen für d. Frauenkongregationen; *Palomés* Des Frères Mineurs et de leurs dénominations; *Hébrard* Du sort des biens d'une association en cas de dissolution; *A Ried-Brig Theod.* Manuale pract. iuris discipl. et crimin. regularium; *Bachofen* Comp. iuris regularium; *Hocart* Du monasticisme; *Hanray* The spirit and origin of christian monachism; *Piat-Appeltern* Compendium praelectionum iuris regularis; *Vermeersch A.* De vocatione religiosa et sacerdotali; *Perouse* Les biens des associations et congrégations dissoutes sont-ils des biens sans maître?; *Schiewitz* D. Morgenländisch. Mönchtum, I.; *Albers* Consuetudines monasticae; *Prümmer* Manuale iuris eccl.; *Huefner* Das Rechtsinstitut der klösterlichen Exemption in der abendländischen Kirche; *Heimbucher* Die Orden u. Kongregationen d. kath. Kirche; *Harnack Ad.* Das Mönchtum, seine Ideale u. seine Geschichte; *Lutz* Die kirchliche Lehre von den evangelischen Räten; *Vermeersch Art.* De religiosis institutis et personis; *Ferreres I. B.* Las religiosas según la disciplina vigente. Sus confesores, cuenta de conciencia, clausura, votos, elección de superioras. Comentarios canónico-morales; *Arndt Aug.* Rechtsbestimmungen für Orden und Kongregationen; *De Prado S.* Des aumônes dotales. Etude iurid. sur le con-

tract d'entrée en religion; *Vermeersch A.* Art. Cloister in the cath. Encycl. t. IV. p. 60-4; *Pollack* Zur Entwickelung des kath. Ordenswes.; *Molitor Raph.* Religiosi iuris capita selecta; *Duhr B.* Gesch. d. Iesuiten i. d. Ländern deutscher Zunge; *Astrain A.* Historia de la Comp. de Jesus en la assistencia de España I-III; *Fouqueray H.* Hist. de la Comp. de Jèsus en France, I; *Kroess A.* Gesch. der Böhmischen Provinz d. Gesellschaft Jesu, I; *Tacchi-Venturi P.* Storia della Compagnia di Gesù in Italia, I; *Hugues Th.* Historie of the Society of Jesus in North America colonial and federal, I; *Bastien* Directoire canonique à l'usage des Congrégations à voeux simples; reliquam bibliographiam quaere sub *Abbas, Abbatissa, Congregationes religiosae, Novitiatus*, etc.

443 **Reliquiae.** — **De competentia circa ss. reliquias.** — Universa, quae ad reliquias quoquo modo referuntur, reguntur nunc a s. congregatione rituum. *Const.* Pii X « Sapienti consilio ».

3444 **De expositione sacrarum reliquiarum.** — Reliquiae non debent exponi, nisi ante eas expositas lampas continuo ardeat, et super altare ardeant saltem duo lumina. *S. R. C. in una Congr. Montis Coronae 22 ian. 1701 ad 9* [*2067*]*; in Briocen. 12 augusti 1854 ad 13* (*3029*).

Nec eas exponere licet, ne in ecclesiis quidem exemptis, nisi prius recognitae fuerint et approbatae ab ordinario (Conc. Trid. *sess. XXV. de invoc. Sanct.*), tametsi iam approbatae a Romano Pontifice (*Const.* Sixti V « Dominus »).

Nec exponendae sunt sub baldacchino (*S. R. C. decr. gen. 27 maii 1826* [*2647*]) exceptis ex immemorabili consuetudine guttis sanguinis D. N. I. Ch. (*S. R. C. in Veronen. 22 sept. 1827* [*2660*]), ligno sanctae crucis (*S. R. C. in Cenomanen. 18 februar. 1843* [*2854*]), et reliquis instrumentis dominicae passionis (*S. R. C. decr. gen. 27 maii 1826* [*2647*]); quas autem sub baldacchino exponere non licet, eas et in processionibus sic deferre vetitum est. Cfr. *decr. cit.* Celebrantes coram exposita reliquia sanctae crucis eodem modo gerere se debent, ac si celebrarent coram tabernaculo clauso continente ss. Sacramentum, idest genuflectere debent in accessu et recessu, et quoties opus ipsis sit transire ante medium altaris, seu a latere ad latus, ut in incensatione (*S. R. C. in Lucionem 23 maii 1835 ad 1* [*2722*]), nec licet ante eam expositam ita se gerere, ut quis facere deberet ante sacramentum in ostensorio expositum, etiamsi adesset consuetudo (*S. R. C. in una ord. Min. 17 sept. 1897* [*3966*]*; in Cephaluden. 16 dec. 1909 ad 1*); qui vero choro intersunt, quum in altari exposita est reliquia s. crucis debent suis temporibus sedere cooperto capite, et tantum unico genu in transitu genuflectere debent. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 2.* Cfr. Mon, eccl. *vol. III p. 1 pag. 43 sqq.*

Quando autem reliquiae exponuntur, non debet iis palla supponi. *S. R. C. in Ariminen. 7 apr. 1832 ad 3* (*2689*).

Nec superimponi possunt tabernaculo, in quo asservatur ss. Sacramentum; et contraria consuetudo est abusus (*S. R. C. decr. gen. 31 mart. 1821 ad 6* [*2613*]); quod decretum et quae

dispositio valet etiam pro reliquiis s. crucis, aut alterius ex instrumentis passionis Domini. *S. R. C. in Tridentina 12 mart. 1836 ad 1* (*2740*). Imo neque possunt reliquiae collocari aut retineri ante ostiolum tabernaculi, et contraria consuetudo est abusus. *S. R. C. in una S. Angeli in Vado 6 sept. 1845* (*2906*).

Nec collocari possunt super altare, in quo ss. Sacramentum est expositum (*S. R. C. in Aquen. 2 sept. 1741 ad 1* [*2365*]); imo ne pyxis quidem exponi potest in altari, ubi est exposita reliquia alicuius sancti, nisi prius remota reliquia. *S. R. C. in Senen. 19 maii 1838* (*2779*).

Reliquias fidelium, qui in album sanctorum aut beatorum a romano Pontifice nondum fuerunt annumerati, venerandas exponere non licet. Imo ne reliquiae quidem sanctorum novae publicae venerationi exponi possunt, nisi episcopus eas recognoverit. Concil. Trid. *sess. XXV decr. de invoc. vener. et reliquiis sanct. etc.*

3445 **De repositione sacrarum reliquiarum in thecis et de iis authenticis declarandis.** — Reliquia s. crucis, non est reponenda in thecis simul cum reliquiis sanctorum, sed separatim, ob reverentiam. *S. C. Indulg. in Cenomanen. 22 febr. 1847; S. R. C. in Bergomen. 25 maii 1906 ad 1.*

Tolerari possunt thecae sacrarum reliquiarum ad modum ostensorioli ex simplici et nudo ligno confectae. *S. R. C. in una ord. Capucin, 7 dec. 1888 ad 14* (*3697*).

Unusquisque autem episcopus extra Romam sua in dioecesi quascumque sacras reliquias authenticare valet; imo reliquiae ab aliquo episcopo authenticatae possunt ab alio reprobari, ac etiam confiscari, vel impediri ne publicae venerationi exponantur. *S. C. Indulg. 16 dec. 1749.* Cfr. Mon. eccl. *vol. XVIII pag. 133 sqq.*

Thecae vetustae cum reliquiis, quae authentico documento carent, olim ad suppressa monasteria spectantes. non possunt exponi, etiamsi hoc fiat ab immemorabili tempore. *S. R. C. in Lauden. 23 iun. 1892 ad 5* (*3779*).

Attamen reliquiae antiquae conservandae sunt in ea veneratione, in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta, eas falsas vel supposititias esse. *S. C. Indulg. 20 ian. 1896.*

Hinc quum episcopus Palentinus s. Congr. indulgentiarum et reliquiarum exposuisset elaboratum studium ad ostendendam authenticitatem unius ex spinis coronae D. N. I. Ch., quam episcopus antecessor a cultu removerat, quia authentico documento carebat, s. Congregatio respondit: « Non esse interloquendum super deductis ab episcopo Palentino; sed, attenta potius seculari cultus possessione s. reliquiae exhibiti, episcopus utatur iure suo ». *S. C. Indulg. 14 sept. 1904.* Cfr. Mon. eccl. *vol. XVI pag. 322 sqq.*

Quaenam sint reliquiae insignes, 3446 **et quid, si eae habeantur, relate ad liturgiam missae.** — Reliquiae insignes sunt, corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus (*S. R. C. decr. gen. 27 iun. 1899* [*4041*]), crus (non vero ossa femoris, *S. C. Indulg. 11 iun. 1822*), aut illa pars corporis, in qua passus est martyr, dummodo sit integra, et non parva,

et legitime ab ordinario approbata. *S. R. C. in una Urbis 8 apr. 1628 (460); decr. gen. 13 ian. 1631 (555); 13 febr. 1666 (1334).* Tibia vero non est reliquia insignis. *S. R. C. 3 iun. 1662 ad 2 (1234).*

In ecclesiis, in quibus asservantur reliquiae insignes alicuius sancti, die festo eiusdem sancti celebranda est missa cum credo; hoc tamen fieri nequit in aliis etiam ecclesiis dioecesis. *S. R. C. 13 febr. 1666 ad 14 (1333); in Cadurcen. 11 martii 1871 (3238).*

3447 **De benedictione cum sacris reliquiis.** — Sacerdos benedicens populo cum reliquia s. crucis debet esse indutus paramentis rubri coloris. *S. R. C. in Fabrianen. 2 sept. 1871 (3256).* Posset dari exceptio in feria VI in parasceve, sicubi consuetudo esset benedicendi populo cum reliquia s. crucis a sacerdote induto vestibus sacris nigri coloris. *S. R. C. in Mutinen. 23 sept. 1837 ad 9 (2769).*

Quod dictum est de reliquia sanctae crucis, dicendum etiam videtur de aliis instrumentis dominicae passionis. De Herdt *Praxis sacr. lit. II. 199.*

Omnes autem, etiam episcopi, cum reliquiis populo benedicentes, debent id facere detecto capite, nec solum sine mitra, sed etiam sine pileolo. *S. R. C. in Mutinen. 23 sept. 1837 ad 4 (2769).* Quando autem datur benedictio cum reliquiis sanctorum, genuflectendum est ab omnibus, etiam a canonicis in choro. *S. R. C. in Cephaluden. 16 dec. 1909 ad 7.*

3448 **De sacris reliquiis in processione deferendis, vel non.** — In processionibus, si deferantur reliquiae vel statuae sanctorum, sacerdotes, qui eas deferunt, quavis dignitate fulgeant, detecto capite debent incedere. *S. R. C. in Firmana 1 dec. 1657 (1043); in Calaguritana 13 febr. 1892 ad XXIX. 13 (3767).*

Episcopi vero incedunt cum mitra, etiamsi deferant reliquiam s. crucis. *S. R. C. in Angren. 18 aug. 1877 ad 4 (3434).*

Beatorum reliquiae sine speciali concessione Sanctae Sedis minime circumferantur. *S. R. C. decr. gen. Alex. VII. 27 septemb. 1659 (1130).*

De sacris reliquiis turificandis, vel non. — Reliquiae non expositae, neque a diacono in missa, neque a celebrante in vesperis turificandae sunt; expositae vero, non a diacono in missa, sed a solo celebrante, dummodo sint expositae in altari, ubi missa cantatur; in vesperis vero, dummodo sint expositae in altari chorali vel in altari sancto, cuius sunt reliquiae, dicato; dummodo tamen sint cum luminibus expositae. *S. R. C. 31 iul. 1665 ad 2 (1322).* 3449

De reliquiis quoad consecrationem altaris (*remissive*). — In altari reponendae sunt reliquiae sanctorum, et, si reliquiarum sepulcrum apertum fuerit, vel violatum, debet iterum consecrari. De Herdt *l. c. I. 177.* Vid. *Sigillum, Altare.* 3450

De quadam excommunicatione sacras reliquias concernente. — Extrahentes, absque legitima venia, reliquias ex sacris coemeteriis seu catacumbis urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes incurrunt excommunicationem latae sententiae, R. Pontifici 3451

simpliciter reservatam. *Const.* « Apostolicae Sedis » *ser. 2. n. 15.* Vid *Crux.*

Tit. de reliquiis et veneratione sanctorum X. (III. 45); idem tit. (III. 22) in 6°; idem tit. (III. 16) in Clem.; idem tit. (III. 12) in Xvag. comm.; *Anfossius D.* De sacrarum reliquiarum cultu et veneratione; *Halloix Petr.* Triumphus sacer sanctorum sive de caeremoniis in reliquiarum sanctorum translationibus usurpatis; *Morettus Petr.* De ritu ostensionis sacrarum reliquiarum diss. historico-ritualis; *Andreucci Andr. Hier.* Hierarchia eccl. in varias suas partes distributa et canonico-theologice exposita: tract. decem (in 2° de observandis ab episcopo in authenticandis reliquiis); *Mioni U.* Il culto delle reliquie nella chiesa cattolica; *Bruder P.* Die Reliquienverehrung i. d. kath. Kirche.

Remissio. — Remissio debiti, Vid. *Condonatio;* remissio peccati, Vid. *Absolutio*; remissio poenae peccatis debitae, Vid. *Indulgentia.*

3452 **Remotio.** — Quoad remotionem oeconomicam parochi, Vid. *Parochus*, ubi refertur integrum decretum S. Congr. consistorialis (*20 aug. 1910*) « Maxima cura », de quo notandum hic est, illud vigere etiam in Anglia (*S. C. Cons. 28 febr. 1911*) et in statibus foederatis Americae septentrionalis (*S. C. Cons. 13 mart. 1911*).

Notandum etiam est, examinatores ad normam citati decreti « Maxima cura » eligendos non debere esse distinctos ab examinatoribus, qui iuxta statutum tridentinum (*sess. XXIV c. 18 de ref.*) adhibentur pro collatione beneficiorum parochialium; eosque posse eligi ab ordinariis, quando synodus non celebratur, sine indulto S. Sedis; et posse esse etiam parochos. *S. C. Cons. 3 oct. 1910 ad 1, 3 et 7.* Etiam viri regulares ad munus examinatorum aut consultorum eligi possunt, dummodo sacerdos regularis parochus sit, si in consultorem eligatur. *S. C. Cons. decr. nuper cit. ad 4.* Imo in parvis dioecesibus aut quoties iusta aliqua causa interceda potest eligi etiam extradiocesanus (*S. C. Cons. decr. nuper cit. ad 5*): sed non expedit ut eligatur vicarius generalis. *S. C. Cons. decr. nuper cit. ad 6.* Etiam una eademque persona potest simul esse examinator et consultor, non tamen in eadem causa; generatim vero non expedit plura officia in una eademque persona cumulari. *S. C. Cons. decr. nuper cit. ad 8.* In computanda antiquitate electionis unice ratio habenda est electionis ultimae, ita ut ille qui bis vel ter electus iam fuerit, non debeat haberi antiquior illo, qui prima vice electus est, dummodo utriusque eodem die electio facta fuerit. *S. C. Cons. decr. nuper cit. ad 10.* Error in computanda antiquitate et admissio exinde illegitima alicuius examinatoris aut consultoris non inducit nullitatem actorum. *S. C. Cons. decr. nuper cit. ad 11.* Iusiurandum vero in can. 7 decreti « Maxima cura » praescriptum non debet necessario pro singulis causis renovari; sed sufficit semel emissum, durante munere, dummodo pro omnibus causis fuerit emissum. Potest tamen ordinarius exigere ab examinatoribus et consultoribus ut illud renovent in causis particularibus, si id expediens iudicaverit. *S. C. Cons. decr. nuper cit. ad 12.*

Decr. S. C. Consist. « Maxima cura » 20 aug. 1910; *Heiner F.* Die remotio oeconomica od. d. Amtsversetzung e. Pfarrers auf d. Verwaltungswege; *Geiger A.* Die remotio oeconomica od. Versetzung d. Pfarrer a. administrativen Erwägungen; *Kohlhofer* Die administr. Versetzung d. Pfarrer; *Boriero F.* Processus disciplinaris theorico-practicus pro amotione administrativa parochorum.

3453 **Renovatio votorum.** — Renovatio votorum, quae in plerisque religiosis tam virorum quam mulierum congregationibus locum habet, sequenti ritu intra missam fieri potest, scilicet: celebrans ad altare conversus, absoluta confessione et verbis, quae ante fidelium communionem dici solent, exspectat donec renovantes votorum formulam protulerint, qui nisi pauci sint, omnes simul, uno praeeunte, formulam renovationis recitare debent, ac postea ex ordine sanctissimum Corpus Domini accipiunt (*S. R. C. decr. gen. 14 aug. 1894 a Leone XIII approb. 27 aug. eiusd. anni* [*3836*]); quod decretum vi obligandi pollet penes quaslibet religiosas utriusque sexus congregationes, in quibus vota nuncupantur vel renovantur intra missam coram celebante sacram hostiam manu tenente. *S. R. C. 5 iun. 1896* (*3912*).

3454 **Renuntiatio.** — Concilium Tridentinum (*sess. XXV. c. 16 de reg.*) voluit, ut, nulla novitii renuntiatio aut obligatio, etiam cum iuramento vel in favorem cuiuscumque causae piae, valeat, nisi cum licentia episcopi fiat in bimestri proximo ante professionem (quod nunc intelligendum est de professione votorum solemnium, non vero simplicium, ex praescripto Pii IX. *1 aug. 1862*), ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter vero facta, etiamsi cum huius favoris expressa renuntiatione, etiam iurata, sit irrita et nulla. Vid. *Professio religiosa.*

Renuntiare aliquis episcopus potest episcopatui dupliciter, vel renuntiando sedi, alteram nempe habiturus saltem in titulum; vel renuntiando sedi et dignitati, idest nomini, muneri, iuribus, quae ex episcopatu proveniunt. *c. 1 de ordinatis ab episc. etc. X. I. 13*).

Episcopus, qui renunciavit sedi et dignitati coram Ecclesia remanet solummodo presbyter; attamen ordinatus in minoribus a tali episcopo potest in ordinibus acceptis ministrare et ad superiores promoveri; ordinatus in maioribus non habet exsecutionem sui officii, verum cum ipso, si hoc scienter non fecerit (nisi crassa et supina fuerit ignorantia), episcopus potest dispensare. *c. 1 nuper cit.*

Episcopus, qui simpliciter episcopatui renunciat, praesumitur renunciare sedi tantum, non sedi et dignitati, nisi causa renuntiationis fuerit crimen, quod depositionem mereretur ex iure. Reiffeustuel *in tit. 13 lib. 1 Decr. n. 3.*

Infirmitas est etiam aliquando causa iusta ad renuntiandum beneficiis ecclesiasticis, non solum quibuscumque, sed etiam ipsi episcopatui. Vid. *Resignatio.*

Reparatio. — Quoad reparationem 3455
ecclesiae ante omnia spectandae sunt

consuetudines et statuta locorum. Reiffenstuel *in tit. 48 lib. III Decr. n. 22.*

His deficientibus, si agatur de ecclesia cathedrali, reparatio fieri primo debet ex reditibus ecclesiae ad id destinatis (ad quod, pro Italia et insulis adiacentibus, impositae sunt mediae annatae solvendae ab omnibus clericis dioecesis, quum beneficium quodcumque in dioecesi obtinent a curia episcopali sive per liberam collationem sive per institutionem; et hoc idem praestare debent clerici provisi de beneficio in ecclesia collegiata, sed in favorem ipsius collegiatae; excipiuntur semper beneficia curata, quorum annui reditus non superant centum scutata, *Const.* Ben. XIII «Pius et misericors». *Vid. mai 1725*), qui, si non habeantur vel non sufficiant, episcopus debet concurrere pro quarta parte fructuum sive praesentium sive futurorum mensae, et, si ne hoc quidem sufficiat, canonici et alii beneficiati pro rata beneficiorum. Schmalzgrueber *in tit. 48 lib. III Decr. n. 40.* Si reditus episcopi et canonicorum non sufficiunt, potest etiam ab episcopo, habito consensu capituli, adigi clerus universus (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 41;* Reiffenstuel *loc. cit. n. 28*), imo et populus (cfr. decr. *S. C. C. sept. 1783, 10 ian. 1784, 16 mai 1795, 24 mart. 1838, apud Richter Conc. Trid. pag. 121. n. 8*), ad concurrendum pro expensis; vel etiam posset episcopus cum capitulo in tali casu pro fabrica ecclesiae cathedralis deputare fructus beneficiorum vacantium. Schmalzgrueber, Reiffenstuel *l. c.*

Si agatur de collegiata, obligatio eam reparandi praeter eos, qui ex consuetudine vel lege aliqua particulari tenentur, attingit ipsius collegiatae beneficiarios, et, si consuetudo adsit, ipsum episcopum. De Luca Mar. *Prael. iur. can. lib. de reb. eccl. n. 286.*

Si vero agatur de parochia, reparatio facienda est ex bonis fabricae ipsius ecclesiae, vel ab iis, qui lege vel consuetudine obligantur; a parocho, deductis necessariis ad sui sustentationem; a pensionatis vel beneficiariis in illa ecclesia (*S. C. C. 8 febr. 1721*); a patronis, si habeantur; a populo, idest non solum ab incolis, sed etiam ab illis, qui inter limites parochiae *fundos possident,* licet alibi degant (*S. C. C. 20 mart. 1824, 15 dec. 1827*); episcopus vero hos omnes ad ea praestanda, quae debent, cogere potest, quacumque appellatione, exemptione et contradictione remota. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 7 de ref.*

Si nullus adsit, qui reparare potest ruinosam ecclesiam, ea destrui potest, et in eius loco, qui in usus profanos sordidos converti non potest, crucem episcopus collocabit. Lateres etc. antiquae ecclesiae in usus quoque profanos adhiberi possunt. Mon. eccl. *vol. V. p. 2 pag. 275.* Iura, fundi, etc. ecclesiae destructae, si ea filialis fuerit, ad matricem; secus, ad viciniorem ab episcopo transferantur. Conc. Trid. *loc. cit.* Cfr. Ben. XIV *Inst. eccl. C; S. C. C. in Spoletana 18 dec. 1847, in Ventimilien. 18 aug. 1888;* Gasparri *de eucharistia I. 134.*

Tit. de ecclesiis aedificandis vel reparandis X. (III. 48); *Peckius Petrus* Tract. de

ss. et catholicis ecclesiis aedificandis, reparandis ac reficiendis; *Marbach Ulr.* De subsidiaria ecclesiarum reparatione; *Kröber Guill. Frid.* De immunitate forensium ab onere reficiendi aedificia ecclesiastica; *Piales Io. Iac.* Traité des réparations et reconstructions des églises et autres bâtiments dépendants des bénéfices. Avec un recueil complet des réglements concernant les économats de France; *Wille D.* De obligatione parochianorum ad reficienda aedificia ecclesiastica.

Reponatur. — Vid. *Clausulae.*

Reportatio rescripti. — Quid sit, Vid. *Aperitio oris.*

3456 **Requiem.** — Ut sciatur quandonam liceat missam de requie celebrare, attendenda sunt sequentia decreta S. Congregationis Rituum.

De missa exsequiali in die obitus. — Hic primum referendum est decretum generale de missa exsequiali pro die obitus, quod est sequens:

« Quum iuxta rituale romanum exsequialem missam in die obitus, etiam praesente cadavere, celebrare non liceat, quando obstet magna diei solemnitas, quod et pluribus decretis firmatum fuerat, pro opportuna in praesentiarum ampliorique declaratione Sacra Rituum Congregatio decernit:

1° Missam unam solemnem vel cum cantu, in die et pro die obitus, praesente cadavere, fieri posse, quandocumque non occurrat aliquod ex festis duplicibus primae classis solemnioribus, seu universalis ecclesiae, seu ecclesiarum particularium, ex praecepto rubricarum recolendis. Quibus in festis comprehenduntur etiam pro universali ecclesia triduum maioris hebdomadae, non autem feriae secunda et tertia Paschae et Pentecostes; pro particularibus vero ecclesiis dies dominica, in quam solemnitas festi infra hebdomadam occurrentis alicubi ex indulto transfertur, modo celebretur a populo; nec non ubi et donec eucharistia solemniter exposita habeatur. Reliquis autem quibuscumque diebus eadem missa permittitur in omnibus ecclesiis, illis tantum exceptis, in quibus unicus est sacerdos, dum tamen aut missa parochialis seu conventualis dicenda est aut missa rogationum vel vigilia pentecostes, quae transferri non possunt.

2° Quod si ex civili vetito, aut morbo contagioso, *aut alia gravi causa*, cadaver in ecclesia praesens esse nequeat, imo etsi iam terrae mandatum fuerit, praefata missa celebrari quoque poterit in altero ex immediate sequentibus duobus ab obitu diebus, eodem prorsus modo ac si cadaver esset praesens.

3°. Denique eadem missa celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, die, qua primum recurrat, non impedita a festo duplici primae et secundae classis vel a festo de praecepto; quo etiam in casu missa dicenda erit ut in die obitus.

Non obstantibus quibuscumque ». — *2 dec. 1891* (*3755*).

Hinc non potest haec missa cele- 3457
brari, etiam praesente cadavere, in sabbato sancto etiam post missam solemnem de die (*S. R. C. in una ord. Capucin. 23 maii 1835 ad 7* [*2725*]), aut in die anniversaria dedicationis propriae ecclesiae. *S. R. C. decr. gen' 11 mart. 1882* (*3541*).

Ex decreto vero citato deduci etiam potest, quod cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum. non solum insepultum, sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si foret physice praesens, ita ut missa exsequialis in casu cantari licite valeat, quoties praesente cadavere permittitur. *S. R. C. in Calaguritana 13 febr. 1892 ad 26* (*3767*).

Festa duplicia 1ae. classis solemniora sive universalis ecclesiae sive ecclesiarum particularium ex praecepto rubricarum recolenda, de quibus loquitur supra citatum decretum 2 dec. 1891, non sunt tantummodo festa fori recolenda cum feriatione ex parte fidelium, sed etiam festa chori sine feriatione, seu festa localia solemniora. *S. R. C. in Labacen. 28 apr. 1902 ad 9.* Quare « missa cum cantu de requie die vel pro die obitus aut depositionis, praesente, insepulto vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere, vetita est in sequentibus festis nuper suppressis nempe commemorationis solemnis sanctissimi Corporis Christi, Annnntiationis B. M. V., commemorationis solemnis S. Ioseph et patroni loci. *S. R. C. 28 iul. 1911.*

Missa vero de requie cum cantu, quae ex eodem decreto 2 dec. 1891 « celebrari potest pro prima tantum vice post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, etc. » cantari nequit feria IV cinerum, vigiliis Nativitatis Dni et Pentecostes, feria IV. V. VI et sabbato infra octavas Paschatis et Pentecostes. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 10; in Boscoolucem 31 mart. 1909 ad 5.*

Praeterea in quibuslibet ecclesiis et oratoriis cum publicis tum privatis, et in sacellis ad seminaria, collegia et religiosas vel pias utriusque sexus communitates spectantibus, praesente, insepulto, vel etiam sepulto nonu ltra biduum cadavere, fieri potest missa de requie die vel pro die obitus aut depositionis, verum sub clausulis et conditionibus, quibus, iuxta rubricas et decreta, missa solemnis de requie iisdem in casibus decantatur. *S. R. C. decr. 19 maii 1896 appr. a Leone XIII die 8 iun. eiusd. anni* (*3903*).

Missae privatae de requie die vel pro die obitus seu depositionis, de quibus agitur in decreto nuper citato, dici valent cadavere tantum moraliter praesente sed physice absente, licet insepulto vel sepulto non ultra biduum, et possunt esse omnes de requie praeter missam exsequialem et aliam officio diei conformem, si hanc celebrandi adsit onus, et legi valent in qualibet ecclesia vel oratorio sive publico sive privato, dummodo serventur conditiones in eo decreto expressae et in alio decreto diei 12 ian. 1897; dummodo scilicet celebrentur diebus, ut supra, non prohibitis, applicentur defuncto, cuius cadaver est vel censetur praesens (*S. R. C. decr. cit. 12 ian. 1897 ad 4*), et si agatur de ecclesia vel oratorio publico, in iis fiat etiam funus cum missa exsequiali, ut supra annotavimus. *S. R. C. in Agennen. 28 maii 1897 ad 1* (*3957*).

Funus autem, de quo agitur, debet fieri in ipsa ecclesia, in qua celebrari volunt missae de requie, nec sufficit

quod fiat in ecclesia parochiali. *S. R. C. in Vicen. 3 apr. 1900 ad 1.*

In oratoriis semipublicis ad hoc ut celebrentur missae de requie, ut supra, non est necesse, ut fiat funus cum missa exsequiali. *S. R. C. decr. cit 28 apr. 1902 ad 7.*

In oratoriis autem privatis missae, quae ibidem legi permittuntur, possunt esse de requie, praesente cadavere in domo (sive physice sive moraliter, *S. R. C. decr. cit. 28 apr. 1902 ad 8*), servatis ceteris clausulis et conditionibus. *S. R. C. decr. nuper cit. ad 3 et 4.*

Omnes istae missae sunt missae in die depositionis, et proinde legenda est missa, quae in missali pro die depositionis assignata est. *S. R. C. dec. cit. 28 apr. 1902 ad 11.*

3458 Pro paupere defuncto, cuius familia impar est solvendo expensas missae exsequialis cum cantu, permittitur missa exsequialis lecta, loco missae cum cantu, dummodo in dominicis aliisque festis de praecepto non omittatur missa officio diei currentis respondens. *S. R. C. 9 maii 1899 (4024).*

3459 Dum corpus episcopi diocesani defuncti, sacris indutum vestibus, in propriae aedis aula maiori publice et solemniter iacet expositum, missae in suffragium ipsius animae per totum mane celebrari valent; iis omnibus servatis, quae de episcopi defuncti corpore exponendo ac suffragiis ferendis in ceremoniali episcoporum libro II. c. 38 praescribuntur. Quod privilegium episcopis in sua dioecesi concessum, ad vicarios apostolicos in suis vicariatibus, nec non ad abbates ceterosque praelatos nullius dioeceseos iurisdictione in plebem ordinaria, quum vita cesserunt, fruentes, in proprio tamen territorio, pari ratione extensum est. Imo de speciali gratia indultum est, ut eodem quoque privilegio frui valerent episcopi titulares defuncti, dummodo eorum cadavera in aula convenienti exponerentur et ornamentis pontificalibus (absque tamen baculo pastorali), si extra urbem, fuerint induta; si vero in urbe, habitu tantum praelatitio. *S. R. C. 3 apr. 1894 (3822).* Missae autem lectae, quae hoc decreto permittuntur, permissae sunt ad normam decreti supra citati 19 maii, 8 iun. 1896 (3903), et non aliter. *S. R. C. decr. cit. 28 apr 1902 ad 12.*

Propositum est S. Congregationi 3460
Rituum sequens dubium:

« Dub. 11^um^. In die depositionis aliquorum defunctorum, cantato officio et missa de requie, praesente cadavere, mos invaluit in aliquibus ecclesiis huius dioecesis, quod etiam in duplicibus minoribus, et etiam aliquando in maioribus, adhuc praesente cadavere, cantentur iterum duo vel tres nocturni defunctorum atque totidem missae de requie, ita ut una eademque die celebrentur officium et missa de die obitus, de die tertia, septima et trigesima a depositione defuncti. Quaeritur: An talis consuetudo liceat in diebus duplicibus minoribus vel maioribus, adhuc praesente cadavere; vel sit tollenda, utpote contraria pluribus decretis sacrae Rituum Congregationis ».

Et S. Congr. respondit:

« Ad II^um^: Tolerandam quoad officium defunctorum; tollendam quoad

missas, quae unica esse debet iuxta decreta alias edita». *S. R. C. in Tuden. 23 maii 1846* (*2915*).

Fere idem casus propositus nuper est pro dioecesi Iacensi, et S. Congregatio respondit: « Detur decretum n. 2915 Tuden. 22 maii 1846. ad II ». *S. R. C. 2 sept. 1903.*

3461 Invaluerat in ecclesiis congregationis a resurrectione D. N. I. Ch. usus cantandi a cantoribus in choro antiphonam *Salve Regina* post missam cantatam de requie et immediate post absolutionem ad tumulum, quum celebrans revertebatur in sacristiam. Quaesitum est, an hoc fieri posset, et S. Congregatio respondit: *Negative. S. R. C. 20 nov. 1903.*

3462 Quando agitur de missa lecta defunctorum a rubricis et decretis permissa, absolutio in cantu immediate post eam non prohibetur; quando agitur de missa diei currentis vel votiva, absolutio post eam fieri nequit, nisi omnino independenter ab eadem (*S. R. C. in Romana 12 iul. 1892 ad VIII* [*3780*]; *28 mart. 1908*); hinc si dicitur officium defunctorum, post ipsum facienda est absolutio et ante missam. *S. R. C. in Samogitien. 17 mart. 1906.*

Nota tandem, quod celebrans ad peragendas exsequias super stratum, post missam cum cantu pro defunctis, non potest deponere casulam et manipulum et exsequias ita peragere sine pluviali et absque incensatione; sed assumere debet pluviale et incensare. *S. R. C. in Ceneten. 5 mart. 1904.*

3463 Missa exsequialis non necessario celebrari debet, sed si celebratur, celebranda est in ecclesia tumulante, non autem in alia ecclesia, etsi pertineat ad regulares, relicta parochiali. Missa autem tunc habetur tamquam exsequialis quando celebratur praesente cadavere sive physice sive moraliter, idest non ultra biduum ab obitu. Missa autem non exsequialis celebrari potest ubique etsi missa exsequialis in parochia non fuerit celebrata. *S. R. C. in una ord. Min. conv. s. Fr. 13 maii 1879* (*3474*) *ad 1; S. C. EE. RR. in Ianuen. 14 iul. 1905.* Cfr. Mon. eccl. *vol. XVII. pag. 433 seqq.*

De missa in die 3°. 7°. et 30°. — 3464 Missa in *die tertio, septimo et trigesimo* potest cantari his diebus a die obitus vel sepulturae numeratis, etiamsi in iis occurrat duplex maius vel minus non feriatum (*S. R. C. in Carthaginien. 23 aug. 1766 ad 2* [*2482*]); extra hunc casum non potest absque speciali indulto missa ut in die obitus cantari, etiamsi alicuius defuncti consanguinei conveniant. *S. R. C. in una vicar. Ruremunden. 27 feb. 1847 ad I* (*2939*).

Missae et officia his diebus propria celebrari possunt in ecclesiis etiam regularium, licet missa exsequialis in ecclesia parochiali non fuerit celebrata. *S. R. C. in una ord. Min. conv. s. Fr. 13 maii 1879* (*3474*) *ad 1; in una ord. Carm. excalc. 20 nov. 1901.*

Quoad has vero dies 3am. 7am. et 30am. Vide *Anniversarium.*

De missis quotidianis defunctorum. — 3465 Missae privatae pro defunctis de regula generali, idest praescindendo ab indultis et privilegiis, de quibus supra, omnino prohibentur in vigiliis et per octavas Nativitatis et Epiphaniae Domini, feria IV cine-

rum, a dominica Palmarum usque post octavam Paschae, in vigilia Pentecostes et per octavas Pentecostes et Corporis Christi, nec non in dominicis per annum et in festis duplicibus, etiam non de praecepto, quacumque consuetudine non obstante. *S. R. C. decr. gen. 30 iun. 1896.* §. *III. n. 2.* (*3922*).

De colore paramentorum adhibendo in missis de requie, Vid. *Color.*

Leo XIII ad levamen animarum, quae in purgatorio detinentur, S. Rituum Congregationi facultatem indulgere dignatus est, qua singulis petentibus S. R. E. cardinalibus, episcopis aliisque praelatis, quibus oratorii privati privilegium de iure competit, permitti possit in eodem oratorio unica missa privata de requie, defunctis applicanda, infra hebdomadam, diebus non impeditis a festo ritus duplicis, quod iure translationis polleat, a dominicis aliisque festis de praecepto servandis nec non a vigiliis, feriis octavisque privilegiatis, et servatis rubricis. *S. R. C. 8 iun. 1896* (*3915*).

Praeterea in quolibet sacello sepulcreti (quod tamquam privatum oratorium habendum est, *S. C. C. in Platien. 20 ian. 1894*) rite erecto, vel erigendo (et in ecclesiis vel oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti, *S. R. C. in Romana 12 ian. 1897 ad 1* [*3944*]; sed, si agatur de aliis ecclesiis et oratoriis publicis, fieri debet etiam funus cum missa exsequiali, *S. R. C. decr. nuper. cit. ad 3*) missae, quae inibi permittuntur, possunt esse de requie diebus non impeditis a festo dupl. 1ae. vel 2ae. classis, a dominicis aliisque festis de praecepto servandis, nec non a feriis (cfr. *S. R. C. decr. cit. ad 5*), vigiliis, octavisque privilegiatis. *S. R. C. decr. cit. 19 mati 1896* (*3903*).

Sacellum autem sepulcreti, de quo agitur in concessione decreti 19 maii 1896, non est sacellum, in quo olim cadavera sepeliebantur, et quod in praesenti quacumque ex causa derelictum est, ita ut defuncti in eo sepeliri amplius non soleant. *S. R. C. decr. cit. 28 apr. 1902 ad 1.*

Hinc quamvis in oratoriis privatis, omnibus et singulis diebus ab obitu usque ad sepulturam, dummodo corpus sit adhuc physice praesens in domo, exceptis tamen festis de praecepto et duplicibus primae classis et diebus ipsa duplicia primae classis excludentibus, possint celebrari missae de requie; hoc tamen non licet in oratoriis semipublicis et multo minus in oratoriis publicis, in quibus hoc fieri potest semel tantum in una ex tribus diebus ab obitu usque ad sepulturam decurrentibus. *S. R. C. in una ord. FF. Min. prov. Germ. inf. 10 nov. 1906 ad I; in Boscoducen. 31 mart. 1909 ad 3. 4.*

Propositum est s. Congregationi rituum sequens dubium:

« An rubricae et decreta circa missas de requie privilegiatas afficiant etiam missas de requie, quae celebrantur pro summo pontifice, episcopo ordinario vel imperatore etc., ita ut hae postremae missae nullo gaudeant speciali privilegio, diebus per rubricas vel decreta impeditis ».

Et s. Congr. respondit: « *Affirmative* ». *S. R. C. in Pharen. 20 nov. 1903.*

Praeterea notandum est, quod in altari, ubi publice exponitur ss. Sacramentum, sive in pyxide, sive in ostensorio, missae de requie tempore, quo expositio perdurat, omnino prohibentur. *S. R. C. in Varsavien. 7 maii 1746 ad 4* (*2390*); *in Agrigentina 14 iun. 1873 ad 2* (*3302*); *in Labacen. 28 apr. 1902 ad 14.*

3466 **De orationibus et sequentia in missis defunctorum.** — In missis de requie, quae celebrantur in commemoratione omnium fidelium defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in missis cantatis vel lectis, permittente ritu, diebus 3°, 7°, 30°, et die anniversaria, nec non quandocumque pro defunctis missa solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat (uti in officio, quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in anniversariis late sumptis) una tantum dicenda est oratio. In missis vero quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu, plures dicendae sunt orationes, quarum prima debet esse pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus sacrificium offertur, ex iis, quae inscribuntur in missali, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis. Si vero pro defunctis in genere missa celebratur, orationes dicendae sunt prout in missali in missis quotidianis defunctorum; et si agatur de missis lectis, possunt in his etiam aliae addi orationes, servato numero impari, et apposita oratione pro omnibus defunctis ultimo loco.

Sequentia dicenda est in omnibus missis cantatis, et in lectis, quae diebus, ut supra, privilegiatis fiunt; in aliis dici potest vel omitti ad libitum celebrantis. *S. R. C. decr. gen. 30 iun. 1896* (*3920*); *in Briocen. 27 mai 1897* (*3956*).

Quando celebratur missa pro defuncto episcopo vel sacerdote, sive in die obitus seu depositionis, sive in die anniversaria, sive alia quacumque die, semper dici debet oratio « Deus, qui inter apostolicos sacerdotes etc. » (*S. R. C. in una ordinis Carmelitarum 29 ian. 1752 ad 8* [*2417*]); una tantum exceptio est quoad hoc, quando in missis quotidianis defunctorum, recitata iam oratione « Deus, qui inter apostolicos etc. » pro omnibus episcopis et presbyteris defunctis, vellet quis addere separatam collectam pro aliquo episcopo aut sacerdote, quo in casu deberet is sumere alias orationes, quae pro episcopo aut sacerdote defuncto in missali recensentur.

Haec autem non valent pro officio, in quo dicendae sunt orationes prout in rituali romano praescribuntur. *S. R. C. in Lincien. 6 feb. 1892 ad 3* (*3764*).

De non celebrando anniversario illius cuius causa beatificationis introducta est. — Circa hoc sequens prodiit decretum ex Sacra Rituum Congregatione: 3467

« Venerabilis servus Dei Franciscus Iosephus Rudigier episcopus Linciensis in ultimo suo testamento paucis ante obitum diebus scripto inter alia fundari missam quotannis die obitus sui in ecclesia nova cathedrali celebrandam iussit.

« Quare ex substantia ab ipso relicta tantum desumptum est quantum exigitur ad fundandam missam so-

lemnem de requie una cum officio defunctorum, et haec missa necnon officium exinde quotannis die 29 novembris, qui est dies obitus venerabilis servi Dei, solemnissime celebratum est, populo fideli magno numero adstante.

« Quum vero die 6 mensis decembris, elapsi anni 1905, sanctissimus dominus noster Pius X signare dignatus sit commissionem introductionis causae beatificationis eiusdem ven. servi Dei, rmus dnus Franciscus Salesius Maria Doppelbauer episcopus Lincien. a sacrorum rituum congregatione humillime postulavit an in posterum celebranda sit missa fundata de requie pro ipso venerabili, vel potius omittenda, fundationem transferendo sive pro anniversario in levamen episcopi defuncti qui ven. servo Dei immediate successit quique missam quotannis celebrandam pro se non fundavit, sive pro expensis sustinendis in causa beatificationis et canonizationis eiusdem venerabilis servi Dei.

« Quibus omnibus sanctissimo domino nostro Pio Papae X relatis, Sanctitas sua, audito etiam r. p. d. Alexandro Verde sanctae fidei promotore declarare dignata est, pium legatum a praedicto ven. Dei famulo institutum esse servandum; ea tamen mutatione inducta, ut interim, loco funeris quotannis die obitus ipsius ven. servi Dei peragendi, missa solemnis celebretur de ss. Trinitate pro felici causae exitu. Contrariis non obstantibus quibuscumque ». *S. R. C. in Lincien. 2 aprilis 1906.*

De exsequiis parvulorum (*remissive*). — Quoad exsequias parvulorum, Vid. *Parvuli.*

Notandum. — Sacrorum Rituum 3468
Congregationi pro opportuna solutione sequens dubium propositum fuit, nimirum:

In quibusdam dioecesibus, missa in festis suppressis celebranda et applicanda pro populo, de speciali indulto Apostolicae Sedis, pro peculiari alique intentione applicari potest, dummodo stipendium ad commune aerarium dioecesanum deferatur. Quaeritur: Utrum in ecclesiis parochialibus, ubi unus est tantum sacerdos, dictis diebus, enunciata missa necessario sit celebranda de die currente; an possit esse cum cantu de requie in die et pro die obitus seu depositionis, physice vel moraliter praesente cadavere?

Et sacra rituum Congregatio, exquisito commissionis liturgicae suffragio, re sedulo discussa et perpensa, propositae quaestioni ita respondendum esse censuit: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. *S. R. C. 8 ul. 1910.*

Res amissae. — Res amissae eae 3469
dicuntur, quae a domino involuntarie relinquuntur. G. B. *I. 575.* — Hinc differunt a thesauro, et ordinarie sunt recenter perditae. Lugo *de iust. et iure disp. VI. n. 139.*

Si inveniantur, domino reddi debent (B. P. *III. 75 sqq.*); quo ignoto, dominum quaerere quis tenetur (Lugo *loc. nuper cit. n. 138*), non tamen ex iustitia (*leg. 43 de furtis D.* [*XLVII. 2*] *§ 8*), nisi quis eas tollendo fecerit, ut dominus difficilius posset eas reperire (D'Ann. *II. 132* [*26*]); imo etiam

curam rei gerere, eamque non occultare (quod prope furtum esset) quis tenetur. B. P. *III. 76.*

Si res huiusmodi fuerint, quae servando servari non possunt, vendendae sunt, et pretium reponendum. D'Ann. *loc. nuper cit.*

Quum autem spes amplius probabilis non apparet inveniendi dominum, de iure naturali probabilius, quasi nullius factae, inventori cedere dicendae sunt. B. P. *III. 84 sqq.;* D'Ann. *II. 132.*

Iure italico, qui rem ignoti domini invenit, syndico eam tradere debet, qui eam vel domino reddat, vel inventori post biennium. Inventor vero semper ius habet ad aliquod pretium titulo praemii, idest ad decimam partem valoris rei inventae; et si eius valor superet duo millia libellarum, pro excessu ad vigesimam partem. *C. C. aa. 715. 718.*

3470 **Res derelictae.** — Res derelictae eae dicuntur, quas quis abiecit, quia in numero rerum suaram eas amplius esse non vult. Inst. Iust. *de rerum divis. et qualitate (II. 2) § 47.*

Si non apparet, an hac intentione eas abiecerit, vel forte ex necessitate, pro derelictis habendae videntur (*l. 43 de furtis D.* [*XLVII. 2*] *§ 10, 11*), secus si ex necessitate constet abiectas fuisse. *l. 43 nuper cit. § 11;* Inst. Iust. *loc. cit. § 48.* Quare regulariter ea, quae vi tempestatis iactantur, aut ex naufragio accipiuntur, habenda non sunt pro derelictis. Inst. Iust. *loc. cit. § 48: l. 9 de acquirendo rerum dom. D. (XLI. 1) § 8;* Molina *de iust. et iure disp. 55. n. 3;* B. P. *III. 60.*

Fiunt primi occupantis. *l. 43 nuper cit. § 5;* Inst. Iust. *loc. cit. § 47;* B. P. *l. c.* Nota, quod si agatur de rebus immobilibus, et lex civilis disponat, quibus, ex gr. fisco, huiusmodi res derelictae cedant, lex ista servanda est. B. P. *loc. cit.*

Res iactae. — Res iactae eae dicuntur, quas quis abiecit urgente necessitate, prout in naufragio vel incendio. 3471

Hae non fiunt primi occupantis, quare si quis eas sibi collegerit sive ex mari, sive ex littore, sive aliunde, fur est. *l. 5 de incendio, ruina etc. D. (XLVII. 9); l. 9 de acquirendo rerum domin. D. (XLI. 1) § 8;* B. P. *III. 61.* D'Ann. *II. 131.*

Rescriptum. — **Quid sit.** — Rescriptum est responsum Summi Pontificis in scriptis datum ad alterius instantiam. Reiffenstuel *in tit. 3 lib. I Decr. n. 2.* 3472

De divisione rescriptorum. — Dividuntur rescripta in rescripta gratiae, quibus ex liberalitate Romani Pontificis aliquid conceditur contra vel praeter ius commune, ut concessiones beneficiorum etc.; et rescripta iustitiae in decisione causarum inter partes. Reiffenstuel *l. c. n. 27 sqq.* 3473

Dividuntur praeterea rescripta in rescripta gratiae factae et gratiae faciendae; de hac divisione plura infra dicemus.

Per quos et quomodo Romanus Pontifex det sua rescripta. — Ad danda sua rescripta Romanus Pontifex utitur ministerio suae cancellariae nec non ss. congregationum aut tribunalis S. Poenitentiariae, per quae in forma bullae (Vid. *Bullae*) vel bre- 3474

vis (Vid. *Brevia*) vel etiam simplicium litterarum apostolicarum, quae proprie rescripta audiunt (Cfr. Gasparri *de sacr. ord. I. 70*), instantiis propositis respondet.

3475 **De requisitis ad validitatem rescripti.** — Ad rescripti validitatem requiritur:

a) Ut habilis sit petens.

Secundum ius decretalium habilitas haec importabat ut quis non esset excommunicatus excommunicatione maiore, sive publicus sive occultus, sive vitandus sive toleratus (*cap. 26 de rescriptis X.* [*I. 3*]; *c. 1 eiusd. tit.* [*I. 3*] *in 6°*), nisi rescriptum esset circa causam excommunicationis (*c. 1 tit. cit.* [*I. 3*] *in 6°*; *c. 41 de rescriptis X.* [*I. 3*]), vel appellationis ad sui defensionem (*c. 1 tit. cit.* [*I. 3*], *in 6°*), et talis excommunicatus non solum per seipsum, sed ne per procuratorem quidem, poterat, exceptis casibus supradictis, rescriptum impetrare (*arg. cap. 15 de procuratoribus X.* [*I. 38*]; Reiffenstuel *loc. cit. n. 42*); nec esset haereticus (quia nempe excommunicatus est, et hoc valebat in foro quoque civili pro rescriptis principis, *l. 2 de Summa Trinitate etc. C.* [*I. 17*]). Novissimo autem iure per normas peculiares adiunctas constitutioni Pii X « Sapienti consilio » habilitas haec importat tantummodo ut quis non sit *nominatim* excommunicatus aut *nominatim* pariter suspensus.

Iuverit autem integrum referre articulum primum capitis tertii Normarum peculiarium, quae de hoc tractant.

1° « Si gratiae, seu facultates, dispensationes, indulta, quae quis a Sancta Sede postulet, ius aliis quaesitum laedant; ii, quorum interest, aut directo aut per ordinarios suos ante concessionem audiendi sunt.

2° Gratiae, quas quis pro se a Sancta Sede oretenus assequitur, ipsi petenti in foro conscientiae suffragantur. Nemo tamen potest cuiuscumque privilegii usum adversus quemquam vindicare, nisi privilegium ipsum legitime probet.

3° Gratiae, quae a Sancta Sede scripto conceduntur, communiter ab ipsa directo promanant per personas et officia iure recognita. Quandoque vero supplex oratoris libellus ad ordinarium, vel ad alium eius loco ecclesiasticum virum, per personas et officia memorata remittitur, cum facultatibus petitam gratiam largiendi, sive totam sive certis limitibus circumscriptam.

Quum preces ad ordinarium cum facultatibus remittuntur, eius aequo iudicio rectaeque conscientiae imploratae gratiae largitio permittitur, habita ratione formae rescripti, rerum Sanctae Sedi expositarum, et opportunitatis gratiae concedendae.

Ubi vero ab ipsa Sancta Sede, interposito nemine, gratia impertiatur, exarari rescripta possunt, aut forma gratiosa aut commissoria.

4° Si forma gratiosa, exsecutorem suapte natura non postulant. Exhibenda tamen ordinario sunt, qui ea suo *recognitionis* rescripto roboret, si de rebus agatur publicis, cuius generis indulgentiae sunt communiter impertitae, sacrae reliquiae publicae venerationi proponendae, aliaque hu-

iusmodi; aut si comprobare conditiones quasdam oporteat, uti loci decorem in sacellis privatis, aliaque id genus.

Si vero commissoria forma rescripta expressa sint, opus habent exsecutore. Nec licet ordinario exsecutionem detrectare, nisi forte horum alterutrum occurrat, ut aut manifesto vitiosae, hoc est obreptitiae vel subreptitiae sint preces, aut qui gratiam impetravit adeo videatur indignus, ut aliorum offensioni futura sit indulti concessio. Haec si accidant, praelatus, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem faciet apostolicam Sedem.

5° Pro recognitionis testimonio, quo rescripta muniuntur, ut est in superiore *num. 4°*, nulla est repetenda compensatio. Necessariae tamen impensae sarciri possunt, quales ex. gr. occurrunt ad loci cognitionem in sacelli usum adhibendi, aut ad fidei comprobationem circa aliquam sacram reliquiam.

6° Servatis, tum quae superiore *num. 4°* statuta sunt circa rescriptorum exsecutionem, tum necessariis conditionibus ad sacras indulgentias lucrandas; a die 3 mensis novembris 1908, quo die incipient vim legis habere praescripta in constitutione *Sapienti consilio*, gratiae ac dispensationes omne genus a Sancta Sede concessae, etiam censura irretitis, ratae sunt ac legitimae, nisi de iis agatur qui nominatim excommunicati sint, aut a Sancta Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis mulctati ».

Quando autem agitur de rescriptis iustitiae, iure decretalium inhabilis habebatur falsus vel iam revocatus procurator. *c. 33 tit. cit. X.* (*I. 3*).

b) Ut nulla fuerit in petitione admissa obreptio vel subreptio. (Vid. *Obreptio*).

c) Ut rescripto nihil desit substantiale in forma sive interna sive externa, ex quo defectu oriatur suspicio falsi; ut videlicet non recedat a stylo curiae, ab eo nempe tenore, quo constanter in suis rescriptis curia Romana utitur (sic, si in rescripto non praemitteretur nomen Rom. Pontificis rescribentis – si non apponeretur indicatio anni tum civilis tum pontificatus, diei, mensis, loci – si in ipso corpore rescripti non occurrerent solitae locutiones, quas curia Romana adhibet iuxta diversitatem personarum et materiae, rescriptum non esset validum, *c. 6 de crimine falsi X.* [*V. 20*]; Wernz *Ius Decr. I. 152*); non habeatur abrasio vel correctio in loco substantiali et suspecto (*c. 7de religiosis domibus etc. X.* [*III. 36*]; *c. 6 de fide instrumentorum X.* [*II. 22*]); non autem si abrasio sit in loco non suspecto ut in narratione facti (*c. 3 tit. cit. X.* [*II. 22*]), vel una alterave litera desit (*c. 11 tit. cit. X.* [*II. 22*]), vel, etiam si rasura sit in loco suspecto, eam tamen in ipsa cancellaria factam fuisse ex circumstantiis (ut si rescriptum clausum et obsignatum ordinario traditum fuerit) praesumi omnino debeat (De Luca Mar. *Prael. iur. can. Introd. n. 134. 3°*); non intercedat manifestus et gravis error latinitatis (*c. 11 tit. cit. X.* [*I. 3*]); non imperetur aliquid omnino insolitum (*arg. c. 6 de prae-*

bendis et dignit. X. [*III. 5*]), vel contra publicam utilitatem vel contra ius commune, vel quod sit in praeiudicium tertii aut derogans iuri alieno (*c. 8 de rescriptis* [*I. 3*] *in 6°*), nulla facta expressa mentione. *c. 15. C. XXV. q. 2*; Schmalzgr. *in tit. 3 lib. I Decr. n. 13.*

d) Praeterea ad validitatem debent ea omnia servari, quae in rescripto apponuntur; sic, si in rescripto apponatur clausula « si preces veritate niti repereris », debet exsecutor inquisitionem hanc non omittere, secus nulla erit dispensatio. Vid. *Preces.*

e) Tandem ad validitatem necesse est, ut, si quis gratiam petierit ab aliqua congregatione, quae petitam gratiam denegaverit, si ad alteram congregationem recurrat, ut eam gratiam consequatur, habitam exprimat denegationem. *Const.* Inn. XII « Ut occurratur » *4 iun. 1692*; *Normae peculiar. post const.* « *Sapienti consilio* » *c. 1 n. 2.*

Ad hoc ut rescripta pontificia non essent nulla ex inhabilitate petentis, apponi solebat rescriptis absolutio a censuris etc. ad effectum dumtaxat rescripti consequendum; quae quidem non erat vere et proprie dicta absolutio, sed potius suspensio partialis, seu quoad certum partialem effectum, excommunicationis, quae vigebat et manebat. Praxis haec multis occasionem quaestionibus iuris valde elegantibus dederat, quae nunc, immutata in hac re disciplina, non amplius locum habent.

Iuverit hic notare, in disciplina quoque ante constitutionem « Sapienti consilio » vigente rescripta minora S. Sedis, qualia essent ex. gr. facultas legendi libros prohibitos, facultas benedicendi coronas, paramenta, etc., dispensatio a ieiunio, etc., considerari solita fuisse a S. Poenitentiaria tamquam valida, pro foro tamen conscientiae, etsi ab excommunicato obtinerentur, ne scilicet turbarentur conscientiae. Cfr. *S. Poen. 9 sept. 1898;* Monitore eccles. *vol. XV. pag. 166 sq.*

De rescriptis gratiae factae aut faciendae. — Diximus supra, rescripta dividi etiam in rescripta gratiae factae et gratiae faciendae. Vid. *Gratia facta.* 3476

Gratias enim Romanus Pontifex concedit vel in *forma gratiosa*, quando ipsemet eas concedit in gratiam petentis, et tunc semper censetur gratia facta; vel in *forma commissoria*, quando gratiam alteri concedendam remittit, et tunc modo habetur gratia facta, modo gratia facienda; nam si Romanus Pontifex aliquem constituit exsecutorem *necessarium*, ut quum dicitur in rescripto: « dispenses, absolvas », tunc enim iubet, intelligitur gratia facta (*arg. c. 9 de off. iud. deleg.* [*I. 14*] *in 6°*; cfr. etiam *respons. S. C. EE. RR. 15 iul. 1740, 7 apr. 1769, apud Bizzarri Collectanea*; Vid. *Exsecutor*), et tunc rescriptum concessum dicunt in forma *mixta* (Gasparri *loc. cit. I. 392*); si vero constituit exsecutorem *voluntarium*, ut quum in rescripto dicitur: « dispenses, absolvas, si expedire iudicaveris », vel remittit alicui preces « cum facultatibus necessariis et op-

portunis », gratia facienda intelligitur.

Ad hoc autem ut in rescriptis non habeatur subreptio vel obreptio, regula generalis est, quod in rescriptis gratiae factae, quae in forma gratiosa concessae sunt, ad exsistentiam seu veritatem causae motivae pro validitate rescripti attenditur *dies datae* seu *expeditae* (*gratiae*); in rescriptis gratiae factae, quae in forma mixta conceduntur (Garcia *de benefic. VI. c. 2 n. 283*; cfr. etiam Pyrrhum Corradum *Praxis disp. Apost. lib. VII. c. 6 n. 25*; Giovine *de disp. matr. Consult. IV. § 73*), probabilius ex constanti praxi (cfr. Reiffenstuel *App. ad libr. IV Decr. de disp. matr. n. 223*), et in rescriptis *gratiae faciendae* certo attenditur tantum *dies praesentatae* (*instantiae*); sententia autem asserens, attendendum esse tantummodo diem praesentatae, etiam quum agitur de gratia facta, quae in forma mixta est concessa, tuta est in praxi (Feije *de imped. et disp. matr. n. 727 2°*); et in casu, quo exsecutor iam sic dispensaverit, validam fuisse dispensationem sententia est tutissima. D'Ann. *I. 239*.

Nota autem quod ex novissimo iure quando agitur de dispensationibus matrimonialibus ab impedimentis minoris gradus, eae conceduntur semper ex rationabilibus causis a S. Sede probatis, idest sine aliqua causa canonica ex communiter recensitis et ita ut vim habeant ac si ex motu proprio et ex certa scientia impartitae essent. Quare nulli erunt, ut loquitur ipsa constitutio « Sapienti consilio » impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis.

De impetratione rescripti. — Quoad impetrationem rescriptorum notandum praeterea est, unumquemque posse non solum pro se, sed et pro alio, etiam sine speciali mandato, rescriptum gratiae obtinere (Suarez *de leg. l. VI. c. 13. n. 6 sqq.*; Schmalzgrueber *loc. cit. n. 7*), imo obtinere potest etiam rescriptum iustitiae; nam quamvis antiquo iure decretalium (*c. 28. § 1 tit. cit. X.* [*I. 3*]; Schmalzgr. *loc. cit. n. 6*) hoc prohiberetur, et rescriptum sic impetratum esset ipso iure nullum, in praesenti tamen disciplina hoc permittitur. Wernz *loc. cit. n. 151. III.* 3477

De interpretatione rescripti. — Quoad interpretationem rescriptorum haec notanda sunt. 3478

Sola pars dispositiva ius facit, et eius verba intelligenda sunt secundum propriam et obviam significationem, nec non secundum communem usum et stylum curiae (Bargilliat *Prael. iur. can. n. 421*); semper tamen rescriptum debet aliquid operari. *c. 25 de verborum significatione X* (*V. 40*).

Si vero in rescriptis obscurum quid vel ambiguum occurrat, distinctio facienda est inter rescripta gratiae et rescripta iustitiae; haec enim sunt strictae interpretationis (*c. 15 tit. cit. X.* [*I. 3*]; *c. 2 tit. cit.* [*I. 3*] *in 6°*), quippe quae generatim ordinarii iurisdictioni detrahunt; illa latae (*c. 16 tit. cit. X.* [*V. 40*]; *reg. 15 iur. in 6°*), nisi agatur de gratia, quae vergat in praeiudicium tertii (*c. 15 de off. iud. deleg. X.* [*I. 29*]), vel sit contra ius

commune (*reg. 28 iur. in 6°*; Wernz *loc. cit. n. 155*), vel quaestio fuerit de rescripto beneficiali (*c. 4 de praebend. etc.* [*III. 4*] *in 6°*), haec enim omnia sunt strictae interpretationis.

Si quando plura rescripta super eodem negotio impetrata sunt, quae simul in praxim deduci nequeunt, speciale rescriptum praevalet generali (*cc. 1. 14 tit. cit. X.* [*I. 3*]; *reg. 34 iur. in 6°*), etiamsi rescriptum generale sit posterius, et nullam faciat mentionem specialis rescripti antecedentis (*c. 6 tit. cit. X* [*I. 3*]); si utrumque sit aeque generale vel speciale, illud, quod prius impetratum est, praevalet posteriori (*c. 12 de off. iud. del. X.* [*I. 29*]), nisi in secundo mentio fiat derogationis factae prioris. *c. 3. tit. cit. X.* (*I. 3*).

3479 **De cessatione rescripti.** — Rescripta multiplici modo exspirant. Nam rescripta iustitiae vel gratiae faciendae exspirant cum concedente, si nempe rescribens moriatur re adhuc integra (*c. 36 tit. cit.* [*III. 4*] *in 6°*; cfr. *reg. 10 et 12 Canc. Aplcae*), idest antequam initium exsecutioni factum sit. Rescripta vero gratiae factae (etiamsi rescriptum datum fuerit in forma mixta, *S. C. EE. RR. 15 iul. 1740, 7 apr. 1769, apud Bizzarri Collectanea;* Gasparri *loc. cit. n. 392;* Feije *loc. cit. n. 734;* B. P. *VI. 1391*) durant, etiamsi rescribens moriatur re adhuc integra (*c. 9 de off. et potest. iud. del.* [*I. 14*] *in 6°*; *reg. 16 iur. in 6°*), dummodo Pontifex aliud non insinuet, v. g. per hanc aut aliam huiusmodi clausulam: « usque ad beneplacitum meum »; contra non cessaret, si hae aliae vel similes clausulae fuissent appositae « usque ad beneplacitum Sedis Apostolicae, donec Papa voluerit, donec revocavero » (De Luca Mar. *Prael. iur. can. Introduct. n. 137*).

Cessat etiam rescriptum morte exsecutoris, si is fuerit exsecutor, cuius industria electa est (*c. 36 tit. cit. X.* [*I. 3*]), idest cui iurisdictio et potestas exsequendi ratione personae, non dignitatis, quam forte habet, commissa est.

Rescriptum cessat etiam revocatione a concedente facta, quod planum est; vel renunciatione impetrantis, si eius tantum favorem contineat, dummodo renunciatio facta fuerit concedenti et ab eo acceptata.

De rescriptis S. Poenitentiariae. — 3480 Quaedam annotanda sunt quoad rescripta S. Poenitentiariae. - Haec, quae regulariter ad forum internum pertinent, mittuntur *discreto viro confessario* vel *doctori in sacra theologia aut in iure canonico.* Nunc tamen ordinarie inscribuntur *confessario approbato.* Porro doctor hic intelligitur vere doctor, qui non mero titulo, sed laurea doctorali vere insignitus est; confessarius autem ille intelligitur, cui poenitens alias confiteri potuisset; hinc si de muliere agatur, approbatus pro confessione mulierum (Bened. XIV *Inst. eccl. LXXXVII. n. 31;* D'Ann. *I. 242*); quamvis poenitens quemcumque huiusmodi confessarium possit eligere, et semel electum variare etiam possit. Vid. *Clausulae, Poenitentiaria.*

Tit. de rescriptis X. (I. 3); idem tit. (I. 3) in 6°; idem tit. (I. 2) in Clem.; *Leonelli I. B.* Tract. de subreptione rescriptorum; *Saha-*

gun D. In insigniores titulos primi libri Decretalium; *Vranius Mart.* Lecturae sive elucubrationes in aliquot titulos decretalium; *Bridler Plac.* Diss. de clausulis rescriptorum principalioribus; *Pirhing* Dissertatio de rescriptis; *De Rosa Th.* De exsecutoribus litterarum apostolicarum tam gratiae quam iustitiae; *De Crassis Io.* Tract. de rescriptis apostolicis; praeterea omnes commentatores decretalium, etc.

3151 **Reservatio beneficii.** — **De eius natura.** — Reservatio beneficii est avocatio beneficii ecclesiastici proxime vacaturi a competente superiore ecclesiastico ad se facta. Schmalzgrueber *in tit. 5 lib. III Decr. n. 209;* Reiffenstuel *in eumd. tit. n. 378.*

Reservatio beneficiorum in aliquo concordat cum affectione beneficiorum, et in aliquo ab ea discrepat. Concordat in hoc praesertim, quod ligat manus collatoris cuiuscumque inferioris; discrepat in eo praesertim, quod collatio reservati beneficii, nullo apposito decreto irritante facta, valida est, si collator reservationem ignoravit; affectio e contra, etiam sine addito decreto irritante, irritat actus in contrarium gestos, et ligat ignorantes. Reiffenstuel *loc. cit. num. 412;* Pirhing *in tit. 5 lib. III Decr. n. 320.*

Nota reservationem beneficiorum, quippe quae derogat ordinariae potestati, esse odiosam ac proinde restringendam; quare non inducitur, nisi in casibus expressis. Glossa *in c. 3 tit. 5 lib. III in 6° v. « Finitur legatio »*; Reiffenstuel *loc. cit. n. 388 sqq.*

Nec solum odiosa est reservatio specialis (quae nempe fit circa aliquod beneficium in particulari), sed etiam reservatio generalis (quae tunc habet locum, quum plura beneficia in communi et per legem aliquam reservantur). Reiffenstuel *l. c. n. 391 sqq.* Hinc reservatio generalis beneficiorum complectitur solummodo beneficia perpetua seu proprie dicta, non autem beneficia manualia seu ad nutum revocabilia, sive sint secularia sive regularia (Laymann *Th. mor. lib. IV. tr. 2 cap. 11. n. 1;* Garcia *de benefic. p. V. c. 1. n. 510;* Reiffenstuel *loc. cit. n. 394*); nec comprehendit beneficia iurispatronatus laicalis ex titulo, non ex privilegio habiti (Covarruvias *Pract. quaest. cap. 36. n. 1 sqq.;* Reiffenstuel *loc. cit. n. 395*), aut etiam iurispatronatus mixti (Pirhing *loc. cit. n. 324;* Reiffenstuel *loc. cit.;* beneficia iurispatronatus ecclesiastici subiecta sunt regulis affectionum et reservationum, *S. C. C. in Pinerolien. 17 dec. 1898*) vel ea, quae vacant ex causa permutationis (Laymann *loc. cit. num. 2;* Pirhing *loc. cit. num. 325;* Reiffenstuel *loc. cit. num. 397*), et alia huiusmodi.

3152 **Quinam beneficia reservant.** — Antiquo iure (*c. 3 de officio legati* [*I. 15*] *in 6°*) legatus a latere poterat beneficia, quae in sua provincia vacassent tempore suae legationis, collationi suae reservare; nunc reservatio beneficiorum ab uno Romano Pontifice fit. Santi *in tit. 5 lib. III Decr. n. 48.*

3153 **De reservationibus vigentibus.** — Reservationes vigentes hae sunt:

a) Reservantur collationi Pontificis omnia beneficia, quae vacant apud sedem Apostolicam vel in curia (quae duae dictiones probabiliter semper,

sed in materia reservationis beneficiorum certo idem significant, Reiffenstuel *loc. cit. n. 433 sqq.*; Schmalzgrueber *loc. cit. n. 219*). *cc. 2. 3. 34 de praebendis etc.* (*III. 4*) *in 6°; c. 1 ut lite pendente etc.* (*II. 5*) *in Clem.*

Vacare autem apud sedem Apostolicam vel in curia ea beneficia dicuntur, quae vacant per obitum seu mortem naturalem beneficiatorum in loco, ubi curia est, aut intra duas dietas seu quadraginta milliaria italica ab ea. Reiffenstuel *loc. cit. n. 453.* Necesse tamen est, ad hoc ut in curia beneficium vacare dicatur, quod beneficiatus ad curiam venerit litis vel negotii tractandi causa; non enim illius beneficium reservatum esset, qui Romae moreretur, quo venerat ad recreationem sumendam, vel ad negotium non apud curiam tractandum, vel alia simili de causa. Reiffenstuel *l. c. n. 448.* Beneficia tamen curialium, qui, dum curiam sequuntur, alicubi infirmi manserint ibique mortem obierint, Romano Pontifici reservantur, ubicumque decesserint. *c. 34 tit. cit.* [*III. 4*] *in 6°.*

Curia vero ibi est, ubi est Romanus Pontifex cum cancellaria, tribunalibus et officialibus suis (Covarruvias *loc. cit. c. 4. n. 10*; Pirhing *loc. cit. n. 334*; Gonzalez *ad reg. 8. Canc. gloss. 13* § *1. n. 2*; Reiffenstuel *l. c. n. 451*); vel tum ubi est Romanus Pontifex, tum ubi est eius cancellaria cum tribunalibus, etc., si nempe Romanus Pontifex, in loco suae ordinariae residentiae his relictis, alio proficisceretur. *Const.* Clem. VIII « Quum ob nonnullas » *10 apr. 1598*; Reiffenstuel *loc. cit. n. 452.*

b) Beneficia quoque, quae vacant per depositionem aut privationem beneficiati, factam per sententiam auctoritate apostolica latam et directe infligentem privationis poenam, Romano Pontifici reservantur. *c. 13 de praeb. etc.* [*III. 2*] *in Xvag. comm.*

c) Similiter Romano Pontifici sunt reservata beneficia omnia, quae vacant per renunciationem in manu Romani Pontificis (*c. 13 nuper cit.*), vel propter illicitam retentionem alterius beneficii incompatibilis. *c. un. de praeb. et dign. in Xvag. Ioannis XXII.*

d) Reservantur Romano Pontifici maior dignitas cuiusque ecclesiae cathedralis, vel principalis dignitas cuiusque ecclesiae collegiatae, dummodo earum reditus excedant decem aureos de camera. *Reg. 4 Cancell.*

e) Pariter beneficia, quae officiales Romanae Curiae (etiam et in primis S. R. E. Cardinales eorumque familiares), collectores et subcollectores R. C. A. (sed, si in una dioecesi duo sint huiusmodi collectores, reservatio cessat, D'Ann. *III. 33* [*13*]), dum tales erant, obtinebant, eodem modo sunt reservata.

f) Beneficia, quae vacant in titulis S. R. E. Cardinalium, dum absunt, similiter reservantur. *Reg. 8 Cancell.*

g) Romano Pontifici reservantur etiam beneficia, de quibus ordinarii collatores disposuerint contra decreta Concilii Tridentini. *Reg. 1 Cancell.*

h) Sic etiam beneficia, quae fuerint resignata, non facta publicatione resignationis secundum formam a Gregorio XIII praescriptam (*Const.* Greg. XIII « Humano vix iudi-

cio » *5 ian. 1584; Const.* Ben. XIV « Ecclesiastica » *25 iun. 1746*), vel vacantia propter crimen haereseos (*Const.* Pii V « Quum ex apostolatus » *27 ian. 1567*), aut recepta per simoniam confidentialem (*Const.* Pii V « Intolerabilis » *11 ian. 1569*), vel quae clericorum sunt, qui tonsuram et habitum clericalem non deferunt (*Const.* Sixti V « Quum sacrosanctum » *19 ian. 1589; Const.* Ben. XIII « Apostolicae ecclesiae » *2 maii 1725*), vel eorum, qui pro aliis simulato nomine examen subeunt ad beneficia, aut pensiones offerunt ut beneficia obtineant (*Const.* Pauli IV « Inter ceteras » *23 nov. 1557*), vel etiam officia parochialia, quae collata fuerunt non servata lege Tridentina concursus (*Const.* Pii V « In conferendis » *18 mart. 1567*), Romano Pontifici sunt reservata. Reservata etiam sunt Romano Pontifici beneficia liberae collationis solius ordinarii, quae vacant viduata sede episcopali. *Reg. 2. 5 Cancell.*

i) Reservata praeterea sunt beneficia (omnia prorsus), quae vacant (quomodocumque vacent) mensibus pontificiis idest mensibus ianuario, februario, aprili, maio, iulio, augusto, octobri, novembri. *Reg. 9 Cancell.*

Dies autem mensium computantur a media nocte (Garcia *de beneficiis p. V. c. 1. n. 523;* Gonzales *in reg. 9 Cancell. gloss. 2. n. 9*); in dubio utrum beneficium vacaverit in mense pontificio vel non, utputa an ante vel post mediam noctem inter diem tricesimam novembris et primam decembris, ordinarius potest libere illud conferre, quia ipse habet intentionem fundatam in iure conferendi omnia beneficia suae dioecesis, de quorum reservatione non constat. Reiffenstuel *loc. cit. n. 500;* Schmalzgrueber *loc. cit. num. 309.*

Ab hac regula reservationis quoad menses pontificios excipiuntur beneficia his mensibus in manus ordinariorum renunciata. D'Ann. *III. 33* (*21*).

Nota tamen, patriarchas, archiepiscopos et episcopos, qui apud ecclesiam aut dioecesim suam vere et personaliter resederint, posse omnia et quaecumque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, secularia et regularia (ad liberam ipsorum dumtaxat, non autem aliorum cum iis, dispositionem seu praesentationem vel electionem, nec etiam cum consilio vel consensu seu interventu capitulorum vel aliorum aut alias pertinentia), quae in mensibus februario, aprili, iunio, augusto, octobri, decembri extra curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias dispositioni apostolicae reservata vel affecta non fuerint) libere disponere. Idest hi habent cum papa mensium alternativam etc., ut mense ianuario papa, februario episcopus de beneficiis supradictis disponat, et sic deinceps. *Reg. Canc. 9.*

h) Generali etiam reservatione ad Romanum Pontificem pertinet collatio omnium patriarchalium, primatialium, archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum. *Reg. 2 Cancell.*

Notandum tamen est quoad dicta beneficia, quae vacant in curia *per obitum,* ea, nisi intra mensem a die vacationis (non scientiae, Pirhing *loc. cit. n. 328*) collata fuerint, ad ordinarios, qui eorum collatores naturales

sunt, redire (*c. 2 tit. cit.* [*III 4*] *in 6°*); et reservationes, quae cancellariae regulis continentur, viduata sede pontificia, cessare, quia hae regulae, mortuo pontifice, cessant. Attamen, si ordinarius, durante viduitate romanae ecclesiae, ea non contulerit, iterum reservata fiunt, postquam novus pontifex (idest postero electionis die) regulas illas, saltem tacite, renovaverit. Riganti *in reg. 68 Cancell. n. 33;* D'Ann. *III. 34 (28).* Verum ad hoc requiritur, ut vacatio contigerit sede apostolica vacante, non prius, et quod beneficium, de quo agitur, non sit aliunde reservatum ratione ipsius beneficii aut personae, quae illud obtinebat. Cfr. D'Ann. *loc. cit.*; Mon. eccl. *vol. XV pag. 269.*

Ecclesiarum vero parochialium collatio, ne diutina earum vacatio animarum bono praeiudicet, quocumque modo vacaverint, etiam restitutis per novum Romanum Pontificem regulis cancellariae, mortuo Romano Pontifice, penes ordinarium probabilius, vel saltem valde probabiliter, est. *c. 35 de praebendis etc.* (*III. 4*) *in 6°;* Riganti *in reg. XI Cancell. n. 24 sqq.; et in reg. LVIII Cancell. num. 14;* D'Ann. *loc. cit.* (*29*). Relate ad superius dicta, Vid. *Affectio.*

Perusio G. Tractatus valde utilis et necessarius de reservationibus apostolicis; *Gomesius* Tractatus utilissimus reservationum papalium et legatorum; *Granutius* Tract. reservationum beneficiorum; *Simonetta Iac.* Tract. de reservatione beneficiorum; *Gonzales Hier.* In regulam octavam Cancellariae apostolicae; *Lnx K.* Constitutionem apostolicarum de generali beneficiorum reservatione ab a. 1265 usque ad a. 1378 etc.; Reliquam bibliographiam quaere sub *Beneficium, Regulae, Cancellariae.*

Reservatio casuum. — **Eius definitio.** — Reservatio casuum est casus alicuius (idest sive peccati sive censurae) ad iudicium superioris avocatio, ac proinde est limitatio iurisdictionis inferiorum iudicum quoad aliquos casus. Cfr. Conc. Trid. *sess. XIV de poen. cap. 7 et can. 11.* 3484

Quibus sit potestas reservandi casus. — Active competit his, qui habent iurisdictionem ordinariam saltem in foro interno. B. P. *V. 429;* G. B. *II. 382 (1).* 3485

At parochi in praxi, ex praesenti ecclesiae disciplina, inutiliter casus reservarent, quum approbati ab episcopo simul ab eo iurisdictionem accipiant, quam parochus coarctare et restringere nequit. B. P. *loc. cit.*

Quare haec potestas sibi reservandi casus nunc competit Romano Pontifici pro tota ecclesia, episcopis pro sua dioecesi, praelatis regularibus pro suis religionibus.

Attamen episcopi non possunt reservare casus iam reservatos a Romano Pontifice. Cfr. Monitore eccl. *vol. XI pag. 31.* Quid si episcopus reservaret sibi casum iam reservatum Romano Pontifici in hypothesi, quod non incurratur propter ignorantiam censurae? Et videtur dicendum, episcopum idipsum facere posse, quum in casu suppetias quasi ferat Romano Pontifici. Superiores autem, qui sine iusta causa casus sibi reservant, peccant graviter. S. Alph. *VI. 579;* Suarez *de poen. disp. XXIX. s. 4. n. 1.*

Quaenam peccata reserventur. — 3486

Ex consuetudine ecclesiae non reservantur peccata, quae non sint mortalia, externa (et quidem ita ut ipsa exterior actio secundum se habeat gravitatem, nam secus, licet peccatum alioquin ex prava intentione interius fuerit grave, non censetur reservatum, B. P. *V. 435*), consummata. Lugo *de poenitentia disp. XX. n. 15;* B. P. *loc. cit.;* D'Ann. *I. 342*.

3487 **De natura reservationis et de iis, quae consequuntur relate ad absolutionem. — Quid sit reservatio.** — Ex data definitione patet, reservationem afficere immediate confessarium, nec generatim imponi tamquam poenam. D'Ann. *I. 343*.

Attamen aliquando in poenam imposita est, ut expresse habemus quoad crimen falsae denunciationis sollicitationis in sacramento poenitentiae in bulla Benedicti XIV « Sacr. poen. » *1 iun. 1741*.

Si imposita fuerit in poenam, quum agatur de poena extraordinaria, ad eam incurrendam requiritur scientia reservationis (Vid. *Poena*); hinc in casu ignorans reservationem eam non incurrit. Si quando autem in poenam imposita non est, tunc et eam ignorantes afficit. Cfr. Bucc. *II. 796*.

Attamen plures sunt, qui in ipsa reservationis natura vident semper rationem quamdam poenae saltem medicinalis; hinc concludunt reservationem non tenere ignorantes, qui ea non iuvarentur. B. P. *V. 478 sqq.; V. Append. n. 206. sqq.* Confessarius autem in casu deberet poenitentem de resevatione monere. B. P. *l. c.* Certe haec sententia probabilis est saltem extrinsece, quare in praxi confessarius absolvere potest illum, qui peccatum reservatum admisit reservationem ignorans.

Si vero legislator explicite diceret comprehendere se in reservatione eam quoque ignorantes, hoc vim suam haberet. Si tamen episcopus, reservatis quibusdam peccatis, declararet simul reservationem afficere ignorantes, et illicite ageret, quia non potest theoreticas quaestiones definire (Mon. eccl. *vol. XI p. 29*), et declaratio nullum effectum haberet, quia est actus intellectus non voluntatis.

De peccato, cui annexa est censura reservata. — 3488 Si peccatum reservatur, eique annectitur reservata censura, quaeritur num ignorantia sive censurae sive reservationis a reservatione excuset. Et si reservatio peccati est accessoria, censurae vero principalis, id quod excusat a censura, excusat etiam a reservatione. Cfr. *Reg. 42 iuris in 6°*. Hoc locum habet in casibus papalibus, qui excepta falsa accusatione de sollicitatione, omnes reservantur propter censuram; quare, ea ignorata, reservatio non incurritur.

An idipsum valeat etiam in casibus episcopalibus reservatis cum censura controvertitur, sed verius idem iuris est in his ac in papalibus. D'Ann. *I. 340;* B. P. *V. 438 nota n. 8*.

De absolutione a peccatis reservatis relate ad peregrinos. — Quaestio fit, utrum peregrinus a peccato in sua dioecesi reservato possit absolvi, ubi reservatum non est. Et quaestio pendet a quonam confessarius accipiat iurisdictionem. Porro quum sententia, quae dicit confessarium in recenti disciplina iurisdictionem in peregrinum

non accipere ab episcopo peregrini, sed ab episcopo loci, in quo confessio excipitur, vel secundum quosdam certa (D'Ann. *I. 336*), vel secundum omnes probabilissima sit; in casu peregrinum absolvi posse a reservatis certum est.

Sequitur ex praemissis, non posse per se absolvi peregrinum, qui in sua dioecesi commisit peccatum ibi non reservatum, illudque confitetur ei, qui confessarius est in loco, ubi, viget reservatio illius peccati. Attamen quum sententia, quae tradit confessarium accipere iurisdictionem in peregrinum ab ordinario ipsius peregrini, probabilis vere sit, in praxi hic peregrinus posset absolvi. G. B. *II. 385*. Quare tum qui peccatum patrat ubi non est reservatum, et illud ubi est reservatum confitetur, tum qui peccatum patrat ubi est reservatum, et confitetur ubi non est, dummodo in fraudem reservationis (id est praecise ad declinandum iudicium proprii pastoris, qui nihilominus est invitus, et solum in hunc finem, B. P. *V. 471*) eo se non contulerit, in praxi a quolibet confessario potest absolvi; quoad censuras non est idem dicendum.

3489 **De absolutione a censuris reservatis relate ad peregrinos.** — In censuris enim respiciendus est locus, ubi censura contracta est. Hinc peregrinus non potest absolvi in alia dioecesi a censura, quam in sua incurrerat, quaeque ibi est reservata; etsi in dioecesi, in qua confitetur, reservata non sit. D'Ann. *I. 341*. Attamen a censuris non reservatis, quas quis in propria dioecesi incurrit, ordinarium alienae dioecesis, et ab iis, quas in aliena dioecesi incurrit, ordinarium dioecesis propriae absolvere posse certum est. Tolet. *I. 17. nn. 6. 7*; D'Ann. *loc. cit. nuper cit.* (*27*). Vid. *Censura*.

Quinam casus reservari possint a facultatem habentibus. — **Principium generale.** — Qui habent potestatem reservandi, non possunt tamen omnia ad arbitrium reservare; nam, ut ipsum Tridentinum (*loc. cit.*) dicit, potestas haec ipsis tributa est *in aedificationem, non in destructionem*. Hoc sacrae romanae congregationes episcopis saepissime suaserunt et iusserunt, ut paucos eosque tantum, quos ad christianam disciplinam retinendam animarumque sibi creditarum salutem, pro cuiusvis dioecesis statu et qualitate *necessario* reservandos esse iudicassent, reservarent; ne alioquin, sacramenti poenitentiae ministrorum potestate coarctata, sanctae Matris ecclesiae piae menti contrarius effectus subsequatur. *S. C. EE. RR. 9 ian. 1601, 26 nov. 1602 apud* B. P. *V. 483*; *Instr. S. C. P. F. ad provic. Sutchuen. 18 mart. 1817*. 3490

Quibus instructionibus cohaerenter Sacra Congregatio Concilii (*29 ian. 1661*) aucto ab episcopo Bellicestrensi supra modum catalogo casuum reservatorum. iussit, decem aut ad summum duodecim gravioribus exceptis, episcopi arbitrio designandis, ceteros e catalogo deleri; et (*die 3 iul. 1677*) improbavit ordinationem episcopi Miracensis, qui sibi reservaverat peccata clericorum contra sextum praeceptum, et asserebat: « quia multi ex clero procliviores erant ad libidinem

nobis reservavimus hunc casum, eaque severitas multum profuit ad morum emendationem ». Cfr. etiam quoad hoc decretum S. C. (*28 nov. 1725*), quo plures reprobatae sunt et sublatae reservationes factae a vicario apost. missionis occident. in regno Tungkinensi (*Coll. P. F. ed. alt. n. 304*).

3491 **Quaenam reservare possint superiores regulares.** — Peccata, quae reservari possunt a superioribus religiosis absque consensu capituli, etiam sub censura (*S. C. EE. RR. 7. iul. 1617*), undecim sunt ex decr. Clementis VIII (*26 maii 1593*) confirmato ab Urbano VIII (*21 sept. 1624*).

Haec autem sunt:

1° Apostasia a religione, etiam retento habitu.

2° Nocturna ac furtiva e monasterio egressio.

3° Veneficia, incantationes et sortilegia.

4° Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale.

5° Furtum mortale de rebus monasterii.

6° Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

7° Iuramentum falsum in iudicio legitimo.

8° Procuratio, consilium vel auxilium ad abortum foetus animati, etiam effectu non secuto.

9° Occisio vel vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personae.

10° Falsificatio manus vel sigilli officialium monasterii.

11° Malitiosum impedimentum, retardatio vel aperitio litterarum a superioribus ad inferiores, vel contra.

Alia peccata vel alias censuras reservare uullo modo possunt sine matura discussione et consensu capituli generalis pro toto ordine, aut provincialis pro provincia. *Decr. cit.*

Quinam absolvere possint a reservatis — A reservatis regulariter possunt absolvere hi, qui reservationem introduxerunt eorumque successores, et hi, qui vel ex officio vel ex speciali concessione, delegatam habent facultatem; praeter hos vero nemo alius, ne regularis quidem, exceptis probabiliter reservatis ordinario a iure vel consuetudine. S. Alphons. *VII. 99;* D'Ann. *I. 344* (*42*). 3492

Episcopi absolvere possunt a casibus papalibus, dummodo occulti sint et non specialiter reservati. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 6 de ref.;* Bucc. *II. 800.*

Secus, generatim loquendo, recurrendum ex recenti iure per litteras ad s. Poenitentiariam; attamen est exceptio pro casibus urgentioribus, de qua vide sub *Censura.*

Nota, eos qui a S. Sede delegatam habent facultatem absolvendi a reservatis non posse absolvere a casibus episcopo reservatis, nisi de eius licentia. Cfr. *S. C. P. F. 6 aug. 1753, 1 dec. 1838.*

Quoad casus episcopales haec notanda sunt. Casus episcopales dividuntur in reservatos *nobis* et in reservatos *a nobis;* reservati nobis ii dicuntur, qui a iure episcopis reservantur et continentur constitutione « Ap. Sedis » (D'Ann. *I. 339. 19*); reservati a nobis ii sunt, quos episcopi ipsi sibi reservant.

Illi, qui habent facultatem absolvendi a casibus papalibus, possunt ab-

solvere et ab iis, qui inter eos reservantur episcopis. (G. B. *II. 386*).

In casibus urgentioribus idem dicendum esse de casibus episcopalibus etsi reservatis *a nobis,* ac de casibus papalibus tradit Gury Ball. *II. 387.* Attamen de obligatione in hoc casu scribendi ad episcopum non constat; imo non bene videretur ea imponi, quum facilius sit evulgationis periculum, facilior violatio sigilli.

In articulo mortis nulla est reservatio, ut patet ex sequenti declaratione s. Officii (*29 iul. 1891*), scilicet: « Non sunt inquietandi qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis concessam a sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus; et qui tenent validam esse absolutionem in eodem articulo mortis concessam a peccatis reservatis, sive simpliciter, sive cum censura, per sacerdotem non habentem iurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse facile potuisset sacerdos habens praedictam iurisdictionem ».

3493 **De absolutione a reservatis quoad regulares.** — Quoad regulares nota, superiores (ex constitutione Clem. VIII « Sanctissimus » *26 maii 1593*), teneri duos (numquam unum tantum, B. P. *V. 459. a*; G. B. *II. 385. 15*), tres, aut. plures confessarios pro subditorum numero maiore vel minore deputare, qui docti sint, prudentes ac caritate praediti, quique eos a non reservatis absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrunt, in quibus eam debere committi *ipse in primis confessarius iudicaverit* (*Const. cit.* §. *5*).

Si huiusmodi regularium confessariis casus alicuius reservati facultatem petentibus superior dare noluerit, potest nihilominus confessarius *illa vice* (non una tantum vice, sed toties quoties petita a confessario facultas ei denegatur, B. P. *V. 457*) poenitente regulares, etiam non obtenta a superiore facultate, absolvere. *Decl. eiusdem Clementis VIII ad calcem decreti sup. citati.* Hoc valere pro confessario quoque monialium, quando hic facultatem petit ab earum ordinario, sive hic sit praelatus regularis sive loci episcopus (prout nempe monasterium sit, vel non sit exemptum) auctor est Pellizarius *de monial. c. 9. n. 29.*

Praeterea in parvis communitatibus (quae eae censendae videntur, in quibus saltem duodecim religiosi non sint, B. P. *V. 432*) superiores omnino deputare debent habitualiter unum confessarium ex religiosis proprii ordinis, qui facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in ordine reservatis. *Decr. S. C. EE. RR. 16 aug. 1886 appr. et confirm. a Pio IX die sequenti.*

Superior, quando ab eo requiritur facultas absolvendi a reservato aliquo, tenetur *sub gravi* facultatem concedere, quoties prudenter timeri potest spirituale subditi damnum, ut saepe prudenter timendum est ob humanam fragilitatem. Lugo *de poen. disp. XX. n. 141;* Suarez *de relig. t. IV. tr. VIII lib. 2. c. 16. n. 4;* B. P. *V. 455.* Hinc S. Thomas (*in IV. d. 17 q. 3. a. 3. q. 4. ad 6*) dicit. « Peccaret autem sacerdos, si non esset facilis ad praebendam licentiam confitendi al-

teri; quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur; unde illi, qui sunt nimis sollicit, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, et per consequens sibi ipsis ». Et Suarez (*de poen. disp. XXX sect. 4. n. 8*) ait: « Unde addo ulterius, etiamsi speretur aliorum utilitas ex negatione talis facultatis, non esse negandam cum tanto detrimento subditi, quia sacramentum hoc per se institutum est in bonum poenitentis, et ad eumdem finem data est haec potestas, et ad eumdem ordinatur reservatio. Ergo non licet per hoc medium aliorum utilitatem procurare cum tanto subditi detrimento; praesertim qnia moraliter numquam fit sine sacrilegio et gravi iniuria ipsius sacramenti. Sic etiam ipsa confessio fit odiosa et difficilis, quod est gravius incommodum, propter quod vitandum quaelibet alia utilitas parvi pendenda est »; et (*loc. cit. n. 9*), idem Suarez dicit: « unde, *ut concedatur, satis esse debet, quod nulla specialis ratio ad eam negandam occurrat*; ut autem negetur, semper intervenire debet aliqua specialis ratio, quae id requirat ». Specialis autem haec ratio ad hoc reducitur, ut ex admisso peccato scandalum vel grave damnum immineat vel religioni, vel domui, vel alteri, vel ipsi poenitenti, quod poenitens teneatur removere, et cui aliter occurri non possit, nisi rei notitiam superiori præbendo. B.P. *V. 459.*

Notanda praeterea est in hac materia *obligatio sigilli*, qua tenetur confessarius qui licentiam petit, et superior. qui eam concedit. Quare confessarius cavere sedulo debet, ne quid dicat, quo poenitens vel ab ipso superiore cognosci possit; et si quando hoc timeri posset, satis esset si diceret aliquem in casum reservatum incidisse, ex quo nullum timendum est damnum nec alteri nec ipsi poenitenti. B. P. *loc. nuper cit.* Et si quando etiam hoc solum dicendo poenitens a superiore probabiliter cognosci posset, confessarius certo non posset facultatem absolvendi a superiore petere, et, ut videtur, posset poenitentem sine ulla petita facultate absolvere; neque enim putandum est, iurisdictionem illi in hoc casu restrictam esse.

Superior autem et ipse stricto confessionis sigillo tenetur, sive poenitens ipsi confessus sit, sive ei se sistat tantummodo mandata ab eo humiliter suscepturus, sive confessarius ab ipso petierit facultatem absolvendi. S. Alph. *VI. 647;* D'Ann. *III. 361.* Quare superior, qui a confessario petente facultatem absolvendi a reservatis curiose inquireret aut aliud quid faceret, unde coniicere posset, quis ille sit, pro quo petitur, graviter peccaret; nec debet alias circumstantias exquirere, quam quae ad rem pertinent.

An reservatio tollatur per confessionem nullam aut sacrilegam. — Reservatio verius tollitur per confessionem nullam et etiam sacrilegam (B. P. *V. 502*), nisi talis sit ex culpabili reticentia ipsius peccati reservati (S. Alph. *VI. 598*), imo etsi quis confiteatur apud superiorem reservatorum obliviscens. D'Ann. *III. 323*; Lugo *de poen. disp. XX. n. 91*; G. B. *II. 393.* 3494

De interpretatione reservationis. — Omnis reservatio est odiosa, ideo strictam recipit interpretationem.

Quare nec in dubio facti nec in dubio iuris peccatum aliquod habendum est ut reservatum. B. P. *V. 520*; D'Ann. *I. 342*.

Chappeauille Io. Tr. de casibus reservatis; *Finelin Lact.* Casuum ordinariis reservatorum methodica collectio; *Gambarupta Hor.* Trat. de casibus reservatis Sedi apostolicae et locorum ordinariis; *De Bonis Homob.* De casibus reservatis tum episcopis tum regularibus praelatis; *Floroni Luc.* Tractatus de casibus reservatis; *Coriolani Fr.* Tract. de casibus reservatis iuxta regulam decreti Clem. VIII regularibus praescriptam; *Bellochius Petr.* Praxis de casibus reservatis; *De Monteoliveti* De casibus reservatis; *Bossi Ang.* Tr. de triplici privilegio iubilari; *A Drepano Iuniperus* De casibus reservatis; *Cabrini Ios.* Elucidatio casuum reservatorum; *Bartagna* De casuum reservatione in sacramento poenitentiae; *Hausmann* Gesch. d. päpstlichen Reservatfälle; *Buohler I. B.* Die Lehre v. d. Reservatfällen; *Pruner I.* De iurisdictione ecclesiae in foro externo ac de casuum reservatione; *v. Holtum G.* Bewahrt d. Unkenntnis d. bischöfl. Reservatfälle vor d. Reservation? *Dolhagaray* Deux cas réservés au souverain Pontife; *De P. Blachére F.* Les péchés réservés.

3495 **Residentia.** — **De residentia episcoporum.** — Inter alias obligationes, quibus tenentur episcopi, ea est inter praecipuas, ut in sua ecclesia vel dioecesi personaliter resideant. Conc Trid. *sess. XXIII. c. 1 de ref.*; *Const.* Urban. VIII « Sancta Synodus » *12 dec. 1634*; *Const.* Bened. XIV « Ad universae » *3 sept. 1746.*

3496 **Quaenam debeat esse.** — Nec sufficit, ut episcopus in sua dioecesi materialiter resideat, sed eius residentia debet esse vera et formalis, idest laboriosa. *Const.* Ben. XIV « Grave et permolestum » *15 aug. 1741.*

An abesse aliquamdiu liceat. — Episcopi 3497 tamen sine ulla licentia possunt quotannis a dioecesi abesse duobus, vel ad summum tribus mensibus, sive continuis sive interruptis, dummodo id faciant aequa ex causa et sine ullo gregis detrimento (Conc. Trid. *loc. cit.*); at non possunt trimestre unius anni cum trimestri alterius coniungere, vel cum eo tempore, quo ad Urbem venire tenentur ad visitanda sacra limina. *Const. cit. Ben. XIV 3 sept. 1746.* Nec ille, qui uno anno ab ecclesia sua non abfuit, potest insequenti anno bis per trimestre abesse. *Const. cit. Ben. XIV. 3 sept. 1746.*

Ut episcopi longius protrahere possint suam absentiam a dioecesi, necesse est, ut legitimas habeant causas; quae causae a concilio Tridentino (*loc. cit.*) revocantur ad christianam caritatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, evidentem ecclesiae vel reipublicae utilitatem.

Hae causae ex praescripto concilii Tridentini a Romano Pontifice aut metropolitano, vel, eo absente, suffraganeo episcopo antiquiori residente (qui debebat etiam probare absentiam metropolitani) in scriptis sunt approbandae, nisi quum absentia inciderit propter aliquod munus et reipublicae officium episcopatibus adiunctum. At Urbanus VIII (*Const.* « Sancta Synodus » *12 dec. 1634*, quam constitutionem confirmavit etiam Benedictus XIV *Const.* « Ad universae »

3 sept. 1746) hanc approbationem causarum absentiae ultra trimestre sanctae Sedi reservavit, quae eam concedebat per sacram congregationem super residentia episcoporum, nunc autem per S. Congr. Consistorialem.

An episcopus, qui nostra aetate in deputatorum aut senatorum numerum sit ascitus, teneatur, ad interveniendum comitiis, si absentia protrahatur ultra tres menses etiam discontinuos, exquirere veniam Sedis apostolicae, diiudicandum est ex praemissis; idest, si munus illud ordinarie coniunctum est cum ipsa sede episcopali, quam regit, ita ut episcopus, quatenus est episcopus, sit simul deputatus aut senator, non tenetur hanc veniam exquirere; si autem munus deputati vel senatoris sit munus personale alicuius episcopi, qui non ratione episcopatus, quem regit, sed alia ratione, idest legitima electione, hoc munus habeat, tenetur veniam exquirere. Lucidi *de vis. sacr. lim. I de secundo relationis capite n. 4.*

3498 **De residentia prope ipsam ecclesiam cathedralem aliquando requisita.** — Praeterea concilium Tridentinum episcopos admonet et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime et in Domino gaudere pastoris praesentia oves debent, ipsi ab ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua dioecesi eos alio vocent. Conc. Trid. *loc. cit.*

Quare his temporibus episcopi residere tenentur non tantum in dioecesi, sed etiam prope ipsam cathedralem, aliis vero temporibus, dummodo in dioecesi resideant, etsi extra civitatem, quae dioecesis caput est, moram trahant, non sunt habendi rei violatae legis residentiae. *S. C. C. in Civ. Castell. 18 iun. 1624; in Acernen. 17 maii 1636.*

Attamen nota, quod etiamsi episcopus non residens apud cathedralem temporibus supra enumeratis ex Tridentino violet legem residentiae, non tamen subiacet poenis iure statutis; hae enim poenae manent solummodo eos, qui extra dioecesim resident. Cfr. *S. C. C. in Calaguritana 3 sept. 1740;* Lucidi *loc. cit. n. 9.*

De poenis in episcopos non residentes. 3499 — Episcopi obligationem hanc residentiae violantes graviter peccant (Conc. Trid. *loc. cit.*); praeterea hanc poenam incurrunt, ut nempe pro rata temporis absentiae fructus suos non faciant, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere possint; sed teneantur aut ipsi, aut iis cessantibus, superiores ecclesiastici erogare eos fructus fabricae ecclesiarum aut pauperibus loci, prohibita quavis conventione vel compositione, quae pro fructibus male perceptis appellatur; ex qua etiam praedicti fructus in totum aut pro parte eis remittantur. Conc. Trid. *l. c.*

Praeterea, si absque legitima causa absentiam ad sex menses producant, ipso iure incurrunt poenam amissionis quartae partis fructuum unius anni, et si eam producant ad alios sex menses, amittunt aliam quartam partem fructuum.

Si vero ultra annum hanc illegiti-

mam absentiam producant, debet metropolitanus suffraganeum absentem, metropolitanum vero absentem antiquior suffraganeus residens, denuntiare infra tres menses Romano Pontifici. Conc. Trid. *sess. VI. c. 1 de ref.*

Insuper violantes hanc residentiae legem incurrunt poenam ferendae sententiae privationis a regimine et administratione suarum ecclesiarum et amissionis facultatis testandi (*Const.* Pii IV «In suprema» *25 nov. 1564*); privationis ipso facto iurium et privilegiorum, quae ipsis tamquam pontificio solio assistentibus forte concessa sunt (*Const. cit. Ben. XIV* «Ad universae»); privationis gratiae alternativae mensium quoad collationem beneficiorum (Vid. *Reservatio beneficii*); inhabilitatis ad maiores dignitates et ecclesias obtinendas. *Decr. Clementis VIII.*

3500 **De residentia cardinalium episcoporum suburbicariorum.** — Cardinales episcopi suburbicarii Romae, non in sua dioecesi, residere tenentur. Vid. *Suburbicarii episcopi.*

De residentia parochorum (*remissive*). — Quoad residentiae obligationem in parochis, Vid. *Parochus.*

De residentia canonicorum (*remissive*). — Quoad residentiae obligationem in canonicis, Vid. *Canonici, Chorus.*

3501 **De residentia superiorum regularium.** — Officium quoque superiorum regularium residentiam exigit; haec autem regitur constitutionibus et statutis cuiuscumque ordinis seu congregationis. Laurentius *Instit. iur. eccl. n. 852.*

3502 **De residentia clericorum.** — Clerici, qui habent beneficium quoddam simplex, de iure communi et ipsi tenentur residere in loco beneficii; attamen ex consuetudine ab hoc onere liberantur, nisi ex fundatione aliud requiratur. Reiffenstuel *in tit. 4 lib. III Decr. n. 8 sqq.*

Verum nota, quod neque beneficiati isti simplices neque clerici etiam non beneficiati omnino a residentia deobligantur. Scilicet ecclesiae maxime semper displicuerunt clerici vagantes et in varias et incertas sedes abeuntes. Hinc iam ex antiquiore disciplina quicumque aliquem ecclesiasticum ordinem susciperet, certae alicuius ecclesiae servitio mancipabatur, cui in adepto ordine ministrare debebat. Ben. XIV *de syn. lib. XI. c. 2. n. 4.* Postea increbrescentibus progressu temporis ordinationibus absolutis, concilium Tridentinum antiquam legem concilii Chalcedonensis (*c. 1. dist. LXX*) instauravit statuens, ut nullus in posterum ordinaretur, qui illi ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumebatur, non ascriberetur, ubi suis fungeretur muneribus, nec incertis vagaretur sedibus. Quod si locum, inconsulto episcopo, deseruerit, voluit idem concilium, ut ei sacrorum exercitium interdiceretur. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 16 de ref.*

Quare potest episcopus prohibere sub certa poena, ne clericus ullus, etiam in minoribus constitutus, sine licentia ordinarii a dioecesi discedat (*S. C. C. in Larinen. 30 aug. 1732*); attamen petenti hanc licentiam, sine causa iusta denegare non posset. *S. C. C. in Seguen. 13 sept. 1749.* Vid.

Politicae factiones. Vide etiam *Absens.*

Decr. Grat. C. VIII. q. 1; C. XXII. q. 8; tit. de clericis non residentibus in ecclesia vel praebenda X. (III. 4); idem tit. (III. 3) in 6°; Conc. Trid. sess. VI. c. 2 de ref.; sess. XXIII. c. 1 de ref.; sess. XXIV. c. 12 de ref.; Const. Pii IV « In suprema » 25 nov. 1564; Const. Pii V « Cupientes » 8 iul. 1568; Const. Urb. VIII « Sancta Synodus » 12 dec. 1634; Const. Ben. XIV « Ad universae » 3 sept. 1746; *Gigas Hier.* Tract. de residentia episcoporum; *Caranza de Miranda Barth.* Controvers. de necessaria residentia personali episcoporum; *Catharini Ant.* Quo iure residentia episcoporum debeatur; *Florentini Rem.* Collectio de episcopi residentia; *A Soto Dom.* Quaestiones de residentia personarum ecclesiasticarum; *Veneti Leon.* De residentia episcoporum; *Pagani Ant.* Tract. de ordine, iurisdictione et residentia episcoporum; *Cordubensis Fr.* De ecclesiasticorum praelatorum ministerio et residentia; *De Rebbe Nic.* Tr. de residentia beneficiatorum; *Vasquez Jurado Io.* De residentia parochorum; *Campegius Th.* De residentia episcoporum; *Turriani Fr.* Tract. de residentia episcoporum, an sit iuris divini (adversus Catharinum); *Hurtado Th.* Resolutiones de residentia; *Baronius Fr.* De residentia praelatorum; *Horn Gasp.* De episcopis vagantibus; *Decanato* De residentia et absentia ex causa, seu de cathedralibus ecclesiis; *A Frankenberg I. H.* Theses ex diss. de residentia clericorum; *Nestroy Ant.* Clericorum residentia cum proventibus examinata; *Stefanucci* Diss. de clericorum residentia; *De Carolis Cam.* De episcoporum residentia, de episcoporum iure in beneficiorum collationibus ac de sepulturis etc.; *Henry Lud.* De residentia beneficiatorum; *Scherer* Die tridentinischen Strafen der Verletzung der bischöflichen Residenzpflicht; *Kober F. Q.* Die Residenzpflicht d. Kirchendiener b. feindl. Verfolgungen u. ansteck. Krankheiten; *Heim F. J.* Die Residenzpflicht der Pfarrer, Kuraten u. Kuratbenefiziaten.

Resignatio. — **De natura et divisionibus resignationis.** — Resignatio aut renunciatio est ecclesiasticae dignitatis aut beneficii abdicatio, ex iusta causa et auctoritate superioris sponte ac legitime facta. Reiffenstuel *in tit. 9 lib. I Decr. n. 1.* 3503

Hac notione comprehenditur etiam renunciatio tacita, quae habetur, quum quis ponit certum factum (init matrimonium [*cc. 1. 3 de cleric. coniug. X. III. 3*], emittit professionem religiosam [*c. 4 de regularib. etc. III. 14. in 6°*], etc.), ex quo ius praesumit vel potius inducit renunciationem.

Tacitae renunciationi opponitur expressa, quae fieri potest etiam per procuratorem ad hoc specialiter constitutum (*c. un. de renunciatione* [*I. 4*] *in Clem.*), clericum vel laicum (*Gloss. in Clem. un. nuper cit. v.* « *Procuratorem* »; Schmalzgrueber *in tit. 9 lib. I Decr. n. 41*), unum vel plures (Schmalzgrueber *loc. nuper cit.*); fit autem verbis vel scriptis (et in scriptis hodie fit ex stylo, tum curiae romanae, tum plurium dioecesium, Schmalzgrueber *loc. cit. n. 39*) voluntatem resignandi beneficium declarantibus. Schmalzgrueber. *loc. cit. n. 3.*

Resignatio praeterea alia est pura, quae fit sine ullo modo vel conditione; alia est conditionalis, quae habet adiectum pactum vel conditionem; de hac infra.

De requisitis ad expressas resignationes. — In expressis resignationibus spectanda sunt: 3504

a) Voluntas renunciantis, quae debet esse libera, idest immunis a vi, secus resignatio est nulla iure naturali et positivo; metu (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 4*) vel fraude, secus resignatio rescindibilis est ex sententia iudicis. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 5.*

b) Iusta causa, quae maior requiritur, si agatur de resignatione episcopatus, pro qua iustae causae enumerantur sex, idest debilitas corporis, quae reddat impotentem ad officium pastorale (*arg. c. 5 de clerico aegrot. etc. X* [*III. 6*]); defectus scientiae, conscientia criminis commissi, irregularitas iam promoti, odium plebis, scandalum datum, quae omnes enumerantur in capite 10 tit. de renunciatione; reiiciuntur autem a iure tamquam insufficientes causa humilitatis, taedium laboris, amor vitae contemplativae et alia huiusmodi (*c. 10 cit. de renunciatione;* Schmalzgrueber *loc. cit. n. 35*). Relate ad alia beneficia vel dignitates inferiores sufficiunt etiam minores causae, ex. gr. senium, vitium corporis, crimen, censura et praesertim ingressus in religionem. Cfr. *Const.* Pii V « Quanta ecclesiae » *kal. apr. 1568.*

c) Auctoritas superioris; idest regulariter ab eo acceptari debet renunciatio beneficii, a quo illud quis habet, et a beneficio potest deponi (*Gloss. in Clem. un. cit. v.* « *manibus* »); hinc generatim pro beneficiis minoribus est episcopus. *c. 4 tit. cit. X.* (*I. 9*).

Quaerunt autem hic doctores, an possit capitulum, sede vacante, recipere resignationes beneficiorum; et non una est doctorum sententia. Omnibus tamen perpensis, videtur dicendum, capitulum, sede vacante, posse recipere resignationes beneficiorum, quando horum collatio spectat ad solum capitulum, vel ad capitulum et ad episcopum simul, quum enim ea beneficia conferre possit, potest etiam eorum resignationes recipere; quando praeterea resignationes fiunt ex causa necessaria, non autem libere fiunt ac simpliciter loquendo, ut quum fit resignatio beneficii ratione delicti commissi, vel ob inhabilitatem personae resignantis, quia capitulum succedit episcopo in illis, quae sunt contentiosae iurisdictionis, aut quae, instante necessitate vel iustitia, sunt expedienda. In ceteris autem casibus, idest libere ac simpliciter loquendo atque in favorem ipsius resignantis nequit capitulum, sede vacante, recipere resignationes beneficiorum, quorum collatio spectat ad solum episcopum. Reiffenstuel *in tit. 5 lib. III Decr. n. 191 sqq.*

Unus R. Pontifex, quum superiorem non habeat, ex seipso pontificatui potest renunciare. *c. 1 de renunciat.* (*I. 8*) *in 6°*; Reiffenstuel *loc. cit. n. 16.*

d) Ut canonice fiat resignatio, praeterea opus est, ut fiat salvo iure tertii, ex. gr. patroni, cuius consensus requiritur in beneficio iurispatronatus (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 7*); ut, si resignatio fiat in favorem tertii, beneficium non sit litigiosum, nisi fiat in favorem ipsius collitigantis (*arg. c. 2 ut lite pendente etc.* [*II. 8*] *in 6°*); ut resignans aliud habeat honestae sustentationis medium, praesertim si agatur de beneficio constituto in titu-

lum sacrae ordinationis (Conc. Trid. *sess. XXI. c. 2 de ref.*); ut non adversetur iuri reservationis Romani Pontificis (*Const.* Inn. IV « Sicut bonus pastor » *a. 1491;* Reiffenstuel *loc. cit. n. 59*), vel iuri unionis, quod competit episcopis.

3505 **De resignatione conditionata.** — De resignatione conditionata haec sunt notanda :

a) conditiones seu pacta de aliquo temporali dando prohibita sunt tamquam simoniaca (*c. 5 tit. cit. X.* [*I. 9*]; *c. 2 de simonia* [*V. 1*] *in Xvag. comm*);

b) conditio potest esse in favorem renunciantis, vel in favorem tertiae personae; potest respicere integrum ius beneficii, vel partem fructuum idest pensionem;

c) conditio in favorem renuncian tis distinguitur in conditionem acces sus, ingressus et regressus. Vid. singula suis locis;

d) conditio in favorem tertii dicitur fieri cum clausula « non aliter », quando renuncians non intendit velle se spoliare iure suo, nisi in illud ius succedat persona ab eo determinata. Cfr. *S. C. C. 6 sept. 1902.*

Renunciationes conditionales fieri non possunt iure communi coram episcopo vel superiore, qui Summo Pontifice sit inferior. Reiffenstuel *loc. cit. n. 105 sqq.;* Schmalzgrueber *loc. cit. nn. 23. 24.*

3506 **De publicatione resignationis facienda.** — Resignatio facta in manu ordinarii debet admitti, vel reiici infra mensem, ac beneficium resignatum pariter infra mensem alteri conferri (cfr. Riganti *in reg. 19 Cancell. nn. 209. 212;* Mon. eccl. *vol. XVIII. pag. 82 n. 11*) et a proviso infra tres menses a die factae provisionis resignatio publicari, sub poena nullitatis provisionis beneficii ipso facto. *Const.* Greg. XIII « Humano vix iudicio »; cfr. etiam *S. C. C. in Tiburtina 10 iun. 1848.*

Si facta fuerit apud S. Sedem, debet sub eadem poena publicari, et simul capi debet possessio beneficii infra sex menses citra montes, infra novem ultra montes, a data concessionis gratiae. *Reg. 34 Cancell. Apostolicae; Const.* Greg. XIII « Humano vix iudicio ». Cfr. *S. C. C. in Firmana 20 ian. 1894*; Mon. eccl. *vol. IX. p. 1. pag. 32, 190.*

Quare publicatio praescribitur non episcopo aut resignanti, sed noviter proviso de beneficio resignato, et, si non fiat infra tempus statutum et secundum modum et formam a Gregorio XIII praescriptum, nulla erit, non resignatio, sed collatio illius beneficii facta novo proviso. Cfr. *S. C. C. 6 sept. 1902;* Mon. eccl. *vol. XIV pag. 394.*

De aliis quibusdam (*remissive*). — Quoad resignationem beneficii in favorem tertii factam a beneficiato in gravi infirmitate constituto, et quoad regulam 18 Cancellariae Apostolicae, confer Pirhing *in tit. 9 lib. I Decr. n. 30.*

De renunciatione, quae fieret, a novitio, Vid. *Renuntiatio.* — Vid. etiam *Permutatio, Simonia.*

Tit. de renunciatione X. (I 9); idem tit. (I. 4) in Clem.; motu-propr. Pii V « Cogit nos » 1 mart. 1567; Const. Pii V « Quanta ecclesiae Dei » 11 apr. 1568; Const. Greg. XIII « Humano vix iudicio » 5 ian. 1580; Const.

Ben. XIV « Ecclesiastica » 15 iun. 1746; *Parisi Flam.* De resignatione beneficiorum; *D'Avezan I.* Liber de renuntiationibus seu resignationibus et pensionibus benefic. eccl.; *Buthillierius Dion.* De infirmis resignantibus; *Gillmann Franz* Die Resignation der Beneficien, historisch u. dogmatisch dargestellt; reliquam bibliographiam quaere sub *Beneficium.*

3507 **Resistentia.** — Resistentia motibus concupiscentiae, saltem per displicentiam virtualem, animum scilicet ad alia divertendo, post advertentiam rationis necessaria est; nec sufficit negative se habere, etiamsi absit periculum consensus, sed esset veniale.

Nulla tamen adest obligatio carnalibus motibus positive resistendi, multoque minus necessaria est resistentia materialis. Imo saepe resistentia mere indirecta per distractionem mentis consulenda est.

Nec tenemur ad positivam resistentiam adversus quamcumque tentationem, quae diu protrahatur. Cfr. S. Alph. *V, 9.*; B. P. *I. 595 sqq., praesertim 603 sqq.*; G. B. *I. 16.*

Responsa ss. congregationum. — Vid. *Clausulae.*

3508 **Restitutio.** — ***De natura et necessitate restitutionis.*** — Restitutio est iuris alieni laesi reparatio, seu damni dati redintegratio. Cfr. *l. 9. de vi et de vi armata D.* (*XLIII. 16*); Lugo *de iust. et iure disp. VIII. n. 17.*

Est autem, saltem in voto, absolute necessaria ad salutem, si agatur de materia gravi. B. P. *III. 333.* — Praeceptum hoc esse primario negativum, secundario affirmativum affirmat Lugo (*l. c. n. 18 sqq.*) cum aliis; sed alii contrarium putant. Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 7 n. 94*; B. P. *III. 335.*

Nota autem, confessario caute agendum cum moribundis circa hanc obligationem restitutionis. G. B. *I. 632. 6.*

Quomodo inducatur et urgeat obligatio restitutionis. — Obligatio restitutionis inducitur solummodo ex violatione iustitiae commutativae (S. Alph. *III. 547*; G. B. *I. 627*); et impotens restituere bona eiusdem ordinis, non tenetur reddere ex bonis diversi ordinis (*l. 7 de his, qui effuderint etc. D.* [*IX. 3*]; S. Alph. *III. 627*); nec ille qui affective quidem, non vero effective, iustitiam laedit (Lugo *l. c. n. 27. n. 71*); hinc iudex putans se damnare iniuste, damnans autem de facto iuste, non tenetur ad restitutionem. G. B. *I. 629.* 3509

Qui rem alienam vel rei alienae valorem restituere omnino non valet, tenetur tamen firmam habere voluntatem restituendi, si quando poterit; et si hic et nunc partem restituere potest, ad eam restituendam tenetur, quamvis totum non valeat restituere. G. B. *I. 632.*

Qui alii damnum iniuriosum, sed leve, attulit, resarcire damnum, sed sub levi, tenetur. S. Alph. *III. 552.* At furtula minuta coalescunt. Vid. *Furtum.*

Quid si quis grave alteri intulit damnum, sed ex inadvertentia putavit esse leve, ut si quis nummum alterius aureum magni valoris proiiciat in mare, putans, ex inadvertentia invincibili, esse monetam aeneam? Quoad hoc confer plura apud Ballerini-Palmieri *III. 344.* Porro si consi-

deremus in casu iniuriam, ea certo fuit levis; si igitur damnum, ex quo exsurgat obligatio restitutionis, non concipiatur sine iniuria et ex iniuria metiendum sit, non videtur is, sub gravi saltem, ad restitutionem obligatus.

3510 ***De radicibus restitutionis.*** — Tres sunt causae, quae restitutionis obligationem inducunt, et dicuntur *radices restitutionis:* acceptio rei alienae, iniusta damnificatio, iniusta cooperatio (G. B. *I. 633*); haec ultima tamen ad unam ex duabus praecedentibus facile reducitur; imo omnes ad primam reduci possunt, quae dividi potest in obligationem restituendi ex re accepta et obligationem restituendi ex iniusta acceptione. Lugo *l. c. n. 25.*

De acceptione rei alienae (*remissive*). — Possessor bonae fidei ad quid teneatur; quid de fructibus perceptis in bona fide; quid si rem alienam alteri donaverit; vel rem a fure emptam alteri vendiderit; ad quid teneatur possessor dubiae fidei; ad quid possessor malae fidei; Vid. *Possessor.*

3511 **De iniusta damnificatione.** — Iniusta damnificatio altera radix restitutionis; debet tamen esse iniusta vere, efficaciter et formaliter. Vid. *Damnificator.*

Quoad hoc sequentia habe eleganter dicta a D'Annibale. (*II. 198 sqq.*) « Age modo, damnum (ab ademptione) est, si quid facto tuo mihi abest; sive 1° hoc res mea fuerit, seu ius tantum in re; sive 2° illud consequi potuerim propter ius ad rem; sive demum 3° lucrari aliquid aut consequi honeste potuissem, nisi tu eo me prohibuisses. Ex hoc capite tenetur, qui prohibet me lucrari ex alterius liberalitate; sive me petere quoquo modo vetet, ut puta si removet, arcet ab eo, a quo sperabam aliquid consecuturum; sive prohibeat volentem mihi benefacere; scilicet unicuique ius est, nedum petere, sed et accipere ab alio dare volente; atque ideo ius est, ne tu hunc dare prohibeas. Verum ita demum teneberis, si me prohibeas iniuste; idest si 1° ea res, quam peto, licite dari possit; et 2° ego ea non sim indignus; tuque 3° fraude adhibita, aut vi, seu metu incusso, prohibeas vel me petere, vel alium dare, nam, si uteris prece, consilio, etc., nullam mihi facis iniuriam: sive persuaseris mihi, ne peterem, et planum est; sive alii, ne daret, nam, si is amplius dare nolit, qui accipiendi ius mihi esse potest? Ex his autem consequens est dicere, damni et eum teneri, qui paratum mihi operam suam praestare ad aliquid consequendum, impedit metu aut fallaciis; imo prece, aut consiliis, si is operam suam mihi praestare ex iustitia debuisset... Verum non sufficit damnum tibi datum fuisse; sed oportet iniuria id esse factum; idest, necesse est, ut ius tuum laesum sit, etenim si nullum ius laesum est, quae redintegratio? si nullum tuum, quae tibi? Nulla igitur competit restitutio, si laesa fuerit caritas, pietas, iustitia legalis vel distributiva ».

De restitutione ex damno occasione militiae illato. — Milites, nisi ipsis constet de iniustitia belli, ad nihil tenentur ratione damni per communem actionem illati; in bello au- 3512

tem evidenter iniusto tenentur de damnis omnibus, quae per privatam actionem intulerunt, et tenentur etiam singuli pro rata de damnis a toto exercitu illatis, nisi forte ex gravi metu ad bellum fuerint coacti. Bucc. *I. 1382 sqq.* Principes autem, qui ad bellum milites miserunt, vel bellum non impedierunt, si potuissent impedire, tenentur primario et in solidum de toto damno per milites illato. G. B. *I. 746.*

De restitutione ex damno diversis quibusdam modis illato (*remissive*). — Exstat etiam obligatio restituendi propter homicidium (Vid. *Homicidium*), propter stuprum (Vid. *Stuprum*), propter adulterium (Vid. *Adulterium*). An etiam propter tributa non soluta, Vid. *Tributum.*

De restitutione ex damno dubie illato (*remissive*). — Quid generatim de restitutione in dubio illati damni, Vid. *Damnificator, Dubium.*

3513 **De cooperatione iniusta.** — Tertia radix restitutionis cooperatio iniusta. Ea fit novem modis, scilicet iubendo, consulendo, consentiendo, laudando, recursum praebendo, participando in actione vel emolumento, silendo, non obstando, non manifestando. Vid. *Cooperatio.*

3514 ***Quantum sit restituendum.*** — Regula generalis est, restitutionem ita esse faciendam, ut ille, qui damnum passus est, recipiat omne id, quod sine damno illato habiturus fuisset. *ll. 35. 75 de verb. signif. D.* (*L. 16*); D'Ann. *II. 212.*

Quare et *res* restituenda est, et *interesse* seu id, quod dominus lucratus esset, si rem habuisset.

Hoc arbitrio boni viri est aestimandum (*ll. un. de sententiis quae etc. C.* [*VII. 47*]), attamen in foro interno attendenda est etiam mens seu opinio damnificatoris, idest quid ipse praevideret, seu quod damnum ipse sese illaturum putavit (S. Alph. *III. 618*; cfr. *l. 13 pr. et l. 43 de act. empti et vend. D.* [*XIX. 1*]); si enim minus putavit illaturum, de eo tenebitur, et non de maiore, quo valebat res (S. Alph. *III. 613*; D'Ann. *II. 231. 10*), dummodo praevisionis defectus non debeatur culpae theologicae; tenetur enim de damno ex iniuria, iniuria autem non fit, nisi in quantum putatur fieri.

Res autem, si exstat adhuc, restituenda est, ut patet. At si perierit, restituendum est id, quod aequivalet valori, quem habebat res, quando periit (D'Ann. *II. 214*); attamen si eam dominus consumpturus non fuisset, sed servasset in posterum carius vendendam, aestimandum est et hoc lucrum cessans.

Si aestimatio damni, quod damnificator domino intulit, incerta est, vel exspectando evadet certa, et tunc exspectandum est, vel paciscendum cum domino (Lugo *de iust. et iure disp. XVIII num. 79*); vel exspectando certa non evadet, et tunc, ait D'Annibale (*II. 215.*), incertum huius rei in praesens aestimandum est. — Alia circa hoc vide sub *Possessor.*

Quantum restituere debeat is, qui in damnum proximi alteri cooperatus est, vide sub *Solidaritas.*

Cui sit restituendum. — Restituendum autem est domino noto et certo (aut eius heredibus), vel legi-

timo possessori, cui ablata res est. B. P. *III. 406;* D'Ann. *II. 218.* Hinc, si quis Titio debeat tercentas libellas ex. gr., non satisfacit suae obligationi, mortuo Titio, faciens pro eius anima missas celebrare vel alia opera satisfactoria peragere, etsi in iis impendat omnes eas tercentas libellas, sed tenetur eam pecuniae summam Titii heredibus restituere, ad quod faciendum obligatur, etsi iam aequivalentem summam erogaverit in opera satisfactoria pro anima Titii. *S. Poen. 7 febr. 1899.*

Dubiis manentibus dominis, vel, iuxta quosdam, probabilibus dominis pro rata restituendum (quod exclusive faciendum esset, si hi non essent multi, ex. gr. quinque aut sex, B. P. *III. 403;* D'Ann. *II. 218*), vel secundum plures in bona opera erogandum ablatum (sic probabiliter restituere potest pauperibus ille, qui in vendendis mercibus damnum pluribus intulit, carius vendendo; excepto casu, quo aliquis graviter damnificatus esset, et a damnificatore cognosceretur; tunc enim illi absque dubio restituendum est, B. P. *III. 405*); quod semper secundum communem sententiam (circa quam tamen vide *Ditior*) faciendum est, si dominus sit plane ignotus. *cc. 5. 13 de usuris X.* (*V. 19*); Lugo *de iust. et iure disp. VI. n. 134.*; Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 14. n. 36 sqq.*; B. P. *III. 402*; D'Ann. *II. 218.* Attamen prius adhibenda est diligentia debita ad inveniendum dominum; nam secus postea, si ea diligentia neglecta fuerit, distributis iam rebus pauperibus et comparente domino, debitor teneretur domino restituere, si nempe non restituerent illi, quibus rem ipse tradidit. At si debita diligentia adhibita est, etiam postea domino comparente, nihil illi amplius debitorem seu pauperes debere tradit Lugo (*loc. cit. disp. XXI. n. 102*), et approbat S. Alphonsus *III. 590.* Cfr. B. P. *III 404.*

Nota autem, quod vere pauper, qui rem alienam pauperibus deberet tradere, posset eam sibi retinere. Lessius *l. c. cap. 14. n. 41*; B. P. *III. 403*; D'Ann. *II. 218.*

Quo ordine sit restituendum (*remissive*). — Quo ordine restituendum: ex parte eorum, qui restituere debent, vid. *Cooperatio*; ex parte eorum, quibus debet restitui, vid. *Creditores.*

Quomodo sit restituendum. — Restitutio autem fieri potest quocumque modo ad libitum restituentis, etiam probabilius per donationem simulatam, dummodo dominus laesus indemnis fiat. 3516

Facienda autem est ibi, ubi res subtracta est, vel ubi nunc exstat, ad arbitrium domini, si damnificator culpa sua theologica damnum intulit, et tunc etiam damnificatoris expensis facienda est (D'Annibale *II. 219*); secus domini impensis, et ubi res exstat. B. P. *III. 505.*

Quando sit restituendum. — Generatim loquendo, quoad debita quaelibet, huic quaestioni respondendum simpliciter est, restituendum esse quam primum fieri potest sine gravi incommodo (Salmant. *Th. mor. tr. XIII. c. 1. n. 261*), tum quia semper res aliena clamat ad dominum, tum quia rem alienam iniuste diu retinere res 3517

est pretio aestimabilis. Hinc est quod relate ad debita ex iniuria compensanda sunt damna omnia, quae ex dilatione secuta sunt, ea saltem quae praevideri potuerunt et proinde imputari possunt. Quoad debita vero ex contractu generatim standum est conditionibus contractui appositis. Bucc. *I. 1455 sqq.*

3518 ***De causis a restituendo excusantibus.*** — Impotentia physica aut moralis (seu gravis difficultas restituendi, ut si quis restituendo deberet notabiliter decidere a statu suo iuste acquisito, B. P. *III. 537 sqq.*) excusat ad tempus, quoad restitutionem faciendam, seu suspendit eius obligationem. G. B. *I. 715.*

Excusant in perpetuum: remissio debiti ex parte creditoris, compensatio, praescriptio debitis vestita conditionibus. G. B. *I. 716.*

Alium afferunt theologi titulum excusantem non omnino, sed magna ex parte a restitutione, quem vocant *auctoritatem superioris*, seu *compositionem*. Est autem conventio, vi cuius a legitima auctoritate indulgetur debitori, ut minus restituat, quam id quod debet, reliquo sibi retento. B. P. *III. 529.* Ceterum haec compositio tunc tantum conceditur, quum nullum violatur ius certi creditoris, ut in casu, quo debitor posset ablatum pauperibus restituere, supplente Pontifice de thesauro ecclesiae fructum spiritualem, qui ex tali commutatione domino decrescit. Unus autem Romanus Pontifex hanc compositionem concedit. B. P. *III. 531.* Peti autem potest haec compositio pro foro interno a S. Poenitentiaria.

Creditori in gravi necessitate versanti debet debitor restituere, etiamsi et ipse restituendo in gravem necessitatem sit prolapsurus (S. Alphons. *III. 703*); si autem vel uterque sit in extrema necessitate, vel debitor iam versatur in gravi, et restituendo in extremam decideret, restitutio non est necessario facienda. S. Alph. *loc. nuper cit.*

Restitutio in integrum. — **De natura restitutionis in integrum.** — 3519 Restitutio in integrum est remedium extraordinarium iuris, quo ministerio iudicis ob laesionem res in pristinam reducuntur conditionem, in qua fuerant ante ipsam laesionem. Santi *in tit. 41 lib. I Decr. n. 1.*

Dicitur remedium extraordinarium, quia nonnisi tunc conceditur, quum nulla laeso competit legaliter actio vel exceptio. *l. 16 de minoribus 25 ann. D. (IV. 4).*

Attamen nota privilegium minorum; hi enim, etiam quando aliud datur remedium iuris, possunt obtinere restitutionem in integrum, si hoc remedium extraordinarium pinguius et facilius ipsis videatur. Santi *l. c. n. 7*; De Luca Mar. *Prael. iur. can. de personis n. 543.*

Patet autem, restitutionem in integrum locum habere non posse in iis actibus, qui non sunt rescindibiles; nisi aliquando ad probationem eorum nullitatis.

Quaenam laesio requiritur. — Lae- 3520 sio autem, quae causa est, cur in integrum restitutio concedatur, quamvis non debeat esse enormis vel enormissima, non debet tamen esse minima quaedam res, vel summa, sed

debet esse laesio alicuius momenti. *l. 4 de in integrum restit. D.* (*IV. 1*). Ratio, cur in casu laesionis enormis vel enormissimae non conceditur restitutio in integrum, haec est, quia tunc alia sunt praesto remedia ordinaria iuris, scilicet rescissio contractus vel debita compensatio. Santi *loc. cit. n. 1.*

3521 **Quibusnam conceditur restitutio in integrum, et contra quos.** — Restitutio in integrum conceditur minoribus (*l. 1 tit. cit. D.* [*IV. 4*]; *c. 8 de in integrum restitut. X.* [*I. 41*]), nec tantum personae ipsius minoris, sed et eius causae, ita ut heredes quoque minoris, etsi sint ipsi maiores, possint restitutionis in integrum auxilio iuvari (*c. 8 nuper cit. X.* (*I. 41*); *l. 18 tit. cit. D.* [*IV. 4*]), nec obstat, si actui accesserit consensus curatoris. Santi *loc. cit. num. 2.*

Conceditur etiam pupillis; et ecclesiis, idest locis piis quibuscumque' *cc. 1. 3 tit. cit. X.* (*I. 41*); *cap. 1 de restitut. in integrum* (*I. 21*) *in 6°*. Ex causa conceditur aliquando etiam maioribus. *l. 1 ex quibus causis maiores etc. D.* (*IV. 6*).

Haec restitutio in integrum iis, qui. bus competit, competit contra omnes, idest etiam contra privilegiatum; sic competit minori contra minorem, ecclesiae contra ecclesiam, etc. Santi *loc. cit. n. 4.*

3522 **De tempore, intra quod restitutio in integrum petenda est.** — Ius petendi restitutionem durat quadriennio. *l. 7 de temporibus etc. C.* (*II. 53*); *c. 1 tit. cit.* (*I. 21*) *in 6°*. Tempus hoc est continuum, quia computantur dies feriati (*leg. 7 tit. cit.* [*II. 53*]); et utile, quia nec legitime impedito, nec laesionem ignoranti currit. Hinc minoribus incipit decurrere, ex quo maioris aetatis prima dies illuxerit, cessante legitimo impedimento. *leg. 7 nuper cit.*

Ecclesia potest obtinere beneficium restitutionis in integrum, si manifeste probetur, super hoc quod intra quadriennium omissa fuerit petitio, praevaricationis, vel fraudis intervenisse commentum, aut alia gravis causa subsit, quae superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum. *c. 1 cit.* (*I. 21*) *in 6°*.

Adversus quos actus conceditur. 3523 — Restitutio in integrum conceditur adversus actus tum iudiciales tum extraiudiciales, non vero generatim adversus actus dolo commissos ab eo, qui petit restitutionem. Lega *de iudiciis ecclesiasticis I. 280.*

Hoc beneficium restitutionis conceditur etiam contra lapsum temporis a iure statuti, ex. gr. pro interponenda appellatione, pro nullitate religiosae professionis probanda, etc.

A quibus peti debeat restitutio in 3524 **integrum.** — Restitutio petenda est a iudicibus ordinariis administrationem habentibus (*c. 9 tit. cit. X.* [*I. 41*]), et generatim a iudice illius, contra quem petitur restitutio, *l. 2 ubi et apud quem etc. C.* (*II. 47*).

Ecclesia tamen etiam contra laicum potest agere coram iudice ecclesiastico. Cfr. *cap. 1 tit. cit. X.* (*I. 41*); *c. 11 de rebus eccl. etc. X.* (*III. 13*).

De effectibus restitutionis in inte- 3525 **grum.** — Effectus restitutionis in integrum sunt:

a) ut, statim ac petita est, omnia

suspendantur, etiam exsecutio sententiae (*l. un. in integr. restit. postulata ne etc. C.* [*II. 50*]), nisi adsit praesumptio, petitionem ideo factam, ut exsecutio differretur. *c. 6 tit. cit. X. I. 41*;

b) ut, postquam obtenta est, omnia in pristinum revocentur. *l. 24. § 4 tit. cit. D.* (*IV. 4*).

Quoad fructus rei restituendae, si agatur de contractibus gratuitis (donatio etc.), restituendi sunt. In omni autem casu post petitionem restitutionis nequeunt amplius a possessore percipi. Fructus autem iam percepti vel consumpti non sunt restituendi; si praescripti vel consumpti non fuerint, dubitatur. Cfr. Santi *l. c. n. 16*; D'Ann. *II. 420*.

Tit. de in integrum restit. X. (I. 41): idem tit. (I. 21) in 6°; idem tit. (I. 11) in Clem.; *Oddi S.* Tract. de restitut. in integrum; *Martelli Hugolinus* Tract. de anni integra in integrum restitutione; *Martini Frid.* De restitutione in integrum; *Pereyra de Caldas Fr.* Comment. ad leg. Si curatorem Cod. de in integrum restitutione minorum; *Mynsingeri Ioach.* Tract. de restitutione in integrum; *Mudaei Gabr.* Tract. de restitutione in integrum; *De Ferrariis Io.* Tract. de restitutione in integrum; *Cassiodori G.* De restitutione in integrum; *Caimi M. A.* Tract. de restitut. in integrum; *Boulliardi Petr.* De restitutionibus in integrum; *Mauritii Io.* Tract. de restitutione in integrum; *Antoni Gothofr.* De restitutione in integrum; *Imbriani Iul. Caes.* Tract. de restitutione ad probandum; *Sprengeri Phil. H.* Tract. de restitutionibus in integrum; *Cala Hier.* Tract. absolutissimus de restitutione in integrum minoribus etiam deneganda; *Galesii Dom.* Tract. de restitutione in integrum; *De Hedemann I. C.* Diss. de auxilio quod aetati impertitur, sive de restitutione minorum; *Dompierre de Jonquieres* De restitutionibus in integrum; *Prasse A. G.* Hist. iur. civ. de restitut. in integrum; *Roeder I. U.* De restitut. in integrum; *Gmelin G. C.* Principia generalia restitutionis in integrum praetoriae; *Burchardi* Die Lehre von der Wiedereinsetzung in den vorigen Stand; *Spaltenstein* Die Wiedereinsetzung in den vorigen Stand; *Bouland* De la restitution in integrum accordée aux mineurs de vingt-cinq ans en droit rom.; *Lasserre* De la restitutio in integrum quod metus causa.

Restitutio spoliatorum. — **Quinam sit spoliatus, quodnam spolium et quibus hoc restitutionis remedium competat.** — Spoliatus ille dicitur, qui quocumque modo rem mobilem vel immobilem possedit, vel quasi possedit ius incorporale, eaque possessione vel quasi possessione fuit inique privatus. 3526

Spolium dicitur res, quaecumque illa sit, qua possessor fuit privatus.

Remedium restitutionis competit:

a) agenti ex causa spolii, non autem excipienti de spolio (*c. 2 de ordine cognit. X.* [*II. 10*]);

b) omni et soli possessori, qui, quum spoliatus est, rem sibi, seu suo nomine, vere possidebat et possidere poterat legitime (*l. 1. § 23 de vi et vi arm. D.* [*XLIII. 16*]);

c) nec solum possessori e possessione eiecto, sed et eius heredibus (*l. 1. § 44 tit. cit. D.* [*XLIII. 16*]).

Hoc remedium spoliato competit praecipue contra eum, qui illum spoliavit et a possessione deiecit, sive hoc per se fecerit sive per alium (*l. 1 cit. § II sqq.*), sed etiam contra tertium possessorem malae fidei (*c. 18*

de restitut. spoliat. X. [*II. 13*]); an contra tertium quoque bonae fidei possessorem disputatur.

Praedo etiam spoliatus restituendus est (Pirhing *in tit. 13 lib. II Decr. n. 22*), dummodo non in incontinenti fuerit deiectus, sed ex intervallo; nam in primo casu dominus censetur res suas licite defendere, in altero potius habetur vindicatio, quam iusta rerum defensio. *l. 1 unde vi C.* (*VIII. 4*); Pirhing *loc. nuper cit.*; cfr. *C. C a. 695.*

3527 **De remediis iuris ad consequendam restitutionem.** — Modi consequendi restitutionem, seu remedia iuris ad recuperandam possessionem rei, qua quis spoliatus est, iuxta ius romanum et canonicum sunt:

Interdictum « unde vi » pro rebus immobilibus, per quod interdictum is, qui deiecit, cogitur deiecto restituere possessionem, licet is ab eo, qui vi deiecit, vi vel clam vel precario possideret (Inst. Iust. *lib. IV tit. 16 § 6*); nota tamen, contra heredem spoliantis non posse agi ex hoc interdicto, sed ex actione in factum, et eatenus, quatenus ad eum pervenerit, idest quatenus ex ea re locupletior ad eum hereditas venerit (*l. 26 de dolo malo D.* [*IV. 3*]); nec in parentes liberis hoc interdictum datur, sed in factum actio his quoque competit; aliter atque si vi armata usus sit adversus liberos parens, nam in hoc casu interdictum competit. *l. 1. § 43 tit. cit. D.* (*XLIII. 16*).

In interdicto « unde vi » annus utilis est (*l. 1 pr. et § 39 tit. cit. D.* [*XLIII. 16*]), idest ex eo intra annum (utilem tamen et non continuum) restitutio a spoliato petenda est; attamen post annum spoliatus non prohibetur, quominus spoliationem opponat ad modum exceptionis, quum ea, quae sunt temporalia ad agendum, ad excipiendum perpetua sint. Cfr. *l. 5 de except. doli etc. D.* (*XLIV. 4*); Pirhing. *in tit. 13 lib. II Decr. n. 17.*

Actio « vi bonorum raptorum » pro rebus mobilibus; haec actio heredi ceterisque successoribus datur, non tamen adversus heredes vel ceteros successores, quia poenalis actio in eos non datur; et ne tunc quidem, quum locupletiores facti sunt, quia sufficit condictio. *l. 2 vi bonorum rapt. D.* (*XLVII. 8*).

Actio spolii pro utrisque, idest pro rebus mobilibus et immobilibus et pro aliis iuribus; quae iure canonico (*c. 18 tit. cit. X.* [*II. 13*]) datur etiam contra tertios rei detentores, qui eam per spolium ablatam fuisse sciverint.

Remedium « redintegrandae », quod hoc nomen sortitum est ex verbis ipsis canonis, in quo statuitur (*c. 3. C. III. q. 1*), et habet naturam exceptionis, non vero actionis (Santi *in tit. 13 lib. II Decr. n. 4*); conceditur autem clericis, qui spoliati fuerint rebus suis vel ecclesiae suae, et opponi ab his potest etiam tertio cuidam possessori, sive bonae fidei sit, sive malae, sive rem habuerit cum titulo, sive sine titulo.

Quandonam fieri debeat restitutio. 3528 — Restitutio autem haec, quando eam spoliatus exquirit, fieri debet ante omnia (*c. 3. C. III. q. 1*; *c. 4 de ord. cognit. X.* [*II. 10*]), idest antequam contentioni initium sit, quibusdam casibus exceptis (cfr. Schmalzgrueber *in*

tit. 13 lib. II Decr. n. 75. sqq; Santi *l. c. n. 9 sqq.*), praesertim si spoliatus expresse vel tacite consentiat agi iudicium petitorium, antequam restituatur (*c. 1 tit. cit. X.* [*II. 13*]), si de defectu proprietatis in spoliato et de iure proprietatis in spoliante notorie constet (Santi *l. c. n. 10*), si ius commune spoliato resistat et assistat spoliatori (*c. 2 de restit. spoliat.* [*II 5*]. *in 6°*). Cfr. causam agitatam apud *S. C. C. in Romana 25 febr. 1905.*

3529 **De restitutione in causa matrimonii.** — Peculiaris in hoc est causa matrimonii, circa quam haec sunt praesertim annotanda: coniux, qui propria auctoritate coniugem relinquit vel expellit, excepto casu adulterii, restituendus est, nisi malum aut periculum quoddam impendat (*c. 8 tit. cit. X.* [*II. 13*]); attamen, si mulier fuerit cognita a viro suo, debet restitui et quoad habitationem et quoad torum, secus quoad habitationem tantum. Santi *l. c. n. 15.*

Coniux, qui discedit post matrimonium consummatum, etiamsi hoc faciat ut religionem profiteatur, imo etiamsi religionem de facto professus sit, restituendus est quoad cohabitationem et quoad torum (*cc. 3. 12. 17 de convers. coniug. X.* [*III. 32*]), nisi discesserit ex iusta causa (*c. 21 tit. cit. X.* [*III. 32*]), ex. gr. adulterii. *c. 15 tit. nuper cit.*

3530 **Quomodo restitutio facienda sit.** — Restitutio autem haec spoliatorum plene facienda est. Quare restituenda est et ipsa res, et fructus, et omne damnum, quod ex spoliatione emersit. *c. 11 tit. cit. X.* (*II. 13*): *l. 1. §. 41 tit. cit. D.* (*XLIII. 16*).

Quando damni quantitas est incerta, quantitas damni taxatur a iudice, praevio iuramento ipsius spoliati. De Luca Mar. *l. c. n. 284.*

Ad faciendam restitutionem necesse est, ut prius legitimis probationibus constet de facto spoliationis.

De iure italico quoad spoliationem. 3531 — Nostris legibus haec quoad spoliationem cauta sunt.

Qui vi aut clam a possessione, qualiscumque ea sit, deiectus est sive rei mobilis sive immobilis, potest intra annum a spoliatione contra spolii auctorem petere, ut in eamdem possessionem restituatur. *C. C. a. 695.*

Restitutio a iudice decernenda est, praevia alterius partis citatione, stante simplici notorietate facti, sine dilatione, et maiori, qua fieri potest, processus celeritate contra quemcumque, etiam contra proprietarium rei, quae ablata est. *C. C. 696.*

Restitutio in possessionem in casu spolii non excludit exercitium aliarum actionum, quae dicuntur *possessoriae*, ex parte cuiuscumque legitimi possessoris. *C. C. a. 697.*

Quando deiectio a possessione fuerit violenta aut clandestina, praetor, re certo cognita, promptam iubet redintegrationem, partes reiiciens ad auctoritatem illius iudicis, apud quem res agitur. *Cod. proc. civ. a. 444*; *cfr. etiam a. 82.*

c. 3 Redintegrandae C. III. q. 1; tit. de restit. spoliat. X. (II. 13); idem tit. (II. 5) in 6°; *Pontani I. B.* Tract. de spolio; *Colerii Matth.* Tract de processibus executivis (ubi etiam de restitutione spoliatorum); *Hahn Henr* Disp. de spolio; *Ziegleri Gasp.* Prael. academicae ad can. Redintegrandae et ad

tit. Decretalium de restitutione spoliatorum; *Cras H. C.* Diss. qua specimen iurisprud. Ciceronianae exhibetur seu Ciceronem iustam pro Caecina causam dixisse ostenditur; *Goecke F.* De exceptione spolii; *Ruffini Fr.* L'actio spolii. Studio teorico-giuridico; *De Santis Luigi* Sull'azione di spoglio.

3532 **Restrictio mentalis.** — Restrictio mentalis habetur, quum quis cogitationem suam partim exprimit verbis, partim retinet animo; et, si id, quod retinet, ex adiunctis colligi facile potest, late mentalis, secus pure mentalis dicitur. Croix *Th. mor. lib. III. p. I. n. 284*; D'Ann. *II. 295.* Haec numquam licet, illa aliquando, sed tantum ex iusta causa; secus, ait D'Annibale (*II. 296*), vix poterit subsistere fides verborum, aut ne vix quidem. Et non licet omnino, addit, si id vetet iustitia, aut fides, aut caritas. Quod tunc quoque locum haberet, quum quis ratione muneris seu officii obligatus ad bonum aliis exemplum praebendum, ut esset sacerdos, vel alios sibi conciliandos, ut cum ipsis munus suum posset explere, ut esset parochus vel quicumque superior, passim his restrictionibus mentalibus uteretur, ita ut nemo amplius ipsi fideret. Cfr. etiam *prop. damn. ab Inn. XI decr. diei 2 mart. 1679 sub nn. 26. 27. 28.* Vid. *Aequivocatio.*

3538 **Retentio.** — Retentio est ius, quod aliquis habet rem alterius a se possessam domino debitori suo non restituendi, nisi is prius suo debito satisfecerit. Pluribus in casibus retentio usum invenit; nam et nauta merces pro contributione propter iactum retinet; et venditor, donec venditae rei pretium solutum fuerit; et uxor res mariti, donec dos et reliqua mulieris bona restituantur; et institor merces sibi a praeponente commissas, donec sibi solutum sit, quod praeponens debet. Praecipue retentioni locus est ob id, quod occasione rei retentae debetur, veluti ob impensas in eam factas aut opificia vel artificia circa eam praestita; qua ratione fullones, sartores, bonae vel malae fidei possessores panni, vestis, rerum possessarum retentione sibi recte consulunt, pro mercede vel impendiis factis obtinendis; uti et magistri navium habent ius retinendi merces pro naulo. Nec dubium, quin illi, quibus retentionis ius a lege vel consuetudine datum est, idipsum tum ad heredes suos tum ad successores particulares, quibus vendiderunt, donarunt, legarunt aut aliter cesserunt, mercedis exigendae sumptuumve recuperandorum ius transmittant. Ita Voet *Comm. ad pandectas lib. XVI tit. 2. n. 20.* Imo Monitore ecclesiastico (*vol. XIV pag. 24 sqq.*) putat, eam cuique competere ex ipso iure naturae, eamque iustam esse, ut probat etiam pluribus responsionibus Rotae Romanae; imo putat eam valere etiam, quando agitur de rebus ecclesiasticis, quum non involvat alienationem, usurpationem aut occupationem seu in proprios usus conversionem et usurpationem bonorum ecclesiasticorum, quae iure canonico sunt prohibitae.

3584 **Retinentes.** — Aliquando sub censura prohibemur a retinendo. Et duplicem quoad hoc habemus casum. Scilicet excommunicantur excommunicatione latae sententiae Romano Pontifici speciali modo reservata

omnes e singuli (scienter) retinentes libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos (*Const.* « Apostolicae Sedis » *ser. 1. n. 2*; *Const.* « Officiorum ac munerum » *a. 47*); et praeterae retinentes supremam iurisdictionem in civitatibus, terris, locis ad ecclesiam romanam pertinentibus. *Const.* « Apostolicae Sedis » *ser. 1. n. 12.*

Iuvat igitur videre, quinam intelligendi sint *retinentes*.

3535 Et quoad retinentes supremam iurisdictionem in locis supra dictis ii intelliguntur, qui ea non restituunt, etsi non ipsi (v. gr. heredes), sed alii occupaverint (D'Annibale *Comm. in const.* «*Apost. Sedis* » *n. 100*), « si tamen, addit Bucceroni (*Comm. in const.* "*Apost. Sedis*„ *n. 30*), sine maiori publico damno et sine maiori ipsius temporalis principatus Romani Pontificis damno illum (locum) statim deserere possint, et nisi accedat, saltem tacitus, consensus ipsius Romani Pontificis, uti pro locis pluribus in Bulla *Coenae* enumeratis accessisse videtur. Qua in re unicus legitimus iudex est ipse Romanus Pontifex ». Circa hoc vide plura sub *Bona ecclesiastica*.

3536 Quoad retinentes libros etc. ante omnia notandum est, ut patet ex ipsis verbis constitutionis citatae, non omnes libros comprehendi, qui in Indicem sunt relati, sed tantummodo libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes et praeterea libros cuiusvis alterius auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos. Hos autem libros retinentes excommunicatione plectuntur. Retinere autem huiusmodi libros ii dicuntur, qui libros, sive sui sint, sive alterius, apud se servant, vel, si sui sunt, deponunt penes alium, retento dominio. Hinc ait Ituriaga (*Cas. 39. n. 40*): « Retinere is dicitur, qui apud se librum habeat commodatum, sive depositum, sive alienum, sive ad ligandum, sive ad vendendum, sive ad bibliothecam ornandam, sive in propria sive in aliena domo, adeo ut, quovis modo et ubivis librum habeat, ceusuram contra retinentes latam incurrat ».

Scilicet sive quis retineat proprietatem libri, sive possessionem, excommunicationem incurrit. Nec excusat quod ipse legere nesciat et simul caveat, ne ad aliorum manus perveniat. D'Ann. *loc. cit. n. 37.* « Ceterum, is addit (*ibid.*), si tibi certum sit eum tradere, vacas letali, si distuleris biduum aut triduum (Hollweck *das kirchliche Bücherverbot p. 25 not. 3*, quem refert non improbans Vermeersch *loc. cit. n. 28*;; extendit ad octiduum, quod spatium saepe a Pontificibus tamquam terminus statuebatur ad tradendum librum ordinario aut inquisitoribus), vel ulterius (ad mensem scilicet ex Hollweck et Vermeersch *loc. sup. cit.*), forte dum expectas tradendi opportunitatem vel petitam legendi veniam, dumne haec diu exspectanda sit ».

Quid autem dicendum de eo, qui custos est alicuius bibliothecae, in qua huiusmodi libri continentur? Et bene respondet Vermeersch (*Comm. in constit.* « *Officiorum ac munerum* » *n. 51*),

eum non teneri excommunicatione, nisi in propria domo vel cubiculo asservet.

Praeterea nota, contra ea, quae supra ex Ituriaga retulimus, eumdem Vermeersch haec non immerito, ut videtur, annotare : « Stricte loquendo retinet et bibliopega. Attamen ex quadam epikeia videtur permitti, ut libros retineat prohibitos, dum eos compingit pro habente facultatem. Imo et pro non habente, si accesserit damni ratio. Ceterum plerumque ignorantia protegetur ».

Examinat praeterea Vermeersch (*l. c. n. 58*) casum de ephemeridibus huiusmodi vel diariis retinendis, et postquam dixerit, grave sibi esse, domi ea in notabili quantitate (continuam seriem quindecim foliorum, vel triginta non continua) colligere, merito addit : « Observes tamen, librum per se vix teneri posse, quin periculum sit ne legatur, dum facilius et satis saepe veteres ephemerides destinationem obtinent plane diversam. Num grave fuerit emere vel retinere collectionem foliorum ad usum, qui omne periculum lectionis excludat? Id certe dubitamus ».

Praeterea ad incurrendam excommunicationem necesse est, eos libros *scienter* retinere; nam vox illa *scienter* non refertur tantummodo ad legentes, sed ad retinentes quoque, imprimentes, defendentes, quos omnes enumerat constitutio « Apostolicae Sedis » et constitutio « Officiorum ac munerum » (D'Ann. *l. c. n. 40*; Bucc. *l. c. n. 13*; Gennari *della nuova disciplina sulla proibizione e sulla censura dei libri* § *47*); hinc excusat ignorantia sive iuris sive facti, nec tantum invincibilis aut crassa et supina, sed etiam affectata. D'Annibale *loc. cit.*

Retractatio — Retractatio actionis culpabilis non semper excusat a restitutione. Sic mandans, cuius revocatio non fuit audita vel intellecta a mandatario; consulens, qui in retractatione saltem aeque efficacia motiva non attulerit, tenentur ad restitutionem. Vid. *Cooperatio.* — Retractatio diffamationis, si agatur de calumnia, facienda est etiam cum iactura propriae famae, si vero de simplici detractione non item, sed famam restituere debet detractor eo modo, quo potest, utens amphibologia in retractando, etc. Vid. *Detractio.* 3537

Retrovenditio — Retrovenditio est contractus, quo venditor sibi reservat ius rem suam redimendi statuto tempore, et eodem pretio, sub conditione sumptus etc. resarciendi. *C. C. a. 1515 sqq.*

Licita est omnino (*S. U. I. ad vic. ap. Sutchuen. 24 aug. 1778*; *ad vic. ap. Honan. 3 aug. 1858*; *S. C. P. F. ad. provic. ap. Kuytceu 5 mart. 1860*; G. B. *I. 903*); quaedam tamen requiruntur conditiones, ut, ex nostris legibus, quod hoc ius non potest stipulari ultra quinquennium. Cfr. *C. C. a. 1516 sqq.* 3538

Conditiones, quae naturali iure requiruntur in hoc contractu, sic enumerantur in supracitatis litteris S. C. de Prop. Fide ad pro-vicarium ap. Kuytceu *5 mart. 1860*:

« 1° Ut nihil fiat in fraudem usurariam, et adsit intentio vere emendi et vendendi, alioquin iam esset mu-

tuum implicitum seu larvatum, et lucrum inde proveniens esset usura. Hinc pretium vile ab emptore oblatum pro re diutius retinenda; item si emptor aliis usuris assuetus nolit mutuum dare, sed rem emere cum pacto retrovendendi, dubium fundatum ingereret, et diligenter attentionem excitare deberet.

« 2° Ut onus impositum compensetur, nam onus omne contractui extrinsecum et pretio aestimabile compensari debet, alias non servaretur aequalitas et iustitia; ac proinde minui debet pretium, si emptor teneatur rem emptam revendere venditori; talis enim obligatio est onus pretio aestimabile, quum privet emptorem facultate eam retinendi aut aliter alienandi; augeri vero, si venditor obligetur rem venditam redimere, uti emptor voluerit, quum hoc onus sit etiam pretio aestimabile ac extrinsecum venditioni. Hinc emptio rei frugiferae, facta ea lege, ut venditor teneatur postea rem suam recipere et totum pretium pro ea acceptum reddere emptori retinenti sibi fructus, posset, saltem in praxi, usurae velatae suspicionem ingerere; nam reipsa mutuum virtuale cum lucro respectu illius redolet, qui, nolens mutuari alteri pecuniam quaerenti, emit ab illo vineam aut domum, ea lege ut post biennium vel triennium redimatur eodem pretio, quo empta fuerit, retentis fructibus ex ea perceptis; talis namque non habet intentionem sinceram emendi, verum tantummodo intendit dare pecuniam praefatam, ut totam postea recipiat cum lucro; quod est usurarium.

« 3° Ut res non redimatur maiori pretio, quo prius vendita fuit, nisi melior industria vel opera emptoris facta sit; nam vis pacti retrovenditionis in eo est, ut emptor restituat rem, restituto pretio pro ea dato; perinde enim est cum eo pacto contrahere, ac cum pacto ut liceat post aliquod tempus contractum dissolvere.

« 4° Ut emptor fiat vere dominus rei emptae, eius periculum subeat, onera sustineat, fructus ac commoda percipiat; hoc siquidem exigit natura contractus ».

Reus. — Reus ille dicitur, qui in 3539
iudicio sive criminali sive civili accusatur, sive nocens sit, sive innocens; seu ille, qui in ius vocatur. Aichner *Comp. iur. eccl. § 210. 1*; De Luca Mar. *Prael. iur. can. de iudiciis num. 4.*

Si legitime interrogetur, tenetur respondere, nisi de magna poena agatur; si vero illegitime, non tenetur. S. Alph. *IV. 272 sqq.*

Ad sui defensionem revelare potest crimina occulta testium vel accusatoris. S. Alph. *IV. 277.*

Licet innocenti fugere, non autem a publica potestate illatam vim vi repellere (Lugo de *iust. et iure disp. XL. n. 38 sqq.*); fugere licet et nocenti ante sententiam certo, et probabiliter etiam post (D'Ann. *II. 601*), etiamsi damnum inde custos passurus sit. G. B. *I. 976.*

Revalidatio matrimonii. — Revali- 3540
datio matrimonii, quod initum fuit in forma legitima, sed nullum fuit ob solum defectum interni consensus (quique defectus manserit occultus) fieri potest per simplicem consensus

renovationem utriusque partis, si neutra consensit, vel alterutrius, si una tantum consensit; quae consensus renovatio non est facienda coram parocho et testibus. B. P. *VI. 893*; Gasparri *de matr. II. 1415 sqq.*

Matrimonium, invalidum ratione clandestinitatis, ineundum est coram parocho et testibus, nisi a Romano Pontifice dispensatio a forma legitima servanda obtineatur. D'Ann. *II. 484*; Gasparri *l. c. II. 1421.*

Quando matrimonium invalidum est ob aliud impedimentum ecclesiasticum, quod fuit et mansit occultum, obtenta impedimenti dispensatione, renovandus est consensus a sponso impedimenti conscio, vel ab utroque, si uterque impedimenti conscius est, sed non coram parocho et testibus. B. P. *VI. 906.*

Quaestio est, an si unus tantum impedimenti conscius sit, altera pars, quae impedimenti est nescia, debeat et ipsa necessario consensum renovare post obtentam dispensationem, ut matrimonium consistat. Et graves theologi hoc negant, affirmant graves. Cfr. B. P. *VI. 907 sqq.*; Feije *de imp. et disp. matr. n. 764:* Gasparri *l. c. II. 1395.* Dicam quod sentio: consensus, quem putativi isti coniuges initio dederunt, fuit verus consensus in matrimonium, idest ad hoc, ut, in quantum possent, fierent vir et uxor. Quod adeo verum est, ut, hoc eodem consensu manente, S. Sedes concedat dispensationem in radice, ad quam nullus novus consensus requiritur. At consensus iste fuit inefficax, idest vim suam exserere non potuit, obstante impedimento. Ablato impedimento, consensus ille, si perseverat, vim suam exserit statim, et matrimonium fit. Quare per se nullo modo videtur necessaria renovatio consensus. Attamen dispensatio impedimenti concedi potest absolute et conditionate; si conditionate conceditur, debet prius purificari conditio, ut dispensatio valeat. Porro in praxi videtur semper dari sub conditione renovationis consensus quando non datur in radice. Quare matrimonium non valet, nisi consensus renovetur, quia secus semper manet impedimentum. Et quidem renovatio ista consensus exigitur ab utraque parte; nam generatim in dispensatione ponitur clausula « certiorata altera parte de nullitate matrimonii, sed ita caute, ut oratoris delictum numquam cognoscatur »; quae clausula non raro magnam parit difficultatem. Tunc, si moraliter impossibile est, eam ad exsecutionem perducere, satius erit petere dispensationem in radice.

Diximus, partem vel partes impedimenti conscias debere renovare consensum; quod ideo diximus, tum quia id lex ecclesiae praescribit, tum quia, posita scientia invaliditatis prioris consensus, fieri non potest, ut quis velit reapse esse coniux, quin renovet consensum. Notandum etiam, quod in casu impedimenti, quod ab initio fuit publicum, vel postea publicum factum est, quando legitima forma servanda est, consensus renovandus est coram parocho et testibus. Gasparri *loc. cit. II. 1399*; B. P. *VI. 893 sqq.*

Quoad illam clausulam, quae generatim apponitur in concessione dispensationis ab impedimento, quae datur

in forma communi, de certioranda altera parte quoad nullitatem matrimonii, auctores plures excogitarunt modos id faciendi, quin oratoris delictum ab altera parte cognosceretur; quos etiam modos consulunt in casu, quo si alia pars certo sciret se liberam esse, nollet renovare consensum, sed ad alias vellet potius nuptias transire. Hinc dicunt posse unum e sponsis alteri dicere: « dic, quaeso, si nullum esset nostrum matrimonium, nonne iterum nunc me acciperes? » vel « angor scrupulis de nostri matrimonii valore: ideoque renovemus consensum »; vel « pro mea consolatione vellem de novo contrahere, eia contrahamus »; vel alia huiusmodi similia.

At patet, quod in his modis, vel non habetur voluntas hic et nunc contrahendi, sed desiderium tantum; vel deest conditio apposita de certioranda altera parte, nam ad summum iniicitur dubium; vel deest utrumque. B. P. *VI. 908;* D'Ann. *III. 485* (*29*).

Nunc tamen in praxi, quum S. Poenitentiaria in recenti formula facultatum, quas aliis concedere solet, addat, « et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu iuxta regulas a probatis auctoribus traditas », signum est, eam in casu necessitatis dispensare a conditione certiorationis, et forte etiam ab ipsa vera renovatione consensus, quae in aliquibus ex illis phrasibus a probatis auctoribus excogitatis non habetur; et contentam esse, ut illae formulae adhibeantur ab una parte et acceptentur ab altera. Cfr. Feije *l. c. n. 763;* B. P. *VI. 909.* Quare in praxi haec dispensatio coincidit cun dispensatione in radice.

Sed et praeterea notandum est, quod non solum secundum ea, quae diximus, necesse est renovari consensum, sed etiam renovatio consensus debet fieri a coniugibus scientibus nullitatem prioris matrimonii; quare matrimonium nullum ex aliquo impedimento, etsi impedimentum postea cessaverit, non censetur convalidatum ex continuata cohabitatione maritali, nisi expresse putati coniuges, scientes matrimonii nullitatem, consensum renovaverint. Cfr. *S. U. I. 31 aug. 1887, 8 mart. 1899.*

De revalidatione matrimonii cum dispensatione in radice, Vid. *Sanatio in radice.*

Revelatio. — Revelatio criminis, Vid. *Detractio;* secreti, Vid. *Secretum;* sigilli sacramentalis, Vid. *Sigillum sacramentale;* impedimentorum matrimonialium, Vid. *Impedimenta matrimonii.*

Reviviscentia sacramentorum. — Vid. *Sacramentum.*

Rigorismus. — Vid. *Laxismus.*

Rituale. — « In authenticis editio- 3541
nibus missalis, breviarii, ritualis, ceremonialis episcoporum, pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum nemo quidquam immutare praesumat; si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur ». *Constitut.* Leonis XIII « Officiorum ac munerum » *VIII kal. febr. a. 1896 art. 18.*

Ex hoc articulo infertur, novas editiones eorum librorum liturgicorum, quorum exstat exemplar typicum seu

authentica editio, si in iis quidquam a textu authentico fuerit immutatum, esse prohibitas.

Porro si de immutatione quaeramus, quae hanc prohibitionem inducit, notandum est cum Vermeersch (*Comm. in constit. « Officiorum ac munerum »* ' *88. 3*), quod « ex una parte etiam leves immutationes attenduntur; aliunde excusantur involuntaria errata ». Nec minori attentione dignum est illud, quod laudatus auctor statim subdit: « Non tamen mutatus censetur textus authenticus, quia in nova editione, suis locis, plura quam in authentica extenduntur et repetuntur in commodum utentium ».

Quod autem hic annotare praestat istud est, scilicet articulum istum Leonianae constitutionis non parvam attulisse immutationem in disciplina, quae prius circa hanc rem vigebat. Videlicet nunc eae tantum editiones prohibentur, quae ab authenticis textibus discrepant, non autem aliae non discrepantes, etiamsi editae sint sine ulla approbatione auctoritatis ecclesiasticae (nec quidquam in contrarium efficiunt ea, quae excidisse videntur « Ephemeridibus liturgicis » *a. 1898 pag. 297 sqq.*); contra, antiquo iure plura prohibebantur, ac generatim requirebatur, ne prohibiti essent libri, approbatio s. Congregationis rituum vel s. Officii aut ordinarii loci, quae imo sub eadem poena prohibitionis in initio vel in fine libri imprimenda erat.

Quare nunc nulla debet esse cuiquam religio recitandi horas canonicas ex breviario, quod nullam referat approbationem s. Congreg. rituum (Gennari *della nuova disciplina sulla proibizione e sulla censura dei libri § 18;* Vermeersch *loc. cit.*); non solum enim satisfacit, sed nihil peccat.

Quid autem, quaerit idem Vermeersch, si recites breviarum adhibendo prohibitam editionem? Et respondet: « quia non est inducenda sanctio, quam non expressit lex, videris valide recitare, seu satisfacere obligationi, modo recites iuxta formam praescriptam ».

Et in hoc sequitur Vermeersch doctrinam auctoris ephemeridis, cui titulus « Monitore ecclesiastico » *vol. VIII. p. 2 pag. 209,* ubi in quadam consultatione examinat casum secundum normas antiqui iuris, quod tunc vigebat.

Baruffaldi Hier. Ad rituale romanum commentaria; *Cassius Barth.* Rituale romanum illyrico idiomate redditum; *Catalanus Ios.* Rit. rom. Ben. XIV iussu editum et auctum perpetuis commentariis exornatum; *De Herdt I. B.* Praxis liturgica ritualis romani.

Ritus. — Lex est, quemadmodum 3542
diximus (sub *Eucharistia*), ut unusquisque recipiat communionem in suo ritu. *S. C. P. F. 11 dec. 1838; ad deleg. ap. Aegypti 30 apr. 1862; ad deleg. ap. Mesopotamiae 25 iul. 1887.*

Quare latini nequeunt per se communionem recipere a graecis presbyteris in fermentato (*Const.* Ben. XIV « Etsi pastoralis » *26 maii 1762*), et vicissim.

Attamen iam ipse Benedictus XIV (*const. nuper cit.;* cfr. etiam instructionem pastoralem eiusdem Pontificis « Eo quamvis tempore ») permisit graecis laicis, ut, ubi parochiam

graecam non haberent, possent, si vellent, in ecclesia latina eucharistiam sub specie azymi a latinis sacerdotibus sumere.

Recentius autem Leo XIII facultatem concessit omnibus fidelibus cuiuscumque ritus, sive latini, sive orientalis, degentibus in locis, in quibus non sit ecclesia aut sacerdos proprii ritus, recipiendi sacram communionem, non modo in articulo mortis et pro paschali praecepto adimplendo, sed etiam quovis tempore, devotionis gratia, iuxta ritum ecclesiae exsistentis in praedictis locis. *Leo XIII per decr. S. C. P. F. 18 aug. 1893.* Haec concessio ab eodem Pontifice extensa est etiam ad casum, quo ecclesia quidem proprii ritus cum sacerdote eiusdem ritus adest, sed fideles propter longinquitatem nequeunt eam adire sine gravi incommodo; de hoc autem relictum est iudicium ordinario. *Const.* Leonis XIII « Orientalium » *30 nov. 1894.* Imo catholici orientales, sive in azymo sive in fermentato communicantes, non habentes parochum proprii ritus in loco orientis, ubi sunt sacerdotes aliorum rituum consecrantes in azymo vel in fermentato, possunt habitualiter, idest devotionis gratia, communicare ad arbitrium una die in azymo et alia in fermentato. *Leo XIII per decr. Comm. Pontif. pro eccles. reunione 14 febr. 1896.*

Quilibet vero sacerdos nonnisi in suo, sive graeco, sive latino ritu, eucharistiam fidelibus porrigere debet. *Const. cit. Ben. XIV.*

Quoad transitum de uno ritu in alterum confer *Instr. S. C. P. F. 10 nov. 1838; ad ep. Alepp. maron. 7 apr. 1859; litt. eiusd. S. C. 15 iul. 1876; ad deleg. ap. Mesopot. 15 iul. 1876; S. U. I. 13 febr. 1639, 3 aug. 1639.*

Rituum s. Congregatio. — Instituta 3543
est haec Congregatio a Sixto V constitutione sua « Immensa ». Eidem a SSmo Dno Pio PP. X unita fuerat motu proprio « Quae in ecclesiae bonum » diei 28 ian. 1904 congregatio indulgentiarum et ss. reliquiarum, quae nunc recentiori constitutione « Sapienti consilio » extincta fuit et quoad materiam dismembrata ita ut ea quae ad indulgentias pertinent, congregationi S. Officii fuerint demandata, ea vero, quae pertinent ad ss reliquias huic congregationi addicta remanserint.

Haec congregatio constat cardinali praefecto et, quemadmodum aliae omnes, cardinalibus in maiori aut minori numero a Summo Pontifice electis. His adiungitur secretarius, quem adiuvat substitutus. Praeter hos sunt plures praelati officiales, quorum primum locum obtinet Sacrista Sanctitatis Suae; postea unus venit e protonotariis apostolicis de numero participantium, qui stabili ratione huic muneri ascribitur; deinde decanus s. Rom. Rotae cum duobus antiquioribus auditoribus, magister s. Palatii, promotor fidei, assessor seu fidei subpromotor et consultores plures, inter quos nulli sunt consultores nati, ut dicitur, sed nonnulli habentur religiosi ordines, quibus privilegium est ut unus ex suis allegetur consultoribus; ita a Benedicto XIII statutum est ut semper unus e consultoribus assumatur ex familia minorum S. Francisci conventualium (*Brev. 7*

aug. 1725), alter ex congregatione clericorum regularium Barnabitarum (*Brev. 1 oct. 1725*), tertius ex ordine fratrum servorum B. M. Virginis (*Brev. 8. aug. 1726*). His Benedictus XIV addidit unum semper desumendum ex Societate Iesu (*const.* « *Constantem* » *24 apr. 1748*).

Magistri quoque ceremoniarum in hac congregatione partem habent eorumque votum, quando dubium agitur de sacris ritibus, quandoque exquiritur.

Sunt praeterea et alii administri, quorum primus est hymnographus cuius munus in hoc consistit, ut officia sanctorum et alia ad id pertinentia ordinet et corrigat.

Pro duplici principaliori munere, quod habet haec congregatio, dirigendi scilicet ea, quae pertinent ad liturgiam, et curandi ea quae spectant ad beatificationem et canonizationem sanctorum, duplicem etiam retinet omnino distinctum procedendi modum. Qui duplex procedendi modus explicatur in distinctis prorsus et diversis sessionibus seu congressibus huius congregationis. Duo isti congressus ii sunt, qui vocantur congregatio ordinaria et congregatio extraordinaria.

Congregatio ordinaria pertractat omnes causas ad congregationem pertinentes, iis exceptis, quae referuntur ad dubia maiora, circa beatificationem et canonizationem sanctorum. Huic enim ordinariae congregationi demandatum etiam erat munus resolvendi minora dubia circa causas beatificationis, ea scilicet dubia quae praevia sunt et quasi praeparatoria quaestionibus formalibus et ut ita dicam substantialibus seu de heroicitate virtutum pro confessoribus et de facto et causa martyrii pro martyribus nec non de miraculis pro utrisque. Postea hoc munus provisorie transiit ad auditores Rotae; nunc autem Summus Pontifex ad easdem causas pertractandas constituit congregationem particularem constantem ex aliquot cardinalibus pertinentibus ad s. congr. rituum, nempe praefecto, ponente aliisque quinque ab ipsa s. congreg. designandis nec non ex praelatis officialibus ipsius s. congregationis nempe protonotario apostolico, secretario, promotore fidei ac subpromotore. *S. R. C., 9 dec. 1908.*

Congregatio extraordinaria dispescitur in triplicem quandam speciem. Habetur enim congregatio antepraeparatoria, praeparatoria et generalis, quae omnes non differunt quoad materiam, circa quam versantur, quum in omnibus discutiantur dubia maiora circa beatificationes et canonizationes, sed quoad personas, quae eas constituunt, et quae in ipsis votum proferunt.

Congregationi antepraeparatoriae praesidet cardinalis causae ponens seu relator, ut dicitur, et proinde cogitur in eius aedibus. In ea dant votum consultores tantummodo, qui etiam unice adsunt.

Congregationi praeparatoriae praesidet cardinalis congregationis praefectus. Eidem interveniunt cardinales omnes ad congregationem pertinentes, sed votum dant consultores tantum. Cogitur in palatio vaticano in aula congregationum.

Generalis congregatio habetur sub praesidentia ipsius Romani Pontificis. Ei interveniunt et in ea votum dant cardinales omnes et consultores. Hi quidem primi, qui postquam omnes votum dederunt, simul omnes exeunt et tunc votum suum aperiunt cardinales.

« Haec sacra congregatio ius habet videndi et statuendi ea omnia, quae sacros ritus et ceremonias ecclesiae latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura, aliaque id genus, de quibus, sive servato iudiciario ordine sive ratione disciplinae, hoc est, uti aiunt, *in linea disciplinari* disceptetur.

« Eius proinde est praesertim advigilare ut sacri ritus ac ceremoniae diligenter serventur in sacro celebrando, in sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae ecclesiae latinae cultum respiciunt; dispensationes opportunas concedere; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel ceremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in haec abusus irrepant.

« Denique ea omnia exsequi debet, quae ad beatificationem et canonizationem sanctorum vel ad sacras reliquias quoquo modo referuntur ».

Quae omnia distinctius etiam declarantur in Normis peculiaribus, ubi haec habentur:

« Itaque quum huius proprium et cum aliis non commune sit munus curandi ut, in universa ecclesia latina, sacri ritus ac ceremoniae diligenter serventur in sacro celebrando, in sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis; idcirco debet:

« *a*) advigilare liturgicis omne genus libris ecclesiae latinae, eos inspicere, corrigere aut reprobare, salva sancti Officii competentia in iis quae fidei capita, seu dogmata, respiciunt;

« *b*) excutere atque approbare nova officia divina et calendaria;

« *c*) dubia de ritibus iudicare ac dirimere;

d) quae hac in re necessaria videantur temperamenta, indulta, facultates concedere, veteri retento catalogo, novis tamen disciplinae normis circumscripto, iis praesertim quae superius allata sunt *num. 10* de Congregatione sacramentorum, et *num. 4* et *5* de Congregatione concilii ».

Ab hac congregatione dependent quaedam commissiones speciales, ut commissio seu coetus liturgicus, commissio seu coetus historico-liturgicus, commissio pro sacro concentu.

Cohellius Notitio cardinalatus, etc., Congregatio V, pro sacris ritibus et caeremoniis; *Lunadoro* Relatione della corte di Roma, cap. XIV, Della Congregazione de' sagri Riti, del promotore della fede e di altri personaggi di detta Congregazione; *De Luca* Rel. Rom. Curiae for., disc. 18; *Danielli* Recentior praxis curiae rom., in h. t.; *Benedictus XIV* De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione; Acta canonizationis SS. Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Iosephi a Leonissa et Catharinae de Riccis una cum apostolicis litt. SS. D. N. Benedicti XIV et vaticanae basilicae ornatus descriptione; Benedicti XIV P. O. M..... appendices ad quatuor libros de servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione; SS. D. N.

Benedicti XIV P. O. M., acta et decreta in causis beatificationum et canonizationum aliisque ad sacrorum rituum materiam pertinentibus ad annum pontificatus sui decimum; *Moroni* Dizionario di erudizione ecc. Congregazione de' sagri riti; *De Azevedo Emm.* SS. D. N. Benedicti PP. XIV doctrina de servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione in synopsim redacta; *Gardellini Alois.* Decreta authentica Congr. SS. Rituum ex actis eiusdem collecta; *Mühlbauer W.* Decreta authentica Congr. SS. Rituum et instructio Clementina ex actis eiusdem collecta ab Aloisio Gardellini in usum cleri commodiorem ordine alphabetico concinnata; Decreta authentica Congr. Sacrorum Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata.

3544 **Rochettum.** — Rochettum est vestis dignitatis; et ideo in decreto S. R. C. ab Urbano VIII approbato, quod ponitur initio missalis, « prohibetur usus rochetti, exceptis tamen quibus de iure competit: et praeter hoc statuitur et declaratur, nemini licere inservire aut assistere in celebratione missarum aut divinorum officiorum cum rochetto, neque cum cotta habente manicas angustas ad instar rochetti; et idem servandum est in concionibus ». Item in decreto *10 ian. 1852 in Cenoman. ad 5* (*2993*) declaratur « tum ad sacramenta administranda, tum ad suscipiendam primam tonsuram et minores ordines necessario superpelliceo utendum ».

Rochettum autem competit praelatis secularibus, non autem praelatis regularibus (Vid. *Mozzetta*), neque aliis sacerdotibus secularibus, sed superpelliceum tantum, nisi his ex privilegio apostolico usus rochetti concessus sit, prout pluribus capitulis canonicorum, praesertim cathedralium, indultus est. *S. R. C. in Florentina 17 mart. 1629* (*495*). Hi tamen, quibus usus rochetti competit, in administratione sacramentorum, tum intra, tum extra propriam ecclesiam, superpelliceum etiam induere debent. *S. R. C. 31 maii 1817 ad dub. add. 2* (*2578*); *in Ravennaten. 17 sept. 1822* (*2622*); *in Aesina 16 apr. 1831* (*2680*); *in Pisana 12 nov. 1831 ad 22* (*2684*); *in Adiacen. 25 sept. 1882* (*3556*); *decr. gen. 12 iul. 1892* (*3784*); *in Clusina 12 mart. 1904.* Vid. *Administratio sacramentorum.* Item canonicus gerens personam parochi in ducendo funère induere debet rochettum et superpelliceum ac deinde stolam, vel retento rochetto induere debet stolam cum pluviali nigri coloris. *S. R. C. in Maceraten. 23 mart. 1889* (*3704*).

Fundus manicharum in rochettis esse potest coloris vestis talaris relativae dignitatis. *S. R. C. in Romana 12 iul. 1892 ad 5* (*3780*).

Privilegiati in concionibus aliisque functionibus, in quibus rubricae superpelliceum non praescribunt, rochetto uti possunt, imo etiam cappa sed tantum in propria ecclesia (*S. R. C. 31 maii 1817 dub. add. 2* [*2578*]) et non in alienis.

Roma. — Ad impediendum abusum 3545
plurium clericorum suam deserentium dioecesim, et ad Urbem citra necessitatem et iustam causam demigrantium, Leo XIII per Sacrae Congregationis Conc. decretum (*22 dec. 1894*) haec statuit:

1° Clerici et sacerdotes seculares alienae dioecesis, aut etiam regula-

res extra claustra degentes, nequibunt in posterum stabile domicilium in urbe statuere absque expressa venia Summi Pontificis per officium s. Congregationis Concilii impetranda.

2° Qui vero in praesens Romae degunt, si nullo beneficii aut officii titulo ad residendum astricti sunt, nec per diuturnam commorationem et tacitam aut expressam suorum episcoporum licentiam domicilium Romae acquisierint, post mensem a die huius decreti elapsum ad suam dioecesim redire debebunt.

3° Nullus ex clericis et sacerdotibus alienae dioecesis ad ecclesiasticum officium, quodcumque sit, aut ad aliud munus, quod residentiam in urbe requirat, eligi a quoquam in posterum poterit, nisi, praeter testimoniales commendatitias sui episcopi litteras, exhibeat quoque veniam a Summo Pontifice iam obtentam Romae manendi; itemque nemini beneficium conferetur, si assensum ordinarii sui ad hoc non obtinuerit: atque aliter facta beneficii collatio nulla et irrita erit.

4° Qui ad litterarum scientiarumque studiis operam dandam, vel ad honesta negotia peragenda, vel ex alia iusta causa in urbe cum ordinarii licentia versantur, statim ac temporaria huiusmodi causa cessaverit vel a proprio episcopo revocentur, ad propriam dioecesim redire debebunt, exclusa omni futili excusatione, ac praesertim, ob peculiarem dioecesium his temporibus conditionem, nullatenus eisdem suffragante exceptione sive ex susceptis studiis sive ex praetensa tenuitate sustentationis ab episcopo oblatae desumpta: quod si durante hac eorum commoratione in urbe sese, uti decet, non gesserint, per vicariatum urbis propriis ordinariis denunciabuntur, et ab urbe discedere cogentur.

5° Quicumque denique, quolibet modo, praesentibus dispositionibus se non conformaverit, aut, quod Deus avertat, eisdem contraiverit, ipso facto suspensioni a divinis obnoxius fiet.

Ceterum episcopi omnium clericorum suorum aeque curam gerant, neque, uti saepe dolendum, e sua dioecesi eos abire facile sinant, qui seu vitae ratione, seu aliis quibuscumque causis sese reprehensione dignos aut molestos exhibeant.

Haec itaque omnia Sanctitas sua ab omnibus, ad quos spectat, custodiri et inviolabiliter servari mandavit, contrariis quibuscumque, etiam peculiari mentione dignis, minime obstantibus.

Recentius vero emus card. urbis 3546
vicarius litteras dedit circulares ad archiepiscopos et episcopos Italiae, quibus de mandato Sanctitatis suae ante omnia inculcat, ut nonnisi iuvenes clericos ad romanas universitates mittant, qui spem faciant concipere, se his altioribus studiis habiles fore, nec non ita necessariis ad vitam ducendam praediti sint, ut ad hoc non cogantur lectiones aliis impertiri sive litterarum sive scientiarum, quod certe maximo esset detrimento studiorum, quae hi clerici facere debent; abstrahendo etiam a maxima difficultate inveniendi huiusmodi media, qui-

bus se clerici isti valeant sustentare. Praeterea statuit, ut clerici ceteri Romae morantes, qui in domibus particularibus, non autem in aliquo collegio ecclesiastico aut domo religiosa, degent, non admittantur ad pontificias universitates et multo minus ad ordines. Eadem, proportione facta, vult intelligenda esse de sacerdotibus, qui studiorum praetextu, saepe vero ambitione tantum ducti, Romam veniunt. *Vic. alm. Urb. 10 aug. 1901.*

3547 His accesserunt recentiores litterae a Summo Pontifice ad cardinalem urbis vicarium datae die 6 aug. 1905, in quibus haec statuuntur:

1° Ii sacerdotes alienae dioecesis, qui constanter Romae commorari cupiant, debent antea ad cardinalem vicarium petitionem mittere simul cum opportunis documentis et praecipue explicito sui ordinarii consensu. Qui ordinarius debet etiam suam aperire sententiam circa rationes, quae ad gratiam obtinendam adducuntur. Nobis tamen exclusive reservamus facultatem veniam petitam concedendi.

2° Ii sacerdotes alienae dioecesis, qui Romam veniant ut temporaneam ibi moram trahant, debent statim se vicariatus officiis sistere ad exhibendum *Discessit* sui ordinarii. In hoc autem debet expresse declarari ratio, ob quam Romae commorari cupiant et tempus ad hoc eisdem concessum, quod pro dioecesibus Italiae non poterit tres menses excedere, pro exteris sex. Quod si prorogatio quaedam necessaria sit, haec ab ipso ordinario peti directo debet.

3° Hi sacerdotes debent a vicariatu approbationem quoque obtinere habitationis, quam Romae elegerint.

4° Qui his dispositionibus non obtemperant absolute prohibeantur a sacro faciendo in hac alma urbe, de quo certiores fiant respectivi ordinarii.

5° Ut vitetur periculum ne sacerdotes ad tempus Romae commorantes munera assumant, quae stabilem aut diuturnam important commorationem, volumus, quemadmodum pro sacerdotibus qui romano clero sunt ascripti praescriptum est, ne etiam alii ad cuiuscumque generis concursum admitti aut munera, beneficia, vel omnis generis officia sine expresso consensu vicariatus assequi valeant.

6° Hoc autem deficiente consensu, tum admissiones ad concursus cuiuscumque generis, tum nominationes ad beneficia, officia, aut alia quaecumque munera, irritae ac nullae habentur.

7° Hae dispositiones quocumque in casu et relate ad quamcumque auctoritatem etiam specialissima mentione dignam, nulla excepta, valeant.

8° Quoad sacerdotes autem alienae dioecesis, qui actu Romae commorantur, illis venia detur hic permanendi qui beneficium aut officium ecclesiasticum stricte dictum Romae obtinent, aut hic a decem saltem annis, studiorum tempore haud computato, de consensu sui ordinarii commorati fuerint, dummodo nullam quoad suae vitae rationem causam dederint querelae. Alii omnes ad suam dioecesim redeant aut alibi officium sibi quaerant de sui ordinarii consensu.

Ut praecepta Pontificis exsecutioni, 3548

ut par erat, darentur, emus cardinalis urbis vicarius opportunas dedit litteras circulares omnibus episcopis, die 16 aug. eiusdem anni, simul adiungens praeceptum a Pontifice latum, ne clerici qui regiam universitatem romanam frequentare velint, Romam veniant, nisi recepti fuerint in aliquod Urbis seminarium.

3549 **Romana Curia.** — De Romana curia in genere diximus sub *Curia Romana*; de singulis congregationibus, tribunalibus et officiis, quibus ea constat, diximus vel dicemus aliis in locis, quae ad utilitatem lectorum hic subiicimus.

Romana Curia, ut diximus, constat congregationibus, tribunalibus et officiis.

Congregationes sunt: 1° Congr. s. Officii (Vid. *Sanctum officium*); 2° Congr. Consistorialis (Vid. *Consistorialis Congregatio*); 3° Congr. de sacramentis (Vid. *Sacramentorum s. Congr.*); 4° Congr. Concilii (Vid. *Concilii s. Congregatio*); 5° Congr. negotiis religiosorum sodalium praeposita (Vid. *Religiosorum s. Congr.*); 6° Congr. de Prop Fide Vid. *Prop. Fidei s. Congregatio*); 7° Congr. Indicis (Vid. *Indicis s. Congreg.*); 8° Congr. ss. Rituum (Vid. *Rituum s. Congr.*); 9° Congregatio Ceremonialis (Vid. *Congregationes Romanae*); 10° Congr. pro negotiis ecclesiast. extraordinariis (Vid. *Negotiorum eccl. extr. s. Congr.*); 11°. Congr. Studiorum (Vid. *Studiorum s. Congr.*); 12° Congr. Lauretana (Vid. *Lauretana s. Congr.*); 13° Congr. rev. fabricae s. Petri (Vid. *Petri s. fabrica*).

Tribunalia sunt tria: 1° s. Poenitentiaria (Vid. *Poenitentiaria*); 2° s. Romana Rota (Vid. *Rota romana*); 3° Signatura apostolica (Vid. *Signatura apostolica*).

Officia sunt quinque: 1° Cancellaria apostolica (Vid. *Regulae Cancellariae*); 2° Dataria apostolica (Vid. *Dataria apostolica*); 3° Camera apostolica (Vid. *Camera*; et haec quae mox subiicimus); 4° Secretaria Status (Vid. *Secretariae Curiae*); 5° Secretaria brevium ad principes et epistolarum latinarum (Vid. *Secretariae Curiae*).

De camera apostolica. — Cardina- 3550
lis camerarius in curia archidiacono successit. Magna antiquitus fuit eius auctoritas et amplissimum munus, ad quod exercendum aliquos deputare cepit adiutores seu officiales subalternos, quorum unus dictus est auditor camerae seu camerarii, alter pro immediato gubernio temporalis urbis dictus est vicecamerarius seu gubernator urbis, alius pro conservatione et administratione pecuniarum et aerarii, cui proinde thesaurarii camerae nomen datum est. Excrescente autem in die horum officialium auctoritate, factum est ut ipsi pontifices ad horum nominationem directo devenerint et cum iis de rebus ad eorum munus spectantibus immediate agerent. Quare a camerarii dependentia sensim sine sensu sublati sunt et camerarii auctoritas ad quamdam honorificam praecedentiam et praesidentiam camerae restricta est. De Luca *Rel. rom. curiae for. disc. XI n. 3.*

Ut ex dictis patet, camera apostolica constituitur cardinali camerario, vicecamerario, auditore generali, the-

saurario generali, quibus accedit collegium clericorum de camera.

Antiquitus camera multa habuit munia et officia. Camerario enim concredita erat cura omnium negotiorum respicientium iura pontificii aerarii et temporalis gubernationis statuum ecclesiae romanae. Quare ea omnia, quae respiciebant titulos nobilitatis, taxas, annonam, spolia ecclesiarum vacantium, vias, equos, nundinas, collegia artium et studiorum, militiam omnemque administrationem, ad eius spectabant competentiam. Exinde habebat etiam praefecturam romanae universitatis, vulgo Sapientia. Habuit etiam camerarius exercitium auctoritatis seu iurisdictionis forensis et contentiosae, quam prius ipse per auditorem suum, postea auditor independenter exercuit a cardinali camerario.

Hanc iurisdictionem pro sua quisque negotiorum provincia exercuerunt etiam vicecamerarius et thesaurarius generalis, a cuius sententiis appellari poterat ad plenam cameram. Tribunal autem plenae camerae constituebatur a clericis camerae et omnia haec tribunalia ordinaria erant. Tribunal autem auditoris camerae, non solum ordinarium erat, sed competens erat pro universa ecclesia. Cfr. Petra *Comm. in const. ap. ad const. ap. Urb. V tom. 4. n. 4.*

Clerici camerae, quos post varias immutationes, duodecim esse voluit Pius V, constituebant collegium et tribunal, cuius caput de iure erat cardinalis camerarius, de facto autem decanus clericorum. Hi sacerdotes necessario non erant, sed clerici dumtaxat.

In praesenti, quamvis constitutio camerae non fuerit immutata, competentia tamen eius fere ad nihilum est redacta. In constitutione enim « Sapienti consilio » haec quoad cameram apostolicam aperte sanciuntur:

« Huic officio cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur. Ei officio praeest S. R. E. Cardinalis Camerarius, qui in suo munere, Sede ipsa vacua, exercendo se geret ad normas exhibitas a Const. *Vacante Sede Apostolica,* XXV Dec. MDCCCCVI ».

Notandum est pro ordinaria administratione bonorum s. Sedis, quorum maxima pars in obulo s. Petri consistit, specialem cardinalium commissionem institutam esse, quae praecise de obulo s. Petri dicitur, et nonnullis cardinalibus constat cum suo secretario.

Notandum de s. Congregatione Concilii. — Nota hic sequens responsum, scilicet post constitutionem « Sapienti consilio » non competere amplius s. Congr. Concilii exclusivam facultatem interpretandi omnia Concilii Trid. disciplinaria decreta, nec eam competere sacris tribunalibus Romanae Rotae et Signaturae apostolicae; sed eam pertinere ad singulas s. Congregationes secundum propriam cuiusque competentiam; sacris autem tribunalibus competere faculatem decreta tridentina et alias leges ecclesiasticas iuridice interpretandi in casibus particularibus, ita nempe ut ius faciant inter partes in causa. *S. C. Cons. 11 febr. 1911.* 3551

Const. Urbani V « Apostolatus officium» id. oct. 1363; Const. Urbani VI « Apostoli-

cae camerae » VI id. sept. 1379; Const. Gregorii XII « Apostolicae camerae » XVIII kal. iul. 1407; Const. Innocentii VIII « Apprime devotionis » XI kal. ian. 1485; Const. Pauli III « Romani Pontificis » VII kal. dec. 1544; Const. Iulii III « Licet ea » IV id. apr. 1547; Const. Pii IV « Providentia » id. nov. 1560; Const. Pii IV « Ad eximias » kal. mai. 1561; Const. Pii IV « Rom. Pontifex » VIII kal. mai. 1561; Const. Pii IV « Inter multiplices » IV non. iul. 1562; Const. Pii V « Inter illa » XII kal. dec. 1576; Const. Sixti V « Rom. Pontifex » 15 iul. 1590; Const. Clementis VIII « Ea Romani » kal. aug. 1596; Const. Clementis VIII « In conferendis » XV kal. ian. 1599; Const. Clementis VIII « Cum in litteris » V kal. mart. 1600; Const. Innocentii XII « Ad hoc » X kal. nov. 1692; Const. Innocentii XII « Ad romani » IV id. aug. 1698; Const. Bened. XIII « Rom. Pontifex » non. nov. 1728; Const. Clementis XII « Nuper ad nostram » 30 ian. 1734; *Gomes Lud.* In constitutiones camerae apostolicae; *Bucca Io.* De stylo curiae auditoris camerae; *Mandosius* Glossa facultatum regentis in locum auditoris camerae suffecti; *Massa Ant.* Ad formulam cameralis obligationis; *Zotto Alph.* Comment. ad constit. Cam. Apost.; *Gottloo A.* Aus der Camera Apostolica des 15 Jahrh.; *Kirsch I. P.* Die päpstlichen Kollektorien in Deutschland während des 14 Jahrhunderts; *Mittenberger F.* Versuch einer Neuordnung der päpstlichen Kammer in den ersten Regierungsjahren Martins V, 1417-1420; *König L.* Die päpstliche Kammer unter Clemens V und Johann XXII; *Loye* Les archives de la Chambre apostolique au XIV siècle; *Chiari Andr.* Memoria giuridico-storica sulla Dataria, Cancelleria, rev. Camera apostolica, ecc.; *Kirsch J. P.* Die päpstlichen Annaten in Deutschland während des 14 Jahrh.; *Göller E.* Zur Stellung des päpstlichen Kamerars unter Clemens VII (Gegenpapst).

Romanae congregationes. — Vid. *Congregationes romanae.*

Romanus Pontifex. — Vid. *Papa.*

Rosa aurea. — Rosa aurea est non 3562
simpliciter unica rosa, sed rosarium ex auro elaboratum, altitudinis unius circiter metri, vasi affabre caelato infixum. Inter eius flores seu rosas una eminet gemmis ornata.

Haec rosa aurea benedicitur a S. Pont. dom. IV in Quad. « Laetare », quae dicta etiam est ex hoc dominica Rosae. Incipit enim tunc tempus vernum quae est pars anni floridior: dein rosa symbolum est spiritualis laetitiae.

R. P. ante missam benedicit rosam auream in aula paramentorum palatii Vaticani; eum ungit balsamo, deinde in intima parte imponit pretiosa aromata cum balsamo eamque aspergit et incensat. Rosa defertur postea ad cappellam Sixtinam vel ab ipso R. P. vel ante R. P. a praelato. In capp. Sixtina celebratur missa, reposita rosa aurea super altare. Post missam eodem ritu rosa aurea reportatur in aulam paramentorum.

Prima mentio istius rosae est anni 1050 sub Leone IX. - Antiquitus rosa benedicebatur in palatio Lateranensi, ex quo solemni pompa equitans Papa eam deferebat ad basilicam s. Crucis in Hierusalem, in qua ea die statio habetur. Finita missa reportabatur ad Lateranum, et Papa ex equo descendens eam donabat nobiliori Principi, qui frenum equi tenuerat.

Rosam auream R. P. offert alicui dignori personae, quae de S. Sede bene merita fuit. Legitur oblata imperatoribus, imperatricibus etc., rarius civitatibus quibusdam, imo nonnullis etiam ecclesiis.

Rocca Ang. Aurea rosa, ensis et pileus, quae regibus ac magnatibus a summo Pontifice benedicta in donum mittuntur, quid sibi velint; *Ricci Olimp.* De' giubilei universali celebrati negli anni santi, incominciando da Bonifazio VIII fino al presente, discorso (ubi etiam de rosa aurea); *Cartari Carlo* La rosa d'oro pontificia; *Grapius Zach.* Schediasma historicum de rosa aurea a Papa romano quotannis solemniter consecrata; *Zeumer T. G.* De dominica Laetare dissertatio (ubi etiam de rosa aurea); *Baldassarri Ant.* La rosa d'oro che si benedice nella quarta domenica di Quaresima dal sommo Pontefice; *Farskius Fr.* Commentatio de rosa aurea omnique aevo sacra; *Benedictus XIV* Lettera ecc. al capitolo e canonici della chiesa metropolitana di Bologna, con cui accompagna il dono della rosa d'oro mandata dalla Santità Sua alla medesima chiesa metropolitana; *Busenelli Petr.* De rosa aurea epistola.

3553 **Rosarium.** — ***De ipso rosario.*** — B. Dominicus ordinis praedicatorum institutor, Spiritu Sancto, ut pie creditur, afflatus, excogitavit, ut ferunt, modum facilem et omnibus pervium ac admodum pium orandi et precandi Deum, rosarium seu psalterium Beatae Mariae Virginis nuncupatum, quo eadem Bma Virgo, salutatione angelica centies et quinquagies ad numerum Davidici psalterii repetita, et oratione dominica ad quamlibet decimam, cum certis meditationibus totam D. N. I. Christi vitam demonstrantibus, interposita, veneratur, ut dicit S. Pius V *Brev.* «Consueverunt» *17 sept. 1569.*

3554 **De indulgentiis concessis recitantibus rosarium.** — **Quaenam sint.** — Indulgentiae huic orandi modo concessae hae sunt: indulgentia 100 dierum pro unoquoque Pater et unaquaque Ave Maria his, qui integrum rosarium quindecim vel saltem quinque decadum recitant (Bened. XIII. *13 apr. 1726*); indulgentia plenaria semel in anno his, qui quotidie eo anno rosarium quindecim vel quinque decadum recitaverint, lucranda eo die, quem quisque elegerit, dummodo confessionem peregerint, et communicaverint, et oraverint pro exaltatione ecclesiae. Pius VII. *16 febr. 1808.*

Illis autem, qui rosarium, etiam quinque decadum, una cum aliis recitaverint, speciales indulgentias concessit Pius IX (decreto S. R. C. *12 maii 1851*); idest indulgentiam decem annorum et decem quadragenarum semel in die, nec non indulgentiam plenariam lucrandam ultima die mensis dominica, si saltem ter in unaquaque hebdomada rosarium in communi recitaverint, et confessione peracta ac s. communione suscepta, aliquam ecclesiam visitaverint, ibique ad mentem Romani Pontificis Deo preces fuderint.

De requisitis ad has indulgentias lucrandas. — Ad lucrandas huiusmodi indulgentias necesse est habere coronam benedictam, eaque uti secundum communem consuetudinem. Ex concessione tamen Pii IX (*22 ian. 1858*) illi, qui rosarium in communi recitant, possunt indulgentias lucrari, etiamsi unus tantum huic conditioni satisfaciat; ille nempe, qui recitationem dirigit, aliis tamen a quacumque exteriori occupatione abstinentibus. 3555

Necesse praeterea est, ut quis rosarium recitans meditetur mysteria

vitae D. N. I. Ch., exceptis rudibus, qui hoc facere nesciunt. *S. C. Indulg. 13 aug. 1726.*

Horum mysteriorum quinque dicuntur mysteria gaudiosa, et sunt annuntiatio B. V., visitatio eiusdem ad s. Elisabetham, partus Virginis, praesentatio Iesu pueri in templo, inventio Iesu duodennis in templo disputantis; quinque dicuntur dolorosa, et sunt oratio D. N. in horto, flagellatio, coronatio spinea, baiulatio crucis, crucifixio; quinque dicuntur gloriosa, et sunt resurrectio, ascensio D. N., missio Spiritus Sancti in apostolos et Beatam Virginem, assumptio Beatae Virginis, eius in coelis coronatio. Mos est, ut qui recitant tantum quinque decades, die dominica et feria IV ac sabbato meditentur mysteria gloriosa, feria tertia et sexta dolorosa, feria secunda et quinta gaudiosa; sed ad lucrandas indulgentias potest quis quaecumque vult horum mysteriorum meditari. *S. C. Indulg. 1 iul. 1839.*

Si quis eorum loco mortem aut cetera novissima vel alia quaecumque pia meditaretur, indulgentias non lucraretur. *S. C. Indulg. 13 aug. 1726.*

Necesse quoque erat ad indulgentias lucrandas, ut rosarium sine notabili interruptione recitaretur; brevis tamen interruptio, ut ad confessionem peragendam, non obstabat.

Postea concessum fuit ut sodales confraternitatis rosarii possent quascumque indulgentias recitationi annexas lucrari etiam singulas decades ad libitum separantes, non solum quando agitur de rosario infra hebdomadam recitando, cui sodales tenentur, sed de aliis quoque rosariis intra quemcumque diem ultronea devotione recitatis. *Ex Aud. SSmi concessa magistro generali Ord. Praed. 14 oct. 1906.*

Tandem haec concessio ad omnes fideles extensa est, ita ut nunc omnes lucrari possint indulgentias, etiam decades separando. S. *C. Indulg. 8 iul. 1908.*

Quemadmodum autem, si ligatura coronae materialis abrumpatur, suppleri potest alia, quin cesset indulgentia, etsi omnes globuli simul ex ruptura fuissent permixti; ita etiam non cessat indulgentia, si aliquibus benedictis globulis deperditis (quatuor ex. gr. vel quinque) subrogentur alii non benedicti. *S. C. Indulg. 10 ian. 1839.*

Petitum est, num officeret indulgentiis lucrandis, in mariali corona loco granulorum *Pater* designantium parva apponere numismata beatae Virginis. Et s. Officium (*13 mart. 1909*) respondit: « Nihil esse innovandum ».

De aliis indulgentiis, quas recitans rosarium lucrari potest ratione coronae marialis, qua utitur. — Alias quoque indulgentias lucrari quis potest recitando rosarium B. V., prout quis utitur corona benedicta hac vel illa benedictione, ut si quis utitur corona benedicta a Patribus sanctae crucis seu crucigeris. 3556

Non potest tamen quis plures huiusmodi indulgentias variis benedictionibus annexas, etiamsi eae uni coronae inhaereant, qua nunc ipse utitur, una recitatione lucrari (Beringer *Les Indulgences I. p. 329*), sed debet eam,

quam vult lucrari, determinare, et conditionibus ad eam lucrandam satisfacere.

Exceptio tamen quoad hoc habetur. Scilicet illi, qui, utuntur corona benedicta benedictione rosarii propria PP. Dominicanis et benedictione PP. Crucigerorum possunt utrasque lucrari indulgentias, in ipsa tamen dumtaxat rosarii recitatione. *S. C. Indulg. 13 iun. 1907.*

3557 ***De confraternitatibus rosarii.*** — Exsistunt etiam confraternitates sancti rosarii; quas erigere privilegium est magistri generalis ordinis praedicatorum, et quidem exclusivum (*S. Congreg. Indulg. in Augustana 10 aug. 1899 ad 5; S. U. I. 8 maii 1901*), ita ut ne sacra quidem congregatio de Prop. Fide possit facultatem has confraternitates erigendi concedere ordinariis missionum ab ipsa dependentibus, neque istae confraternitates ab alio erectae, quam a magistro generali ordinis praedicatorum, valeant ad lucrandas etiam solas indulgentias confraternitatibus vel piis unionibus in genere a S. Sede concessas. *S. U. I. 8 maii 1901.*

Magister autem generalis ordinis praedicatorum potest etiam facultatem concedere, sive regularibus sive secularibus, has societates de consensu ordinariorum erigendi.

Ascriptis his confraternitatibus multa concessa sunt privilegia et indulgentiae praesertim in recitatione rosarii, quod dividere possunt, idest interrumpere post quamlibet decadem. Hoc autem privilegium, ut supra diximus, rationem privilegii amisit posi concessionem diei 8 iul. 1908 supra relatam. Huiusmodi indulgentiae enumerantur in indice, quem publicavit sacra congregatio indulgentiarum *29 aug. 1899*, et die insequenti transmisit ad omnes episcopos.

Nota autem, indultum fuisse, ut confessio, quae ad lucrandam plenariam indulgentiam concessam pro die festo B. Mariae Virg. sub titulo sacratissimi rosarii foret peragenda dominica prima octobris, anticipari quoque valeat feria sexta eamdem dominicam immediate praecedente. *S. C. Indulg. 25 mart. 1897.*

Novissime tandem concessum est ut confratres ss. rosarii, qui confessi ac sacra synaxi refecti rosarium integrum etiam divisim (idest decades separando) intra unius naturalis diei spatium pro triumpho s. matris ecclesiae recitaverint, et aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, indulgentiam plenariam, etiam defunctis applicabilem, singulis diebus semel tantum lucrandam, lucrari valeant. *S. C. Indulg. 12 iun. 1907.*

Bonocore F. Trattato del s. rosario: *Holzapfel Hereb.* St. Dominicus und der Rosenkranz; *Esser Th.* Ueber die allmähl. Einführung der jetzt beim Rosenkranz übl. Betrachtungspunkte; *Thurston Herbert* The name of the Rosary.

Rota. — S. Congregatio episcoporum et regularium episcopo Szatmariensi in Hungaria, qui prohibuerat usum rotae (*velocipede*) suis sacerdotibus hanc dedit responsionem: « Haec s. Congregatio episc. et regular. maturo examini subiecit quae Amplitudo tua retulit circa sacerdotes utentes 3558

rota dicta *velocipede*. Itaque s. eadem Congreg. zelum et prudentiam Amplitudinis tuae collaudat atque commendat; nam prohibitio huiusmodi non solum liberat a corporis periculis sacerdotes ipsos, sed scandala avertit a fidelibus et irrisionem ipsorum sacerdotum ». *28 sept. 1894.*

3559 **Rota romana.** — Antiquissimum esse istud tribunal, quod, ut loquitur Card. De Luca (*Rel. rom. cur. for. disc. XXXII. n. 1.*), « inter illos Romanae Curiae iudices, qui in forma iudiciali causas contentiosas cognoscunt ac decidunt, primam ac maiorem figuram facit », extra dubium omnino est. Quonam autem tempore prima romanae Rotae qua tribunal est, exsistentia reponenda sit, incertum est maxime. Antiquitus Romani Pontifices ad decidendas quaestiones, quae ad ipsos deferebantur, usi certo sunt opera quorumdam adiutorum.

Hos adiutores desumptos esse ex cappellanis Papae iisque iam a remota aetate datum fuisse nomen auditorum voluerunt nonnulli; his tamen assertionibus firmum quoddam historicum fundamentum deest.

Hinc initium collegii auditorum causarum s. palatii seu auditorum s. Rotae, cuius maxima evolutio exeunti seculo decimotertio non immerito ascribenda videtur. Certas autem leges huic tribunali dare coepit Ioannes XXII const. « Ratio iuris » a. 1331. Hanc secutae sunt constitutiones multorum aliorum Pontificum.

Anno 1870 notae circumstantiae effecerunt, ut tribunal Rotae exercitium sui muneris intermitteret. Auditoribus autem anno 1878 die 23 octobris Leo XIII per litteras cardinalis Nina a secretis Status commisit munus iudicandi de legalitate processuum ordinariorum et apostolicorum super virtutibus et miraculis servorum Dei et decidendi de eorum validitate, praeside emo card. ponente; cui muneri idem Pontifex per litteras card. Rampolla a secretis Status diei 19 dec. 1895 addidit aliud munus examinandi et decidendi dubia de *non cultu* et de *fama in genere* eorumdem servorum Dei.

Huic tribunali nomen Rotae, romanae Rotae, sacrae Rotae datum est, et iudicibus nomen auditorum causarum s. palatii vel auditorum Rotae. Nomen hoc *rotae* primum videtur recurrere in bulla Martini V « Romani Pontificis ». ann. 1424. Undenam vero hoc nomen fuerit desumptum, incertum est.

Constitutio « Sapienti consilio » tribunal hoc Rotae anteactis temporibus omni laude cumulatum in exercitium revocavit determinato ambitu eius competentiae et modo exercendi suam iurisdictionem Lege propria, quam in hunc finem dedit Pontifex.

Rota constat competenti numero auditorum, qui antiquitus indeterminatus erat, postea, a Sixto IV (quo tempore ad quadraginta erant auditores) ad duodenarium restrictus est. Hoc servatum est hucusque, quamvis, silente his ultimis temporibus Rota, minor saepe numerus auditorum sit habitus. Constitutio piana vel potius Lex propria auditores ad decem reducit.

Antiquior omnibus in munere auditoris decani nomen et honorem

habet. In nova instauratione Rotae decanus a Romano Pontifice nominatus est. Decanus primus est inter pares, eique ab officio cedenti succedit ipso iure, qui primam sedem post decanum obtinet, scilicet antiquior post ipsum in munere auditoris, quum auditores post decanum ordine sedeant ratione antiquitatis in munere.

In novae Rotae structuram *limes aetatis,* quem vocant, introductus est, statuendo ut auditores quum aetatem septuagintaquinque annorum attigerint a munere cessent et emeriti evadant; quo, quisque videt, merito consuluit Pontifex ut administratio iustitiae, quae a Rota fieret, nullum subiret ex devexa nimis auditorum aetate detrimentum ac damnum.

Auditores debent praeterea iure novo sacerdotes esse, maturae aetatis, laurea doctorali praediti, saltem in theologia et iure canonico, honestate vitae, prudentia et iuris peritia praeclari.

Eliguntur autem omnes libere a Romano Pontifice, et eius unica electione in munere constituuntur. Hinc abolitae sunt eae solemnitates, quae in antiqua Rota servabantur in electione auditorum, nec probabantur ab omnibus.

Praeter auditores habentur in Rota eorum adiutores. Singuli enim auditores, probante rotali collegio, et accedente consensu Summi Pontificis eligere sibi debent unum, non plures, studii adiutorem. Isti adiutores non debent de necessitate esse clerici, dummodo tamen sint doctores in iure saltem canonico et praestent honestate vitae. Quamvis in hac prima Rotae instauratione adiutores ab ipsa S. Sede fuerint singulis auditoribus destinati, electio tamen adiutorum, ut dixi, ad auditores spectat, ad quorum etiam nutum in officio manent.

Sunt praeterea in sacra Rota promotor iustitiae et defensor ex officio sive vinculi matrimonialis sive professionis religiosae, sive ordinationis sacrae. Ambo debent esse sacerdotes, qui obtinuerint lauream in theologia et in iure saltem canonico, aetate et prudentia praestantes. Electio pertinet ad Rom. Pontificem, qui ad eam procedit, proponente collegio auditorum.

Habentur quoque notarii, qui actuarii quoque et cancellarii munere funguntur, electi a collegio auditorum, praevio concursu, et confirmandi a Pontifice. Non sunt de necessitate sacerdotes, si duo ex his excipiantur, quibus exclusive reservetur munus notarii et actuarii in causis criminalibus religiosorum et clericorum.

Alii quidam inferiores officiales superius nominatis adiunguntur.

Constitutio piana in lege propria instauratae Rotae competentiam ex parte ampliat, ex parte restringit. Ante omnia enim de Rota agit tamquam de tribunali mere ecclesiastico, sed et praeterea eius cognitioni assignat, si de earum materia et obiecto quaeritur, causas iudiciales omnes, non civiles tantum seu mere contentiosas, verum criminales quoque, exceptis tantummodo causis maioribus. Causae enim maiores, sive tales sint ratione obiecti, sive ratione personarum ab ambitu competentiae Rotae excluduntur.

Imo expresse in lege propria edicitur incompetentiam Rotae quoad has causas omnimodam esse ita ut ne obiter quidem de ipsis cognoscere queat, et si quid circa ipsas egerit, sit ipso iure nullum. Quae dispositio extendenda est etiam ad dispositiones ordinariorum, quae non fuerint iudiciali sententia latae; competentia enim Rotae respicit tantummodo causas stricte iudiciales, non autem decreta episcoporum seu provisiones in ordine administrativo.

Quoad gradum autem, notandum est Rotam esse per se et principaliter tribunal appellationis; quare ordinaria sua potestate cognoscere nequit eas causas, quae adhuc legitima alicuius inferioris iudicis sententia non fuerint terminatae. Quoad causas autem primae instantiae eas videre non potest, nisi de commissione SSmi Domini. Semel autem a Romano Pontifice Rotae commissae, eidem commissae intelliguntur etiam pro secunda et tertia instantia, nisi aliter expresse cautum fuerit in ipso commissionis rescripto.

De restitutionibus etiam in integrum Rota videt, prout patet ex can. 14 legis propriae.

Novae Rotae procedendi modus probe explicatur in lege propria. Hic tantummodo annoto duplicem modum iudicandi, quem Rota habet, aut scilicet per *turnos* trium auditorum, cuius praeses semper est auditor qui trium iudicum antiquissimus est, nisi is auditori impedito sufficiatur; vel *videntibus omnibus*, quando scilicet omnes simul auditores aliquam causam videre debent. Extraordinarie fieri etiam potest ut Rom. Pontifex causam aliquam Rotae committens simul iniungat ut eam quinque aut septem auditores videant, quo in casu standum est adamussim rescripto commissionis.

Tum auditores singuli, post nominationem, coram universo collegio, astante uno ex notariis ad actum rogandum, tum singuli auditorum adiutores et tribunalis alii administri coram decano, uno pariter ex notariis astante, iuramentum praestant de munere rite et fideliter adimplendo.

Ad secretum autem officii tenentur omnes Rotae officiales et administri in causis criminalibus ac spiritualibus et in aliis, quando ex revelatione alicuius actus partibus praeiudicium aliquod obvenire potest, aut secretum impositum ipsis fuit ab ipso tribunali. Secretum violantes tenentur de damnis et puniri etiam possunt iuxta modum in lege propria statutum.

Prohibitae etiam sunt, prudentissima decisione, eae, quae prius habebantur, informationes orales ad iudicem.

Nulla dies pro eius conventibus assignata est. Adunatur autem Rota in palatio Datariae. Circa vacationes autem Rota utitur iisdem regulis, quae pro aliis officiis S. Sedis in *Normis communibus* statutae sunt.

Const. Ioann. XXII « Ratio iuris » a. 1331; Const. Mart. V « In apostolicae » 1 sept. 1418; Const. Mart. V « Rom. Pontificis » a. 1424; Const. Sixti IV « Rom. Pontificis » prid. id. mai. 1472; Const. Inn. VIII « Circumspecta » X kal. sept. 1485; Const. Inn. VIII « Finem litibus » id. iun. 1488; Const. Leon. X « Sedis apostolicae » XVII kal. oct. 1513; Const.

Clem. VII « Convenit aequitati » non. aug. 1525; Const Pauli III « Attendentes » a. 1536; Const. Pauli III « Rom. Pontificis » 17 aug. 1537; Const. Pii IV « In throno » VI kal. ian. 1562; Const. Pii IV « Dudum siquidem » VI kal. aug. 1562; Const. Urb. VIII « Exponi nobis » 19 nov. 1643; Const. Inn. X « Dum assiduos » 7 mart. 1645; Const. Alex. VII « Nuper certis » 16 oct. 1655; Const. Clem. X « Romani Pontificis » XIV kal. ian. 1671; Const. Clem. XII « In summi » XV kal. dec. 1734; Brev. Clem. XIV « Quum primum » VII kal. iun. 1770; Mot. pròpr. Greg. XVI a. 1834; litt. Card. Nina sub Leone XIII 23 oct. 1878; litt. Card. Rampolla sub Leone XIII 19 dec. 1895; Const. Pii X « Sapienti consilio » III kal. iul. 1908; *Mandosius* Tr. de monitoriis; *Tanaglia* Urbis et orbis supremi tribunalis monumenta seu de s. Rotae romanae auditorio; *Capucii Aesid.* Praxis iudiciaria recentissima; *Bernini Dominic.* Il Tribunale della sacra Rota romana; *Marchetti* Notizia delle giurisdizioni che sono in vigore nello Stato pontificio; *Bondini* Del tribunale della s. Rota romana, memorie storiche colle rispettive bolle dei Pontefici ridotte in compendio col metodo del Guerra e volgarizzate; *Tailetti* Breve esposizione dei privilegi conferiti dai Sommi Pontefici agli uditori della sacra romana Rota; *Henner K.* Zur Geschichte der Rota romana; *Sägmüller* Die Entwicklung d. Rota b. z. Bulle Iohan. XXII « Ratio iuris » a. 1326 (richtig 1331); *Hilling N.* Die Errichtung des Notarekollegiums an der römischen Rota durch Sixtus IV im Jahre 1477; *Menestrina* Il processo civile nello Stato pontificio; Regulae servandae in praecipuis actis iudiciariis apud S. Romanae Rotae tribunal.

3560 **Rubricae missalis.** — « Ipsa communis omnium sententia docet, rubricas esse leges praeceptivas, quae obligant sub mortali ex genere suo ». Ben. XIV *de sacrif. missae sect. 2.* § *102.* Probatur autem facile tum ex Concilio Tridentino (*sess. VII de sacram. in gen. can. 13*), tum ex bulla Pii V, quae missali praeponitur, qua S. Pontifex « districte atque in virtute sanctae obedientiae » eas servari iubet. Idipsum sentit S. Alphonsus (*VI. 399*) et plerique catholici auctores, vix non omnes. Hoc tamen secundum eumdem S. Alphonsum (*l. c.*) et alios, limitatur ad rubricas intra missam servandas, et inter has ad illas, quae ratione materiae capaces sunt gravis obligationis. Hinc sacerdos infirmus, qui paucas et leviores tantum omittere debet, celebrare potest; imo quidam concedunt etiam, ut celebrans privatim baculo utatur. Croix *Theol. mor. lib. VI. p. 2. n. 402*; S. Alph. *VI. 402*; B. P. *IV. 1102 sqq.*; De Herdt *Sacrae lit. praxis I. 2.*

Rubricae sacrorum ministrorum non videntur *per se* sub peccato obligare. Sic Quarti (*Quaest. prooem. s. II. p. 2*), et auctores passim.

Quoad obligationem rubricarum confer eruditas dissertationes, quas habuit Monitore ecclesiastico (*vol. XIV pag. 507, vol. XV pag. 130*) contra Ephemerides liturgicas. — Vid. *Ceremoniae.*

Rurales capsae. — Quod attinet ad 3561
clericos relate ad administrationem capsarum seu arcarum ruralium, nummariarum etc. sequens prodiit decretum e s. Congr. Consistoriali:

« Docente apostolo Paulo: nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus (*II. Tim. n. 4*), constans ecclesiae disciplina et sacra lex haec semper est habita, ne clerici profana negotia gerenda susciperent, nisi in

quibusdam peculiaribus et extraordinariis adiunctis et ex legitima venia. " Quum enim a seculi rebus in altiorem sublati locum conspiciantur „ ut habet ss. Tridentinum Concilium sess. XXII c. 1 de ref., oportet ut diligentissime servent inter alia quae " de secularibus negotiis fugiendis copiose et salubriter sancita fuerunt. „

Quum vero nostris diebus quamplurima, Deo favente, in christiana republica instituta sint opera in temporale fidelium auxilium, in primisque arcae nummariae, mensae argentariae, rurales, parsimoniales, haec quidem opera magnopere probanda sunt clero ab eoque fovenda; non ita tamen ut ipsum a suae conditionis a ta tis officiis abducant, terrenis neg o a tionibus implicent, sollicitudinibus, studiis, periculis, quae his rebus semper inhaerent, obnoxium facian

Quapropter ss. Dominus Noster Pius PP. X, dum hortatur quidem praecepitque ut clerus in hisce institutis condendis, tuendis augendisque operam et consilium impendat, praesenti decreto prohibet omnino ne sacri ordinis viri, sive seculares sive regulares, munia illa exercenda suscipiant retineantve suscepta, quae administrationis curas obligationes, in se recepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii horumque similium. Statuit itaque ac decernit ss. Dominus Noster, ut clerici omnes quicumque in praesens his in muneribus versantur, infra quatuor menses ab hoc edito decreto, nuntium illis mittant, utque in posterum nemo e clero quodvis id genus munus suscipere atque exercere queat, nisi ante ab apostolica Sede peculiarem ad id licentiam sit consecutus. Contrariis non obstantibus quibuslibet ». *S. C. Cons. 18 nov. 1910.*

S

3562 **Sabbatinum privilegium.** — Ita vocatur privilegium, quod beata Virgo concessit B. Simoni Stock, eidem conferens scapulare suae confraternitatis, quae de Carmelo dicta est. Privilegium autem (quod in eo consistit, ut beata Virgo impetret promptam liberationem a purgatoriis poenis) concessum fuit non solum ipsi, sed et omnibus Carmeli confratribus. Cfr. *Const.* Clem. VII «Ex clementi» *12 aug. 1530.*

Defensionem huius privilegii contra temerarios criticos sibi assumpsit Theophilus Raynaudus, eiusque veritatem admittit Benedictus XIV *de beatificat. et canonizat. sanct. lib. IV part. 2. c. 9. n. 10.* Affertur etiam decretum s. Congr. s. Officii (*30 ian. 1613*), quo permissum est patribus Carmelitanis praedicare fidelibus, beatam Virginem succursuram animabus religiosorum et confratrum post eorum mortem et praecipue in sabbato. Cfr. Hilgers *Manuale d'indulgenze* § *185. n. 3.*

Praeter hoc privilegium aliud, et maius, a B. Virgine religiosis Carmelitanis et confratribus concessum est, scilicet ut praeserventur ab igne aeterno.

Ad fruendum hoc ultimo privilegio necesse est tantummodo pie deferre scapulare, eoque indui tempore mortis.

Ad fruendum vero privilegio sabbatino necesse praeterea est, castitatem servare secundum proprium statum, et recitare quotidie parvum officium B. Mariae Virg., idest nocturnum diei, laudes et alias horas secundum breviarum romanum aut secundum alium ritum a S. Sede approbatum. Recenter vero concessum est, ut ii, qui linguam latinam ignorant, in privata recitatione possint recitare officium illud in lingua vulgari. *S. C. Indulg. 14 iun. 1901 ad 1.*

Officium canonicum supplet officium parvum B. V. pro sacerdotibus, regularibus et monialibus, quae ad officium canonicum persolvendum snnt obstrictae, quemadmodum illi, qui ex alio capite tenentur idem officium parvum recitare, ea recitatione satisfaciunt huic conditioni pro privilegio sabbatino requisitae.

Ii, qui nesciunt legere, loco recitandi officium parvum, debent nullum omittere ex ieiuniis ab ecclesia praescriptis et abstinere a carnibus diebus mercurii et sabbati (non item die veneris ad effectum fruendi privilegio sabbatino, quamvis ad eam abstinentiam teneantur ratione legis ecclesiasticae, *S. C. Indulg. 14 iun. 1901 ad 2*), dummodo in hos dies non incidat festum Nativitatis Domini.

Tum obligatio recitandi officium parvum, tum obligatio abstinendi a carnibus, de qua diximus, potest a sacerdotibus, qui hac speciali facultate potiuntur (et nunc quoad obligationem abstinendi a carnibus sunt omnes confessarii, *S. C. Indulg. 14 iun. 1901 ad 3*) ex legitima causa commutari.

Omnes autem confratres B. V. a monte Carmelo, quod attinet ad ieiunia, etiam in ordine ad fruendum privilegio sabbatino, uti valent indultis dioecesanis. *S. C. Indulg. 14 iun. 1901 ad 3.*

Ii omnes, qui recipiunt scapulare B. Mariae Virg. de Carmelo, sunt confratres seu membra confraternitatis de Carmelo. Hilgers *Manuale di indulgenze part. 2. n. 185;* cfr. Monitore eccl. *vol. XIII pag. 273.*

Sabbatum sanctum. — **Num liturgica an aliturgica dies sit.** — Connumeratur inter dies aliturgicos etiam in ritu nostro latino. Quod si ea die missa conventualis celebratur, hoc non fit nisi per anticipationem illius missae, quae antiquitus noctu in vigilia offerebatur in memoriam Dominicae Resurrectionis. Cfr. Gasparri *de euch. I. 67 sqq.* 3563

An aliquando privatae missae celebrari permittantur. — Missae autem privatae eo die omnino prohibentur, et non conceduntur ne tunc quidem, quum ea die occurrit aliqua festivitas de praecepto, ut erat ex. gr. festum Annuntiationis B. V., quemadmodum in hoc casu, quaedam saltem, permittuntur in feria V in Coena Domini. *S. R. C. decr. gen. 12 febr. 1690 (1822); 26 apr. 1692 (1873); 10 ian.* 3564

1693 ad 6 (*1890*); *31 iul. 1821 ad 3* (*2616*); *in Macaonen. 10 maii 1895 ad 9* (*3855*). Attamen privilegium concessum est aliquibus ecclesiis, peculiaribus quibusdam attentis circumstantiis, ut una vel altera missa lecta celebraretur post unicam solemnem de die. *S. R. C. decr. cit. 31 iul. 1821 ad 3.*

In casu autem istius indulti ecclesiae, aut etiam cuidam sacerdoti, concessi, missae privatae non est praemittenda lectio prophetiarum aut recitatio litaniarum, sed missa dicenda est more solito sine introitu post psalmum « Iudica me Deus » et confessionem. *S. R. C. in una ord. Carmelit. 22 iul. 1848 ad 4* (*2970*). Hoc tamen non est extendendum ad casum, quo episcopus in sabbato sancto missam lectam celebret in suo oratorio pro collatione sacrorum ordinum; nam tunc missa incipienda est a prophetiis. *S. R. C. in Bergomen. 21 mart. 1744 ad 1* (*2375*); *decr. cit. 31 iul. 1821 ad 2; in una Nom. Iesu 9 maii 1857 ad 1* (*3044*). Et in hoc casu episcopus in principio missae uti debet paramentis coloris violacei, quae mutare debet in alia coloris albi ad versiculum « Peccatores » litaniarum, ad normam ceremonialis episcoporum. *S. R. C. 17 iul. 1894 ad 5* (*3832*).

Sed an potest episcopus, propter hanc rationem conferendi ordines, privatim celebrare in sabbato sancto sine ullo indulto? Et videtur affirmative respondendum ex citatis decretis, quae de indulto ne verbum quidem habent, quamvis antiquius contrariam sententiam certo tenuerit sacra congregatio rituum, quemadmodum videre est in Mazarien, 18 mart. 1702 (2095); quod decretum in nova etiam collectione, forte ex inadvertentia, mansit.

De missa solemni et de functione huius diei. — Missae vero solemni eius diei praemittendae omnino sunt benedictio ignis ac cerei, nec non lectio prophetiarum (*S. R. C. in Lucana 12 apr. 1755 ad 4* [*2436*]); licet, ubi exstat usus, tolerari potest ut sacerdos alius a sacerdote missam celebraturo benedictionem faciat novi ignis et incensi. *S. R. C. in Pisana 12 nov. 1831 ad 8* (*2684*). 3565

Subdiaconus vero, qui defert crucem ad benedictionem ignis et ad benedictionem cerei paschalis, debet esse ille, qui epistolam cantaturus est, et non alius. *S. R. C. in Romana 4 apr. 1879 ad 9* (*3491*).

Diaconus etiam, qui praeconium canit, debet esse idem, qui diaconus erit missae, et non alius. *S. R. C. decr. cit. 12 nov. 1831 ad 8; in Florentina 22 iul. 1848 ad 3* (*2965*).

Non potest autem sabbato sancto, in ecclesia, ubi non exstat fons baptismalis, substitui benedictio ordinaria aquae benedictioni solemni tali die in missali assignatae, illam peragendo inter *exsultet* et missam. *S. R. C. in Nivernen. 31 aug. 1872 ad 1* (*3271*).

De arundine hac die in functione adhibenda. — Arundo, quae dicitur etiam « lumen Christi », in sabbato sancto removenda est ab ecclesia, expleta functione. *S. R. C. in Narnien. 7 decembr. 1844 ad 5* (*2873*). Sed si mos vigeat, eam removendi non post missam, sed statim post prophetias, hoc 3566

non reprobatur a s. congregatione rituum, quae respondit consuetudinem servari posse, sed consulendum esse Sanctissimum. *S. R. C. in Pisana 12 nov. 1831 ad 19* (*2684*).

De praeconio paschali. (*remissive*). — Quoad praeconium paschale, Vid. *Exsultet.*

3567 **De campanarum sonitu ea die.** — In sabbato sancto non sunt pulsandae campanae, antequam eas pulsaverit ecclesia cathedralis seu matrix, idest dignior (*S. R. C. decr. gen. 12 ian. 1704 ad 9* [*2123*]), *in Camerinen. 27 feb. 1847* [*2940*]), etsi in aliis ecclesiis prius peragantur functiones (*S. R. C. in Rossanen. 20 iul. 1593* [*36*]*; in Syracusana 20 febr. 1619* [*370*]*; 6 sept. 1636 ad 7* [*634*]*; in Salernitana 13 iul. 1658* [*1079*]; *in Thelesina 22 nov. 1681 ad 3* [*1684*]; *in Fundana 2 sept. 1690* [*1842*]); hoc autem procedit etiam pro ecclesiis exemptis, ita ut et hae nequeant ante ecclesiam cathedralem seu matricem pulsare campanas (*S. R. C. in Placentina 21 aug. 1604* [*170*]; *in Venesina 14 nov. 1615* [*337*]; *in Savonen. 19 dec. 1671 ad 6* [*1440*]); et episcopus potest in contravenientes, etsi fuerint regulares, procedere ad poenas. *S. R. C. in Compsana 16 mai 1626* (*405*).

3568 **De remotione veli imaginem altaris cooperientis.** — Non est permittenda ea die in missa, dum a celebrante intonatur cantus hymni angelici, descensio panni seu velaminis passionis super altare paratum ad festum; sed, exclusa quavis scenica repraesentatione, altaris imago debet esse contecta velo simplici violaceo ad formam ceremonialis, demittendo ad intonationem hymni Angelici, iuxta usum ecclesiarum. *S. R. C. in una S. Marci 22 mart. 1862 ad 12* (*3110*). Attamen, attenta consuetudine, in regionibus, in quibus mos viget, ut tempore quadragesimae suspendatur ingens velum caeruleum, repraesentans Christi passionem, ante ingressum presbyterii in ecclesiis, quod auferatur in sabbato sancto, iste usus tolerari potest. *S. R. C. in una Soc. Iesu 11 maii 1878 ad 16* (*3448*).

De organi sonitu ea die. — In sabbato 3569
sancto organa pulsari possunt ab initio hymni angelici et deinceps. *S. R. C. in Senogallien. 4 mart. 1901 ad 8.*

De administratione poenitentiae et eu- 3570
charistiae ea die. — In sabbato sancto possunt ante missam audiri confessiones fidelium, et contraria consuetudo est omnino reprobanda. *S. R. C. in Tricaricen. 17 dec. 1875* (*3383*).

Eademque die potest inter missarum solemnia distribui fidelibus sacra eucharistia, et haec communio valet pro adimplemento paschalis praecepti. *S. R. S. in Tifernaten. 22 mart. 1806* (*2561*). Eodemque modo videtur licitum esse eam ministrare extra missam in omnibus ecclesiis. Auctor ephemeridis « Monitore ecclesiastico » (*vol. XII pag. 129. n. 37*) putat, quod hoc non liceat ante campanarum sonitum, quum licitum non sit ante eum sonitum missam celebrari ab iis, qui ea die celebrandi indulto gaudeant, ex decreto *s.* Congr. Rituum *31 iul. 1821 ad 2* (*2616*). Hanc tamen limitationem idem auctor iterum de eadem re loquens (*vol. XV pag. 275. n. 47*), expresse saltem, non commemorat.

3571 **De benedictione domorum.** — Non potest in sabbato sancto diaconus superpelliceo et stola indutus, etiam de consensu parochi, benedicere domos. *S. R. C. in Bisinianen. 8 aug. 1835* (*2729*).

Nec potest ea benedictio, etiam ob nimiam extensionem parochiae, anticipari ante sabbatum sanctum, sed potius debet fieri durante hebdomada octavae Paschatis. *S. R. C. in Isclana 10 dec. 1703 ad 2* (*3645*); *in Isclana 20 nov. 1885 ad 2* (*3645*); *7 mart. 1903 ad 1.* Verum auctor ephemeridis, quam supra citavi (Mon. eccl. *vol. XV pag. 321*), putat, haec decreta intelligenda esse de benedictione, quae fieret ritu et precibus pro sabbato sancto assignatis, non vero de benedictione, quae fieret ritu diverso, in rituali romano proposito tit, VIII. c. 5, quique inscribitur: « *Alia benedictio domorum alio tempore facienda cum aspersione aquae benedictae* ». Ista enim benedictio semper dari potest, ac proinde parochus, qui hoc ritu vellet uti, posset benedictionem domorum etiam ante sabbatum sanctum perficere. Deberet tamen parochus, ad satisfaciendum desiderio ecclesiae, quod domus christianorum ritu paschali benedicantur, relinquere benedicendas in hebdomada Paschatis omnes domus, quas intra eos dies benedicere potest.

Benedictio autem haec domorum in sabbato sancto est de iuribus parochialibus. *S. R. C. decr. nuper cit. 7 mart. 1903 ad 3.* Cfr. Mon. eccl. *vol. XIX pag. 275.*

3572 **Sacramentalia.** — Sacramentalia aptissime definiri videntur: res quae dam aut actiones ab ecclesia institutae et consecratae ad quosdam effectus, maxime spirituales, producendos. Hurter *Comp. theologiae dogm. III. 279*; B. P. *IV. 711.*

Quare ad habendum verum sacramentale requiritur necessario ecclesiae auctoritas.

Reducuntur sacramentalia communiter ad sex, quae hoc versiculo ab antiquis comprehenduntur: *orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.* Sunt igitur:

a) oratio dominica aut aliae preces ab ecclesia praescriptae, seu in ecclesia solemniter recitatae (*orans*)

b) assumptio seu aspersio aquae benedictae, impositio cinerum, unctio regum et alia his similia (*tinctus*);

c) panis benedictus aliique benedicti cibi, quibus, ex. gr. sabbato sancto, sacerdos benedicit (*edens*);

d) publica generalis confessio, quae praemittitur missae, vel fit in officio divino, idest recitatio Confiteor, vel actus sese peccatorem publice profitendi per receptionem parvuli ictus baculi in ecclesia ab aliquo poenitentiario, ut Romae ex. gr. fit (*confessus*);

e) eleemosyna, praesertim ea, quae ab ecclesia specialiter esset praescripta (*dans*);

f) benedictio episcoporum et abbatum, sacerdotum in fine missae vel communionis aut in aliis functionibus ecclesiasticis (*benedicens*).

Nota tamen, non omnia haec sacramentalia univoce talia dici; nam oratio dominica et eleemosyna secundum quamdam analogiam sacramentalia vocantur. B. P. *IV. 713.*

Sacramentalium effectus quidam producuntur quasi ex opere operato, ut effectus ascriptionis in clerum per tonsuram (B. P. *IV. 712*); quidam vero omnino pendent ex opere operantis, ut remissio venialium. Hurter *loc. cit. 279. 3.* Effectus vero praecipui sunt, collatio gratiarum praevenientium et piorum motuum, remissio venialium, aliquando impetratio beneficii alicuius temporalis, praesertim sanitatis, aut vis fugandi daemones. Cfr. S. Th. *3. p. q. 87. a. 3.*; Hurter *loc. cit.*; B. P. *loc. cit.*; Arendt *de sacramentalibus.* Vid. *Administratio sacramentorum.*

Decr. Grat. D. I. de cons.; tit. de sacra unctione X. (I. 15); tit. de sacr. non iterandis X. (I. 16); tit. de consecr. eccl. X. (III. 40); tit. de custodia euch. chrism. et alior. sacram. X. (III. 44); tit. de purificatione post partum X. (III. 47); *Wernsdorf* De vera ratione exorcismorum vet. eccl.; *Krafft J. M.* Ausführliche Historie vom Exorcismo; *Quarti* De processionibus eccl. et de litaniis ac de benedictionibus deque rebus benedictione sacratis; *Widmer* Die Bestimmung u. Anwendung der Sakramentalien; *Heljert* Rechte in Ansehung der heiligen Handlungen; *Dinkel P.* Von d. Wesen d. ordentl. priesterl. Realbenediktionen i. d. kath. Kirche; *Probst F.* Die kirchl. Benediktionen u. ihre Verwaltung; *Bischofberger Th.* De benedictionibus et exorcismis eccl. cath. libri duo; *Schuler C. M.* Die kirchl. Sakramentalien; *Probst F.* Sakramente u. Sakramentalien; *Schanz* Die Wirksamkeit d. Sakramentalien; *Amberger* Pastoraltheologie B. III. Abt. 2.; *Pighi* Liturgia sacramentalium; *Schmid* Die Sakramentalien der kathol. Kirche; *Arendt Gul.* De sacramentalibus; *Pruner* Moraltheologie II. 1351 ff.

3573 **Sacramentorum s. Congregatio.** — Haec est novissima congregatio, quam primo erexit nova constitutio « Sapienti consilio ». Eidem demandata sunt plura, quae prius ad alias pertinebant congregationes et officia, ita ut exinde facilior imo possibilis evaserit distinctio illa iurisdictionis, quae est constitutionis novae praecipuus finis.

Constituitur congregatio nonnullis patribus cardinalibus, quorum unus munus agit praefecti. His succedunt praelatus a secretis et subsecretarii tres, qui maiores sunt administri et una simul cum cardinali praefecto congressum constituunt. Praeter hos habentur plures consultores ab ipso Pontifice delecti et sufficientes numero administri minores.

Ratio constituendi tres subsecretarios exinde deducta est, quod legislatori, ut negotia facilius procederen t visum est, congregationem hanc in tres partes dividere. Unicuique parti unus e subsecretariis immediate praeest.

Competentia huius congregationis clarissime describitur in ipsa piana constitutione, cuius haec sunt verba:

« Est huic sacrae congregationi proposita universa legislatio circa disciplinam septem sacramentorum, incolumi iure congregationis sancti officii, secundum ea, quae superius statuta sunt, et sacrorum rituum congregationis circa ceremonias, quae in sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.

« Itaque eidem congregationi tribuuntur ea omnia, quae huc usque ab aliis congregationibus, tribunalibus aut officiis romanae curiae decerni concedique consueverant tum

in disciplina matrimonii, uti dispensationes in foro externo tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super rato, separatio coniugum, natalium restitutio seu legitimatio prolis; tum in disciplina aliorum sacramentorum, uti dispensationes ordinandis concedendae, salvo iure congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae ad moderandam eorumdem ordinationem; dispensationes respicientes locum, tempus, conditiones eucharistiae sumendae, sacri litandi, asservandi augustissimi sacramenti; aliaque id genus.

« Quaestiones quoque de validitate matrimonii vel sacrae ordinationis, aliasque ad sacramentorum disciplinam spectantes, eadem congregatio dirimit, incolumi iure sancti officii. Si tamen eadem congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad sacrae romanae rotae tribunal remittat ».

3574 Quum autem haec congregatio in tres partes distributa sit, ut superius innuimus, unicuique parti specialis negotiorum ratio tributa est, prout sequitur.

Prima pars ea omnia tractat, quae pertinent ad petitiones circa matrimonii impedimenta.

Quoad has matrimoniales dispensationes quaedam sunt notanda ex Normis peculiaribus, quae in aliquibus immutant disciplinam hucusque receptam.

Dispensationes ab impedimentis distinguuntur in duplicem classem, in dispensationes scilicet *gradus minoris* et dispensationes *maioris gradus*.

Dispensationes gradus minoris sunt dispensationes ab impedimentis:

a) consanguinitatis et affinitatis tertii et quarti gradus lineae collateralis, sive aequalis sive inaequalis, hoc est quarti gradus mixti cum tertio vel tertii mixti cum secundo;

b) affinitatis in primo gradu et in secundo simplici vel mixto cum primo, ubi hoc impedimentum ex illicito commercio procedat;

c) cognationis spiritualis cuiusvis generis;

d) publicae honestatis sive per sponsalia sive per matrimonium, super quod iam dispensatum sit fueritque solutum.

Impedimenta maioris gradus alia sunt omnia. Dispensationes tamen, quae ab his concedi solent, legitima interveniente causa, sunt dispensationes ab impedimentis:

a) consanguinitatis secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis;

b) affinitatis primi et secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis;

c) criminis ex adulterio cum promissione futuri matrimonii.

Circa has dispensationes illud in praxi magni momenti notandum est, quod in nova constitutione statuitur, scilicet, si agatur de dispensationibus minoris gradus, eas concedi *ex rationalibus causis a S. Sede probatis*, idest sine aliqua causa canonica ex communiter recensitis, et ita ut vim

habeant ac si ex motu proprio et ex certa scientia impartitae essent. Quare nulli erunt, ut loquitur ipsa constitutio, impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis.

Haec autem non valent pro dispensationibus maioris gradus, ad quas concedendas requiritur, ut antea, causa quaedam canonica, quae ab oratoribus exprimenda est et a s. congregatione cognoscenda. Sacra autem congregatio non intelligitur dispensationem concedere, nisi petitio immunis sit a quocumque obreptionis aut subreptionis vitio.

Ex dictis patet ad dispensationes matrimoniales pro foro externo concedendas ex nova constitutione unice habilem esse et capacem hanc s. congregationem de sacramentis, exclusa dataria et poenitentiaria, cui tamen manet adhuc exclusivum ius concedendi tales dispensationes pro foro interno.

3575 Altera pars, exclusis iis, quae referuntur ad dispensationes ab impedimentis, omnia alia pertractat ad matrimonium spectantia, qualia sunt sanationes in radice, restitutiones natalium, petitiones dispensationis a matrimonio rato et non consummato, dubia quoad ius matrimoniale, quaestiones de validitate aut nullitate alicuius matrimonii, idest quaestiones de iustis aut irritis coniugiis, et alia huiusmodi.

Quae tamen probe intelligenda sunt. Quum enim in constitutione piana dicitur ad hanc congregationem spectare quaestiones de validitate aut nullitate alicuius matrimonii, hoc, suppositis principiis, quae regunt constitutionem « Sapienti consilio » non videtur aliter intelligendum, nisi eo sensu, quod si quando aliqua huiusmodi causa directe ad S. Sedem deferretur, eamque Pontifex nollet ad s. Rotam remittere ob aliquas peculiares rationes, sed iudicaret remittendam ad s. congregationem competentem, ea consideranda esset s. congregatio de sacramentis, quae, quum de re matrimoniali agat, aptior est ad hoc ut delegetur ad cognitionem harum causarum; vel etiam in quantum, etsi congregatio haec veram quamdam harum causarum tractationem assumere non potest, sed ea, quae sunt ad tractationem iudicialem praevia, potest ipsa, si casus datur, videre. Ex. gr. coram ea intentatur actio seu accusatur matrimonium ab eo, qui nullum ius accusandi habet; s. congregatio poterit causam reiicere et declarare actorem esse illegitimum, qui proinde nullam habet personam standi in iudicio. In his videri potius potest exercitium potestatis administrativae, quam stricte iudicialis.

Et hoc quidem, spectatis iuris principiis, dicendum est de causis matrimonialibus, in quibus agitur de valore vinculi. Aliud dicendum est de causis matrimonialibus, in quibus agitur de petitione dispensationis a matrimonio rato et non consummato. In his enim agitur de petitione gratiae, ad quam petendam non potest recurri ad tribunalia seu ad iudiciariam potestatem, sed debet haberi recursus ad potestatem administrativam. Quamvis enim in his probari debeat factum inconsummationis et exsistentium causarum, hoc tamen non fit nisi in

ordine ad probandum tales dari circumstantias in casu, quae possibile faciant in Romano Pontifice exercitium potestatis dispensandi. Porro talis probatio facti non requirit necessario viam et tramitem iudiciarium, sed fieri etiam potest extraiudicialiter.

3576 Tertia pars agit de sacramentis aliis omnibus, matrimonio excepto.

Huic parti non solum proinde competit quaestiones videre de validitate sacrae ordinationis aliasque ad sacramentorum disciplinam spectantes, exceptis quaestionibus de matrimonio; sed etiam dispensationes concedere, quae ad disciplinam pertinent sacramentalem, ut dispensationes ordinandis concedendas et alias similes. Earum quarumdam, ne ambiguitates aut dubia intercedant, catalogus texitur in Normis peculiaribus et est sequens:

a) asservandi ssmam eucharistiam in templis aut in sacellis eo iure carentibus;

b) celebrandi sacrum in sacellis privatis, et cetera largiendi privilegia, quae in hac re concedi solent, ipsius decori sacelli advigilans;

c) erigendi altaris ad litandum sub dio;

d) celebrandi ante auroram et post meridiem;

e) legendi missam feria V in Coena Domini, itemque tres missas nativitatis Domini, noctu, in sacellis privatis, cum distributione ss.mae eucharistiae;

f) utendi pileolo vel capillamento in celebratione missae aut in deferenda ssma eucharistia;

g) coeco aut coecutienti ut litare possit cum facultate legendi missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis;

h) celebrandi sacrum in navibus;

i) episcopum consecrandi die alio ab iis, qui in pontificali romano statuti sunt;

k) sacros ordines extra tempora conferendi;

l) eximendi fideles, ipsosque sodales religiosos, quoties opus sit, a lege ieiunii eucharistici ».

Nuperrime autem ad dubium: « Utrum vi decisionis huius s. Congregationis Consistorialis diei 27 feb. 1909 facultas concedendi presbyteris dispensationem ab irregularitate sive haec oriatur ex delicto sive ex defectu spectet ad s. Congregationem de Sacramentis an potius ad s. Congregationem Concilii responsum est: « Dispensationem ex defectu reservari ad s. Congregationem de Sacramentis, ex delicto autem ad s. Congregationem Concilii ». *S. C. Cons. 28 nov. 1911.*

Ex iisdem peculiaribus normis an- 3577
notare hic sequentia iuverit:

« Plenae congregationis iudicio reservatur:

a) in re ad matrimonium pertinente, examen petitionum dispensationis ab impedimentis difficultatem non communem exhibentibus, sive ea exsurgat ex natura rei sive ex dubio de legitima dispensandi causa; separatio coniugum non pacifica; sanationes in radice; natalium restitutiones difficilioris negotii, cognitio causarum irriti matrimonii ac dispensationum super matrimonio rato, quae plenae congregationis iudicium postulent; denique dubia omnia iuris

circa disciplinam sacramenti matrimonii, quibus obvia et perspicua solutio nulla inveniatur in causis alias decisis, prout superius dictum est;

b) in ceteris sacramentis quaestiones omnes disciplinam spectantes, quarum flagitetur solutio, si haec in sententiis iam probatis et in rebus alias iudicatis nulla habeatur; item petitiones gratiarum ac dispensationum non communium, quae a congressu disceptatione digna videantur. Quapropter plenae congregationi competent dispensationes ab irregularitate ad sacram ordinationem in casibus dubiis vel difficilioribus aut ubi impetrata gratia in dedecus cessura sit ecclesiastici coetus; supplices libelli circa irritam sacram ordinationem aut circa eiusdem obligationes, aut ab his exemptionem, ubi causa solo disciplinae tramite tractanda sit; quaestiones iuris de loco, tempore, conditionibus ad sacrum faciendum, ad ipsum geminandum, ad recipiendam asservandamque eucharistiam necessariis; item de loco, tempore, conditionibus ab ecclesiastica disciplina requisitis ad cetera sacramenta legitime ministranda et recipienda; simulque petitae hac de re dispensationes extraordinariae.

Ad congressum pertinet iudicium de rebus ad plenam congregationem deferendis, eorumque omnium instructio, quae habendo consilio afferant lucem, sive institutis de facto investigationibus, sive exquisitis unius alteriusve consultoris, aut etiam omnium, sententiis.

Eidem congressui iudicare licet, atque etiam concedere, pro facultatibus, quas Pontifex Maximus cardinali praefecto et praelato a secretis tribuendas censuerit, dispensationes ab impedimentis matrimonii, ad normas inferius exhibendas.

Pariter ad congressum pertinet ab aetatis ac tituli defectu dispensationes clero seculari concedere; ab eucharistico ieiunio dispensare; permittere ut augustum sacramentum asservetur in ecclesiis et oratoriis quae hoc iure carent, et ut sanctum sacrificium celebretur in privatis sacellis, in iis casibus quibus huiusmodi gratiae impertiri solent, ad vigentis disciplinae normas et secundum communem legem superius memoratam ».

Sacramentum. — ***De natura, numero, et divisionibus sacramentorum.*** — 3578
Sacramentum est signum sensibile a Christo Domino institutum, ad significandam et conferendam gratiam. Cfr. Cat. Rom. *de sacr. in gen. c. 1. n. 4;* S. Aug. *de Civ. Dei lib. XIX cap. 5, lib. de catech. rud. c. 26.*

Sacramenta tribus perficiuntur: rebus, verbis, ministro. *Decr. pro Armenis in Bulla Eug. IV* « Exsultate Deo ».

Sunt autem septem (Conc. Trid. *sess. VIII de sacr. in gen. can. 1*), et dividuntur in sacramenta necessaria vel non necessaria, in imprimentia vel non imprimentia characterem, in formata vel informia, in sacramenta vivorum vel sacramenta mortuorum. G. B. *II. 2.*

De effectu sacramentorum. — 3579
Praeter gratiam sanctificantem (Conc. Trid. *sess. VII de sacr. in gen. can. 6. 7. 8*) producunt gratiam sacramentalem

(S. Th. *3. p. q. 62. a. 2;* Billot *de eccl. sacr. I. th. V.*); operantur ex opere operato. Conc. Trid. *loc. nuper cit. can. 8.*

Sacramenta mortuorum aliquando etiam gratiam secundam, et sacramenta vivorum verius etiam gratiam primam per accidens conferunt (S. Th. *3. p. q. 72. a. 7 ad 2um, q. 79. a. 3;* Billot *de eccl. sacr. I. th. V coroll. 2*); ad hoc autem requiritur et sufficit attritio. Cfr. S. Alph. *VI. 269.*

Quid sit character sacramentalis, Vid. *Character.*

Sacramenta a theologis dicuntur reviviscere, quando valide, sed infructuose suscepta propter carentiam dispositionum, postea remoto obice, qui impediebat infusionem gratiae, eam consequuntur. S. August. *de bapt. contra Donatistas lib. 1. n. 18;* B. P. *IV. 708;* Billot *de eccl. sacr. I. th. VI.* Reviviscere autem possunt sacramenta quousque in homine remanet id, quod dicitur res et sacramentum. S. Th. *in IV. d. 4. q. 3. a. 2. q. 3; 3. p. q. 69. a. 10;* Billot *loc. nuper cit.*

Reviviscunt secundum quosdam omnia sacramenta (Caietanus *t. 1 Opusc. tr. 5 q. 5 de confession. informi;* Petrus Sotus *lect. 4 de baptismo;* S. Th. *in IV dist. 17. q. 3. a. 4. q. 1*); at alii reviviscentiam sacramenti poenitentiae (Palmieri *de sacr. poenitentia Parergon ad th. XXXII*), alii sacramenti eucharistiae (Suarez *de sacramentis disputat. XXVIII sect. 6, disp. LXIII sect. 8;* Salmanticenses *Th. mor. tr. IV. c. 6. n. 7;* Lugo *de sacram. disp. IX sect. 6. n. 100;* Billot *loc. cit.*), alii omnium praeter baptismum (Soto *in IV dist. 6. q. 1. a. 8;* Vasquez *de sacr. disp. 161. c. 2*) denegant.

In quocumque enim sacramento novae legis tria inveniuntur, idest aliquid, quod dicitur sacramentum tantum, et est ipsum signum exterius constans materia et forma; aliquid, quod dicitur res tantum, et est ultimus sacramenti effectus, idest gratia tum sanctificans, tum sacramenti propria; aliquid, quod dicitur res et sacramentum, et est aliquid intermedium inter sacramentum tantum et rem tantum; hanc enim significat et ab illo significatur. S. Th. *3. p. q. 66. a. 1;* Billot *de eccl. sacr. I. th. VI.* Sic in baptismo sacramentum tantum est ritus externus, res et sacramentum character baptismalis, qui est res significata per exteriorem ablutionem, et est signum sacramentale interioris iustificationis, quae est res tantum huius sacramenti.

Utrum sacramenta iterari possint, an non. — Sacramenta characterem imprimentia per se iterari non possunt (Cfr. Cat. Rom. *loc. cit. c. 2. n. 55*); at tum in sacramentis characterem imprimentibus, tum in aliis, prolatio formae aut integri ritus sacramentalis appositio, sub conditione tamen, iterari potest, quoties datur dubium prudens de sacramenti valore (cfr. Cat. Rom. *loc. nuper cit. n. 56*); imo debent iterari conditionate, quoties exorto dubio id postulat caritas, iustitia aut religio. G. B. *II. 11.* 3580

De materia et forma sacramentorum. — Materia sacramenti est res sensibilis ad rationem sacramenti per formam determinanda. *Decr. cit. pro Armenis;* Billot *de eccl. sacr. I. th. I.* 3581

Forma ordinarie consistit in verbis, et est determinans materiam. Cat. Rom. *loc. cit. n. 15 sq.*

Utraque necessaria est ad validitatem sacramenti. *Decr. cit. pro Armenis.*

Applicari debent ab eodem ministro circa idem subiectum (cfr. S. Th. *3. p. q. 67. a. 6 ad 3um*) et esse moraliter unitae. Cfr. Rit. Rom. *tit. II. c. 1. n. 8.*

Nulla mutatio in forma aut materia sacramentorum fieri potest; mutatio vero substantialis invalidat sacramentum (cfr. Rit. Rom. *loc. cit. c. 2. n. 14;* S. Th. *p. 3. q. 60. a. 8*); accidentalis non (cfr. Franzelin *de sacr. in gen. th. V*), sed est peccatum grave aut leve, prout gravis aut levis est.

3582 ***De ministro sacramentorum.*** — Minister sacramentorum ille est, qui nomine Christi actionem sacramentalem peragit. G. B. *II. 13;* cfr. Cat. Rom. *loc. cit. c. 1. n. 24.*

3583 **De requisitis vel non in ministro sacramentorum, generaliter sumpto, ad validam aut licitam confectionen sacramenti.** — Ut minister valide conferat, debet in collatione habere *attentionem,* sed eam tantum, quae in omni actu humano invenitur. S. Alph. *VI. 14.* Ut licite conferat, huiusmodi attentio requiritur, quae omnem voluntariam distractionem excludit. Vid. *Attentio.*

Debet etiam habere *intentionem* faciendi id, quod facit ecclesia (Conc. Trid. *loc. cit. can. 11*); sufficit autem intentio virtualis (S. Alph. *VI. 18*); non sufficit habitualis aut interpretativa. S. Alph. *VI. 16;* Billot *de eccl. sacr. I. th. XVIII. Cor.* Vid. *Intentio.*

Ad validam sacramenti confectionem in ministro nec *fides* requiritur, nec *probitas* (Conc. Trid. *loc. cit. can. 12 et de bapt. can. 4;* Billot *de eccl. sacr. I. th. XVII;* Franzelin *de sacr. in gen. th. XV*); ad licitam vero requiruntur sub gravi (Rit. Rom. *tit. 1 cap. un. n. 4*), saltem in ministro, qui ad sacramentum conficiendum est consecratus, illudque conficit solemniter. S. Th. *3. p. q. 64. a. 6 ad 3.*

De obligatione ministri sacramenta administrandi vel denegandi, et de modo in his servando — 3584
Curam animarum habentes, tenentur sub gravi ex iustitia sacramenta ministrare subditis rationabiliter petentibus (S. Alph. *VI. 58*); alii, in gravi necessitate proximi, tenentur ex caritate. Croix *Th. mor. lib. II. n. 174.* Curam animarum gerentes probabilius, alii certo, non tenentur cum periculo ministrare sacramenta, nisi absolute necessaria ad salutem (S. Alph. *II. 27, VI. 233*), et solummodo quum adsit spes moraliter certa successus et certitudo necessitatis. S. Alph. *II. 27;* B. P. *II. 161 sqq.*

Minister tenetur sub gravi, per se loquendo, sacramenta indignis denegare (S. Alph. *VI. 43*); hinc publico peccatori semper (B. P. *IV. 686*), occulto occulte petenti, non vero publice (Rit. Rom. *tit. IV. c. 1. n. 9;* S. Th. *3. p. q. 80. a. 6;* B. P. *loc. cit. sqq.*), denegare ea debet.

Ut autem indigno non conferatur sacramentum, numquam licet illud simulare. Cfr. *prop. 29 damn. ab Inn. XI decr. diei 2 mart. 1679.* Quod tunc habetur, quum ficte ponitur id, quod pertinet ad essentiam sacra-

menti. S. Alph. *VI. 59;* B. P. *IV. 694 sqq.* Licet tamen aliquando sacramenti denegationem dissimulare. S. Alph. *loc. nuper cit.;* B. P. *loc. nuper cit.* Vid. *Dissimulatio, Simulatio.*

Minister debet etiam ceremonias praescriptas in sacramenti administratione servare. Rit. Rom. *tit. I cap. un. n. 16;* Conc. Trid. *loc. cit. can. 13.* Vid. *Administratio sacramentorum.*

3585 ***De subiecto sacramentorum.*** — Subiectum sacramentorum est solus homo viator, sed non omnis omnium. S. Alph. *VI. 79.*

Ad validam sacramenti susceptionem, nulla requiritur probitas vel fides in recipiente, excepto sacramento poenitentiae; sed in adultis requiritur (*c. 3 de baptismo etc. X.* [*III. 42*]; S. Th. *in IV dist. 6. q. 1. a. 2. q. 3;* Lugo *de sacr. disp. IX sect. 7;* Billot *de eccl. sacr. I. th. XIX*) aliqua intentio (idest voluntas seu consensus recipiendi sacramentum), quae pro plerisque sacramentis sufficit habitualis (B. P. *IV. 701*); et pro aliis sacramentis susceptio praevia baptismi. B. P. *IV. 698:* Lugo *de euch. disp. XIII. n. 3,* etc.

Ad sacramenta vivorum licite suscipienda praerequiritur status gratiae (S. Alph. *VI. 83*); ad sacramenta mortuorum in adultis actus saltem impliciti fidei et spei nec non actus doloris explicitus. S. Alph. *VI. 86.*

Sine causa sacramentum petere a ministro indigno non licet (S. Alph. *VI. 89*); cum causa proportionata, etsi non gravi, licet, etiam ab excommunicato tolerato (G. B. *II. 44*); a vitando, solum in extrema necessitate. S. Alph. *VI 88.*

De administrazione sacramentorum (*remissive*). — Quoad modum administrandi sacramenta, Vid. *Administratio sacramentorum, Rochettum, Stola.*

Sacra Scriptura. — **De editionibus et versionibus Scripturae sacrae quoad earum lectionem.** — Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum s. Scripturae, etiam ecclesiae orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam (quare non iis, qui dant operam tantum studiis linguae graecae aut hebraicae, *S. C. Ind. 21 iun. 1898;* at non tantum doctis viris, qui iis scientiis sunt dediti, verum etiam universis s. theologiae tyronibus, *S. C. Ind. 23 maii 1898*), dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut annotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur. *Const.* Leonis XIII « Officiorum ac munerum » *VIII. kal. febr. a. 1896. a. 5.* 3586

Eadem ratione et sub iisdem conditionibus permittuntur aliae versiones sacrorum bibliorum, sive latina, sive alia lingua non vulgari, ab acatholicis editae. *Const. cit., a. 6.*

Versiones vero omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia episcoporum cum annotationibus desumptis ex sanctis ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus. *Const. cit. a. 7.*

Interdicuntur versiones omnes sacrorum bibliorum quavis vulgari lin-

gua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per societates biblicas a Romanis Pontificibus non semel damnatas divulgantur; hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur, servatis superius dictis. *Const. cit. a. 8.* Porro ex eo, quod huiusmodi versiones ab acatholicis confectae his permittantur, dicendum videtur eisdem permitti etiam versiones superius recensitas (seu confectas a catholicis, sed ita, ut evadant prohibitae) in lingua vernacula. Monitore ecclesiast. *vol. XV pag. 182. n. 37.*

3587 **De sacris bibliis quoad iusiurandum super eis praestandum.** — Quum in pluribus Indiarum regionibus mos esset, ut catholici iurarent super biblia a protestantibus corrupta et a gubernio eisdem exhibita, et ex alia parte perdifficile esset a civili gubernio obtinere, ut catholicis potestas fieret iurandi super biblia integra et catholica, sacra Congreg. de Prop. Fide super hac re interrogata respondit, omnes vicarios apostolicos, in quorum missionibus usus huiusmodi adhiberi consuevit, diligenter curare debere, ut gubernium Anglo-indicum libertatem fidelibus relinqueret iurandi super s. Scripturam ab ecclesia catholica receptam; quoadusque autem hoc ipsum a civili auctoritate non obtinuissent, prudenter tacerent, si viderent fideles super biblia haereticorum iuramentum praestare, dummodo de licito iureiurando ageretur. *S. C. P. F. ad vic. ap. Ind. 8 sept. 1869.* Hoc idem plus minus responderat sacra Congregatio s. Officii ad ep. Quebecensem *23 feb. 1820.*

Van Ess. L Gedanken üb. Bibel u. Bibellesen; *Hölscher A.* Ueber d. Lesen d. Heil. Schrift n. d. Satzungen d. kath. Kirche; *Hoffmann J.* Die Heil. Schrift e. Volks.- u. Schulbuch i. d. Vergangenheit. Soll sie dies auch in d. Gegenwart u. Zukunft sein?; *Höpfl H.* Das Buch d. Bücher; *Falk F.* Die Bibel a. Ausgang d. MAs; *Peters N.* Kirche u. Bibellesen.

De ratione studiorum s. Scripturae in seminariis clericorum servanda. — Circa hoc sapientissimas leges induxit. ss. Dnus Pius X, quas heic integras damus: 3688

« Quoniam in re biblica tantum est hodie momenti, quantum fortasse nunquam antea, omnino necesse est, adolescentes clericos scientia scripturarum imbui diligenter; ita nempe, ut non modo vim rationemque et doctrinam bibliorum habeant ipsi perceptam et cognitam, sed etiam scite probeque possint et in divini verbi ministerio versari, et conscriptos Deo afflante libros ab oppugnationibus horum hominum defendere, qui quidquam divinitus traditum esse negant. Propterea in litt. encycl. *Providentissimus* recte decessor noster illustris edixit: " Prima cura sit, ut in sacris " seminariis vel academiis sic omni- " no tradantur divinae Litterae, quem- " admodum et ipsius gravitas disci- " plinae et temporum necessitas ad- " monent „. In eamdem autem rem haec nos, quae magnopere videntur profutura, praescribimus:

I. Sacrae scripturae praeceptio, in quoque seminario impertienda, ista complectatur oportet: primum, notio-

nes de inspiratione praecipuas, canonem bibliorum, textum primigenium potissimasque versiones, leges hermeneuticas; deinde historiam utriusque testamenti; tum singulorum, pro cuiusque gravitate, librorum analysim et exegesim.

II. Disciplinae biblicae curriculum in totidem annos partiendum est, quot annos debent alumni eeclesiae intra seminarii septa commorari ob sacrarum disciplinarum studia: ita ut, horum studiorum emenso spatio, quisque alumnus id curriculum integrum confecerit.

III. Magisteria scripturae tradendae ita constituentur, quemadmodum cuiusque seminarii conditio et facultates ferent: ubique tamen cavebitur, ut alumnis copia suppetat eas res percipiendi, quas ignorare sacerdoti non licet.

IV. Quum ex una parte fieri non possit, ut omnium scripturarum accurata explicatio in schola detur, ex altera necesse sit omnes divinas Litteras sacerdoti esse aliquo pacto cognitas, praeceptoris erit, peculiares et proprios habere tractatus seu *introductiones* in singulos libros, eorumque historicam auctoritatem, si res postulaverit, asserere, ac analysim tradere: qui tamen aliquanto plus, quam in ceteris, in eis libris immorabitur ac librorum partibus, quae graviores sunt.

V. Atque is, ad testamentum vetus quod attinet, fructum capiens ex iis rebus, quas recentiorum investigatio protulerit, seriem actarum rerum, quasque hebraeus populus cum aliis orientalibus rationes habuit, edisseret; legem Moysi summatim exponet; potiora vaticinia explanabit.

VI. Praesertim curabit, ut in alumnis intelligentiam et studium psalmorum, quos divino officio quotidie recitaturi sunt, excitet: nonnullosque psalmos exempli causâ interpretando, monstrabit, quemadmodum ipsi alumni suapte industria reliquos interpretentur.

VII. Quod vero ad novum testamentum, presse dilucideque docebit, quatuor evangelia quas habeant singula proprias tamquam notas, et quomodo authentica esse ostendantur; item totius evangelicae historiae complexionem, ac doctrinam in epistolis ceterisque libris comprehensam exponet.

VIII. Singularem quamdam curam adhibebit in iis illustrandis utriusque testamenti locis, qui ad fidem moresque christianos pertinent.

IX. Illud semper, maxime vero in novi testamenti expositione, meminerit, suis se praeceptis conformare eos, qui postea voce et exemplo vitae erudire ad sempiternam salutem populum debeant. Igitur inter docendum commonefacere discipulos studebit, quae sit optima via evangelii praedicandi: eosque ex occasione ad exsequenda diligenter Christi domini et apostolorum praescripta alliciet.

X. Alumni, qui meliorem de se spem facient, hebraeo sermone et graeco biblico, atque etiam, quoad eius fieri possit, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca aut araba, erunt excolendi. " Sacrae scripturae magistris necesse " est atque theologos addecet, eas " linguas cognitas habere, quibus libri " canonici sunt primitus ab agiogra-

"phis exarati, easdemque optimum "factu erit si colant alumni ecclesiae, "qui praesertim ad academicos theo- "logiae gradus aspirant. Atque etiam "curandum, ut omnibus in academiis "de ceteris item antiquis linguis, "maxime semiticis, sint magisteria „. (Litt. Encycl. *Providentissimus*).

XI. In seminariis, quae iure gaudent academicos theologiae gradus conferendi, augeri praelectionum de sacra Scriptura numerum; altiusque propterea generales specialesque pertractari quaestiones, ac biblicae vel archeologiae, vel geographiae, vel chronologiae, vel theologiae, itemque historiae exegesis plus temporis studiique tribui oportebit.

XII. Peculiaris diligentia in id insumenda erit, ut secundum leges a commissione biblica editas, delecti alumni ad academicos sacrae Scripturae gradus comparentur: quod quidem ad idoneos divinarum litterarum magistros seminariis quaerendos non parum valebit.

XIII. Doctor sacrae Scripturae trabendae sanctum habebit, numquam a communi doctrina ac traditione ecclesiae vel minimum discedere: utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negliget: idem eas dumtaxat quaestiones tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intelligentiam et defensionem Scripturarum conducat: denique rationem magisterii sui ad eas normas diriget, prudentiae plenas, quae litteris encyclicis *Providentissimus* continentur.

XIV. Alumni autem quod scholae praelectionibus ad hanc assequendam disciplinam deerit, privato labore suppleant oportet. Quum enim particulatim omnem enarrare Scripturam magister prae angustiis temporis non possit, privatim ipsi, certo ad hanc rem constituto spatio in dies singulos, veteris novique testamenti attentam lectionem continuabunt; in quo optimum factu erit, breve aliquod adhiberi commentarium, quod opportune obscuriores locos illustret, difficiliores explicet.

XV. Alumni in disciplina biblica, ut in ceteris theologiae, quantum nimirum e scholae praelectionibus profecerint, periculum subeant, antequam ex una in aliam classem promoveri et sacris ordinibus initiari possint.

XVI. Omnibus in academiis quisque, candidatus ad academicos theologiae gradus, quibusdam de scriptura quaestionibus, ad *introductionem* historicam et criticam, itemque ad exegesim pertinentibus, respondebit; atque experimento probabit, satis se interpretationis gnarum ac hebraei sermonis graecique biblici scientem.

XVII. Hortandi erunt divinarum Litterarum studiosi, ut, praeter interpretes, bonos lectitent auctores, qui de rebus cum hac disciplina coniunctis tractant; ut de historia utriusque testamenti, de vita Christi domini, de apostolorum, de itineribus et peregrinationibus palestinensibus: ex quibus facile locorum morumque biblicorum notitiam imbibent.

XVIII. Huius rei gratiâ, dabitur pro facultatibus opera, ut modica conficiatur in quoque seminario bibliotheca,

ubi volumina id genus alumnis in promptu sint.

Haec volumus et iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 27 martii 1906, Pontificatus Nostri tertio ».

Praescripsit postea Pontifex (motu proprio «Illibatae» *29 iun. 1910*) ut qui s. Scripturae doctores sunt renuntiandi iuramentium emittant iuxta formulam in eodem motu-proprio statutam.

3589 **De coetu studiis provehendis s. Scripturae.** — Coetus studiis s. Scripturae provehendis, seu commissio biblica, institutus est a Leone XIII litteris apostolicis « Vigilantiae » 30 oct. 1902, postquam Pontifex constitutione «Providentissimus Deus» 18 nov. 1893 normas dederit sapientissimas pro recto intellectu et studio Scripturarum sacrarum.

Scopus istius commissionis clare exprimitur a Pontifice in memoratis litteris encyclicis. « Sed quo facilius, ait Pontifex, res e sententia eveniat, novum quoddam auctoritatis nostrae subsidium nunc addere decrevimus. Etenim quum divinos hodie explicare tuerique Libros, ut oportet, in tanta scientiae varietate tamque multiplici errorum forma maius quiddam sit, quam ut id catholici interpretes recte efficere usquequaque possint singuli, expedit communia ipsorum adiuvari studia ac temperari auspicio ductuque Sedis apostolicae. Id autem commode videmur posse consequi si, quo providentiae genere in aliis promovendis disciplinis usi sumus, eodem in hac, de qua sermo nunc est, utamur. His de causis placet, certum quoddam consilium, sive, uti loquuntur, commissionem gravium virorum institui; qui eam sibi habeant provinciam, omni ope curare et efficere ut divina eloquia et exquisitiorem illam, quam tempora postulant, tractationem passim apud nostros inveniant, et incolumia sint non modo a quovis errorum afflatu sed etiam ab omni opinionum temeritate. Huius consilii praecipuam sedem esse addecet Romae, sub ipsis oculis Pontificis maximi: ut quae Urbs magistra et custos est christianae sapientiae, ex eadem in universum christianae reipublicae corpus sana et incorrupta huius quoque tam necessariae doctrinae praeceptio influat ».

Constat nunc commissio quinque cardinalibus et quamplurimis consultoribus. Pius X litt. apost. « Scripturae sanctae » (*23 febr. 1904*) ius dedit commissioni conferendi gradus academicos prolytae et doctoris in sacrae Scripturae disciplina iis, qui, quibusdam servatis normis et habitis qualitatibus in iisdem litteris determinatis, hoc digni haberentur.

Nunc autem ad praeparandos iuvenes catholicos ad hos gradus, simulque ad eis praestanda catholica studiorum subsidia, « ne cum ingenti sanae doctrinae discrimine ad heterodoxos se conferrent redirentque modernistarum spiritu imbuti », consilium cepit Pontifex instituendi Romae pontificium institutum biblicum, quod de facto erexit litteris suis « Vinea electa », (*7 maii 1909*). Finis autem huius instituti est « ut in urbe Roma altiorum studiorum ad libros sacros pertinentium habeatur centrum, quod

efficaciore, quo liceat, modo doctrinam biblicam et studia omnia eidem adiuncta, sensu ecclesiae catholicae promoveat »,

Eisdem litteris adiunxit Pontifex « Leges pontificio instituto biblico regendo », quinque titulis constantes.

3590 **Sacrificium.** — ***De essentia et de dotibus sacrificii eucharistici.*** — Eucharistia habet rationem non tantum sacramenti, sed etiam sacrificii (Conc. Trid. *sess. XXII cap. 1 et can. 1 de sacr. missae*), et ut tale vocatur missa, quae est verum novae legis et incruentum sacrificium, offerendi ratione differens a cruento sacrificio Crucis, sed quoad hostiam et principalem offerentem Christum idem (Conc. Trid. *loc. cit. cap. 2*); omnium sacrificiorum, antiquae legis rationes perfecte continens (Conc. Trid. *loc. cit. cap. 1*).

Eius essentia verius in sola consecratione consistit (Franzelin *de ss. euch. sacram. et sacrif. p. II th. XVI coroll. 2*; Billot *de ecclesiae sacrament. II th. 54* § *1*, etc.), nec videtur ullo modo concedendum sumptionem corporis et sanguinis Domini ad substantiam sacrificii pertinere, ut voluere nonnulli (Bellarminus *Controv. de missa lib. I c. 27*, cui plus-minus accedit Lugo *de euchar. disp. XIX sect. 5* et alii), quamvis sumptio ex natura rei actioni consecrativae debeat adiungi, et proinde indispensabili lege praecipiatur (Billot. *loc. nuper cit.*), ac ad sacrificii integritatem pertineat. Franzelin *loc. nuper cit.*

In hoc sacrificio, quod est unicum societatis christianae seu ecclesiae Christi sacrificium, Christus ut caput istius societatis seu corporis ecclesiae, victima est et sacerdos principalis. Concil. Trid. *loc. cit. cap. I*; Franzelin *loc. cit. p. II th. 6*; Billot *loc. cit. th. 53.* Post ipsum autem Christum sunt sacerdotes ministeriales, qui ex eius mandato (*I. Cor. XI 24 sq.*; Conc. Trid. *loc. nuper cit.*) et eius nomine sacrificant et offerunt hanc mundam oblationem, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest. Conc. Trident. *loc. nuper cit.*

Sacrificium hoc non solum est latreuticum, in quantum est significatio interioris latriae, qua homo profitetur se in Dei servitium devovere, et eucharisticum, in quantum offertur etiam in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis (Billot *l. c. Praen. ad th. LIII.* § *2*); sed etiam vere propitiatorium tam pro vivis quam pro defunctis (Conc. Trid. *loc. cit. can. 3*), in quantum ex opere operato impetrat applicationem satisfactorii sacrificii crucis, placando Deum offensum, et ex consequenti obtinendo ab eo omnis generis beneficia. Billot *l. c. th. 55.* — Nonnulli, relicto nomine propitiatorii vel satisfactorii sacrificio missae in quantum vim habet placandi Deum offensum, illud dicunt impetratorium in quantum vim habet aliquid a Deo impetrandi. Lugo *De euch. disp. XIX sect. 9. n. 140.* — Quaestio est de nomine, nam quoad rem omnes sunt concordes. Cfr. Billot *loc. cit. th. LV. not. 1.* — Quare offerri potest et debet tum pro vivis, tum pro defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibs. Conc. Trid. *l. c. can. 3.*

3591 ***De ipso fructu sacrificii eucharistici.*** — Et fructus quidem missae absolute infallibilis semper est relate ad defunctos, non autem in omnibus relate ad vivos; nam quamvis ex parte Christi, qui semper dignissimus est ut ob suam reverentiam exaudiatur, habet infallibilem impetrationem, ex parte tamen vivorum fidelium quaedam aliquando requiruntur conditiones. Sic pro remissione poenae, cuius divinae iustitiae debitores sunt, necesse est ut praevie habeatur status gratiae et remissio peccatorum (B. P. *IV. 1003*); si autem offertur pro remissione peccatorum, hoc infallibiliter habetur, ut illi homini actuale conferatur auxilium, quo ad gratiam iustificationis, mediante sacramento poenitentiae, vel in re vel in voto, sese disponat. In defunctis autem ideo infallibilis est fructus sacrificii, quia animae, quae in purgatorio detinentur, a peccatis omnino (si quaestio nempe sit de reatu culpae) absolutae sunt per contritionem, quare nullum obicem habent, quominus remissionem obtineant reatus poenae, quae est id, quod pro ipsis petitur. Billot *loc. cit. th. LV Coroll. 1.*

3592 **De triplici eius differentia.** — Fructus autem missae triplex distinguitur: alius est *generalis,* qui profluit primario in omnes fideles vivos ac defunctos (offertur enim missa « pro ecclesia... sancta catholica... una cum... omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus », ut dicimus in canone), secundario in omnes homines (dicimus enim in oblatione calicis nos illum offerre « pro nostra *et totius mundi* salute »); *specialis* alter, qui illis praesertim provenit, pro quibus missa applicatur, et in parte etiam ministrantibus, assistentibus etc.; *specialissimus,* qui obvenit sacerdoti celebranti. B. P. *IV. 994.*

De iis, quibus prodest fructus missae secundum triplicem eius distinctionem. — Fructus specialissimus non pendet ab intentione sacerdotis, sed necessario ipsi sacrificanti obvenit, dummodo non sit indispositus; resultat enim ex ipsa actione sacrificali, quam ponit. — Fructus generatis pendet ab applicatione sacerdotis hoc sensu, quod quamvis sacerdos ex praecepto caritatis et ex voluntate ecclesiae neminem tum vivum tum defunctum possit excludere ab hoc fructu, quum celebrat, si tamen de facto excludit aliquem, probabilius hoc, etsi illicite, valide ab eo fit, et sic exclusus non participat fructui sacrificii. B. P. *IV. 1038.* Fructus autem specialis pendet omnino et certe ab applicatione sacerdotis celebrantis (cfr. *proposit. 30 Syn. Pist. damn. a Pio VI Constit.* « Auctorem fidei » *28 aug. 1794*), nec sacerdos in validò exercitio huius suae potestatis, quae ex ipso charactere sacerdotali profluit, ab ullo superiore, qualiscumque ipse sit, impediri potest. B. P. *loc. nuper cit.* 3593

De applicatione fructus specialis. — Quaestio est quibusnam a sacerdote applicari possit fructus iste missae specialis. 3594

Et quidam (Cfr. B. P. *IV. 1001*) distinguunt in sacerdote offerente duplicem personam, prout nempe offert sacrificium ut est persona privata, vel ut est persona publica nomine totius

ecclesiae offerens. Dicunt autem, sacerdotem, ut persona est privata, pro quolibet missam offerre posse, quatenus sacrificium est impetratorium; prout vero est propitiatorium, pro omnibus, qui propitiationis capaces sunt, cuiusmodi non sunt infantes.

Lugo autem (*de euch. disp. XIX. n. 185*) dicit, sacerdotem pro excommunicato vitando (non autem pro tolerato, Lugo *l. nuper cit. n. 187 sq.*), celebrantem etiam privato nomine illicite agere, quippe qui ecclesiae prohibitionem violat. At revera haec prohibitio non videtur adesse; nam ea, quae afferuntur, loca iuris (*cc. 28. 38. de sent. excomm. X.* [*V. 39*]) hanc prohibitionem non continent. Neque enim aliud in his capitibus cautum est, quam ut excommunicatus defunctus, licet dederit manifesta signa poenitentiae, non gaudeat ecclesiastica sepultura, aut pro ipso oblationes recipiantur, nisi prius eius cadaver absolvatur. Porro haec omnia videntur ea tantum prohibere, quae secum ferunt aliquam communicationem in divinis cum excommunicatis, vel aliquod scandalum pro fidelibus. Cfr. Schmalzgrueber *in tit. 39. l. V Decr. n. 126.*

Et in hoc sensu videntur etiam explicandae quaedam responsiones sacrae congregationis s. Officii de hac re, ut sunt ex. gr. sequentes:

Propositum est dubium: « Utrum possit aut debeat celebrari missa ac percipi eleemosyna pro graeco-schismatico, qui enixe oret atque instet, ut missa applicetur pro ipso sive in ecclesia astante, sive extra ecclesiam manente ». Responsum est: « Iuxta exposita non licere, nisi constet expresse eleemosynam a schismatico praeberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem ». *S. U. I. 19 apr. 1837.*

Similiter haec alia dubia proposita fuerunt:

1°. An liceat missam offerre pro illis, qui in manifesta haeresi moriuntur, praesertim quando huiusmodi applicatio nota esset;

2° An liceat etiam in casu, quo huiusmodi applicatio missae tantum sacerdoti, et illi, qui dat eleemosinam, nota esset.

Responsum est: « Ad 1^um^ et 2.^um^ negative ». *S. U. I. 7 apr. 1875.*

Imo Gregorius XVI, ut refert Gasparri (*de euch. I. 479*), litteris datis (*16 febr. 1842*) ad episcopum Augustanum docuit, missae applicationem in casu illicitam esse etiam sub conditione: si in gratia Dei mortui sunt ob bonam fidem aut conversionem in ultimo instanti. Verum forte in his litteris non est quaestio de privata et secreta celebratione missae, sed de missis seu solemniis funebribus, quae publice pro ipsis celebrentur; aut etiam de scandalo, quod aliis exinde posset provenire, sive etiam de quadam, quae exinde oriretur, communicatione in divinis cum haereticis et schismaticis.

Quod dicendum etiam videtur de instructione s. Congr. de Prop. Fide ad missionarios Sutchuen. *6 iun. 1817.*

Quare, abstractione facta ab illis casibus, in quibus aliae leges sive naturales sive etiam ecclesiasticae ab hoc prohibent, dicendum generatim videtur missae sacrificium pro omnibus omnino offerri posse sive vivis sive defunctis, sicut pro omnibus a

Christo Domino oblatum est sacrificium crucis, cuius est missa continua renovatio.

Hinc etiam non videtur assertiendum Gasparri (*loc. nuper cit.*), pro iis missam applicari non posse, qui in foro externo ecclesiae, idest secundum positiva et probabilia indicia quae habentur, constat esse damnatos sive in inferno tortos. Hoc tamen restringimus ad applicationem missae mere privatam et secretam, quae a solo sacerdote fiat, non autem extendimus ad casum, quo haec missae applicatio esset publica; multo minus quando ageretur de exsequiis pro publico excommunicato faciendis, quod, si de acatholicis sermo est, expresse est prohibitum a Gregorio XVI. Vid. *Excommunicatio.*

Praeterea etiam in privata missae applicatione, de qua diximus, non liceret nomen eorum, qui extra ecclesiam mortui sunt, addere vel recitare. Cfr. quoad haec Bellarminum *Contr. de sacr. euch. lib. VI. c. 6; Const.* Bened. XIV « Ex quo primum » *1 mart. 1756, § 23;* Gasparri *loc. cit. n. 483.*

Haec autem videntur confirmari ex sequentibus responsionibus ss. Roman. Congregationum. Quaesitum est: « An possit missionarius recipere eleemosynam missae, eamque applicare ad mentem seu intentionem viri gentilis seu pagani offerentis, qui vult impetrare liberationem a morbo vel a carcere vel a poena capitis, quae ipsi imminet ». Responsum est: « Affirmative » *S. C. P. F. 11 mart. 1848.* Similiter quaesitum est: « Utrum liceat sacerdotibus missam celebrare pro Turcarum aliorumque infidelium intentione, et ab iis eleemosynam pro missae applicatione accipere ». Responsio fuit: « Affirmative, dummodo non adsit scandalum, ac nihil in missa specialiter addatur; et quoad intentionem constet nil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynas offerentibus subesse ». *S. U. I. 12 iul. 1865.*

Et si quando sacrae Congregationes responderunt aliquid huiusmodi non licere, hoc factum est, quia in casu aliae erant circumstantiae, quae rem illicitam faciebant, ut ex ipsis casibus et responsionibus constat fere semper (unus est casus, in quo idipsum non constat, et est responsio Sacrae Congregationis de Prop. Fide *19 augusti 1776;* quam refert Gasparri *l. c. I. 486*, qua responsum est: « Non licere missae celebrationem pro Turcis et schismaticis »; sed, ut ipse addit, nos ignoramus facti circumstantias, ad quas haec responsio referebatur). Exemplo sit haec responsio Sacrae Congregat. de Prop. Fide *18 apr. 1757:* « Solent schismatici in Albania advocare latinos sacerdotes ad exsequias suorum defunctorum, ut pro his missam celebrent. Intersunt nostri, eleemosynam missae recipiunt, eamque applicant pro schismaticorum atavis, qui quum ecclesiae romanae essent uniti, catholici erant. Si non interessent, aut eleemosynam non reciperent, aut ad eorum intentionem sacrum fecere missionarii non viderentur, populo confusio, nostris damnum exsurgeret. Quaeritur num licita sit et absque peccato haec praxis in his circumstantiis ».

Responsum est: « Non licere ». At hoc profecto fuisset infideles offerentes fallere. Ipsum patet in alia responsione s. Officii *14 maii 1779*, quam citat Gasparri *loc. nuper cit.* Cfr. etiam quoad hoc Monitore eccl. *vol. XIII pag. 23 sqq.*

Patet autem missam offerri non posse pro iis, qui certo in inferno iam exsistunt (quare nemo potest pro Iuda Iscariotae vel pro alio, de cuius damnatione revelationem divinam haberet, sacrificare); vel pro iis, qui sunt in limbo (quare non potest offerri missa pro infantulo non baptizato, Gasparri *loc. cit. n. 479*); vel pro iis, qui certo in coelesti gloria recepti sunt (cfr. *c. 6 de celebrat. miss. X.* [*III. 41*]), quia pro his orare iniuriosam est. Vid. *Oratio.*

Quare pro sanctis canonizatis missa offerri non potest; an offerri possit pro beato, quum in beatificatione iudicium Apostolicae Sedis non sit definitivum et irrevocabile, Gasparri (*loc. cit. n. 482*) sub dubio relinquit; sed hoc videtur alienum a mente et a praxi ecclesiae. Affirmat autem applicari posse missam pro defuncto, qui est *Venerabilis* (attamen de hoc vide *Venerabiles*). Pro martyre non potest offerri missa (*c. 6 nuper cit. X.* [*III. 41*]), sed hoc intelligendum est de eo, cuius martyrii seu mortis pro Christo perpessae iudicium Romani Pontificis prolatum est, seu de martyre vindicato, ut loquuntur. Bened. XIV *de serv. Dei beat. et beat. canon. lib. II. c. 12. n. 11; lib. III. c. 15. n. 8.*

3595 **An fructus missae specialis sit infinitus.** — Quaestio est inter theologos, an fructus missae (de fructu *speciali* agitur) sit infinitus eo sensu, quod missa aeque prosit pluribus applicata ac uni.

Quidam affirmant (Caietanus *in 3am p. q. 79. 5;* Vasquez *disp. 231. c. 3;* S. Alph. *VI. 312*); alii negant (S. Th. *Suppl. q. 71. a. 13, in IV dist. 45. q. 2. a. 4. q. 2 arg.* « *sed contra* » *et q. 3 ad 2;* Lugo *de euch. disp. XIX. n. 246 sqq.;* Suarez *in 3. p. q. 83. disp. 79 sect. 11. n. 1 sqq.*; Benedictus XIV *de Syn. lib. V. c. 8. n. 6, c. 9. n. 4.;* Franzelin *de eucharist. thes. XIII.*; B. P. *IV. 1004. a*; Billot *loc. cit. th. LVI*). Horum sententia videtur praeferenda.

Patet autem, quod etiam illi, qui tuentur extensivam infinitatem fructus missae, nullo modo cogitant aliquam infinitatem intensivam; evidens enim est, quod fructus, qui a creatura recipitur, non potest esse infinitus, et fructus iste proportionatur etiam dispositionibus eorum, quibus applicatur. S. Th. *3. p. q. 79. a. 5;* Billot *loc. nuper cit.*

Gasparri (*loc. cit. n. 493*) ex probabilitate sententiae eorum, qui infinitatem extensivam fructus missae affirmant, haec duo eruit corollaria:

1° Bonum esse, ut sacerdotes intentionem habeant applicandi missas, quas celebrant etiam ad stipendium offerentis, pro omnibus vivis et defunctis, attamen sine praeiudicio illius, pro quo specialiter sacrificium debent offerre.

2° Posse aliquem obligationibus praeter iustitiam (ex. gr. ex promissione, ex praecepto superioris etc.) satisfacere sic missam applicando.

3596 ***De variis quibusdam*** (*remissive*). — An et quando liceat sacerdoti abrumpere vel interrumpere missae sacrificium iam diximus superius. Vid. *Interruptio.*

3597 Nota sacerdotes regulares, celebrantes in oratorio interno religiosarum quod fidelibus non patet, debere celebrare iuxta calendarium dioecesis, si religiosae non habeant calendarium proprium, non autem iuxta calendarium sui ordinis. *S. R. C. in Parisien. 17 iul. 1896 ad 1* (*3927*); *in una ord. FF. Min. prov. Ang. 29 iul. 1904 ad 6.* In genere autem quoad calendarium sequendum in celebratione missae, Vid. *Calendarium.*

3598 Quoad cantus lingua vernacula intra missam peragendos statutum est, ut ii liceant de consensu ordinarii intra missam privatam, non autem intra missam solemnem sive cantatam (*S. R. C. in Bisarchien. 31 ian. 1896* [*3880*]), quum in solemnibus functionibus stricte liturgicis adhiberi debeat lingua propria ritus, et textus *ad libitum* desumi debeant ex sacra Scriptura, ex officio liturgico, ex hymnis et precibus ab ecclesia approbatis. *Ord. pro musica sacra a. 7. 21 iulii 1894* (*3830*). Vid. *Cantus, Musica sacra.*

3599 Quoad usum electricae lucis Bucceroni in suo « Supplementum alterum editionis quartae et quintae Institutionum theol. mor. etc., Romae 1911 » (*sub n. 553*) haec refert: « Proposito dubio : Utrum lux electrica sub specie candelae aut alia quavia specie adhiberi queat in altaris mensa apud missale ad illud illuminandum? Respondendum est: Si iuxta decreta lux electrica vetita est in altari, a fortiori in eiusdem altaris mensa, prouti in casu proponitur. Die 15 febr. 1911. Philippus Di Fava substitutus ». Verum non immerito dubitares quamnam vim habeat haec responsio. Nam certe modus, quo sese exhibet, novus omnino est ac extraordinarius; neque enim in « Acta Apostolicae Sedis » fuit publicata; neque ullam refert approbationem Pontificis; neque etiam habet ordinariam formam alicuius decreti s. Congr. Rituum, quae decreta numquam subscripta inveniuntur a solo substituto. Quare quoad formam responsio haec nec tamquam authentica nec tamquam legitima haberi potest. - Sed et quoad substantiam est difficultas. Nam responsio non statuit aliquam legem, sed potius eam deducit, et quidem haud recte. Argumentatur enim ad prohibitionem adhibendi lucem electricam ad illuminandum missale ex eo quod lux electrica vetita est in altari. Sed etiam cera stearica in altari non admittitur (*S. R. C. in Policastren. 4 sept. 1875 ad 3* [*3376*]), et tamen candelae ex cera stearica in ipsa altaris mensa positae ad illuminandum missale ab omnibus adhibentur, nec s. Congr. Rituum hoc reprobavit umquam tamquam abusum. Videtur igitur ea responsio vim tantum habere privatae sententiae dignissimi Substituti s. Congregationis, quae reverentia quidem digna erit, sed vim legis nullam habere potest.

Quoad tempus, locum et modum celebrationis, Vid. *Altare, Aurora, Celebratio missae, Collectae, Color, Oratorium, Rubricae*, etc.

Quoad eleemosynam pro missa applicanda, Vid. *Stipendium.*

Decr. Grat. D. I. II de cons.; tit. de cel. miss. et sacr. euch. etc. X. (III. 41): idem tit. (III. 11) in Xvag. comm.; *Renaudot* Liturgiarum orientalium collectio; *Bona Card.* Rerum liturgicarum libri duo; *Durand* De ritibus ecclesiae catholicae; *De Herrera Aug.* Del origen y progresso en la Iglesia cathólica de los ritos y ceremonias que se usan en el santo sacrificio de la missa; *De Bustamante de la Camara Jo.* De las ceremonias de la missa; *Arnaud Claudius* Thesauri sacrorum rituum epitome; *Bocquillot* Traité historique de la liturgie sacrée ou de la messe; *Mazzei Io. Andr.* Methodus sacerdotalis circa missam et divinum officium; *Bona Card. Io.* De sacrificio missae; *Le Brun* Explication littérale, historique et dogmatique des prières et des cérémonies de la messe; *Lohner Tob.* Instructio practica de missae sacrificio iuxta ritum Rom. Ecclesiae offerendo; *Collet Petr.* Examen et resolution des principales difficultés qui se rencontrent dans la celebration des saints mystères; *Benedictus XIV* De sacros. missae sacrificio; *Cortes Ioach.* De ss. missae sacrificio; *Rothermundt I. A.* D. Opfer des N. B. nach Schrift und Tradition; *Grau A.* Hist.-dogm. Untersuchung üb. die Natur des Messopfers oder in wie weit die Messe ein Opfer; *Schmid Fr. X.* Messopfer, Messapplikation und Messstipendien; *Verhoeven Marian.* Diss. can. de sacrificio missae; *Probst* Die Verwaltung d. Eucharistie als Opfer; *Kössing J.* Liturg. Erklärung d. h. Messe; *v. de Burgt F. P.* De celebratione missar. fragm. iur. can.; *Probst* Liturgie der ersten christlichen Jahrhunderte; *Nostadt* Ueber den Messwein; *Rohault de Fleury* La Messe, études archéologiques sur les monuments; *Probst* Liturgie des IV Jahrhundertes und deren Reform; *Probst* Die abendländische Messe vom fünften bis zum zehnten Jahrhundert; *Drews* Messe, (liturgisch); *Dom Plaine* De canonis missae apostolicitate cum nova dicti canonis explicatione; *Duchesne* Origines du culte chrétien; *Dom Cabrol* Les origines de la messe et le canon romain; *Dom Cabrol* Le livre de la prière antique; *Walter J.* Die hl. Messe; *Martinez A. G.* Eucharistic Sacrifice: historical a. theol. Investigation of sacrifical conception of holy Eucharist in the cath. Church; *Lecigne C.* L'eucharistie et le sacerdoce dans les circonstances actuelles; *Kellner* Wo u. seit wann wurde Missa stehende Bezeichnung für d. Messopfer?; *Renz* Die Geschichte des Messopferbegriffs; *Drews* Zur Entstehungsgeschichte des Kanons in der römischen Messe; *Franz* Die Messe im deutschen Mittelalter; *Many S.* Prael. can. de missa cum append. de ss. euchar. sacr.; *Funk* Ueber den Kanon der römischen Messe; *Baumstark A.* Liturgia romana e liturgia dell'esarcato. Il rito detto in seguito patriarchino e le origini del canon missae romano, ricerche storiche; *Gihr Nic.* D. h. Messopfer dogmatisch liturgisch u. ascetisch erklärt; *Galtier Paul* La messe en seconde intention; *Schellauf Joseph* Das Klingeln bei der Messe; *Gatterer Mich.* Praxis celebrandi missam aliasque functiones eucharisticas; *Dorsch E.* Altar u. Opfer; *Dorsch E.* D. Opfercharacter d. Eucharistie einst u. jetzt; *Wieland F.* Mensa u. Confessio; *Wieland F.* Die Schrift Mensa u. Confessio u. P. Emil Dorsch in Innsbruck.

Sacrilegium. — De natura, divisionibus, malitia sacrilegii. — Sacrilegium est violatio seu indigna tractatio rei sacrae. 3600

Res sacra hic intelligitur quidquid ad divinum cultum ordinatum est, seu quidquid, sacerdotali benedictione cultui Dei consecratum, effectum est quiddam divinum. S. Th. *2. 2. q. 99. a. 1.*

Ad sacrilegium igitur constituendum debent concurrere res sacra et irreverentia erga illam, quae tamen consistere potest tum in faciendo tum in omittendo. D'Ann. *III. 13.*

Triplex est sacrilegium: personale, quo violatur persona Deo sacra: locale, quo loci sacri reverentia laeditur; reale, quo violatur quaecumque alia res sacra aut sancta. Suarez *de relig. tr. 3. lib. 3. c. 1;* B. P. *II. 383.*

Est peccatum mortale ex genere suo (S. Alph. *III. 33;* G. B. *I. 284*), et specie differt, prout est personale, locale, reale. S. Th. *2. 2. q. 99. a. 3.*

Certe sacrilegium leve fieri potest ratione parvitatis materiae vel imperfectionis actus (G. B. *I. 284*); hinc actus turpes in ecclesia semper sunt sacrilegia; sed leviter turpes non sunt sacrilegia gravia. Cfr. Lugo *de poen. disp. XVI. n. 466.*

3601 **De sacrilegio personali.** — Sacrilegium personale admittitur per actum, quo irreverenter tractatur persona sacra, sive violando honorem ipsi, ut sacra persona est, debitum (manus in eam iniiciendo, eam pertrahendo ad iudicium seculare etc.), sive violando id, quod in ipsa Deo sanctum est (aliquid contra castitatem cum ipsa admittendo). B. P. *II. 385;* D'Ann. *III. 14.* Probabilius non est sacrilegium violatio personae voto simplici castitatis ligatae extra religionem, quia huiusmodi persona non est cultui divino dedicata. B. P. *II. 389.*

3602 **De sacrilegio locali.** — Sacrilegium locale committitur quavis actione externa (D'Ann. *III. 15*), qua violatur sanctitas loci, sive reverentia ei debita laeditur, licet probabilius occulta ea fuerit (Lugo *de poen. disp. XXI. n. 461*), non vero si interna tantum (Salmanticenses *Th. mor. tr. XVI. c. 12. n. 28*), etsi alias haec actio licita sit, ut nundinari, negotiari, etc. E contra actio quaedam de se illicita, quae tamen reverentiam loco sacro debitam non laedit, ut mendacium dicere etc., non induit malitiam sacrilegii. Diximus autem, actione interna sacrilegium non committi; et ratio est, quia actio quaedam interna, quum extra nos non sit, non potest sacrum locum maculare et violare; attamen nota, quod, quum actus interior et exterior, dum versantur circa idem obiectum, eiusdem speciei sunt, hinc si per illam actionem internam propono aut desidero aliquid externe facere, quod locum sacrum violet aut dedecoret, sacrilegium admitto, etsi desiderium hoc conceperim extra ecclesiam. Salmanticenses *loc. cit.* Inter actiones locum sacrum dedecorantes recensendae sunt praesertim violatio immunitatis (Vid. *Immunitas*) et pollutio (Vid. *Ecclesia*).

De sacrilegio reali. — Sacrilegium 3603
reale committitur per violationem rerum sacrarum, in primis sacramentorum, et in speciali sacrosanctae eucharistiae. S. Thom. *2. 2. q. 99. a. 3.* Profanatio igitur vasorum sacrorum etiam, ac paramentorum etc. sacrilegium est. Attamen vasa sacra non omnia intelliguntur vasa, quae in ecclesia vel etiam ad sacrificium necessaria sunt, ut ampullae ex. gr., pelvis, campanula, etc.; sed intelliguntur vasa consecrata seu benedicta, vel ad cultum, praesertim eucharistiae, val-

de prope accedentia, ut ostensorium, etc. Cfr. B. P. *II. 426.*

Quaestio est an omne furtum in ecclesia patratum sit sacrilegium; et certe sacrilegium est furari sive de loco sacro sive de non sacro rem sacram aut ad locum sacrum aliquo modo pertinentem, sive propria illius sit, sive eius custodiae relicta (B. P. *II. 424;* D'Ann. *II. 251* [*16*]); probabilius sacrilegium non est rem nullo modo sacram de sacro furari, ut ecce si quis in ecclesia crumenam divitis furetur. Lugo *de poen. disp. XVI. n. 470*; D'Ann. *III. 16.*

Sacrilegium interdum etiam sola omissione committitur, ut si ea, quae spectant ad sacrificium, valde immunda sint, disrupta, etc. P. B. *II. 429.* Vid. *Corporale.*

Gerlach I. N. De sacrilegio; *Böhmer I. S. F.* De variis sacrilegii speciebus; *Ludwig A.* Gesch. d. Sacrilegs u. d. Quellen d. kath. KRs.; *Spelmann H.* The history and fate of sacrilege.

3604 **Sacristia.** — Quando sacristia sita est post altare et duae sunt ianuae, per quas e sacristia ad altare deveniri potest, egrediendum est a sacristia ex parte evangelii, accedendum vero ad illam est ex parte epistolae. *S. R. C. in Briocen. 12 aug. 1854 ad 12* (*3029*).

Salarium. — Vid. *Stipendium.*

3605 **Salutare.** — Sacerdos ad altare pergens debet sacerdotem obvium ab altari redeuntem salutare, et hic debet illum resalutare. In aliis casibus sacerdos, etiam salutatus, neminem, quisquis sit (nisi forte transeat ante praelatos aut principes, quibus pro eorum dignitate plus minusve caput inclinat, sed capite tecto, dummodo ss. Sacramentum non sit expositum), resalutat. Gavantus *p. 2. tit. 3 rubr. 2. m.*; De Herdt *Sacrae lit. praxis I. 201*; Schneider *Man. sacerdotum p. 2. III. 2* (*5*).

Salutatio angelica. — Quamvis ob- 3606
ligatio non adsit eam memoriter sciendi, decet tamen quam maxime, ut ea ab omnibus memoriae mandetur. G. B. *I. 204.*

Inter primam et secundam partem salutationis angelicae aliquid, etiamsi pium et sanctum, adiungi, tolerandum non est; quum salutatio angelica tantam in ecclesia obtineat auctoritatem. Hac ratione mota sacra Congregatio de Propaganda Fide (*19 apr. 1784*) litteris datis ad vic. ap. Sut chuensem vetuit, ne illi fideles per severarent in consuetudine interponendi inter primam et secundam partem salutationis angelicae haec verba, ceteroquin piissima: benedictus Iesus Salvator mundi; rogo Deum, ut nobis det Iesum cognoscere, in Iesum credere, in Iesum sperare, amare Iesum, Iesum imitari. Hinc etiam sacr. Congregatio Indulgentiarum interrogata, an probari posset ratio recitandi rosarium, qua post singulas primas partes salutationis angelicae adduntur verba, quae mysterium aliquod vitae D. N. I. Ch. in mentem revocant, ut: «quem virgo peperisti, qui pro nobis flagellatus est, etc.», (*1 sept. 1884*) respondit: Additiones prouti eae sunt, quae solent rosasio intermisceri a Christifidelibus Sutchuensibus, lucrandis quidem indulgentiis eidem rosario annexis non obstare; attamen generaliter non expedire, ut per ad-

ditiones vocalis simul et mentalis rosarii oratio a primitiva simplicitate nimis discedat: nihilominus *ob circumstantias speciales in casu propositas,* ubi mos rosarii ita recitandi invaluit, nihil esse immutandum.

3607 **Sanatio in radice. — Quid sit et quinam eius effectus.** — Sanatio in radice est abrogatio legis ecclesiasticae, quae impedimentum induxit in casu particulari, coniuncta cum irritatione omnium effectum, qui etiam antea ex lege subsecuti sunt. Ben. XIV *Inst. eccl. LXXXVI num. 80*; *de Synlib. XIII. c. 21. n. 7*; Feije *de imp. et disp. matr. n. 766.*

Porro, subtracta lege, quae consensui contrahentium adimebat vim et eum nullum reddebat, consensus ille naturalis, qui supponitur permanere, evadit efficax, et fit matrimonium. Hinc est, quoad in casu sanationis in radice non est necesse renovare consensum.

Haec sanatio propterea revalidat matrimonium a tempore matrimonii, seu *ex tunc.* Alii dicunt sanatione in radice matrimonium sanari *ex nunc.* Quaestio est potius de vocibus; nam sanatur profecto *ex nunc*, si quaestio est de ipso valore matrimonii: neque enim fieri potest, ut matrimonium, quod fuit nullum, fuerit validum; sed haec sanatio vim suam etiam *ex tunc* exserit, quatenus per eam de medio tolluntur omnes effectus, qui ob matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem, atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt. *Const.* Ben. XIV « Etsi matrimonialis » *27 sept. 1755.*

Quare per fictionem iuris abolitio haec omnium effectuum, qui ex exsistentia impedimenti exorti fuerant, transfertur ad ipsum initium contractus, qui proinde iuridice haberi debet tamquam contractus, qui ab initio fuerit validus.

An detur sanatio in radice, mortuo alterutro aut utroque coniuge. — Haec sanatio in radice, mortuo etiam alterutro coniuge, per se concedi potest; tunc, ut patet non habet vim, nisi irritandi omnes effectus ex invaliditate matrimonii ortos. Et in hoc sensu sanari etiam posset in radice matrimonium, utroque coniuge mortuo, vel alterutro aut utroque coniuge hic et nunc ex ipso iure naturali incapaci ad matrimonium contrahendum, dummodo fuerit capax contrahere, quando matrimonium primitus, etsi invalide, contraxit. Cfr. Feije, *loc. cit. n. 769.* Attamen non posset matrimonium in his casibus sanari in primo sensu, quatenus matrimonium validum ex nunc consisteret. 3608

In praxi tamen, quum petitur sanatio matrimonii in radice, necesse est ut matrimonium exsistat, et proinde, ut vivant coniuges; secus non datur dispensatio. Attamen, si quis quaereret tantummodo legitimationem prolis ex tunc, tunc sanatio concederetur, etiam alterutro coniuge mortuo. Ben. XIV *quaest. can. CLXXIV*, Feije *loc. cit. n. 769.* Hunc finem ex Feije (*l. c. n. 769*) respexit Pius IX (*a. 1848*) sanans in radice matrimonium, cui supervenerat impotentia.

An aliquid operetur sanatio in radice, quando non omnia impedimenta in petitione exposita sunt. — Nota, sanationem in radice esse dispensationem alicuius 3609

certi impedimenti, illius nempe, quod exponitur, cum irritatione omnium effectum etc., ut superius diximus. Si igitur praeter impedimentum expositum, ex. gr. consanguinitatis, aliud, ex. gr. cognationis spiritualis, de facto obstet valori matrimonii, quod ex ignorantia non fuit expositum, et in quo proinde non fuit dispensatum, sanatio in radice fuit nulla, et alia denuo impetranda est. Monitore eccl. *vol. IX part. 1 pag. 114. n. 32.*

3610 **Quinam sanare possit matrimonia in radice et quoad quaenam impedimenta.** — Potest Romanus Pontifex (et ipse unus, Feije *loc. cit. n. 765*) dispensare in radice matrimonii quoad omnia impedimenta iuris ecclesiastici. Ben. XIV *Quaest. can. CLXXIV*; Gasparri *l. c. II. 1446.*

Diximus, impedimenta iuris ecclesiastici. Nam impedimenta iuris divini, puta impedimentum ligaminis, aut impedimenta iuris naturalis, puta errorem, non potest ecclesia auferre, suam vero legem auferre potest.

Attamen etiam in matrimonio nullo ob impedimentum ligaminis, cessato impedimento, concessa est dispensatio in radice. Sed puto, tunc eam sanationem ita accipiendam esse, ut vim suam exseruerit a momento cessati impedimenti. Cfr. quoad hoc rescriptum S. Poenitentiariae *25 apr. 1890* apud Gasparri in prima editione sui operis *De matrimonio II. 1137.* Hoc autem locum habere posset etiam in casu matrimonii, quod prius fuit nullum etiam ex defectu consensus, qui tamen verus consensus postea accessit. Cfr. Monitore eccl. *vol. XII. pag. 71.*

Quaenam conditiones requirantur ad habendam sanationem in radice. — Ut autem Romanus Pontifex dispenset in radice, necesse est dari quasdam conditiones. Scilicet requiritur: 3611

1. Ut coniunctio coniugum habuerit speciem extrinsecam iusti matrimonii (Feije *loc. cit. n. 768;* D'Ann. *III. 504*); quamvis hodie etiam matrimonium civile, ceteris stantibus conditionibus, dummodo intentio fuerit matrimonii et non concubinatus, S. Sedes sanare saepe soleat (B. P. *loc. cit.*; D'Ann. *III. 504*; cfr. resp. *S. U. I. 6 apr. 1892*).

2. Ut consensus utriusque perseveraverit (*S. C. C. 5. decr 1863*; B. P. *VI. 986*; Feije *loc. cit. n. 771*; Gasparri *l. c. II. 1439*, nonnullis, ut Gallo et Perrone *de matr. christiano II. 173* non valide contradicentibus); deficiente enim hoc consensu, quum nullus sit possibilis contractus, neque eius sanatio haberi potest.

3. Ut, quum sanatur matrimonium, possibilis sit consensus legitimus utriusque et de facto exsistat; quare, si ante sanationem supervenerit amentia aut impotentia, sanatio nequit dari, vel saltem nonnisi ad partialem quemdam effectum, ut superius diximus; hinc sacra Congr. s. Officii (*8 mart. 1900*) negavit locum esse sanationi matrimonii in radice relate ad matrimonium, in quo post prolem susceptam supervenerat impotentia ex parte viri.

4. Ut adsit urgentissima causa (B. P. *loc. cit.*; Feije *l. c. n. 770*; cfr. etiam litteras Ben. XIV «Redditae» *ad arch. S. Dom. in insula Hispaniola 5 dec. 1744*); inter has

causas non minima est matrimonium civile peractum.

Potest autem applicari, etiam utraque parte ignara, ut constat ex praxi S. Sedis, quae saepius plura coniugia certis in locis, ob aliquod impedimentum dirimens invalida, contrahentibus omnino insciis, sanavit; ut quum ex. gr. a. 1750 per rescriptum s. Officii ad quemdam vicarium apostolicum sanavit in radice matrimonia multorum, quibus missionarii ex ignorantia concesserant anticipativas et communes dispensationes ab impedimentis matrimonialibus.

3612 **De sanatione in radice petenda vel exsequenda.** — Quando quis sanationem in radice petere vult, debet instantiam Romano Pontifici inscriptam ad s. congregationem de sacramentis vel ad sacram Poenitentiariam mittere. B. P. *VI. 988.*

In instantia autem aperte exprimi debet, an consensus adfuerit ab initio necne, an in utraque parte perseveret necne, an contrahentes fuerint in bona fide necne, quaenam causae habeantur ad dispensationem petendam, quaenam impedimenta valori matrimonii obfuerint, expressis iis omnibus, quae ad horum impedimentorum claram cognitionem necessaria sunt. Gasparri *loc. cit. II. 1450.*

Non est necesse, ut exsecutor certa quadam formula utatur in exsequenda dispensatione; sed significare debet se matrimonium *sanare in radice,* B. P. *VI. 988;* Gasparri *loc. cit. II. 1451.*

Quando dispensatio datur pro foro interno, nullum documentum de eius exsecutione servare necesse est; sed quando pro foro etiam externo data est, servandum est documentum dispensationis ad exsecutionem productae in cancellaria episcopali. B. P. *VI. 987*

Aliquando facultas sanandi matrimonia in radice a S. Sede intra certos quosdam limites aliis delegatur. Circa cuius delegationis modum etc. sequentia dubia ab episc. Covingtonensi ad s. Officium proposita sunt.

« Inter facultates apostolicas ordinariis Stat. Foed. Amer. sept. ad quinquenn. nunc concedi solitas, reperitur etiam (Form. D. art. VI) sequens:

" Sanandi in radice matrimonia contracta quando comperitur adfuisse impedimentum dirimens, super quo, ex apostolicae Sedis indulto, dispensare ipse possit, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensus, monita tamen parte conscia impedimenti de effectu huius sanationis „.

Cum autem pluribus iisque gravis momenti controversiis, quoad rectam eius interpretationem, dicta facultas ansam praebuerit et adhuc praebeat, sequentia dubia pro opportuna enodatione proponere ausus est:

1. Quomodo intelligi debet expressio: " Super quo, ex Apostolicae Sedis indulto, dispensare possit? „ Utrum nempe solus casus indultorum quinquennalium (seu particularium) contineat, an etiam omnes casus indulti generalis a Rom. P. Leone XIII omnibus ordinariis concessi die 20 febr. a. 1888 quoad concubinarios, quorum unus versatur in periculo mortis, adeo ut vi praedictae facultatis episcopi sanare valeant in radice omnia

matrimonia, pro quibus reliqui ordinarii facultatem habent simplicem concedendi dispensationem, supposito utique quod adsit species seu figura quaedam matrimonii.

2. Quid exacte intelligendum est per voces "pars innoxia et pars conscia impedimenti?„ Facile quidem usus intelligitur facultatis pro casu, quo matrimonium quoddam nullum et irritum exsistat ob impedimentum affinitatis ex copula illicita soli parti reae (non innoxiae et simul consciae) cognitum. At praeter hunc casum, alios etiam reperiri, in quibus ex mente h. supr. Congr. locus sit usui facultatis, vel ex eo solo patet, quod Sanctitas Vestra rescribere dignata est illmo et revmo D. G. Elder archiepiscopo Cincinnatensi d. 20 iunii 1892 pro impedimento disparitatis cultus; unde ulterius petit:

3. Utrum adhuc sit locus facultatis si ambae quidem partes cognoscunt nullitatem matrimonii, sed una earum adduci non potest ad renovandum consensum; item, si ambae hic et nunc eam ignorant, dummodo postea una pars moneatur de sanatione obtenta eiusque effectu.

4. Utrum valeat ordinarius sanare in radice matrimonium nullum ob disparitatem cultus, quando impedimentum quidem evanuit, sed gravis adest difficultas expetendi renovationem consensus prouti in casu sequenti nuper contigit.

Maria non baptizata sed ut catholica ab omnibus reputata, matrimonium in forma Tridentina iniit cum iuvene catholico. Postea vero sacerdotem secreto adiit eique omnem veritatem patefacit, enixe efflagitans ut statim baptizaretur, et insuper orans ut altum servetur silentium coram marito ob gravia dissidia probabiliter oritura ex manifestatione veritatis. Sacerdos votis eius obsecundans eam baptizavit.

An locus est sanationi in radice, vi indulti?

5. Ex repetitis s. Inquisitionis decretis et responsis, notanter a 1898, 1899, 1900 emanatis, constat omnes facultates habituales a Sede Apostolica episcopis concessas et concedendas intelligi debere datas ordinariis locorum, sub quo nomine, praeter episcopos, veniunt vicarii in spiritualibus generales, vicarii capitulares, etc. Quo posito petit utrum recte sentiant DD., qui affirmant limitationes quascumque olim appositas facultatibus delegandi vicarium generalem iam evanuisse, ipsumque vicarium absque ulla delegatione vel communicatione facta ab episcopo gaudere praedictis facultatibus, eisque servatis servandis semper valide uti.

Resp. Ad 1. Facultatem art. VI formulae D extendi posse ad casus indulti diei 20 febr. 1888, servatis eiusdem indulti clausulis facto verbo cum SSmo.

Ad 2. Providebitur in sequenti.

Ad 3. Quoad 1^{am} partem negative, nisi constet verum datum fuisse consensum sub specie matrimonii, et eumdem ex utraque parte perseverare; ad 2^{am}, prout exponitur, negative.

Ad 4. In casu exposito affirmative.

Ad 5. Affirmative quoad facultates, de quibus in dubio proposito, servato

tamen quoad licitum usum debito subordinationis officio erga proprium episcopum.

SS. D. N. resolutionem emorum Patrum approbavit et benigne annuere dignatus est. *S. U. I. 22 aug. 1906.*

Sanchez De matrimonio lib. VIII disp. 7; *Göring* De redintegratione matrimonii; *Otto* De ratificatione nullitatum extraiudicialium in causis matrimonialibus; *Schinzinger* Diss. de revalidatione matrim.; *Guyet* De matrimonii invalide contracti renovatione; *Okulicki* De revalidatione et restitutione matr.; *Binder M J.* Die Behebung d. Ehehindernisse u. d. Ehekonvalidation; *Frizon* De la pratique du St. Siege relative à la dispense in radice; *Heinrich* De nuptiis. Des demandes en nullité en particulier; *Braun* Zur Lehre von der Natur der dispensatio matrimonii in radice; *Esmein* Le mariage en droit canon. II, 352, 388; *Pompen I.* Tr. de dispensationibus et de revalidatione matrimonii; *An.* De sanatione matr. in radice; *An.* Sur la sanatio in radice.

3613 **Sanctum Officium.** — Originem suam habuit congregatio haec ex constitutione Pauli III « Licet ab initio » 21 iul. 1542 ut sanctum officium inquisitionis haereticae pravitatis regeret et auctoritative dirigeret. Patet quanti momenti fuerit officium hoc vere sanctum, quod tendebat praecipue ad removendum a fidelibus periculum ne falsis subornati doctrinis a vera fide desciscerent.

Haec Congregatio, pro more recepto, etiam in constitutione « Sapienti consilio » primo loco recensetur. Attamen notandum est, eam a Pio X non dici nec nominari supremam, quemadmodum etiam Pontifex omnino abstinet in tota constitutione sua ab antiquo nomine ex inquisitione desumpto. Quorum primum ideo forte factum est, ut vitaretur quaedam species maioris aut minoris dignitatis inter varias congregationes, quae omnes eadem dignitate praestant ratione subiectorum, quae eas componunt, scilicet cardinalium S. R. E. Alterius vero, quod annotavimus, hanc reddit rationem Leitner in suo commentario ad hanc eamdem constitutionem: « ratio huius dispositionis fortasse invenitur in studio ut omne amoveatur odium ab hac veneranda et mitissima congregatione ».

Haec congregatio, quae a Paulo III primitus sex cardinalibus constituta est, progressu temporis sequentem consecuta est constitutionem. Componitur scilicet considerabili quodam cardinalium numero, ut iam suo tempore annotabat card. De Luca, maiori vel minori pro beneplacito Romani Pontificis, quorum antiquior munus gerit secretarii; praefecturam enim istius congregationis retinet Summus Pontifex. Et hoc quidem obtinet a longo iam tempore, sed antiquitus non verificabatur. Primus enim huius congregationis praefectus, quae etsi a Paulo III erecta vel saltem in novum statum redacta, sub Paulo tamen IV anno 1558 tantum suae activitati initium dedit, fuit cardinalis Michael Ghislieri, postea Romanus Pontifex sub nomine Pii V. Cfr. Grimaldi *Les Congrégations romaines ch. 11.*

Post cardinales in hac congregatione tamquam administri locum obtinent in primis quidam praelatus, cui nomen est et titulus assessoris s. Officii; huic proxime succedit commissarius, qui est semper religiosus qui-

dam ordinis praedicatorum, aliquando et per viam exceptionis, quemadmodum et de assessore dicendum est, episcopali ordine insignitus. Habentur etiam tres alii religiosi dominicani, qui huic congregationi inserviunt, et nominantur vice-commissarius, primus socius et secundus socius. Omnes hi religiosi ord. S. Dominici ex eiusdem ordinis provincia Lombardiae desumendi sunt ex privilegio illi provinciae a Pio V eiusdem alumno concesso. Praeter hos recensendi sunt etiam summista, advocatus fiscalis, advocatus reorum, archivista et nonnulli notarii.

Praeter hos omnes in hac congregatione recensentur consultores plures praelati ac religiosi. Inter hos quidam sunt, qui consultores nati dicuntur, quia nempe fixum locum in congregatione occupant. Sunt autem duo alii religiosi ordinis S. Dominici idest magister generalis et magister s. palatii, nec non religiosus unus ordinis Minorum conventualium, cui, ait De Luca (*loc. cit.*), « tamquam fixo invariabili congruit singulariter nuncupatio consultoris s. Officii, habens hoc munus magis peculiariter, illudque prae ceteris consultoribus exercet ».

Consultoribus accedunt pauci quidam censores seu qualificatores, qui vocantur. Horum munus praecipuum est *qualificare* propositiones fidei vel bonis moribus non conformes. Quare ipsis demandatum est patribus cardinalibus proponere quanam sub nota propositio aliqua damnanda sit, an scilicet diiudicanda haeretica, erronea, temeraria, falsa, iniuriosa, calumniosa, scandalosa, piarum aurium offensiva.

In his omnibus nulla facta est immutatio ex nova constitutione « Sapienti consilio ». Statuitur tantummodo in Normis peculiaribus in hac congregatione administros maiores esse Assessorem et Commissarium; alios esse minores.

Et hoc quidem quoad partem prin- 3614
cipaliorem congregationis, ad exclusionem scilicet partis noviter adiunctae, quae de indulgentiis tractat, pro qua unus est administer maior, cui titulus est substituti, alii sunt administri minores. Adduntur etiam pro hac parte ex nova constitutione speciales consultores, quorum tamen nulla mentio amplius fit in *Indice praepositorum et officialium in ss. congregationibus, tribunalibus, officiis Romanae Curiae*, qui publicis iuris factus est in primo numero ephemeridis officialis s. Sedis seu in « Acta Apostolicae Sedis ».

Pro hac parte, quae de indulgentiis curam habet, statutus etiam est *Congressus,* cuius nulla fit mentio pro parte principaliori. Congressus constat cardinali a secretis, assessore, commissario et substituto pro indulgentiis.

Competentia huius congregationis 3615
sic definitur in piana constitione: « Haec s. Congregatio... doctrinam fidei et morum tutatur. Eidem proinde soli manet iudicium de haeresi aliisque criminibus, quae suspicionem haeresis inducunt... Quidquid ad ecclesiae praecepta refertur, uti abstinentiae, ieiunia, festa servanda, id omne, huic sacro consilio sublatum, con-

gregationi Concilii tribuitur; quidquid ad episcoporum electionem spectat, sibi vindicat congregatio Consistorialis; relaxationem vero votorum in religione seu in religiosis institutis emissorum, congregatio negotiis sodalium religiosorum praeposita. Etsi peculiaris congregatio sit constituta de disciplina sacramentorum, nihilominus integra manet sancti Officii facultas ea cognoscendi, quae circa privilegium, uti aiunt, Paulinum et impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur, praeter ea, quae attingunt dogmaticam de matrimonio, sicut etiam de aliis sacramentis doctrinam ».

Ex his pronum est colligere ad hanc s. Congregationem spectare in primis ea omnia, quae respiciunt doctrinalem interpretationem eorum, quae fidei dogmata et doctrinam morum attingunt. Causas quoque, quae circa huiusmudi doctrinas versantur (sunt autem eae, quae ad errores in fide referuntur) ad eam pertinet cognoscere. Quare huic congregationi potestas est inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi et definiendi in omnibus causis tam haeresim manifestam, quam schismata, apostasiam a fide, magiam, sortilegia et alia huiusmodi concernentibus.

Eiusdem congregationis competentia se extendit ad omnia, quae sive directe sive indirecte, in iure aut in facto se referunt ad privilegium Pausinum et ad dispensationes ab impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis, ita ut quaelibet quaestio circa huiusmodi matrimonia ad hanc congregationem deferenda sit. Manet tamen congregationi potestas, si ita censeat et casus ferat, aliquam ex his quaestionibus ad aliud s. Sedis officium remittendi. *S. C. Cons. dec. 1909.*

Ex dictis patet, nova constitutione competentiam huius congregationis non in paucis restrictam esse. Attamen quaedam etiam eidem sunt tributa, quae prius ad distinctam spectabant congregationem. Scilicet universa res de indulgentiis, sive quae doctrinam spectet, sive quae usum respiciat, ad hanc congregationem ex nova constitutione est devoluta. Prius autem haec specabant ad congregationem Indulgentiarum et sacrarum reliquiarum, quae primitus provisorio modo a Clemente VIII, postea definitive a Clemente IX constitutione sua « In ipsis pontificatus » 6 iul. 1669 sub titulo congregationis super indulgentiis et sacris reliquiis erecta est; tandem a Pio X Motu proprio « Quae in ecclesiae bonum » 28 ian. 1904 unita fuerat s. Congregationi Rituum.

Illud, quod maxime in forma procedendi s. Officii singulare erat, et hucusque eidem exclusivum, erat strictissimum iusiurandum, sub quo negotia iustius s. Congregationis tractabantur. Omnes enim officiales congregationis quoad eiusdem negotia perstringebantur strictissimo iureiurando secreti, quod, quia huic congregationi exclusivum erat, dicebatur secretum s. Officii. Hoc iureiurando ad secretum ita ligabantur, ut, quemadmodum loquitur Pius X in Motu proprio diei 17 dec. 1903, « ad suum munus fideliter obeundum inviolatumque in omnibus et cum omnibus secretum servandum sub poena te-

neantur excommunicationis maioris latae sententiae, ipso facto et absque alia declaratione incurrendae, a qua nonnisi a Nobis atque a nostris pro tempore successoribus Romanis Pontificibus, privative etiam quoad s. Poenitentiariam ipsumque D. Cardinalem poenitentiarium, praeterquam in articulo mortis, absolvi queant ». Hoc iusiurandum, quod etiam nunc intactum manet, commune nunc eidem congregationi est cum sacra congregatione Consistoriali. Aliarum congregationum administri insiurandum praestant de officio fideliter implendo, de non recipiendis muneribus etiam sponte oblatis et de secreto servando, quod tamen secretum, ut patet ex ipsa eius formula, respicit ea omnia « quae sacri canones aut superiores secreta servari iusserint », et obligat etiam « quoties ab ordinariis id postulatum fuerit (ut scilicet aliquid secretum servetur) et quando ex revelatione alicuius actus praeiudicium partibus aut ecclesiae obvenire potest ». Poena autem transgredientibus, si forte exsisterent, non alia est imposita, quam ea quae generatim omnes manet periurios. Hoc tamen strictissimo s. Officii secreto non tenentur administri, consultores, cardinales quoad negotia ad indulgentias pertinentia, circa quae non alio ligantur secreto quam communi omnibus administris ss. congregationum.

Quum haec congregatio hoc sibi exclusive proprium habeat, ut sit simul veri nominis tribunal pro quibusdam causis maioribus, et quidem exclusivum, nec non officium administrativum pro quibusdam gratiis et dispensationibus, praesertim pro concessione indulgentiarum, suas et diversas habet normas pro utriusque generis negotiis.

Definire proceduram s. Officii in iis, 3616
quae ad partem iudiciariam spectant, difficile admodum esset, imo et impossibile, quum plura secreta sunt et etiam varia pro varia negotiorum indole. Speciales ex. gr. sunt modi procedendi in causis haereseos, speciales in causis sollicitationis ad turpia in confessione etc. In nova constitutione nihil quoad hoc immutatum est. Idem dicendum est quoad negotia administrativa, quae huic congregationi ex nova constitutione adhuc concredita manent. In normis enim peculiaribus haec habemus:

« In tractandis negotiis, quae ad catholicam doctrinam moresque pertineant et in iudicio ferendo de criminibus haeresis aliisve suspicionem haeresis inducentibus atque in iis omnibus, quae ad dispensationes ab impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis referuntur, congregatio s. Officii suo more institutoque procedit, sibique propriam consuetudinem retinet, servatis normis in hac Lege constitutis, quantum cum necessaria s. Officii disciplina componi possint ».

Annotatione autem maxime digna sunt ea, quae in ipsis normis sequuntur, scilicet:

« Mos procedendi s. Officii, de quo in superiore num 6° (in loco scilicet quem immediate supra citavimus), itemque temporalis suae administrationis gerendae ratio quamprimum erunt scripto redigenda, et post-

quam a patribus cardinalibus revisa fuerint, per cardinalem a secretis Summo Pontificii erunt subiicienda ut approbentur ».

Quoad aliam partem, quae nuper huic congregationi accessit, scilicet quoad indulgentias, haec in Normis peculiaribus praescripta habemus:

« Circa indulgentias in ea parte, quae est disciplinae et gratiae, nova Romanae Curiae ordinatione s. Officio tributa, haec congregatio adhaerebit normis ea de re propositis a Clemente IX in const. *In ipsis* die 6 mensis iulii a. 1669, quae lex plene vigebit. Ipsius igitur erit, omnen difficultatem ac dubietatem in indulgentiis emergentem, Romano Pontifice circa graviora difficilioraque consulto, expediendi; ac si qui abusus in eis irrepserint, illos, iudicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi; causas vero iudicialem formam requirentes ad proprios iudices remittendi; falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi; impressas recognoscendi et examinandi, ac ubi Romano Pontifici retulerit, illius auctoritate reiiciendi; ac in concedendis indulgentiis moderationem adhibendi. Firma pariter manet lata lex per decretum S. Congregationis Indulgentiarum ac Reliquiarium a Benedicto XIV approbatum die 28 mensis ianuarii a. 1756 et a Pio IX confirmatum die 14 aprilis a. 1856, hoc est: - Impetrantes posthac generales indulgentiarum concessiones teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earumdem concessionum ad secretariam s. Congregationis deferre ».

Praeterea nota laedentes aut perterrefacientes inquisitores, denunciantes, testes, aliosve ministros (inter hos et consultores comprehendi dicendum est, D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 169. 3*) s. Officii, eiusve sacri tribunalis scripturas diripientes aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes incurrere excommunicationem latae sententiae nemini reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 4. n. 2.* 3617

Porro stricta significatione, ait D'Annibale (*Comm. in const.* « Ap. Sedis » *n. 73*) laedi corpus dicitur, et perterrefacere est plus quam metum facere; hinc ad incurrendam excommunicationem opus erit gravi laesione, et metu, nedum gravi, sed oppido gravi. Diripere autem est velut praedari et in partes diversas rapere; rapere autem est vi auferre. Inquisitores sunt iudices tribunalis s. Officii, ministri hi omnes, sine quibus tribunal non posset consistere, et proinde etiam consultores verius omnino comprehenduntur (Albitius *de fide XXVIII. n. 37*); testes iis, qui iam producti vel evocati fuerunt, non igitur ii, qui tantummodo proposuerunt denunciare; sanctum vero Officium est tribunal inquisitionis, non, tamen tribunal episcopale inquisitionis, etsi episcopi sint inquisitores nati, ubicumque exsistit, non Romae tantum.

Praeterea ad incurrendam excommunicationem necesse est, ut quis laedat, perterrefaciat inquisitores etc. quatenus tales, seu in quantum dicunt actu relationem ad s. Officium;

quare excommunicatio cessat, si ex alia causa hi laeduntur, perterrefiunt. Albitius *loc. cit. n. 26. 29;* D'Ann. *l. c. n. 169.*

Sacra Congregatio s. Officii declaravit: « Excommunicationi nemini reservatae art. 21 haud subiacent, qui eadem admittunt adversus denuncian-tes apud episcopos, vel testes, vel episcoporum ministros, aut scriptu-ras ad materiam s. inquisitionis apud ipsos retinentes ». *S. U. I. 28 ian. 1892.*

3618 Insuper excommunicationem Ro-mano Pontifici reservatam incurrunt regularium superiores, qui audent se utcumque intromittere in causis ad s. Officium spectantibus; item si su-periores iidem subditos suos ad s. Of-ficium recurrere volentes quovis mo-do avertunt, retrahunt, dissuadent. *Const.* Paul. V « Rom. Pont. »; *Const.* Alex. VII « Licet ». Circa quod no-vum prodiit ex ipsa Congregatione s. Officii decretum (*15 maii 1901*), quod est sequens:

« Uti pluries a Sum. Pontificibus sancitum est, in rebus ad s. Off. spe-ctantibus nullo modo ad superiores regulares pertinere subditorum suo-rum causas agnoscere, nulloque proin-de titulo aut praetextu posse vel de-bere, nisi de expresso s. Congr. man-dato, de his inquirere, denunciationes recipere, testes interrogare, reos ex-cutere, iudicium instituere, senten-tiam ferre aut alia quavis ratione vel modo in eis sese immiscere vel ma-nus apponere; sed quos religiosi viri ex suis subditis vel confratribus vel etiam superioribus huiusmodi crimi-num (praesertim quos ad abusum sacramentalis confessionis spectat) reos vel suspectos noverint, strictius teneri, absque ulla cum aliis quibus-cumque communicatione, nulla petita venia, nullaque fraterna correptione aut monitione praemissa, eos s. Offi-cio aut locorum ordinariis incunctan-ter denunciare. Ne vero sanctissimae hae leges ex ignorantia (quod Deus avertat) negligi aut infringi contin-gat, superioribus grave onus incumbit eas, quo opportuniori putaverint mo-do, ad subditorum suorum certam et distinctam identidem deferre noti-tiam earumque ab eis plenam obser-vantiam urgere. Quae omnia SS. DD. Noster approbavit et confirmavit, die 12 maii 1901 ».

A. Quemada Gabr. Tract. de fisco in-quisitionis; *Locati Umbert.* Opus iudiciale inquisitorum; *Vanderani Petr.* Enchiridion Inquisitionis; *Eymerici Nic.* Directorium inquisitorum; *Comensis Bernardin.* Lucer-na inquisitorum haereticae pravitatis; *Men-dez de Vasconcellos Gundis.* De sententiis inquisitionis; *De Paramo Lud.* De origine et progressu sanctae inquisitionis et de de-legata inquisitorum potestate; *De Paramo Lud.* Pro defensione iurisdictionis sanctae inquisitionis; *Farinacci Prosp.* Decisiones criminales de iudiciis et tortura; *Garcia Paul.* Processus s. inquisitionis; *Pena* (seu *Pegna*) *Fr.* Inquirendorum haereticorum lucerna; *Masini* Sacro arsenale ovvero Prat-tica dell'Officio della s. Inquisitione; *Carena Caes.* Tract. de officio s. Inquisitionis et modo procedendi in causis fidei; *Alberghini Io.* Manuale qualificatorum s. Inquisitionis, in quo omnia, quae ad illud tribunal ac hae-resum censuram pertinent, brevi methodo adducuntur; *Sallelles S.* De materiis tribu-nalium s. Inquisitionis seu de regulis mul-tiplicibus pro formando quovis eorum mini-stro, praesertim consultore; praemissis XII

prolegomenis de origine et progressu dictorum tribunalium; *Pena* (seu *Pegna*) *Fr.* Instructio seu praxis inquisitorum (simul cum Carena); *Rodriguez Nic.* Allegationes fiscales seu de confiscatione bonorum in officio s. Inquisitionis; *Bordoni Fr.* Sacrum tribunal iudicum in causis sanctae fidei; *Saussay Andr.* Aphorismi inquisitorum; *Del Bene T.* De officio s. Inquisitionis; *Macedo F.* Schema s. Congregationis s. Officii romani cum elogiis cardinalium; *De Luca* Il cardinale pratico, c. 25; *Albitius* De inconstantia in fide; *Neri I.* De iudice s. Inquisitionis; *Menghini Tomm.* Regole del tribunale di S. Offizio; *Albitius* De inconstantia in iudiciis; *Masini* Sacro arsenale, ovvero pratica dell'offizio della s. Inquisitione; *Danielli* Rec. praxis curiae rom. tit. 28, vol. IV; *Moroni G.*, Dizionario, vol. XVI art. Congregazioni cardinalizie, pag. 230. Congregazione della santa romana ed universale Inquisizione, detta del s. Offizio; *De Luca* Relatio Curiae romanae, dissert. 14; *Camacho Guerriero de Aboym Did.* De privilegiis familiarium officialiumque s. Inquisitionis; *Simor I.* De sacris congregationibus romanis et illarum auctoritate; *Simor. I.* De s. Congregationibus romanis s. officii et concilii; *Cadène* De secreto s. officii; *Cauzons* Hist. de l'inquisition en France. 1° Les origines de l'inquisition; *Douais* L'inquisition en Roussillon; *Douais* La procédure inquisitoriale en Languedoc au XIV siècle d'après un procès inédit de l'année 1337; *Douais* Documents pour servir à l'histoire de l'inquisition dans le Languedoc au XIII siècle; *Douais* L'inquisition: ses origines, sa procédure; *Flade* D. röm. Inquisitionsverfahren i. Deutschland bis zu d. Hexenprozessen; *Choupin L.* L'inquisition; la responsabilité de l'Eglise dans la repression de l'hérésie au moyen-âge.

Sanguis. — An et quando sanguinis effusione polluatur ecclesia, Vid. *Ecclesia.*

Sartor. — Sartor, die festo, a labore 3619
non excusatur ratione artis suae. Vid. *Labor, Opera.* Per se letaliter peccat contra iustitiam, si sibi retinens vel vendens fragmenta panni, quae supersint, domino adhuc utilia, ad materiam gravem pervenerit. G. B. *I. 615.* Vid. *Retentio.*

Satisfactio. — Iniuria alteri facta 3620
reparari debet, nec solum quum ex iniuria damnum provenerit (Vid. *Damnificator*), sed etiamsi non provenerit damnum; nam iniuria, etiam ut talis est, sive ut alterius dignitatem laedens, satisfactionem exigit. Cfr. Lugo *de iust. et iure disp. XIV sect. 1 et sect. 2.* Nec solum satisfactio debetur, quum alicui per semetipsum facta est iniuria, idest directe; sed etiam, quum iniuria per alios seu indirecte facta est, idest quum quis iniuria affecit alterius uxorem, filiam etc., brevi eos, qui eius potestati vel affectui subiecti sunt. *l. 1. § 3 tit. cit. D.* (*XLVII. 10*). Imo haec satisfactio alteri debetur, etiamsi quis eius uxorem, filiam etc. volentes et consentientes iniuria affecerit (*l. 1. § 5 iuper cit.*); quod non bene negari videtur a S. Alphonso (*III. 641 dub. 2*) et a D'Annibale (*II. 245*).

Satisfacere autem est tantum laeso praestare, quantum satis sit ad reparationem iniuriae. D'Ann. *II. 247.* Praestari autem hoc ipsum potest sive per se sive per alium, et commensurari debet tum dignitati laesi, tum dignitati ipsius laedentis (cfr. Lessium *de iust. et iure lib. II. c. 11. n. 144*); et generatim sufficit petitio veniae, quamvis non semper; neque enim *atrox* quaedam iniuria sola pe-

titione veniae compensatur, etsi a superiore inferiori facta. D'Annibale *II. 247.*

Cessat autem obligatio satisfactionis sive remissione expressa aut tacita iniuriae; sive compensatione iniuriae ab altero sumpta; sive morte laedentis aut laesi, iniuria enim est aliquid personale. *l. 15. § 14. tit. cit. D.* (*XLVII. 10*). Attamen sive petitione veniae: sive remissione, sive quocumque alio modo cessaverit satisfactionis obligatio, non exinde cessat obligatio resarciendi damnum, quod aliquando iniuriam consequitur, nisi expresse et hoc condonetur.

3621 **Satisfactio sacramentalis. — De satisfactione imponenda.** — Eam tum vindicativam, tum medicinalem, sed convenientem et salutarem, poenitenti confessarius iniungere potest et debet. Conc. Trid. *sess. XIV de poen. cap. 8 can. 15.*

Generatim et melius (S. Alph. *VI. 514*) imponitur ante absolutionem (sic enim confessario innotescit melius praeparatio poenitentis ad ipsam), sed et post eam imponi potest. Caietanus *Summa v.* « *Satisfactio* ».

Pro gravi culpa gravis per se est imponenda (Conc. Trid. *loc. cit.*; B. P. *V. 287*): habetur autem gravis ea, quae aequivalet parvae horae canonicae (cfr. G. B. *II. 336*); ex causa, levior etiam imponi potest (ut ex magna poenitentis contritione seu debilitate sive animi sive corporis, B. P. *V. 289*); quia sacramentum poenitentiae institutum est ad reconciliandos peccatores, non ad satisfaciendum Deo. D'Ann. *III. 347*. Generatim habendum est tamquam principium, tutius esse cum parva poenitentia ducere confessos ad purgatorium, quam cum magna non implenda praecipitare in infernum. S. Alph. *VI. 509* ex Gersone *Reg. mor. p. 2. c. de poenitentia.* Cfr. quoad hoc sapientissimam instructionem S. C. de Prop. Fide ad visitatorem apost. Tunkini occid. *3 oct. 1735.*

Imponi potest poenitentia sub conditione relapsus (S. Alph. *VI. 524*), et pro ea opus alias debitum (B. P. *V. 293*); publica tamen non est imponenda (B. P. *V. 292*), praesertim pro peccatis occultis, quantumvis gravibus. Rit. Rom. *tit. III. c. 1. n. 21.*

Poenitentias perpetuas, vel ad diuturnum tempus, vel quae poenitentem aliorum ludibrio exponere possunt, vel multis operibus diversis implicatas, vel nimis naturae repugnantes imponendo, nonnisi imprudenter agitur.

De satisfactione acceptanda et explenda. 3622 — Poenitens poenitentiam rationabilem acceptare et implere tenetur (cfr. B. P. *V. 297*), et gravem sub gravi (Bucc. *II. 735*), nec non tempore designato, si nempe a confessario fuerit designatum (qui tamen non implevit tempore praescripto, non ideo deobligatur, S. Alph. *VI. 525*).

Deobligatur autem secundum quosdam ille, qui lucratur indulgentiam plenariam, nisi satisfactio sit opus medicinale, ad quod ex ipso iure naturae poenitens obligatur; sed tunc obligatio manet non vi iuris a confessario impositi, sed vi iuris naturalis a confessario declarati. Billot *de eccl. sacr. II cor. ad thesim XIX.* Attamen circa hoc confer B. P. *V. 283 sqq.*

Inculcandum poenitentibus, ut satisfactionem impleant statim vel quamprimum commode possunt. Quod si eam diu differant, leviter peccabunt; an etiam aliquando graviter, et quandonam. valde controvertitur. B. P. *V. 308.*

3623 **De commutatione satisfactionis.** — Commutationem poenitentiae petere potest poenitens ex iusta causa ab eodem, vel a quolibet alio confessario (B. P. *V. 315 seqq.*), absque ulla confessionis iteratione, (quia nempe ex gravitate et qualitate poenitentiae impositae colligit confessarius eam confusam notitiam peccatorum, quae satis est), nisi forte agatur de poenitentia imposita pro reservatis (B. P. *V. 316*), sed generatim in confessione. Lugo *de poen. disp. XXV. n. 110;* S. Alph. *VI. 529;* B. P. *V. 318.*

Bibliographiam quaere sub *Poenitentia.*

3624 **Scamna.** — Potest episcopus moderare arbitrio suo scamna et loca laicorum in ecclesia, et providere ne unus multa loca occupet, ita ut pro aliis locus non relinquatur. *S. R. C. in Entomilien. 14 dec. 1604 ad 3 (174).*

3625 **Scandalum.** — **De natura et divisionibus scandali.** — Scandalum est dictum vel factum minus rectum, praebens alicui occasionem ruinae spiritualis. S. Th. *2. 2. q. 43. a. 1.*

Quare bene advertit D'Ann. (*II. 88*) ut scandalum sit, requiri duo, nimirum:

1° ut detur alteri occasio peccandi vel solum venialiter, aut etiam materialiter tantum, imo vel solum consummandi exterius peccatum, ut si qui meretricem sollicitat (cfr. Lugo *de poenitentia disp. XVI num. 155; disp. XXII. n. 65;* Suarez *de caritate disp. X. a. 4 num. 5;* S. Alph. *II. 47*).

2° ut detur facto minus recto idest malo, seu revera, seu specie tenus.

Minus recte, ut patet ex definitione, scandalum dividitur in activum seu datum, et passivum seu acceptum (S. Th. *loc. cit. ad 4um*); quod postremum iterum subdividitur in scandalum pusillorum, qood oritur ex infirmitate vel ignorantia proximi, et in pharisaicum, quod ex eius malitia. S. Th. *l. c. a. 7.*

Datur autem *directe,* quum quis intendit alium trahere ad rem malam, et *indirecte* quum lapsus alterius sequitur praeter intentionem scandalum dantis. D'Ann. *II. 88 sq.*

De scandalo indirecto. — Quoad indi- 362
rectum scandalum haec nota a D'Annibale belle exposita (*l. c. II. 89*): « Indirecte dari potest innumeris prope modis; sed in primis, exemplis, praeter intentionem, datur. Hoc ante omnia aestimari debet ex personis, quibus datur, nempe si eo exemplo moveri possunt; ideoque non cadit in hominibus perfectae virtutis, aut (contra) perditissimis; quippe malis aliorum exemplis illi non moventur, hi non egent. Porro scandalum huiusmodi recidit in voluntarium in causa; ideo, ut imputari possit, necesse est: 1. ut praevisum fuerit; 2. ut debuerit; 3. ut potuerit evitari. Ex primo igitur, excusatur qui non animadvertit vel non putat, se scandalum dare. Contra, ex secundo nulla excusatio eius est, qui scandalum praebeat eo

facto, quod revera malum est, seu natura, seu lege. Ex tertio excusatur, qui dat scandalum facto, quod specie tenus malum videtur, si non possit eo abstinere, aut videntes admonere sine incommodo gravi ».

3627 **De malitia scandali.** — Scandalum tum directum, tum indirectum, est grave ex genere suo (S. Th. *l. c. a. 4;* S. Alph. *III. 41;* G. B. *I. 235*); eiusque specifica malitia in eo est, quod sit contra caritatem (S. Th. *l. c. a. 3;* Ball. *in Gury l. c.* [*3*]); potest tamen ob materiae parvitatem (ut si quis alium sua actione ad peccatum veniale induceret, S. Th. *l. c. a. 4*), vel ob imperfectionem actus, esse veniale. Ballerini *in Gury l. c.* (*4*).

In scandalo directo habetur peccatum, tum contra caritatem, tum contra virtutem laesam (B. P. *II. 246*); non item verius in indirecto. Lugo *de poenit. disp. XVI. n. 159;* B. P. *II. 247;* D'Ann. *II. 90.*

Peccans cum complice probabiliter secundum quosdam (Lugo *de poenit. disp. XVI. n. 142*) declarare in confessione non debet circumstantiam sollicitationis; quae tamen sententia aliis est difficilior. B. P. *II. 251.*

3628 **De obligatione vitandi scandalum et de iis, quae sine peccato scandali aut ad scandalum vitandum licent.** — Scandalum pusillorum vitandum est, quoties fieri potest sine gravi incommodo (G.-B. *I. 235*); pharisaicum, ordinarie non est vitandum. Suarez *de carit. disp. X sect. 3. n. 9.* Sed licet interdum, v. g. uxori ad vitandam gravem indignationem viri sui omittere missam, ieiunia (cfr. Laymann *de carit. c. 13. n. 10*), dummodo is illa non exigat in contemptum ecclesiae; item famulis, nisi statim et facile possint alium dominum invenire. S. Alph. *III. 327. 1034. 4;* D'Ann. *II. 95* (*2*).

Praecepta positiva iuris tum naturalis tum humani omittere aliquando licet, ne scandalum sequatur (Suarez *l. c.*); hinc mulier potest, non debet (B. P. *II. 266*), missam die festo subinde non audire, ne aliquis in particulari tunc eam concupiturus scandalum patiatur. S. Alph. *III. 331.* Non tenetur tamen quis bona temporalia dimittere ad vitandum scandalum pharisaicum (S. Th. *l. c. a. 8*), imo et pusillorum, saltem sedato scandalo per aliquam admonitionem. S. Th. *loc. nuper cit.*; S. Alph. *II. 52.*

Certo licet suadere minus malum alicui ad maius determinato, si in hoc, quod destinavit admittere, illud continetur; secus controvertitur, sed etiam tunc probabiliter licet. D'Ann. *II. 97.* Vid. *Cooperatio.* Licet etiam volenti damnum uni inferre, suadere minus damnum alteri inferendum. Turrianus *de fide etc. disp. 95 dub. 6*; Vasquez *Opusc. de scandalo art. 1 dub. 2. n. 14*; B. P. *II. 280 sqq.*

Licet permittere occasionem peccandi, ut reus corrigatur, et verius etiam apponere. S. Alph. *II. 58*; D'Ann. *II. 97.*

Quoad ornatum mulierum in rela- 3629
tione ad scandalum haec nota ex Lessio (*de iust. et iure lib. IV. c. 4 dub. 14*), quem refert Tamburini (*in Decal. p. 2 lib. 7. c. 8.* § *8. n. 7*) plane illum approbans, scilicet: « Potest in excessu istius ornatus esse peccatum mortiferum per accidens... ratione scandali, ut si quis uteretur veste

adeo tenui, vel ita conformata, ut per eam pudenda non satis tegerentur: id enim iudicio morali non tam esset pulchritudinem ostentare, quam homines directe ad libidinem allicere. Secus est in nudando pectore, ut Caietanus, Fumus et Navarrus notant; praesertim, ubi est ea consuetudo; nam pars illa honesta censetur, nec natura aut pudor humanus postulat illam absolute tegi. Grave tamen peccatum esset huiusmodi morem introducere, ubi id non est consuetum: insolita enim magis movent; et res ipsa merito ob periculum, etiam ubi est recepta, tamquam illicium libidinis esset abroganda, ut doctores monent. — Notandum tamen, non ex eo censeri ornatum scandalosum, quod multi occasione illius putentur ad prava desideria provocandi, ut recte praedicti doctores tradunt: alioquin etiam pulchritudo naturalis scandalosa esset; nam multo magis provocat, quam artificiosa, quum natura longe superet artem. Itaque etiamsi femina putet aliquos peccaturos, non tamen idcirco sub peccato mortali teneretur talem ornatum dimittere... Ratio est, quia ornatus iste solum remote ad malum provocat: ergo non tenetur ab eo abstinere, ne alii peccent; alioquin perpetuo abstinere deberet (quum illa occasio sit perpetua et universalis), quod nimis grave esset humanae conditioni. Sufficit igitur, ut ei peccatum proximi displiceat, et illius salutem non contemnat. Et confirmatur, quia, quod illi peccent, ex eorum provenit malitia, non ex conditione ornatus; sicut enim circa hanc peccant, ita etiam circa alias eximiae pulchritudinis; atqui id, quod ex aliorum malitia provenit, non tenemur cum tanto gravamine nostro impedire. Secus, si aliquo casu ad breve solum tempus ob peculiare periculum alicuius abstinendum esset (et hic Tamburini addit: Hanc limitationem non ponit Diana *p. II. tr. 15 res. 36*, etiam si ornatus sit superfluus et maximus, modo sit secundum morem patriae et de se non sit quasi provocativus ad malum): tunc enim caritas postularet, ut pro eo tempore talem ornatum superfluum omittam, ne proximus, qui alioquin putatur non peccaturus, inde peccandi occasionem habeat ». — Et S. Alphonsus, qui et ipse (*II. 55*) haec eadem plus minus probat, ea, quae circa hoc dixerat, concludit verbis S. Antonini (*p. 2 tit. 4. c. 5*): « Ex praedictis igitur videtur dicendum, quod, ubi in huiusmodi ornatibus confessor invenit clare et indubitanter mortale, talem non absolvat, nisi proponat abstinere a tali crimine. Si vero non potest clare percipere, utrum sit mortale, non videtur tunc praecipitanda sententia (ut dicit Guillelmus specie in quadam simili), scilicet ut deneget propter hoc absolutionem, vel illi faciat conscientiam de mortali, quia, faciendo postea contra illud, etiamsi illud non esset mortale, ei erit mortale, quia omne, quod est contra conscientiam, aedificat ad gehennam. Et quum promptiora sint iura ad solvendum quam ligandum, et *melius sit Domino reddere rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate,* ut dicit Chrysostomus, potius videtur absolvendum et divino

examini dimittendum. Fateor tamen, quod et praedicatores in praedicando et confessores in audientia confessionum debent talia detestari et persuadere ad dimittendum, quum sint nimia et excessiva; non tamen ita indistincte asserere esse mortalia ».

Ex dictis a fortiori patet, mulieres non teneri dimittere ornatum moderatum ad vitandum scandalum. Vid. *Ornatus*.

Caritas et a recte quoque factis abstinere iubet, si alter ob humanae naturae infirmitatem peccandi occasionem de his sumet, e. g. sacramenta petere a ministro, qui est in letali; quaevis tamen iusta, etsi non gravis, causa utilitatis vel necessitatis excusat. D'Ann. *II. 91.* De eo tamen, qui peccandi ansam sumeret, non ex infirmitate humanae naturae, sed ex improbitate sua, non est curandum; hinc nemo tenetur, ait D'Ann. (*loc. cit.*) indebitum naulum, licet exiguum, rhedario solvere, ne in blasphemias erumpat. D'Ann. *II. 91.*

De quibusdam peculiaribus rationibus scandali. (*remissive*). — Quoad scandalum ex impressione et venditione pravorum librorum, vid. *Libri*; ex choreis, vid. *Choreae*; ex spectaculis, vid. *Spectacula*.

8630 **De scandalo relate ad matrimonium.** — Scandalum et infamia sunt etiam una ex causis canonicis pro obtinendis dispensationibus super impedimenta matrimonialia.

De hac causa scandali et infamiae haec habemus in « Praxis ap. dispensationum super impedimentis matrimonii » *n. 122 sq.*; scilicet:

« Plures infamia et scandalum complectitur casus; quia nempe ex illis infamia et scandalum timetur, idest quoties ex illis probabiliter timentur inimicitiae, odia et iurgia, fornicationis et concubinatus periculum, etc. Causa ergo, Summum Pontificem movens ad dispensandum, non est crimen admissum. Honestas et iustitia dispensationem potius impediret. Sed causa est, ne mulier remaneat diffamata et innupta, et ut scandala et damna evitentur.

Causa 1° est copula *scienter habita de contrahendo*, copula nempe habita inter oratores, non obstante scientia impedimenti, quoad matrimonium contrahendum, et non contractum. Exprimendum in ea est, utrum praedictum crimen data opera admissum fuerit ad dispensationem ideo facilius obtinendam. Verificandum in ea est, utrum vere damna et scandala timeantur, nisi matrimonium contrahatur. Scilicet copula et praedicta fraudulenta intentio exprimenda, quia uti causa adducitur; secus enim reticeri poterit.

Causa 2° est *copula habita de scienter contracto*, copula nempe scienter habita post contractum iam clandestine matrimonium, non obstante impedimento. Exprimendum in ea pariter est, utrum data opera crimen admissum fuerit ad facilius obinendam dispensationem. Verificandum item in ea est, utrum vere scandala et damna timeantur, si divortium fiat.

Causa 3° est *copula habita de ignoranter vel dubie contracto*, quando nempe oratores, impedimentum ignorantes vel de eo dubitantes, matrimonium contraxerunt, detecto vero im-

pedimento, in carnali copula perstiterunt. Exprimendum, utrum data opera id factum fuerit ad dispensationem facilius obtinendam. Verificandum pariter est, utrum, si fieret divortium, scandala et damna timerentur.

Causa 4° est turpis, seu certe talis conversatio, ex qua gravis infamia timeatur, licet copula abfuerit, vel ex qua timeatur, ne mulier innupta remaneat, vel disparis conditionis viro nubere debeat, vel alia gravia damna oriantur. In oratorum precibus explicari quidem possunt, ad iudicium de gravitate causae ferendum, ea, quae facta sunt. Attamen in Pontifici supplicatione formula semper ponitur generalis, maioris honestatis et gravitatis gratia — insimul conversati sunt, carnali tamen copula inter eos minime subsecuta. — Exprimendum ut alias est, an praedicta conversatio, data opera, habita sit ad effectum dispensationis facilius consequendae.

Causa 5° est periculum turpis conversationis; periculum copulae; periculum concubinatus, cum publico scandalo et propriae salutis aeternae discrimine.

Causa scandali et infamia una ex urgentioribus causis est. Unde cum hac causa solet in quovis impedimento, et cum omnibus indiscriminatim, dispensatio concedi. Graviores adhuc essent praecedentes causae, si proles adesset legitimanda, ut eius bono consulatur. Patet autem, causam dispensationis esse tum scandali cessationem tum scandali periculum avertendum ».

3631 **Scapulare. — De origine et forma scapularium.** — Scapulare seu parva scapularia, quae fideles gestare solent, in sua origine et institutione aliud non sunt, quam scapularia variis ordinibus religiosis propria, pro maiore fidelium commoditate ad parvam formam redacta. Cfr. *decr. S. C. Indulg. 18 aug. 1868.*

Parva haec scapularia constant duobus fragmentis panni, duobus funiculis inter se colligatis, ita ut sic deferri possint, ut alterum panni fragmentum a fronte, alterum a tergo ex scapulis pendeat.

Pannus autem debet esse ex lana textus, nec sufficeret ad lucrandas indulgentias quodcumque laneum opus seu pictum. *S. C. Indulg. 18 aug. 1868 ad 2.* Attamen ornamenta intexta vel acu picta, sive lanea, etsi diversi coloris (*decr. nuper cit. ad 3*), sive non lanea, ut serica, argentea, aurea etc. (*decr. nuper cit. ad 4*), non obstant indulgentiis lucrandis, dummodo ornamenta talia sint, ut color praescriptus praevaleat. Scapularia haec ita conficienda sunt, ut formam habeant oblongam vel quadratam, non autem rotundam, ovalem vel multangulam (*decret. nuper cit. ad 5*).

Funiculi, quibus duo panni fragmenta simul uniuntur, possunt esse ex quavis materia et cuiusvis coloris, uno excepto scapulari ssmae Passionis, quod exigit rubros funiculos. Beringer *Les indulgences I. 2. p. 3. sect.* § *15. n. 6.*

Funiculi hi necessarii sunt, nec sufficeret pannum habitui assuere (*Rescr. auth. S. C. Indulg. 30 mart. 1716*); verum plura scapularia possunt uni eidemque duplici funiculo connecti. *S. C. Indulg. 26 sept. 1864.* Attamen

plura haec scapularia ab unico funiculo pendentia non possunt ita assui inter se, ut unum tantum videantur efficere scapulare (*S. C. Indulg. 26 mart. 1887*); multo minus ad hoc sufficeret unum scapulare, in quo conspiceretur ornamentum intextum aut acu pictum ex diversis coloribus ad significanda plura diversa scapularia. *S. C. Indulg. 18 aug. 1868.* Quin imo Beringer (*loc. cit. n. 10. 8*) existimat, non posse assumi plura panni fragmenta diversi coloris diversaequae magnitudinis, eaque ita assui per gyrum omnem, ut unum exsurgat scapulare, quamvis in gyro conspiciantur extremitates diversorum colorum.

Neque potest scapulare ex una parte cooperiri tela serica vel gossypio, ex altera vero imagine, quae totum vel fere totum illud cooperiat, ita ut pannus penitus aut quasi penitus non appareat. *S. C. Indulg. 18 iun. 1898.*

Color etiam pro variis scapularibus varius est praescriptus (cfr. *decret. S. C. Indulg. 22 aug. 1842* etc.); attamen pro scapulari B. M. Virg. de monte Carmelo, non ita necessarius est color taneus (vulgo *tanè*), ut ipsi subrogari nequeat color alter consimilis seu niger. *S. C. Indulg. 12 feb. 1840.* Dummodo tamen in scapulari appareat color, forma et pannus, quae uti substantialia sunt retinenda, nihil officit valori scapularis imaginum varietas (si nempe imagines apponantur), exceptis scapularibus ss. Trinitatis et passionis D. N. I. Christi, in quibus imagines propriae sunt necessariae. *S. C. Indulg. 18 iun. 1898.*

3682 **De impositione scapularium.** — Ad lucrandas indulgentias necesse est, ut scapularia haec, prius benedicta ab aliquo sacerdote facultatem habente, fidel bus imponantur. Hoc tamen solummodo in prima impositione requiritur; nam postea scapulare etiam non benedictum, et quod quisque sibi imponit, ad indulgentias lucrandas sufficit (Beringer *Les indulgences I. 2. p. 3. sect. § 15. n. 7*); una est exceptio pro scapulari ss. Trinitatis, quod a patribus ss. Trinitatis redemptionis captivorum imponitur, illud enim toties quoties debet benedici. *Rescr. auth. S. C. Indulg. 30 mart. 1716.*

Illi, qui rite semel ascripti sodalitati, vel scapulari induti, postea scapulare dimiserunt, non tenentur ad novam scapularis receptionem, si volunt indulgentias concessas lucrari, sed sufficit, ut scapularia ipsi denuo per se ipsos simpliciter resumant. *S. C. Indulg. 27 maii 1857.*

Non est necesse, ut scapulare deferatur immediate super corpus, idest subtus vestibus. *S. C. Indulg. 12 mart. 1855.*

Quoad scapulare B. M. Virginis de Carmelo statutum fuit, ut separatim ac distincte, non vero commixtim cum aliis scapularibus benediceretur et imponeretur, et contraria indulta revocarentur. *S. C. Indulg. 27 aprilis 1887.*

Attamen hoc non impedit, quominus scapulare B. M. de Carmelo benedicatur et imponatur commixtim cum aliis, sed usurpata peculiari formula pro scapulari Carmeli, tum ad benedictionem, tum ad impositionem. *S. C. Indulg. 11 mart. 1897.*

Leo XIII convalidavit omnes rece-

ptiones invalide factas in bona fide cuicumque scapulari per rescriptum Sacrae Congregationis Propagandae Fidei *20 iulii 1884*. — Plura vide in Beringer *loc. cit.*

3633 **De inscriptione nominum aggregatorum in regesto.** — Receptio nonnullorum scapularium infert etiam receptionem passivam in respectivis confraternitatibus. Tunc ad validitatem necesse est, ut nomina inscribantur regesto confraternitatis (quod nunc valet iterum etiam pro scapulari B. Mariae Virginis de monte Carmelo, *S. C. Indulg. 27 apr. 1887*); sacerdos autem, qui habet indultum ab Apostolica Sede benedicendi scapularia, habet eo ipso facultatem eadem imponendi, et fideles ascribendi respectivis confraternitatibus, ita tamen, ut penes se habeat privatum regestum, et, quamprimum commode possit, transmittere teneatur ad superiores respectivae sodalitatis vicinioris (vel alterius cuiuscumque, *S. C. Indulg. 18 iun. 1898*) canonice erectae nomina receptorum, ut in album ipsius sodalitatis referantur. *S. C. Indulg. 26 ian. 1871.*

3634 **De facultatibus sacerdotis delegati ad benedicenda et imponenda scapularia.** — Patet, nullum sacerdotem gaudere potestate benedicendi et imponendi scapularia, nisi hoc ipsi permissum fuerit a S. Sede, vel a superiore generali illius ordinis, cui concessio scapularis et indulgentiarum ab ipsa S. Sede facta est; et sicut in aliis omnibus huiusmodi, ita et in hoc, ad ipsam validitatem debet quis limites indulti quoad locum, tempus etc. non transgredi. Cfr. *Decr. S. C. Indulg. 10 maii 1844.*

Notandum pariter est, eum, qui obtinuit facultatem benedicendi ac imponendi scapularia, non habere eo ipso facultatem commutandi obligationes commutabiles confratrum, nisi hoc ipsum expresse renuntietur in rescripto concessionis. *S. C. Indulg. 22 iun. 1842.*

Qui gaudent indulto imponendi scapularia non debent ad validitatem in impositione uti certa formula, sed debent solummodo non deficere in substantialibus, idest in beneditione ac impositione habitus ac in receptione ad confraternitatem. *S. C. Indulg. 24 aug. 1844, 18 aug. 1868.*

Quare sacerdos, qui brevi quadam formula scapulare benediceret (non autem signo tantummodo manus, *S. C. Indulg. 27 apr. 1887*), et brevi etiam formula illud fidelibus imponeret eosque quibuscumque verbis receptos in confraternitatem significaret, ac nomina transcribenda mitteret in album confraternitatis (Beringer *l. c. n. 8. h*; *2. p. sect. 4. §. 8. n. 2*), valide fideles inscriberet. In impositione scapularium, quae nullam infert receptionem in aliquam confraternitatem, non est necesse uti verbis, sed sufficit quaecumque externa significatio receptionis. Beringer *loc. cit. 2. p. sect. 4. §. 8. n. 2.*

Sacerdos, qui plures inscribere debet, potest unica benedictione, verbis in plurali numero immutatis, omnia scapularia benedicere et unica formula eadem fidelibus imponere. *S. C. Indulg. 5 febr. 1841, 11 apr. 1891.*

Quando sacerdos in ascriptione plurium unica formula utitur in numero plurali, debet eam recitare immedia-

te antequam scapularia imponere incipiat, ipsa scapularia in manibus retinens. *S. C. Indulg. 18 iun 1898.*

Quamvis autem melius mulieres et viri disiunctim, et duplici actu seu functione aggregentur, si tamen hoc fieri commode nequit, et unico actu promiscue viri cum mulieribus sint aggregandi, adhiberi potest formula generalis « Accipite hunc habitum etc. », quin ulla fiat mentio indirecta sexus recipientium. *S. C. Indulg. 18 iun. 1898.*

In impositione scapularium sacerdos, qui ea imponit, debet uti scapulari, quod sit benedictum, et quoad materiam, qua constat, et formam, quam habet, sit legitimum; secus ascriptio et consequens ius lucrandi indulgentias essent nulla. *S. C. Indulg. 18 sept. 1862.* Attamen unum idemque scapulare semel benedictum valide potest pluribus imponi per vicem, repetita solummodo super singulis receptionis sive impositionis formula. *S. C. Indulg. 18 aug. 1868.*

3635 **De metallico numismate pro lubitu fidelium scapularibus ex panno sufficiendo.** — SS. D. N. Pius X ut usus nomen dandi piis scapularibus ab ecclesia probatis et tot indulgentiis ditatis, qui adeo confert ad fidelium devotionem augendam in dies crescat, considerans obligationem deferendi scapularia ex panno ob multas et varias causas, praesertim munditiei, non parem devotioni scapularium officere, sapientissime constituere dignatus est;

« Omnibus fidelibus, tam uni quam pluribus veri nominis atque a Sancta Sede probatis scapularibus (exceptis quae tertiorum ordinum sunt propria), per regularem, ut aiunt, impositionem iam ascriptis aut in posterum ascribendis, licere posthac pro ipsis, sive uno sive pluribus scapularibus ex panno, unicum numisma ex metallo seu ad collum seu aliter, decenter tamen super propriam personam, deferre, quo, servatis propriis cuiusque eorum legibus, favores omnes spirituales (*sabbatino*, quod dicunt, scapularis B. V. M. de Monte Carmelo *privilegio* non excepto) omnesque indulgentias singulis annexas participare ac lucrari possint ac valeant;

Huius numismatis partem rectam, SSmi D. N. I. Ch. suum sacratissimum cor ostendentis, aversam Bmae Virginis Mariae effigiem referre debere.

Idem benedictum esse oportere tot distinctis benedictionibus, quot sunt scapularia regulariter imposita, queis, pro libitu petentium suffici velit.

Singulas has, demum, benedictiones impertiri posse *unico crucis signo*, vel in ipso ascriptionis actu, statim post absolutam regularem scapularis impositionem, vel etiam serius, pro petentium opportunitate, non interest an servato vel non diversarum ascriptionum ordine, nec quanto post temporis ab ipsis, a quovis sacerdote, etiam ab ascribente distincto, qui respectiva scapularia benedicendi sive ordinaria, sive delegata facultate polleat, firmis ceteroquin primitivae facultatis limitibus, clausulis et conditionibus.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus s. Officii, die 16 decembris 1910 ».

Huic decreto sequentes declarationes additae sunt:

« Circa numismata hucusque ad finem, de quo supra, benedicta et circa facultatem ea benedicendi a SS. Dno nostro directe vel per aliquod s. Selis officium, aut aliter quomodolibet iam concessam, idem SSmus mentem suam aperuit et quae sequuntur adamussim servanda mandavit:

1° Numismata a facultatem habentibus rite iam benedicta etiam in posterum scapularium loco gestari poterunt eo modo et sub iis conditionibus, quibus constitit factam esse potestatem:

2° Sacerdotes omnes, seculares vel regulares, etiam conspicua fulgentes dignitate, ne amplius numismata sic benedicendi utantur facultate, quinquennio ab illa obtenta transacto. Poterunt interea, etiamsi scapularia respective benedicendi non polleant facultate, numismata ubilibet benedicere; ea tamen lege, ut sive quod ad statutas eorum attinet imagines, sive quod ceteras respicit conditiones, praescriptionibus in supra relato decreto contentis omnino se conforment:

3° Qui porro subdelegandi praediti erant facultate, hac ipsa decreti et declarationum promulgatione, se illa noverint excidisse: satis enim per idem decretum iam spirituali fidelium emolumento provisum est.

Datum Romae ex aedibus s. Officii, die 16 dec. 1910 ».

3636 **De ascriptione militum ad scapulare B. M. V. de Monte Carmelo.** — SS. D. N. Pius X ad instantiam p. generalis Carmelitarum discalecatorum concessit, ut milites confraternitati s. scapularis B. V. Mariae de monte Carmelo aggregari possint illiusque indulgentias et gratias lucrari valeant, dummodo praefatum scapulare iam prius rite benedictum sibimetipsis imponant nec non aliquas fundant preces ad B. V. Mariam sicque in eiusdem B. Virginis protectione constituantur. *4 ian. 1908.* Quum quaedam incertitudo haberetur circa extensionem istius privilegii utrum scilicet omnes indistincte comprehenderet milites et utrum semper, an solos quosdam, vel tantum tempore belli aut quum in hospitalibus degerent, ad instantiam eiusdem p. generalis SS. Dnus hanc gratiam omnibus indistincte militibus expresse concessit. *30 mart. 1908.*

Notandum. — Approbatio alicuius sca- 3637
pularis nullam infert approbationem sive directam sive indirectam quarumcumque apparitionum, revelationum, gratiarum curationum aliorumque id genus, quae praedicto scapulari vel piae confraternitati quovis modo referri possint. Ita declaravit s. Congr. s. Officii relate ad scapulare ss. Cordis Iesu et confraternitatem nuncupatam a B. Maria V. Matre misericordiae et vulgo « de Pellevoisin » dictae. Cfr. Mon. eccl. (*vol. XVI. 433*), ubi hoc decretum sine data refertur.

Scapulare caeruleum. — Scapulare 3638
caeruleum seu scapulare B. M. Virginis Immaculatae, quod benedicitur et imponitur a patribus Theatinis multas habet annexas indulgentias, inter quas maximi momenti ea est, qua sodales recitantes sex Pater, Ave et Gloria in honorem SS. Trinitatis et Deiparare Virginis Immaculatae,

orando pro haeresum exstirpatione, exaltatione s. Matris ecclesiae, atque christianorum principum pace et concordia, omnes lucrifaciunt indulgentias septem basilicarum Romae, Portiunculae, Ierusalem et s. Iacobi de Compostella; et hoc quidem toties quoties, exceptis tantummodo tndulgentiis basilicarum Urbis, quae lucrari nequeunt toties quoties, nec lucrari possunt, nisi diebus stationum prout in missali Romano describuntur ex decreto Innocentii XI « Delatae saepius » *(7 mart 1678);* ad has autem omnes indulgentias lucrandas sufficit recitatio sex Pater Ave et Gloria, nec est necesse alias preces praeterea fundere, aut confessionem et communionem peragere; omnes autem sunt applicabiles animabus purgatorii. *S. C. Indulg. in una tertii ord. s. Franc. 14 apr. 1856.*

3639 **Schisma.** — Schisma dicit separationem et divisionem sive ab ecclesia, sive ab eius capite, sive ab utroque; quare qui schismata operantur, magnum et gloriosum corpus Christi scindunt et dividunt (S. Irenaeus).

Schisma *purum,* quod dicitur, consistit in mera separatione, quae praecipue fit habituali detrectatione obedientiae debitae iis, qui vel universam ecclesiam regunt vice Christi (Romanus Pontifex), vel partem gregis sibi demandatam sub pastore supremo pascunt et regunt.

Attamen ad habendum schisma episcopis denegari debet obedientia, non tamquam singulis, sed quatenus unum corpus efformant et constituunt ecclesiam Christi docentem et regentem.

Si quis autem (ut fere accidit), detrectata obedienta vel Romano Pontifici vel episcopis, simul externo actu manifestaret se ipsis detrectare obedientiam, quia eos auctoritatem in se habere nullam putet, is non tantum schismaticus, sed et haereticus esset. Cfr. Lugo *de fide disp. XXV. n. 35;* B. P. *VII. 278;* D'Ann. *Comm. in constit. « Ap. Sedis » num. 43.*

Schismatici autem ii pressius dicuntur, qui non solum detrectant obedientiam debitam, sed novos coetus ab unitatis centro separatos constituunt. B. P. *loc. cit.*

Schismatici, et hi, qui a Romani Pontificis pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt, excommunicationem latae sententiae R. P. specialiter reservatam incurrunt. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 3.*

Poenas contra schismaticos latas non incurrunt ii, qui a corpore quidem ecclesiae se separant, non tamen a capite (quod tamen vix fieri potest, et concipi forte nequit, nisi tempore sedis vacantis), et multo minus ii, qui se separant a proprio episcopo eique obedientiam denegant, quum hi vere schismatici non sint. Lugo *loc. cit. n. 36.*

Iuverit in praxi quoad schismaticos sequentes duas responsiones S. Congr. s. Officii referre.

Prima est: « Quoad praxim admittendi presbyteros et diaconos (e schismate ad catholicam ecclesiam redeuntes) ad exercitium suorum ordinum, postquam catholicam fidem susceperint, sequentia observanda sunt. Si sacerdos absolute dicat, se ordinatum fuisse cum manuum impositione

ac verborum prolatione, et nihil aliud obstet, poterit missionarius, postquam cum illo super irregularitate dispensaverit eumque ab excommunicatione absolverit, eum ad exercitium suorum ordinum admittere iuxta ritum approbatum et expurgatum, in quo fuit ordinatus. Si vero is sacerdos ingenue fateatur, se non recordari de materia et forma suae ordinationis, vel de una aut altera dubitare, non potest admitti ad exercitum suorum ordinum, donec sub conditione fuerit reordinatus. Tandem si absolute asserat vel manuum impositionem vel formae prolationem, sive utramque omissam fuisse, reordinandus erit absolute, antequam ad exercitium suorum ordinum admittatur ». *S. U. I. 19 apr. 1704.*

Altera est sequens, tribus quaesitis distincta, scilicet: « 1° An aliquando absolvi possint schismatici materiales, qui in bona fide versantur. — 2° An eisdem concedi possit saltem tacite, ut in propriis ecclesiis aliquando sacramenta recipiant, atque sacris functionibus assistant. — 3° An Bonifacius (confessarius scilicet, qui mulierem schismaticam, quae apud ipsum peregerat suam confessionem, quum deprehendit eam esse schismaticam, sed in bona fide constitutam absolvit, eique permisit ea, de quibus in 2° dubio quaestio est) bene revera egit, et quid ei consulendum ». Quibus quaesitis responsum est: « Ad 1. Quum scandalum nequeat vitari, negative, praeter mortis articulum, et tunc efficaciter remoto scandalo; Ad 2. negative: Ad 3. negative; et consulendum confessario, ut, praehabita licentia a pcenitente, ipsam opportune et caute moneat ». *S. U. I. 22 iul. 1898.* Cfr. Mon. eccl. *vol. X. p. 1 pag. 254* sgg. Vid. *Ceremoniae acatholicae*, *Haeresis* etc.

Tit. de schismaticis et ordinatis ab eis X. (V. 8); idem tit. (V. 3) in 6°; idem tit. (V. 4) in Clem.; Const. Pii II « Exsecrabilis » 28 ian. 1459; *Braun K.* De haereticis et schismaticis in genere; *Santarelli* Tract. de haeresi, schismate, apostasia, sollicitatione in sacramento poenitentiae; *De Ameno Sinistrari L.* De delictis et poenis; *Bordoni Fr.* Sacrum tribunal iudicum in causis sanctae fidei; *Del Bene Th.* De officio s. inquisitionis; *Cozza* De schismate ecclesiarum; reliquam bibliographiam quaere sub *Haeresis*, *Sanctum Officium*.

Scholae. — **De potestate ecclesiae in scholas christianorum.** — A scholarum directione in societate quadam christiana inter fideles, sive eae privato nomine et auctoritate, sive nomine publico fundentur et dirigantur, ecclesiam omnino alienam non esse certum est et indubitatum. Hinc damnata est in syllabo Pii IX sequens propositio sub n. 45: « Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili; et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati regnoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum ». 3640

Et re quidem vera, plura sunt ecclesiae iura, tum negativa, tum positiva, in scholas christianas. Patet enim ex fine ecclesiae et ex eius natura

societatis perfectae ius ipsi esse, ne societas civilis aliquid in scholis permittat, quod divino ecclesiae iuri praeiudicet; praeterea habet ecclesia positivum ius, ut societates civiles christianae, tamquam ei indirecte subordinatae, ea in scholis peragi curent, quae ad finem ecclesiae consequendum ecclesia ipsa peragenda iudicat. Cfr. Cavagnis *Inst. iur. publ. eccl. part. II lib. 2 num. 17 sqq.*; Lucidi *de vis. ss. lim. II in cap. 7. n. 206 sqq.*

Quare ecclesia iure merito potest non solum prohibere, ne societas civilis christiana aliquid in scholis pueros doceat, quod sit contra fidem et bonos mores; sed etiam praecipere aliquando potest, ut in scholis, e. g. elementaribus et primariis, adolescentuli doceantur principia fidei. Accidere enim potest, imo de facto in praxi hoc generatim accidit, ut, si in scholis elementaribus adolescentuli principia fidei seu catechismum non doceantur, difficillime ea alibi doceri possint. Porro haec ignorantia puerorum quoad res fidei maximo praeiudicio ecclesiae est. Hinc ad eam ignorantiam removendam potest ecclesia pro sua potestate indirecta societati civili praescribere, ut pueruli in scholis catechismum doceantur. Quum autem maximi momenti sit, ut pueri veritates fidei, non errores contra fidem, discant, ecclesiae ius est statuere quinam sint deputandi in scholis ad catechismum pueris explicandum, et a fortiori quaenam pueri doceri debeant; ecclesiae enim ius est exclusivum docendi fideles per suos ministros veritates fidei et authentico iudicio errores contra fidem configendi.

Hinc iure merito hae duae propositiones (*sub nn. 47. 48*) in syllabo Pii IX damnatae sunt: « Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusvis e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni ecclesiae auctoritate, moderatione, vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetati opinionum amussim. - Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam, ac terrenae socialis vitae fines tantummodo, vel saltem primario, spectet ».

Quum autem ecclesia sit vere societas perfecta, quae gaudet potestate legifera, iudiciaria et coactiva in suos, et haec potestas extendatur ad omne id, quod necessarium est ad eius finem plene consequendum; patet, posse ecclesiam interdicere fidelibus aditum ad eas scholas, in quibus periculum est perversionis vel quoad fidem vel quoad mores. Cavagnis *loc. cit.*

An parentibus christianis liceat filios suos ad scholas mittere, in quibus sit periculum perversionis. — Non solum lege ecclesiastica vetari potest, quominus fideles huiusmodi scholas frequentent, sed ipsa divina et naturali lege ab hoc christiani prohibentur; quare, nisi exstet ecclesiae prohibitio, tunc 3641

tantummodo huiusmodi scholae frequentari possunt, quum vel periculum perversionis remotum omnino sit, vel ex proximo remotum fiat. Quod expresse monuit sacra Congregatio s. Officii *instructione data ad episcopos Statuum Foeder. Am. Sept. 24 nov. 1875* (*Collect. Prop. Fid. ant. ed. n. 481*) his verbis: « Hoc autem periculum perversionis nisi e proximo remotum fiat, tales scholae tuta conscientia frequentari nequeunt. Id vel ipsa clamat lex naturalis et divina. Quare numquam licet has scholas frequentare, si in schola, de qua adeunda quaeritur, perversionis periculum sit eiusmodi, quod fieri remotum plane nequeat, veluti quoties ibi aut docentur quaedam aut aguntur catholicae doctrinae bonisve moribus contraria, quaeque citra animae detrimentum neque audiri possunt, nedum peragi. Enim vero tale periculum, ut per se patet, omnino vitandum est cum quocumque damno emporali etiam vitae ». *Instr. S. U. I. nuper citata;* Cfr. etiam *Instr. S. C. P. F. ad ep. Angliae 6 aug. 1867; Instr. S. U. I. ad episc. Graecos unitos 28 aug. 1900.*

Si vero periculum de proximo remotum fieri possit, et parentes curent, ut de facto remotum fiat, possunt profecto dari circumstantiae, quibus liceat parentibus ad huiusmodi scholas filios mittere; quod tunc praesertim accidere potest, quum in aliqua regione « ea tyrannide opprimantur catholici, ut ad scholas proprias idest catholicas adeundas, nulla iam illis aut pateat via aut suppetat facultas, ideoque in ea sint optione, ut vel necessaria domui suae studiorum subsidia deserant, publicumque ipsum regimen heterodoxis totum relinquant, aut scholas *mixtas,* utut invitissimi, subeant » (*Instr. S. U. I. ad episcopos Helvetiae 26 martii 1866*); vel etiam quando « vel nulla praesto est schola catholica, vel quae suppetit parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suae congruenterque adolescentibus ». *Instr. cit. S. U. I. 24 nov. 1875.*

Ne autem hac in re deceptioni locus sit pro parentibus, qui filios ad huiusmodi scholas etiam citra necessitatis casum mittant, monuit sacra Congregatio ad hoc faciendum debere parentes sufficientem causam habere, et in casu aliquo particulari iudicium de exsistentia vel non exsistentia huiusmodi causae episcopo relinquendum esse. *Instr. cit. S. U. I. 26 mart. 1866, 24 nov. 1875.* Cfr. etiam litt. emi card. Ledóchowski praef. S. C. P. F. ad quemdam epum Statuum foed. Am. sept. apud Mon. eccl. *vol. IX. p. 1. pag. 222.* Quare in casu, quo aliqua schola catholica convenienter erudiendis iuvenibus apta in loco praesto sit, et non adsint peculiares causae, quae in aliquo particulari casu contrarium suadeant, posset episcopus etiam lege lata iubere, ut parentes suos filios ad scholam catholicam, non ad alias, mittant.

Haec, quae praesertim locum habent, quum de scholis omnino haereticis aut catholicae religioni aperte et ex proposito infensis, seu de scholis *mixtis* sermo est, extendenda sunt, proportione facta, iis scholis, quae etsi catholicae fidei ex professo non

adversentur, ita tamen constituuntur, ut in illis ex omni secta magistri adhibeantur, ipsisque facultas tribuatur quidlibet erroris vel vitii teneris adolescentium mentibus infundere. Quod et in societatibus civilibus, quae catholicismi nomine gloriantur, aetate nostra non raro evenire videmus.

Hinc parentes, qui sinunt suos filios frequentare tales scholas, in quibus animarum ruina evitari non potest; vel qui, stante ecclesiasticae et legitimae auctoritatis prohibitione, sine ulla peculiari licentia, ad acatholicas scholas filios mittunt; vel qui cogunt filios eas scholas frequentare, in quibus perversionis periculum filiis immineat, etsi ex sufficienti causa id faciant, et non curant filiis invigilare, ut perversionis periculum de proximo fiat remotum, de lectionibus auditis eos interrogando, libros iisdem traditos recognoscendo, et si quid noxium in his deprehenderint, antidota praebendo, eos a consortio et familiaritate aliorum discipulorum, a quibus fidei vel morum periculum imminere ipsis possit, prohibendo; si contumaces fuerint, absolvi non posse in sacramento poenitentiae manifestum est. *Instr. cit. S. U. I. 24 nov. 1875;* B. P. *II. 828;* Génicot *Th. mor. vol. I. n. 342.*

Patet praeterea, parentes, qui ex iusta quoque causa filios ad eas scholas mittunt, in quibus, etsi nihil contra religionem adolescentuli doceantur, de religione tamen numquam sermo fit, curare stricta obligatione teneri, ut non solum exinde pueruli falsam sibi persuasionem non inducant vel a religione praescindi posse, vel eam magni momenti rem non esse, sed etiam ut de facto aliis mediis, pura Congregationes Marianas, scholas catechisticas etc. frequentando, ipsis succurratur, quibus et religionis dogmata ac praecepta cognoscant, et iis a prima aetate animum addicere et obsequi discant. Cfr. B. P. *loc. cit.* Cfr. etiam litteras SS. Domini Leonis XIII *ad emum Card. vicar.* « Tot inter » *26 iun. 1878;* « Nobilissima Gallorum » *8 februarii 1884;* Pii IX *ad arch. Friburgensem in Brisgovia 14 iul. 1864.*

Lex est per se, ut sicubi permittendae sint scholae mixtae, libri textus, ut vocantur, et magistri sint exclusive catholici, et ut minister haereticus seu schismaticus nullo modo in eas scholas admittatur. Quum episcopi orientales Graeci uniti multas quoad hoc paterentur difficultates, quum nec magistros catholicos nec libros a catholicis conscriptos praesto haberent, petierunt a sacra Congregatione s. Officii, quomodo se gererent. S. Congregatio dedit instructionem, quam superius citavimus, et quorum praecipua hic excerpta iuvat referre. 3642

Dicit igitur instructio: « Quum... ob peculiares loci circumstantias impediri non expediat alumnorum quoque schismaticorum ad scholas catholicas concursum; id eatenus tolerari posse memineris (instructio dirigitur ad unumquemque episcopum), quatenus ex huiusmodi promiscuitate et consortio nec schola desinat esse catholica, nec naturalis divinaeve legis iura pessumdari aut catholicorum alumnorum mores ac maxime fidem periclitari ullimode contingat. Quare in primis nullo pacto sinendum erit,

ut pro religiosa alumnorum schismaticorum institutione catechista schismaticus a catholicis scholarum moderatoribus deputetur, quamvis forte id sub tacita vel etiam expressa conditione fiat, ut catechista schismaticus (quod multo minus a catechista catholico exigi posset) ea tantum tradat, quae catholicae et schismaticae doctrinae sunt communia. Ne autem exinde schismaticorum querimoniis ansa praebeatur, poterunt catholici moderatores hac super re passive se habere, tolerare nimirum, ut alumni schismatici a catechistis schismaticis, propriis eorum expensis atque in loco, quantum fieri poterit, a scholis catholicis separato, instruantur; vel ut una cum catholicis doctrinam catholicam doceantur. Pariter permitti non potest, propter manifestum periculum, cui catholici adolescentes exponerentur, ut metaphysices vel ethices aliaeve his similes scientiae aut disciplinae a magistris non catholicis tradantur. - Auctoritas quippe praeceptorum, quae maxime in adolescentium animis valet (ut iam alias haec suprema congregatio annotabat) ad ea omnia approbanda, quae in iis vident ex iisve audiunt, naturali quadam vi eos rapit; quo fit, ut illorum erga religionem indifferentia, errores ipsi haereticales, catholicaeque religionis contemptus, venenato quodam halitu, tenella pectora inficiat, extinctoque calore omni pietatis, penitus corrumpat. E contra ad idiomata vel scientias naturales aut mathematicas aliasve, quae materiam a religione omnino distinctam habent, tradendas acatholicos praeceptores sub catholicorum moderatorum vigilantia adhibere per se illicitum non est; siquidem igitur ob peculiares loci circumstantias vera id necessitas exigat, tolerari potest, ut, adhibitis debitis cautionibus ad omnia pericula a catholicis adolescentibus propulsanda, eorum opera uti valeas. Quod demum spectat ad libros de re scilicet profana ab acatholicis conscriptos, urgente necessitate, iis uti per se non est prohibitum, dummodo tamen nullum contineant errorem, vel, si continebant, emendati fuerint ». *S. U. I. 28 aug. 1900.* - Vid. *Collegia.*

Tit. de magistris et ne quid exigatur pro licentia docendi X. (V. 3); Conc. Trid. sess. V. c. 1 de ref.; Const. Leon. X « Supernae dispositionis » 21 maii 1514; Const. Leon. X « Apostolici regiminis » 19 dec. 1519; brev. Pii IX ad arch. Friburgen. 14 iul. 1864; litt. Pii IX ad arch. Monac. et Frising. 23 mart. 1865; *Rebuffi P.* Tract. de privilegiis et immunitatibus universitatum; *Hunnius* De privilegiis studiorum; *Lansius* Comm. de academiis; *Losaei Nic.* Tract. de iure universitatum; *Escobar Alph.* De pontificia et regia iurisdictione in studiis generalibus; *Mendo* De iure academico; *Launoi* De scholis celebrioribus seu a Carolo M. seu post eumdem Carolum per occidentem instauratis; *Ioly* Traité historique des écoles épiscopales et ecclésiastiques; *Orti* Memorias hist. de la Universitad de Valencia; *Borsetti* Hist. Ferrariensis gymn.; *Sarti* De claris archigymnasii Bononiensis professoribus; *Fantuzzi* Notizie degli scrittori bolognesi; *Tiraboschi* Storia della letteratura italiana; *Gaertner* De iure summi pontificis in erectione academiarum German. cath.; *Wood* Histor. et. antiquit. univers. Oxoniensis; A history of the University of Cambridge; *Renazzi* Storia dell'università degli studii; *Bini* Memorie storiche della Pe-

rugina Università; *Colle* Storia dello studio di Padova; *Krummacher* Die christliche Volksschule im Bunde mit der Kirche; *Staudenmaier* Ueber das Wesen der Universität; *Huber* Die englischen Universitäten; *Krabbe C. F.* De obligatione parochi instruendi iuventutem parochiae suae saltem in rebus fidei et morum, et de scholis parochialibus; *Nussbaum* Die Beziehungen des christl. Schul- u. Erziehungswesens zur Kirche; *Mazzetti* Repertorio di tutti i professori ecc.; *Daniel Ch.* Des études classiques dans la société moderne; *Bähr* De literarum studiis a Carolo M. revocatis ac schola palatina instaurata; *Reithmayr* Ueber Idee und Ziel der Universitäten; *De Robbiano F. C.* De iure ecclesiae in universitates studiorum; *Lukas J.* Der Schulzwang e. Stück modern. Tyrannei; *Maitre L.* Les écoles épiscopales et monasticales de l'occident depuis Charles Magne jusqu'à Philippe Auguste 768-1180; *Laurie* Lectures on the rise and early constitution of universities; *Döllinger J.* Die Universitäten sonst u. jetzt; *Riess F.* Der modern. St. u. d. christl. Schule; *Knecht F. J.* Zur Verständigung in d. Schulreformfrage; *Anstey* Munimenta academica or Documents illustrative of Academical life and studies at Oxford,; *Majunke P.* Konfessionell o. konfessionslos?; *Sickinger K.* Die Kommunalschulen; *Majunke P.* Die konfessionslose Schule v. d. Richterstuhl d. Vernunft, d. Geschichte u. d. Gesetzes; *Zwerger J.* De Volksschule in ihr. Beziehung z. Familie, Kirche u. Staat; *Schmeidler* Die Hofschule u. die Hofakademie Karl d. Gross.; *v. Ketteler W. E.* Die Trennung d. Schule v. d. K.; *Arnold* Oxford and Cambridge, their Colleges etc.; *Knecht F. J.* Die Freiheit d. Unterrichts; *v. Hammerstein L.* Die Schulfrage; *Pachtler G. M.* Das göttl. Recht d. Fam. u. K. auf d. Schule; *Knecht F. J.* Die Staatserziehung ist in ihr. Folgen verwerflich; *Knecht F. J.* Die Staatserziehung ist im Prinzip verwerflich; *Gneist R.* Die Simultanschule; *Curi* L'università degli studii di Fermo; *Knecht F. J.* Die Lösung d. Schulfrage u. d. Canisiusverein; *Kämmel* Gesch. d. Schulwesens i. Uebergange v. Mittelalt. z. Neuzeit; *Pachtler G. M.* Die Reform unser. Gymnasien; *Denifle* Die Universitäten des Mittelalters bis 1400. Vol. I. (un.): Die Entstehung der Universitäten; *Schonlau* Geschichtl. Notizen über Volksschulen vom 9-14 Jahrh.; *Daisenberger* Die Volksschulen i. d. 2 Hälfte d. Mittela.; *Jansen A.* De facultate docendi seu de scholis institutiones iuridicae; *Newman* The idee of an university; *Denifle* Das erste Studienhaus der Benediktiner an der Universität Paris; *Maxwell Lyte* History of the Univers. of Oxford; *Rashdall* The origines of the university of Paris; *Denifle* Die Statuten der Juristen-Universität Bologna vom Jahre 1317-1347; *Friedländer et Malagola* Acta nationis Germanicae univers. Bononiensis; *Douarche* L'Université de Paris et les Jésuites; *Kaufmann G.* Die Gesch. d. deutsch. Universitäten; *Fitting* Anfänge der Rechtsschule in Bologna; *Baggiolini* Lo studio generale di Vercelli nel medio evo; *Kaufmann* Die Gesch. der deutschen Universitäten; *de la Fuente* Historia de las Universidades, colegios y demàs establecimentos de enseñanza en España; *Cassani* Dell'antico studio bolognese e sua origine; *Chiappelli* Lo studio bolognese nelle sue origini e nei suoi rapporti con la scienza preirneiana; *Malagola* Monografie storiche dello studio Bolognese; *Malagola* Statuti della università e dei collegi dello studio bolognese; *Denifle* Urkunden zur Gesch. der mittelalterlichen Universitäten; *Zaglia* Studi storici intorno ai rapporti fra la chiesa, la scuola, lo Stato; *Schupfer* Le origini dell'Università di Bologna; *Denifle* Ein Registrum der Prokuratoren der englischen Nation an der Universität Paris; *Denifle* Die päpstl. Dokumente für die Universität Salamanca; *Leonhard* Die Universität Bologna im Mittelalter; *Mullinger* A history of the University of Cambridg; *Peries*

La faculté de droit dans l'ancienne université de Paris ; *Courson* Cartulaire de l'univers. de Montpellier, t. I ; *Clark* The Colleges of Oxford, their history or their tradition ; *Holland* The origin of the Univers. of Oxford ; *Fournier* Les statuts et privilèges des universités françaises depuis leur fondation jusqu'en 1789, t. I ; *Denifle* Les Universités franç. au moyen-âge ; *Feret* Les origines de l'université de Paris et son organisation au XII^e^ et XIII^e^ siècle ; *Berlière* Les Collèges bénédictins aux universités du moyen-âge ; *Bulaens* Hist. univ. parisiensis ; *Courson* Vie du Card. Robert de Courson, chancelier de l'université de Paris; *Fournier* La faculté de décret de l'Université de Paris au XVI siècle ; *Feret* La faculté de théologie de Paris et ses docteurs les plus célébrés. Epoque moderne ; *Rashdall* The Universities of Europe in middle ages; *Paulsen F.* Gesch. d. gelehrt. Unterr. aus d. deutsch. Schulen u. Univ. v. Ausg. d. MAs. b. z. Gegenwart ; *Leach* English schools at the reformation 1546-98 ; *Duhr R.* Die Studienordnung d. Gesellschaft Jesu ; *Cathrein V.* K. u. Volksschule ; *Cavazza* Le scuole dell'antico studio bolognese; *Kiene J.* Die Volksschulfrage; *Salvioli* L'istruzione pubblica in Italia nei secoli 8°, 9°, e 10° ; *Pardi Gius.* Titoli dottorali conferiti dallo studio di Ferrara nei secoli 15° e 16° ; *Allain* L'Eglise et l'enseignement populaire sous l'ancien régime ; *Bertani Fel.* Sull'antico diritto degli arcivescovi di Milano di conferire lauree teologiche ; ap. punti storico-critico-giuridici; *Cauchie Alfr.* Les Universités d'autrefois. Paris et Bologne aux premiers temps de leur existence ; *Delègne R.* L'université de Paris (1224-1244); *Reynier G.* La vie universitaire dans l'ancienne Espagne ; *Tissot E.* La vie des Universités quattrocentistes ; *Paulsen F.* Die deutsch. Universitäten u. d. Universitätsstudium ; *Fournier M.-Dorez L.* La faculté de décret de l'Université de Paris au XVI siècle ; *Naumann I. F.* Der Streit d. Konfessionen um d. Schule ; *Mirbt* Die kath. theol. Fak. zu Marburg ; *Rein W.* K. Schule u. St. ; *Schiele F. M.* Religion u. Schule ; *Kriege W.* D. Simultanschule im Lichte der Wahrheit ; *Rösener K.* Im Kampf um d. Volksschule ; *Gallot* L'enseignement primaire à la fin de l'ancien régime et pendant la révolution ; *Fedele* Documenti pontifici riguardanti l'Università di Pisa.

Scientia. — Ad *ordines minores* exigitur intelligentia linguae latinae (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 11 de ref.*); ad *subdiaconatum* et *diaconatum,* aliqua eruditio in litteris, et scientia eorum, quae ad ordinem exercendum pertinent (Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 13 de ref.*); ad *sacerdotium,* ut sacerdotes sciant docere populum necessaria ad salutem, et sint idonei ad ministranda sacramenta. Conc. Trid. *sess. XXIII. cap. 14 de ref.*

Et haec quidem de iure communi pro clericis secularibus; pro regularibus enim quaedam addita sunt, ut mox videbimus. Imo etiam pro secularibus de iure Italiae speciali hae noviter factae sunt additiones. Scilicet SS. DD. Pius X prius litteris datis ad emum cardinalem Urbis vicarium (*5 maii 1904*) praescripsit ut Romae nemo ad sacerdotium promoveretur, nisi postquam quartum studii theologici annum perfecisset et in finali examine esset approbatus. Postea motu-proprio « Sacr. tridentina Synodus » (*16 iul. 1905*) statuit ut omnes qui Romae sacris ordinibus initiandi essent, iis tantum exceptis qui theologiae lauream in aliqua pontificia universitate essent consecuti, doctrinae periculum facerent in curia emi vicarii. Hoc autem periculum ad tonsuram et minores ordines iuxta

vigentem praxim fieret; ad ordines vero maiores praeter cognitionem eorum, quae ad ordines suscipiendos pertinent, proponerentur etiam tractationes aliquae de dogmatica theologia, una scilicet pro subdiaconatu, binae pro diaconatu, ternae pro presbyteratu addita pro hoc tractatione de ss. eucharistiae sacramento. Tractationes in examine semel propositae ab eodem candidato iterum in succedentibus examinibus proponi non possent. Tandem in normis ad instaurandam institutionem et disciplinam in seminariis Italiae a s. Congr. episcoporum et regularium (*kal. ian. a. 1908*) editis et a Pontifice approbatis praescriptum fuit ut ad tonsuram nemo promoveretur qui cursum propaedeuticae non frequentet, ad ordines minores nemo qui primo saltem anno theologiae vacaret, ad subdiaconatum nemo qui tertium theologiae annum non perfecerit, ad diaconatum nemo qui quartum theologiae annum ad festum saltem Paschatis non frequentaverit, ad presbyteratum demum nemo qui theologiae per quatuor integros annos non vacaverit. Circa hanc ultimam praescriptionem sequens dubium s. Congr. Consistoriali propositum est: « utrum ad effectum sacrae ordinationis studiorum anni expleti dici possint ad festum Pentecostes seu ssmae Trinitatis ». Et s. congregatio respondit: « Negative, sed requiri ut expleatur cursus scholasticus novem mensium cum examine finali feliciter emenso ». *S. C. Cons. 24 mart. 1911.*

8645 Pro *regularibus* statutum est, ut non admittantur ad subdiaconatum, nisi per annum, ad diaconatum nisi per biennium, ad presbyteratum nisi per triennium sacrae theologiae operam dederint, *praemisso* regulari aliorum studiorum curriculo. *S. C. EE. RR. 4 nov. 1892.* Vid. *Ordo.*

Circa articulum sextum citati decreti (*Auctis admodum 4 nov. 1892*) prodierunt etiam (*7 sept. 1909*) authenticae quaedam declarationes S. C. religiosorum, quas vide sub *Ordo*. Et nota hic eas non respicere Italiam tantum, sed ubique terrarum obligare; nec ad eis se conformanda teneri tantummodo instituta stricte religiosa, sed eas quoque religiosas congregationes, in quibus alumni ligantur simplici promissione perseverantiae, nec posse totum cursum theologiae tribus tantum annis comprehendi, etiam pressius aucto studiorum conatu, sed eum per quatuor integros annos academicos, scilicet per quadraginta quinque menses integros, computatis vacationibus trium priorum annorum, semper protrahi debere. *S. C. de rel. 31 maii 1910.*

Etiam ad hoc, ut quis secundum 3646
ius promoveatur ad *dignitates*, et ecclesiasticam iurisdictionem acquirat, requiritur aliquis scientiae gradus.

Sic promovendus ad *episcopatum* ex Tridentino (*sess. XXII. c. 2 de ref.*; cfr. etiam *Const.* Greg. XIV « Onus Apostolicae » *15 maii 1591*) debet esse doctor aut licentiatus in theologia vel iure canonico (at doctoratus non receptus in publica Universitate sed ex privilegio habitus non sufficit, Conc. Trid. *ed. Richter sess. XXII. c. 2 de ref.*), vel saltem ab aliqua academia debet renunciari

idoneus ad alios docendos (pro regulari sufficit ut talis renuncietur a superioribus sui ordinis, Conc. Trident. *loc. cit.*). - Vide tamen *Doctoratus.*

Promovendus ad *praebendam theologalem* ex eodem Tridentino (*sess. V. c. 1 de ref.*) debet suo muneri posse per se satisfacere; secus est nulla provisio; Benedictus XIII (*Const.* « Pastoralis » *XIV kal. iun. 1725*) pro Italia et insulis adiacentibus statuit, ut sit doctor in theologia vel infra annum debeat lauream suscipere.

Promovendus in *canonicum poenitentiarium* debet esse, ex eodem Trid. (*sess. XXIV. c. 8 de ref.*) doctor vel licentiatus in theologia vel iure canonico seu alius, qui aptior pro qualitate loci reperiatur (in Italia, ex constitutione citata Benedicti XIII debet esse doctor, aut is, qui intra annum doctoratum suscipiat, Vid. *Canonicus poenitentiarius*).

Imo ex Tridentino (*sess. XXIV. c. 12 de ref.*) generatim dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus et collegialibus insignibus conferri debent magistris et doctoribus vel licentiatis in theologia aut in iure canonico.

Pro vicario generali, Vid. *Vicarius generalis;* pro capitulari, Vid. *Vicarius capitularis.*

3647 *Confessarius* tenetur sub gravi scire ea omnia, quae ad munus suum rite obeundum requiruntur. D'Ann. *III. 330. 6.* Sufficit tamen si noverit, quae frequenter accidunt, et de aliis sciat dubitare. Lugo *de poen. disp. XXI. n. 70.*

De scientia necessaria ad incurrendam reservationem, Vid. *Reservatio casuum;* ad incurrendam censuram, Vid. *Censura;* ad incurrendam irregularitatem, Vid. *Irregularitas.*

Scriba. — Scriba ille est, qui scripto 3648
refert testimonia, iudicum sententias, et alia omnia, quae in tribunalibus peraguntur. Variis modis iustitiam laedere potest. G. B. *I. 969.*

Eius praecipua officia sic recenset Busembaum: tenetur arcanum non prodere, sententiam nondum publicatam non manifestare, processus aut sententias custodire, nec eas partibus sine praescripto iudicis ostendere, testimonia fideliter transcribere non exaggerando vel imminuendo, non immutando aut invertendo.

Scriptura sacra. — Vid. *Sacra Scriptura.*

Scrupulosus. — Praecipua regula 3649
pro scrupulosis ad scrupulos abigendos, qui generatim, si diuturni sint, hominem exponunt ad gravia pericula spiritualia, est obedientia summa et coeca confessario praestanda, quam confessarius fortiter et suaviter exigat a poenitente, cui animum adiiciat, et quem ad orationem impellat. S. Alph. *I. 11 sqq.*

Sculpere. — Sculpere diebus festis 3650
non licet, quia sculptura inter artes mechanicas communiter habetur (Salmanticenses *Th. mor. tr. XXIII cap. 1. n. 228*), at sculpendo ultimam operi manum admovere licet. D'Ann. *III. 121 (8).*

Secretariae Curiae. — ***De secretaria Status.*** — Maxime consentaneum est 3651
ut in gravissimis ecclesiae et status negotiis Romani Pontifices, quemadmodum seculares principes, pro regimine sui status uterentur opera ali-

cuius, cui maxime fiderent. Hinc introductus fuit mos cardinalium nepotum, qui quamvis non essent in ordine hierarchico officialium ac magistratuum romanae curiae, erant tamen maximae auctoritatis propter magnum influxum, quem in Pontificem exercebant.

Cardinalibus nepotibus, praesertim post constitutionem Innocentii XII « Romanum decet Pontificem » 22 iun. 1692, quae nepotismo finem imposuit, feliciter successerunt secretarii status, qui proinde sunt viri, quibus Pontifex maximam suam fidem committit. Hinc est quod, defuncto Pontifice, ipsi a munere cessant. Titulus, quem cardinales nepotes gerebant, scilicet « Secretarius Papae et superintendens status ecclesiastici » idipsum confirmat et explicat.

Ante constitutionem « Sapienti consilio » constitutio secretariae status simplicissima erat. Habebatur enim praeter cardinalem secretarium unus tantummodo officialis ex maioribus praelatis, qui substitutus dicebatur et simul erat secretarius cifrae, praeter nunnullos scriptores et officiales subalternos.

Nunc secretaria status tripartita est, prout clare explicat ipsa constitutio piana his verbis:

« Officium hoc, cuius est supremus moderator cardinalis *a secretis Status,* hoc est a publicis negotiis, triplici parte constabit. Prima pars in negotiis extraordinariis versabitur, quae congregationi iisdem praepositae examinanda subiici debent, ceteris, pro diversa eorum natura, ad peculiares congregationes remissis: altera in ordinaria negotia incumbet, ad eamque, inter cetera, pertinebit honoris insignia quaeque concedere tum ecclesiastica tum civilia, iis demptis quae antistiti pontificali domui praeposito sunt reservata; tertia expeditioni apostolicorum brevium, quae a variis congregationibus ei committuntur, vacabit. – Primae praeerit *Secretarius* congregationis pro negotiis extraordinariis; alteri *Substitutus* pro negotiis ordinariis; tertiae *Cancellarius* brevium apostolicorum. Inter harum partium praesides primus est *Secretarius* sacrae congregationis negotiis extraordinariis praepositae, alter *Substitutus* pro ordinariis negotiis ».

Qua Secretaria status stricte dicta eius munus est praecipue agere cum imperatoribus, regibus et principibus civilibus seu moderatoribus supremis rerum publicarum sive per nuntios apostolicos sive per speciales legatos. Pariter omnis rerum tractatio, quae a S. Sede fit cum repraesentantibus principum seu ipsorum legatis per secretariam vel potius per cardinalem a secretis Status peragitur. Negotia autem huiusmodi maiora expediuntur praevia consultatione s. congregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae.

Pariter per secretarium Status distribuit Pontifex munera curiae suosque officiales eligit.

Nunc autem secretaria status, qua secretaria brevium, curat expeditionem brevium apostolicorum. Iam saeculo XV vel etiam XIV habitum est collegium quoddam secretariorum apostolicorum, sed secretaria bre-

vium primum obtinuit constitutionem, quam retinuit hucusque, quum Innocentius XI, abolitis officiis venalibus secretariorum apostolicorum, constitutione sua « Rom. Pontifex » 1 apr. 1678 unum statuit secretarium brevium.

3652 ***De secretaria brevium ad principes.*** — Quando Innocentius XI statuit unum secretarium brevium, eadem constitutione statuit quoque secretarium et proinde secretariam brevium ad principes ab altera distinctam. Secretarius iste praelatus est, eiusque munus consistit in conscribendis brevibus pontificiis ad reges, principes aliosque magnae nobilitatis viros. Ipse generatim componit latinas allocutiones, quas Pontifex in consistorio habet, et saepe etiam encyclicas aut litteras apostolicas, quas Pontifex mittit ad episcopos vel ad populum fidelem. Habet sub se duos studii adiutores. Ut ex ipsa ratione officii exigitur, vir est in latinis litteris apprime excultus.

3653 ***De secretaria epistolarum latinarum.*** — Secretarius litterarum latinarum est etiam praelatus curiae vel cubicularis Romani Pontificis. Eius munus proprie consistit in scribendis litteris, forma scilicet minus solemni, ad reges, principes et alios, ad quos Pontifex scribere vult. Quum et ipse vir sit peritissimus latinae linguae, Pontifex eius opera saepe utitur ad alios etiam actus latine conscribendos.

Etiam secretario a litteri latinis datur studii adiutor.

Thomasii Th. Privilegia collegii secretariorum apostolicorum; *Lupardi B.* Discorso sopra la soppressione dei segretarii apostolici fatto da Innocenzo XI; *An.* Discursus circa bullam meditatam ab Innocentio X, adversus nepotismum.

Secretum. — De natura et divisionibus secreti. — Secretum in re morali dicitur quidquid vel ex natura sua, vel ex speciali contractu, occultum servari debet. G. B. *I. 468.* 3654

Triplex distinguitur secretum:

a) ***naturale,*** quod ab ipsa natura imponitur, ut ecce non manifestare peccata gravia alterius, quae solus cognoscis;

b) ***promissum,*** ut ecce si aliquid ab alio resciveris, quod postea te non revelaturum ipsi promiseris;

c) ***commissum,*** ut ecce si quid alter tibi manifestaverit, tacite vel expresse silentium circa illud exigens. Salmanticenses *Th. mor. tr. XXVII. c. 1. n. 32;* Lugo *de iust. et iure disp. XIV. n. 135.* Secretum commissum illud quoque est, quo tenentur theologi circa aliquem casum interrogati, medici, obstetrices, advocati etc. in multis, quae ipsorum fidei tacite commituntur ad consilium vel auxilium petendum. Salmanticenses *loc. cit. n. 37.*

De obligatione secreti et de causis ab ea excusantibus. — In re gravi secretum quodlibet, excepto secreto promisso, si te volueris tantum ex fidelitate obligare, obligat per se sub gravi. D'Ann. *II. 269.* Commissum, est omnium strictissimum (ideoque rigorosum etiam dicitur), quia eius obligatio ex iustitia provenit ex contractu oneroso. B. P. *II. 1085.* 3655

Dantur tamen causae iustae secretum revelandi (S. Alph. *III. 971*),

quae quoad commissum, si excipias consensum expressum, vel tacitum, sed omnino certum (ut ex. gr. ad vitandum aliquod grave damnum ipsius committentis, S. Alph. *loc. cit.*) illius, qui secretum commisit, reducuntur ad hanc, quod committens ipse teneatur prodere suum secretum. B. P. *II. 1086.* Et tanti momenti est servare secretum commissum, ut ne iudici quidem percontanti aperiri illud possit, et reticendum sit, etsi quis interposito iuramento testimonium proferre cogatur. *S. Poen. 21 aug. 1830.*

Leve existimatur secretum revelare uni tantum vel alteri viro probo et taciturno (S. Alph. *loc. cit.*, imo ne leve quidem est, si ex iusta causa fiat, ut consilii petendi causa vel afflicti animi leniendi, Lugo *de iust. et de iure disp. XIV. n. 147*), eo excepto, cui quis illud maxime celari vult. Salmanticenses *l. c. n. 42*; S. Alph. *l. c.*

Attamen nota, quod, etsi quis secretum commissum quacumque ex causa (ea excepta, de qua supra diximus) uni tantum personae revelet, si haec non sit certo secretum retentura, vel ea sit, quae ex secreti notitia aliquod committenti probabiliter inferat damnum, peccatum grave admittit.

Secretum promissum aliquando ex sola fidelitate, aliquando etiam ex iustitia obligat (Lugo *de iust. et iure disp. XIV. n. 140*); et unusquisque debet illud servare, nec manifestare illud potest, nisi in iis casibus (et tunc manifestare debet), in quibus alias rem illam sub secreto cognitam tenebatur manifestare, ut si quis legitime in iudicio a iudice interrogaretur. Lugo *l. c. n. 141.*

An liceat alienas litteras resignare aut resignatas legere. — Grave est alterius litteras resignare (Lugo *loc. cit. n. 148*) praeterquam ex praesumpta domini voluntate (S. Alph. *V. 70*), vel quia levia continere putantur (B. P. *II. 1088*), vel ad damnum publicum aut privatum avertendum. Lugo *loc. cit. n. 103.* 3656

Superiores quoque communitatum, ut collegiorum, ordinum religiosorum, etc., legere possunt litteras, quas subditi aliis (exceptis superioribus mediatis, ut episcopis aut generali) mittunt, imo et eas, quae subditis mittuntur (subditi enim iuri suo quoad hoc, *in quantum possunt,* cesserunt), nisi in iis, quae subditis mittuntur, aliquod sit secretum, quod sive ex praesumptione (ut si ageretur de aliquo secreto conscientiae), sive ex expressa declaratione scribens nollet omnino ab alio cognosci, praeterquam ab eo, cui litteras dat. Attamen in hoc casu posset superior, generatim loquendo, litteras ipsi scribenti remittere, vel dilacerare, et subdito non reddere. Cfr. Lugo *l. c. n. 148.*

Nec solum alterius litterae resignari nequeunt, sed et resignatae ab eo, cui missae sunt, non possunt ab alio legi, quousque ille clauso et abdito loco eas custodit, etiamsi per accidens locum illum apertum reliquerit. Lugo *loc. nuper cit.* Quid si quis litteras alterius ab eo dilaceratas ac proiectas, frustulis recompositis, legeret? Et nonnulli negant hoc licere vel saltem id probabilius habent (S. Alph. *V. 70*; D'Ann. *II. 270. 14*), alii affirmant. Lugo *loc. cit. n. 150*; B. P. *II. 1088.*

Quod de litteris diximus, et de aliis

scriptis dicendum est, in quibus alterius secreta continentur. B. P. *loc. nuper cit.*

3657 **An liceat aliena secreta expiscari.** — Nota, non solum prohibitum esse secreta aliorum cognita divulgare, sed illicitum quoque esse ea expiscari seu explorare vel extorquere, quamvis ea cognita revelare quis nolit. Lugo *l. c. n. 144.* D'Ann. *II. 270.* Ratio est, quia hoc perinde est, ac aliquod a domini possessione, ipso invito, extrahere, seu rem suam domino eripere. Lugo *loc. cit.*; D'Ann. *loc. cit.*

3658 **An liceat uti notitia alieni criminis, quam quis iniuste assecutus est.** — Probabilius ad vitandum grave tuum damnum potes crimen occultum alterius revelare, cuius notitiam acceperis iniuste per vim aut fraudem, quum eo devenisti, ut propter necessitatem posses eam quocumque modo procurare. Lugo *loc. cit. n. 101.*

3659 **De praelato cognoscente secretum delictum subditi ex delatione fraterna sub secreto ei facta.** — Notanda sunt quoad hoc sequentia ex Lugo (*l. c. n. 117*), scilicet: « Quinto principaliter quaeri potest, an quando praelatus novit delictum secretum subditi, quod sub secreto ad ipsum delatum est, ut remedium adhibeat tamquam pater, et non ut ad iudicem, possit notitiam illam aliis communicare in ordine ad idem remedium adhibendum, de quo actum et disputatum accurate fuit in nostra Societate in congregatione 6ª generali decreto 33º, et declaratum fuit:

Praelatum in primis ita secretum servare debere, ut deferentem nulli revelet sine eius consensu (quem interdum dare tenebitur), et ita ut superior semper deferentis indemnitati consulat.

Deinde nulli posse delatum revelare, qui prodesse non possit fini delationis paternae, qui finis est profectus spiritualis subditorum et bonum commune religionis, quibus superior debet paterne providere. Quando autem ad hunc finem oportuerit aliis delatum revelare, id fieri debet cum eo minori delati detrimento, quo fieri possit.

Tertio, posse praelatum, quando id ad remedium utile valde esset, consulere alios, qui suo consilio et directione iuvare possint, imponendo eis similiter secretum.

Quarto posse unum praelatum, re id postulante, ad praedictum finem rem sic delatam alteri praelato eiusdem delati notam facere.

Quinto, ut maiori cum cautela procedatur, petendum esse ab ipso deferente, non quidem ut delationem subscribat (id enim ad iudicialem, non ad paternam delationem deservit), sed ut patiatur consultoribus rem sub secreto communicari, tacito tamen nomine deferentis.

Sexto, posse praelatum ad eumdem finem facere secreto quaecumque iudicaverit expedire ad remedium profectumque delati citra eius infamiam, ut monere privatim, reprehendere, terrere minis, diligentius circa ipsum invigilare, mutare illum loco, praevenire occasiones, cavere a recidivo, non admittere ad aliquod officium, removere ab officio, quod habet, si sine violatione secreti sub alia probabili et apparenti occasione id fieri possit.

Septimo, aliqua ex sic delatis publicare in aliquibus domesticis et communibus reprehensionibus, v. gr. defectus leves et communes subditorum, impositis poenitentiis ordinariis secundum communem Societatis praxim, dummodo non afferant delato infamiam alicuius momenti, et quoad fieri possit, consensus habeatur deferentis, et sine ullo eius detrimento fiat.

Denique, posse superiorem interdum ex illa notitia paterna venire ad dimissionem delati ex Societate; ita tamen ut talis defectus aliis non manifestetur, vel in specie, vel in genere; sed alias notas non sibi sub tali secreto commissas apponat, vel certe nihil dicat, nec det occasionem credendi, quod aliquid tale imponatur in poenam delicti, quod sub secreto accipit per denunciationem paternam.

Haec ibi a patribus doctissimis congregatis declarata et approbata fuerunt; quae omnia sunt verissima; quia finis paternae delationis ad omnia extenditur, quae necessaria sunt, non quidem ad punitionem et vindictam, sed ad consulendum bono delati et bono communis religionis, quae duo pertinent ad paternam praelati et patris prudentiam.

Secretum autem commissum in praedicto casu non acquirit ius aliquod delato, sed deferenti, qui voluit secreti ius retinere; quare eius solius consensus desideratur ad utendum tali notitia, quem tamen consensum ipse plerumque dare tenebitur, ad ea scilicet, quae sine gravi suo detrimento necessaria videntur ad bonum delati vel ad bonum commune religionis ». Cfr. quoad hoc etiam Monitore eccles. *vol. IX pag. 316 sqq.*

Secta. — Hoc nomine in constitutionibus Romanorum Pontificum eae veniunt associationes, quae contra ecclesiam vel legitimum gubernium aliquid machinantur. B. P. *VII. 302.* 3660

Nomen autem dantes huiusmodi sectis (ut sunt secta Massonica, Carbonaria etc., cfr. *Instr. S. U. I. de secta Massonum 10 maii 1884*), aut his similibus « ut ecce, ait D'Annibale (*in comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 117* [5]), Societates biblicae (Pius VII. *1 iun. et 4 sept. 1816*; Leo XII. 3 *maii 1824*; Pius IX *Const.* « Qui pluribus » *a. 1846*), societates clerico-liberales (*S. U. I. 12 ian. 1870*), societates veterum catholicorum, societates, quae communismum, socialismum, internationalismum, nihilismum profitentur (Pius IX *Encycl. 8 dec. 1849*; *Const.* « Multiplices inter » *10 iun. 1851*: *Alloc.* « Multiplices inter » *25 sept. 1865*; *Syllab.* § *4*). Fenianorum (*S. U. I. 12 ian. 1870*; huc spectare etiam societatem secretam Old Fellows s. Congregatio de Propag. Fide declaravit *10 maii 1898*), vel iis favorem qualemcumque praestantes, eorumve occultos coryphaeos et duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint, incurrunt excommunicationem l. s. R. P. simpliciter reservatam ». *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 2. n. 4.*

Secularizatio. — **De eius natura.** — Secularizatio est facultas, quam S. Sedes ex gravibus causis aliquando religioso alicui solemniter professo concedit, monasterium seu ordinem relinquendi et vivendi in seculo (Lu- 3661

cidi *de visit. sacr. liminum II. 33*), habito assumpto presbyteri secularis, si sit in sacris ordinibus constitutus, vel saltem habitu decenti, si sit clericus vel laicus. Santi *in tit. 35 lib. III Decr. n. 15.*

Aliquando hoc indultum conceditur ad tempus quoddam certum, sed tunc non habetur stricte dicta secularizatio; et aliquando datur sub conditione retinendi habitum proprium sui ordinis, si quem ordo ille habeat. Santi *loc. nuper cit.*.

3662 **De eius effectibus.** — Per indultum verae secularizationis Romanus Pontifex abrumpit vinculum, quo per solemnem professionem regularis ligabatur suo ordini (B. P. *IV. 204*), sed nullo modo attingit verum statum religiosum, in quo firmiter constitutus fuit regularis per professionem. Bouix *de iur. reg. II. p. 6. c. 4. q. 3.* Imo ordinarie in indulto secularizationis ponitur clausula, ut secularizatus debeat obedire etiam in vi voti obedientiae ordinario loci, in quo degit (Bouix *loc. nuper cit.*), et si fuerit clericus minor vel laicus, expresse edicitur, quod firmum remanere debet votum castitatis. Santi *loc. cit.*

Secularizatus tamen, quum nullum amplius vinculum cum ordine retineat, non tenetur servare ordinis regulas (Cfr. Sanchez *in Dec. lib. VI cap. 9 num. 52 sqq.*), sed, si praeter tria vota substantialia, alia emiserit, quibus per egressum ab ordine materia non desit, et haec, iuxta quosdam, debet servare. Cfr. tamen Sanchez *in Dec. lib. VI. c. 7. n. 32*; B. P. *IV. 205.*

3663 **Quid circa votum paupertatis.** — Quoad votum paupertas regularis secularizatus potest in honestos et licitos usus adhibere bona, quae ei obveniunt, sed eorum perfectum dominium non habet; quare de his sine licentia Sedis Apostolicae disponere nequit, praesertim per testamentum, sed cedunt Camerae spoliorum. Bouix *loc. cit. 2°.*

Quoad hoc habe sequens decretum s. congr. episcoporum et regularium (*4 ian. 1862*), scilicet:

« 1° Monachus, etiam perpetuo et absoluto secularizationis apostolico indulto praeditus, non potest de bonis disponere absque Ap. Sedis speciali beneplacito.

2° Si dicto indulto disponendi careat, vel eo legitime usus non sit, distinguendum est inter bona ab eo relicta: scilicet, bona quae monasterii erant, secumque e claustro egrediens ipse attulerat, vel ei utcumque obvenerunt, quemadmodum et bona, si quae habebat, ex illis provenientia suo monasterio manent. Quoad autem cetera bona a tali monacho extra claustra, aliter quam ex bonis ad religionem pertinentibus, acquisita, iudicandum de iis est iuxta const. Gregorii XIII « Officii nostri », ubi dicta constitutio viget (haec constitutio Gregoriana bona regularium extra claustra degentium, undecumque venerunt, sub spoliorum nomine ad Cameram apostolicam pertinere constituit).

3° Ius succedendi hereditati monachi professi decedentis extra claustra, qui apostolicum indultum obtinuit manendi extra claustra ad tempus, retento habitu, vel veste sui

ordinis dimissa, ad eius monasterium spectat ».

3664 **De inhabilitate ad beneficia et officia** — Praeterea secularizatus sine novo indulto Sedis Apostolicae nequit assequi beneficia ecclesiastica, quae, si eidem conferantur, nulliter conferuntur, ita ut recurrere debeat ad S. Sedem pro sanatione, revalidatione, habilitatione et facultate. *S. C. super disc. reg. 31 ian. 1899 ;* Santi *loc. cit.*

Novissime vero sequens magni momenti decretum prodiit ex s. congregatione de religiosis :

« Quum minoris esse soleat aedificationis, salvis extraordinariis nonnullis casibus, quod in officiis dioecesanis eminere conspiciantur, qui, vel in aliquo ordine regulari vota solemnia professi, indultum secularizationis sive perpetuae sive ad tempus obtinuerint, vel in instituto aliquo religioso, emissis votis perpetuis, ab istis dispensati fuerint ; ne alii inde religiosi induci possint, ut varios egrediendi claustra praetextus exquirant, quod nimis frequens accidere experientia docet, sanctissimus Dominus noster Pius Papa decimus decernere dignatus est, ut omnibus deinceps rescriptis, quibus secularizatio perpetua, vel ad tempus, aut votorum perpetuorum relaxatio, prout supra, sacerdotibus et clericis in sacris ordinibus constitutis conceditur, annexae intendantur, licet non expressae, sequentes clausulae, quarum dispensatio Sanctae Sedi reservatur :

Vetitis, absque novo et speciali Sanctae Sedis indulto :

1° quolibet officio, et quoad eos qui ad beneficia habilitati sunt, quolibet beneficio in basilicis maioribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus ;

2° quolibet magisterio et officio in seminariis clericalibus maioribus et minoribus aliisque institutis, in quibus clerici educantur, nec non in universitatibus et institutis quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos in re philosophica, theologica et canonica ;

3° quocumque officio vel munere in curiis episcopalibus ;

4° officio visitatoris et moderatoris domorum religiosorum utriusque sexus, etiamsi agatur de congregationibus mere dioecesanis ;

5° habituali domicilio in locis, ubi exstat conventus, vel domus religiosa provinciae, vel missionis, cui sacerdos vel clericus secularizatus, vel a votis perpetuis solutus, ut supra, ascriptus erat.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 15 iunii 1909 ».

Nota autem superius decretum afficere etiam sacerdotes et clericos in sacris constitutos, qui non quidem professionem votorum perpetuorum, sed vel temporalium tantum vel iuramentum perseverantiae vel peculiares quasdam promissiones, ad normam suarum constitutionum, ediderunt iisdemque per sex integros annos fuerunt ligati et tandem ab eisdem dispensationem obtineant. *S. C. Rel. decr. sine data in Act. Ap. Sedis II pag. 232.*

3665 **De secularizato relate ad exercitium sacri ministerii.** — Religiosus secularizatus, nisi sit aliqua speciali censura irre-

titus, nulla indiget nova facultate, ut sacris ministeriis episcopi auctoritate in respectiva dioecesi possit vacare. *S. C. super disc. reg. 16 aug. 1898.* Nam ipse non manet suspensus per egressum a suo ordine, donec episcopum benevolum receptorem invenerit et de ecclesiastico patrimonio sibi providerit, quemadmodum statutum est pro solemniter professis aut pro religiosis votorum simplicium, qui e suo ordine expulsi vel dimissi sunt. Cfr. *decr. nuper cit. S. Congr. super disc. reg.*

3666 **De reditu ad ordinem.** — Illi, qui habent huiusmodi indulta secularizationis, nullo modo obligantur reditum ad ordinem suum efflagitare aut procurare (B. P. *IV. 204*), et, si quando petunt ad claustra redire, non tenentur professionem et novitiatum reiterare, salva tamen consuetudine legitime introducta atque praescripta singulorum ordinum regularium; possunt tamen per superiores religiosos exquiri congrua documenta anteactae vitae et morum, dum in seculo versabantur, et obligari ad spiritualia exercitia peragenda. *S. C. EE. RR. 30 ian. 1824.*

Praeterea notandum est, anterioritatem religiosorum, qui perpetuae secularizationis indultum consecuti sunt, computandam esse a die reditus in religionem. *S. C. EE. RR. 30 apr. 1838.* Cfr. Lucidi *de visit. ss. lim. II cap. 4. n. 33 sqq.*

Const. Greg. XIII « Officii » 21 ian. 1577; *Guarini* Se il religioso secolarizzato possa acquistare e disporre dell'acquisto fuori del chiostro; *Schmid B.* Wirkungen d. Säkularisierung; *Schmid B.* Laisierung d. Ordenspersonen; *A Parma Aloisius* De saecularizatis et saecularizandis instructio; *Pillet A.* Une question actuelle: De la sécularisation des religieux; *Touchet M.* La sécularisation des congréganistes devant le droit canon.; *Descotes* Les religieux sécularisés devant la justice; *Achard A.* La sécularisation des religieux d'après la loi et la jurisprudence.

Secunda intentio. — Secunda in- 3667
tentio relate ad applicationem missae dicitur dupliciter. Vel enim significat intentionem quamdam conditionatam, qua sacerdos ita pro aliquo sacrificium offert, ut dubitans an missa utilis futura sit ei, cui applicatur, velit, in hypothesi negante, alium fructu eiusdem sacrificii frui; vel (quod magis ordinarie fit) significat sacerdotem pro aliquo velle absolute missam celebrare (et hoc vulgo dicitur missam celebrare in *prima* intentione), ita tamen ut fructu sacrificii alter secundario fruatur sine praeiudicio primi. Id licite fieri etiam in missis ex stipendio debitis patet. Cfr. B. P. *IV. 1048*; Gasparri *de ss. eucharistia 1. 490 sqq.* Hoc praecipue valet in sententia eorum, qui volunt missae fructum esse extensive infinitum; et tunc licite posset etiam applicari missa pro tertia quadam persona in tertia intentione, et ita porro. In sententia contraria haec *secunda intentio* reducitur ad quamdam particularem orationem seu mentionem pro aliquo in missae sacrificio.

Ex eo autem, quod probabilis est sententia asserentium fructum missae esse extensive infinitum, infert Gasparri (*loc. cit. I. 493*) posse aliquem obligationibus praeter iustitiam (v.

gr. ex promissione, ex praecepto superioris, etc.) satisfacere, missam applicando in secunda intentione. Vid. *Sacrificium.*

3668 **Secundae nuptiae.** — Secundae nuptiae, etsi minus honorabiles, permissae sunt, et contrarium haereticum est. *Rom. VII. 2 sqq.; I. Cor. VII. 39.* Imo non solum secundae sed ne ulteriores quidem nuptiae illicitae habendae sunt. Inn. III *prof. fidei Waldensibus praescript.;* Greg. X *prof. fidei Mich. Palaeol.;* Ben. XII *lib.* « *Iam dudum* » *de erroribus Armen.; Const.* Ben. XIV « Etsi pastoralis » *26 maii 1742.* Ad contrahendas vero secundas vel ulteriores nuptias constare debet de praesenti statu libero contrahentium. Circa hoc vid. *Status liber.*

Tit. de secundis nuptiis X. (IV. 21); *Gentilis* De bonis maternis et de secundis nuptiis ; *Klee* De secundis nuptiis ; *Maure* Du second mariage de l'époux survivant; *Glaize* Des séconds et des subséquents mariages ; *Patzouris* Des séconds nôces et de leurs effects ; *Del Vecchio* Le seconde nozze del coniuge superstite. Studio storico ; *Di Marzo* Le seconde nozze nella storia ; *Jolly* Des séconds mariages. Etude hist. sur la législation des séconds et subséquents mariages; *Gaugusch L.* Die secundae nuptiae.

3669 **Sede vacante.** — Quando sedes vacet vide sub *Vacatio beneficii.* Sede vacante capitulum ecclesiae cathedralis succedit in iurisdictionem ordinariam episcopi, quam tamen omnem in vicarium capitularem a se intra octo dies deputandum transferre debet. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 16. de ref.*

Hoc tempore capitulum, sicut et vicarius capitularis post eius deputationem a capitulo factam, potest veras leges dioecesanas condere (Reiffenstuel *in tit. 2 lib. I Decr. n. 90 sqq.*) de iis, quae subsunt ordinariae iurisdictioni episcopi. Wernz *Ius Decr. I. 94.*

Emolumenta, quae tempore sedis vacantis obveniunt ex iure sigilli, etc., reservari debent futuro successori, nec ea sibi capitulum aut vicarius capitularis possunt ascribere. *S. C. C. 6 mart. 1847, 14 febr. 1857.* Vid. *Vicarius capitularis.*

Vacatio sedis, si agatur de sede episcopali et abbatiali eorum qui promoventur in Curia, cessat, quando promotus exhibet capitulo seu conventui litteras apostolicas promotionis. *c. 1 de electione (I. 3) in Xvag. comm.*; *Const.* Pii IX « Rom. Pontifex » *V kal. sept. 1873.*

Capitula et conventus, huiusmodi promotos ante litterarum exhibitionem ad regimen et administrationem dioecesis seu monasterii recipientes, incurrunt suspensionem R. P. reservatam a suorum beneficiorum (idest eorum fructuum) perceptione ad beneplacitum S. Sedis. *Const.* « Ap. Sedis » *susp. sub n. 1°.*

Si agatur de ceteris beneficiis, vacatio cessat, quum quis rite et plene in beneficio institutus est. Santi *in tit. 9 lib. III Decr. n. 3.*

Vacante sede, nihil debet immutari (cfr. *tit. 9 lib. III Decr.*), idest nequit innovari status ecclesiae, nec possunt eius iura laedi (*c. 1 ne sede vaacnte etc. X.* [*III. 9*]); contractus tunc initi in damnum ecclesiae iure canonico non valent (Reiffenstuel *in tit. 9 lib. III*

Decr. n. 34), initi vero in eius utilitatem sunt rescindibiles ad nutum futuri rectoris (Covarruvias *Pract. quaest. c. 28. n. 10*, Reiffenstuel *loc. cit. n. 35*); nequit inchoari iudicium vel inchoatum perfici de negotiis ecclesiae (*c. 3 tit. cit. X.* [*III. 9*]; Schmalzgrueber *in eumd. tit. n. 53 sqq.*), nisi res urgeat (Schmalzgrueber *loc. cit. n. 57*), et a legitima auctoritate constituatur defensor (Reiffenstuel *in tit. 9 lib. III Decr. n. 39*); res ecclesiae alienari nequeunt (*c. 42. C. XII. q. 2*; Reiffenstuel *loc. cit. n. 31*); praescriptio contra bona ecclesiae non currit (*cc. 4. 15 de praescriptionibus X.* [*II. 26*]); fructus vacantis beneficii successoribus sunt reservandi. *c. 40 de elect. etc.* (*I. 6*) *in 6°*; *cap. 9 de officio ordinarii* (*I. 16*) *in 6°*.

Quoad vacationem sedis romanae. Vid. *Conclave*.

3670 **Seminarium.** — **De seminario constituendo et ordinando.** — Ex Tridentino (*sess. XXIII. c. 18 de ref.*) episcopus debet colligere pueros civitatis episcopalis, qui in ecclesiasticis disciplinis erudiri apti sint, vel, si in civitate episcopali defuerint, dioecesis vel provinciae in collegio ad hoc fundato, melius prope cathedralem, eosque ibidem alere. In casu extremae paupertatis concilium provinciale, vel metropolitanus cum duobus antiquioribus suffraganeis, ex fructibus duarum vel plurium ecclesiarum unum seminarium constituere debet in ecclesia metropolitana vel commodiori loco. Conc. Trid. *loc. cit.* Negligentes episcopi ab archiepiscopo, archiepiscopi et archiepiscopis superiores a concilio provinciali corripiendi acriter sunt et cogendi stare Tridentino. Conc. Trid. *loc. cit.* In magnis dioecesibus etiam duo seminaria constitui possunt. Conc. Trid. *loc. cit.*

Episcopi est pueros in classes dividere, methodum studiorum sequendam praescribere, etc. (Conc. Trid. *loc. cit.*); et hoc est ius exclusivum ecclesiae, quare in his nihil iure potest auctoritas civilis. Cfr. *prop. Syllabi Pii IX. 33 et 46*; *Litt. encycl.* Leonis XIII « Iam pridem » *6 ian. 1886*.

Si graves adsint rationes, et Tridentino conformes, potest episcopus seminarium alio transferre. *S. C. C. 9 iul. 1725*.

De admittendis in seminarium. — Pueri 3671 recipiendi, qui inter filios pauperum (at paupertas cum mendicitate non est confundenda, Lucidi *de vis. sacr lim. II pag. 331. n. 12*), et inter pueros civitatis et dioecesis, vel provinciae, si ibi non reperiantur (Conc. Trid. *loc. cit.*), praesertim sunt eligendi, debent esse legitimi, legere et scribere scientes, quos futuros ecclesiae ministros sperare liceat, et qui duodecimum annum attigerint (Conc. Trid. *loc. cit.*); sed, si agatur de convictoribus seu de iis, qui propriis expensis vivunt in seminario, etiam aetate minores admitti possunt. *S. C. C. 10 iun. 1876*.

De seminario sustentando. — Qui in 3672 seminarium recipiuntur non extraordinaria quadam ratione, ut convictores, gratis alendi sunt, et debent deferre habitum et tonsuram (Conc. Trid. *loc. cit.*); hoc ultimum per consuetudinem contrariam pluribus in locis obsolevit.

Si ecclesia non habeat reditus ad sustendandum seminarium, deveniendum est ad imponendam taxam beneficiis etiam regularibus (et ipse episcopus debet ex eius episcopali mensa ratam fructuum seminario contribuere, quemadmodum habemus in § 3ª. instructionis, quam super taxam seminarii dedit Benedictus XIII [*VII. id. maii 1725*], et declaravit Sacra Congregatio Concilii apud Barbosa *de officio et potestate episcopi alleg. 77. n. 2*; cfr. Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Seminarium* » *n. 19*), aliisque ecclesiasticis institutis (etiam moniales, secluso speciali privilegio, taxationi subsunt, quin eis suffragetur paupertas, nisi ex eleemosynis vivant, vel a solutione decimarum, attenta paupertate, exemptae fuerint, *Instr cit. Ben. XIII. § 4*). Cfr. *S. C. C. in Theatina 13 nov. 1593, in Audomaren. 3 ian. 1594, 3 feb. 1646, in Interamnen. 11 maii 1720, in Veliterna 20 apr. 1771, in Massen. 17 dec. 1836.* Non tenentur solvere taxam seminarii abbates nullius dioecesis, qui ipsi habent seminaria (*S. C. C. in Romana 11 aug. 1742*), nec non beneficia et pia loca non ex bonis ecclesiasticis constituta. *S. C. C. in Neapolitana iul. 1588.*

Si taxa haec non sufficiat, potest episcopus sive pro erectione, sive pro sustentatione seminarii, devenire etiam ad unionem aliquorum beneficiorum simplicium. Conc. Trid. *loc. cit.*; *Const.* Ben. XIII « Creditae nobis » *VII id. maii 1725; Instr. cit. eiusd. Pont.*

3673 **De deputatis seminarii.** — Tridentinum (*loc. cit.*) statuit duplicem commissionem (non triplicem, ut falso asserit Ferraris *loc. cit. n. 9*) deputatorum, alteram pro administratione temporali, et constat duobus canonicis ecclesiae cathedralis, altero ab episcopo altero ab eodem capitulo electis, et duobus de clero civitatis episcopalis eodem modo electis; alteram pro administrazione spirituali, et constat duobus canonicis senioribus et gravioribus capituli ecclesiae cathedralis ab episcopo libere electis. *Litt. circ. S. C. C. ad ordinarios Americae merid. 15 mart. 1897.*

Horum omnium officium per se est ad vitam (*S. C. C. apud Richter Conc. Trid. p. 211. n. 2*), attamen ex legitima et iusta causa, ut esset infirmitas diuturna, senectus et similia, possunt amoveri, et tunc ipsorum subrogatio per eos facienda est, per quos prior electio est habita. *Litt. circ. cit. 15 mart. 1897;* Lucidi *de vis. sacr. lim. II pag. 380. n. 105.*

Habent autem deputati votum consultivum tantum, non vero definitivum. *S. C. C. in Oscen. oct. 1585;* Ferraris *loc. cit. n. 12*; Lucidi *de vis. sacr. lim. II pag. 380. n. 104.*

Votum autem horum consultorum ab episcopo exquirendum est in omnibus, quae tum ad disciplinam et educationem clericorum, tum ad sumptuariam piae domus rationem spectant. *S. C. C. decr. cit. oct. 1585*; *in Salernitana iul. 1589*; *litt. circ. cit. 15 mart. 1897.*

Rectorem, confessarium, magistros, oeconomum constituit episcopus, et ob iustas causas removet ad nutum, audito tamen semper consilio deputatorum sub poena nullitatis actus.

S. C. C. in Fundan. 26 mart. 1689; Richter *loc. cit. n. 4.*

Administratio seminarii est penes ipsum episcopum, qui singulis annis accipere debet rationes redituum, praesentibus deputatis pro administratione temporali (Conc. Trid. *loc. cit.*); si rationes redderentur coram episcopo tantum absque praesentia deputatorum, actus huiusmodi sanatione apostolica indigeret: Lucidi *de vis. sacr. lim. II p. 380. n. 106.*

3674 **An seminarium religiosis viris tradi possit ab episcopo.** — Episcopus, qui vult regimen seminarii sui religiosis alicuius ordinis aut congregationis tradere, non solum debet exquirere consilium deputatorum et habere consensum capituli ecclesiae cathedralis, sed etiam exquirere veniam a Sede Apostolica (Lucidi *de vis. sacr. lim. II pag. 341. n. 36*), nisi institutum religiosum iam habeat particulare S. Sedis indultum, quo ipsi hoc regimen possit ab episcopis committi. Bargilliat *Prael. iur. can. n. 267.*

3675 **De appellatione contra episcopum circa ea, quae ad seminarium pertinent.** — In iis vero omnibus, quae spectant disciplinam, regimen, administrationem seminarii et taxam imponendam pro sustentatione seminarii, nulla contra episcopum admittitur appellatio in suspensivo, sed tantum in devolutivo. *Const.* Ben. XIV « Ad militantis ».

3676 **De servitio ecclesiae ab alumnis seminarii praestando.** — Alumni seminariorum debent, ex praescripto concilii Tridentini (*loc. cit.*) cathedrali aut aliis loci ecclesiis inservire; quod servitium ad hoc praesertim se extendit, ut in choro opera ministrorum exerceant (Lucidi *de vis. sacr. lim. II pag. 365. n. 79*); nec licet canonicis alumnos impendere in suo privato servitio. *S. C. EE. RR. 2 oct. 1842, 16 sept. 1844 litt. datis ad Sardiniae episcopos.* Servitium quod alumni praestare debent, non extenditur ad dies feriales, sed ad festivos restringitur (Conc. Trid. *loc. cit.*; *Const.* Inn. XIII « Apostolici ministerii », *13 maii 1723*; *Const.* Ben. XIII « In supremo » *23 sept. 1724*) non autem solummodo ad solemniores; quamvis diebus festis non solemnibus possint episcopi aliquos per orbem alumnos, grandioris aetatis tantummodo, ad cathedralem mittere. Lucidi *de vis. sacr. lim. II pag. 367 n. 84.*

De loco ab alumnis seminarii in processionibus tenendo. — In publicis processionibus seminarii alumni, quum seminarium non sit membrum ecclesiae cathedralis, debent incedere immediate post crucem (*Cer. episc. lib. II, c. 33 § 5; S. R. C. in una Nuceriae Pag. 19 ian. 1704* [*2126*]), quando nempe omnes sub unica cruce cathedralis incedunt; attamen post clericos adventitios, et non praebendatos, supra quos habent praecedentiam. *S. R. C. in Rodigen. 21 mart. 1620* (*377*); *in Luceor. 7 sept. 1816* (*2570*). 3677

Si vero non omnes, qui processioni intersunt sub una cruce cathedralis incedunt, sed sive parochi sive collegiatae propriam crucem erigunt, tunc super hos omnes praecedentiam habent alumni seminarii, quippe qui sub cruce cathedralis incedere debent, quum eius servitio sint addicti.

S. R. C. in Sarnen. 15 febr. 1716 (*2233*).

Professores seminarii non sunt censendi efformare unum corpus cum clericis seminarii: hinc in publicis processionibus non debent incedere cum seminario, sed cum aliis presbyteris civitatis absque ulla praecedentia. *S. R. C. in Ianuen. 17 iul. 1830* (*2679*).

378 **De cura ab episcopo adhibenda relate ad seminarium.** — Episcopus debet praeterea seminarium visitare (Conc. Trid. *loc. cit.*), nec solum ea solemni visitatione, quam circa dioecesim totam peragere debet, sed *saepius* in anno. Conc. Trid. *loc. cit.*; Lucidi *de vis. sacr. lim. II. p. 387. n. 123 sqq.*

Curare praeterea debet episcopus, ut singulis diebus alumni missae sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus peccata sua confiteantur; et iuxta confessoris iudicium sumant Corpus Domini Nostri Iesu Christi. Conc. Trid. *loc. cit.*

379 **De alumnis a seminario recedentibus.** — Alumni, qui in seminario educantur, si ad sacros ordines accedere nolentes e seminario discedant, non tenentur seminario reficere sumptus pro ipsis impensos; dummodo hoc ipsum ex fundatione vel lege synodali vel legitima consuetudine praescriptum non fuerit (Lucidi *de vis. sacr. lim. II pag. 334. n. 21 sqq.*); in hoc casu in actu admissionis alumni eorumque parentes de hoc fieri debent certiores.

Magni autem momenti est dispositio, quam sequenti decreto s. congr. Concilii ss. Dnus noster Pius X servandam statuit. Decretum integrum dare heic iuvet.

« Vetuit s. Tridentina Synodus ad sacros ordines ascendere, vel ordines, iam susceptos exercere eos omnes qui a suo episcopo fuerint etiam extraiudicialiter prohibiti. Ita namque in *cap. I, sess. 24, de reform.* statuitur:

" Cum honestius ac tutius sit subiecto debitam praepositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei qui ascensus ad sacros ordines a suo praelato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores, restitutio suffragetur. „

Cum vero generalis haec lex seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus sive clericatui adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non praebeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus, hic certe deberet, iuxta grave s. Concilii monitum, sui pastoris iudicio subesse et acquiescere.

At contra saepe contingit ut e seminario dimissi, eorum qui praesunt iudicium parvipendentes et in sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quaeritant itaque aliud seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant, ac denique aliquo

exhibito plus minusve sincero ac legitimo domicilii aut incardinationis titulo, ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam saepissime fit ut ecclesiae utilitati minime sint. Passim vero utrumque ordinarium, et originis et ordinationis, diu fastidioseque vexant, ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, dioecesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cuius necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ubi imo eorum praesentia otiosa est et quandoque etiam damnosa: unde episcopi in graves angustias coniiciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum episcopi inter se convenerunt statuentes in sua seminaria neminem admittere, qui ante fuerit a proprio dimissus.

Sed cum particularis haec conventio non plene neque undique sufficeret, complures ordinarii s. Sedem rogaverunt, ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleretur.

His itaque attentis, et omnibus ad rem mature perpensis, SSmus D. N. Pius PP. X, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet, qui probatissimus non sit, accedente etiam voto Em. S. C. Concilii Patrum in congregatione diei XVI mens. decembris 1905 emisso, praesentibus litteris statuit atque decernit.

1° ut in posterum nullus loci ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab episcopo oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alius episcopus egerit, aditum in suum seminarium postulanti praecludat.

2° Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut haec eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quodsi permanere velint, et ab ordinario id eis permittatur, eo ipso huic dioecesi ascripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in dioecesim, e cuius seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3° Pariter cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex seminariis aliquod religiosum institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, vetantur in dioecesim redire, e cuius seminario dimissi fuerint.

4° Dimissi vero ex aliquo religioso instituto in seminarium ne admittantur, nisi prius episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat.

Denique meminerint episcopi fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere, qui subditus sibi non sit eo modo et uno ex iis titulis, qui in constitutione *Speculatores* In-

nocentii XII et in decreto S. C. Concilii quod incipit « *A primis* » die XX m. iulii 1898 statuuntur. Ac pariter neminem ordinari posse, qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco, pro quo assumitur, iuxta praescripta a s. Tridentino Concilio in *cap. 16, sess. 23, de reform.*

Vult autem Sanctitas Sua ut statuta haec et cautelae omnes a sacris canonibus in re tam gravi adiectae, ab omnibus ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiae et sollicitudini quam maxime commendat. — Praesentibus valituris contrariis quibuslibet minime obstantibus. — Datum Romae die 22 m. decembris 1905 ».

Notandum. — Pro seminariis Italiae variae sunt statutae normae tum ad studia (*S. C. EE. RR. 10 maii 1907*), tum ad disciplinam (*S. C. EE. RR. 18 ian. 1908*) ordinandam.

Godeau Ant. Traité des séminaires; *Di Giovanni Giov.* La storia de' seminarj chiericali; *Cecconi* Istituzione dei seminarii vescovili decretata dal Concilio di Trento; *Frint* Bemerkungen über die intellectuelle und moralische Bildung der heranwachsenden Kleriker und über ihre Fortsetzung bei wirklichen Seelsorgern; *Sailer J. M.* Neue Beiträge zur Bildung für Geistliche; *Theiner A.* Geschichte der geistlichen Bildungsanstalten; *Buss F. J.* Die notw. Reform d. Unterr. u. d. Erz. d. kath. Weltgeistlichkeit Deutschls.; *Hergenröther J.* Univ. u. Seminarbildung d. Geistl.; *Reusch F. X.* (*Altkath.*) Theol. Fakultäten od. Seminare?; *Poüan Th.* De seminario clericorum dissertatio histor. canonica; *Friedemann Iust.* Die Bild. u. Erz. d. Geistl.; *Themistor Irenaeus* Friedemanns Vorschläge in betr. d. Bild. u. Erzieh. d. Geistl.; *Themistor I.* Die Bildung u. Erz. d. Geistl.; *Kleutgen J.* Ueber d. alten u. neuen Schulen; *Mercier* A mes séminaristes; *Kraus F. X.* Das Studium d. Theol. sonst u. jetzt; *Endres* Das Bantussem. z. Trier; *Scheffgen-Layer* Das Domkap. z. Trier i. s. Verh. z. dort. Bantussem.; *Sauerland* Rechtsgesch. d. Trierer Bantussem.; *Aubry* Les grands séminaires... en France; *Braune* Gesch. d. Heranbildung d. Klerus d. Diözese Würzburg; *v. Hammerstein L.* Gedanken üb d. Vorbildung d. Priest. in Sem. u. auf Universitäten; *Heiner F.* Theol. Fakultäten u. trid. Seminarien; *Cottafavi* I seminarii della diocesi di Reggio; *Holzammer J. B.* Die Bildung d. Klerik. in kirchl. Semin. od. an Staatsuniversitäten; *Heiner F.* Nochmals theol. Fakultäten u. trid. Seminarien; *Zocchi G.* Dell'educazione del giovine clero; *Pelizzo* Il seminario d'Udine; *Turinaz* La vraie méthode des études ecclés.; *Camele I. M.* Della formazione del clero secondo i bisogni dei nostri tempi; *Jarillon P.* La théologie et l'enseignement supérieur; *Garault* Essay historique sur l'éducations des clercs; *Merkle* Das Konzil v. Trient u. d. Universität.; *Bruschelli F.* Su lo stato dei seminari delle minori diocesi d'Italia; *Fuzet F.* Le grand séminaire; *Capecelatro A.* Le vie nuove del clero negli studi e nel culto divino; *Ricci A.* Del metodo nuovo nello studio delle scienze ecclesiastiche; *Letourneau* La mission de Jean Jacques Olier et la fondation des grands séminaires en France; *Falcone I.* Per la riforma dei seminari in Italia; *Bella S.* Sull'ordinamento degli studi nei seminarii secondo i bisogni dei tempi; *Batiffol P.* Questions d'enseignement supérieur ecclésiastique; *Signore G.* Il concentramento dei seminarii; *Bargilliat* Rom. Pontif. Pii IX, Leouis XIII et Pii X monita et decreta de institutione clericorum in seminariis episcopalibus; reliquam bibliographiam quaere sub *Scholae*, etc.

3680 **Senatores.** — Circa quaestionem, an in praesenti Regno italico liceat munus deputati aut senatoris obire, vel ad eligendos deputatos aut senatores suffragium ferre, nota sequentia:

Proposita iam inde ab anno 1866, fuerunt s. Poenitentiariae sequentia dubia:

« 1° Quomodo sciscitanti, an oblatum deputati munus in nationali conventu, quem *Parlamento* Itali vocant, excipi possit, respondendum sit.

2° Qua se ratione gerere possint episcopi rogati, ut bonorum deputatorum electioni faveant ».

Et s. Poenitentiaria respondit:

« Ad 1^um^. — Affirmative, sub sequentibus conditionibus. 1. Ut deputati electi, in emittendo iuramento fidelitatis et obedientiae a lege praescripto, adiiciant limitationem: salvis legibus divinis et ecclesiasticis. 2. Ut haec limitatio fiat expresse in recitatione formulae ipsius iuramenti, audientibus saltem duobus testibus. 3. Ut deputati electi animo comparati sint et declarent, se numquam legibus improbis et iniustis favorem et suffragium esse laturos; imo huiusmodi leges, quatemus proponantur, esse notorie reprobaturos ».

« Ad 2^um^. — Nihil obstare, quominus episcopi et ordinarii occasione electionum, quoties ad id requisiti fuerint, in mentem populi revocent, quemque fidelium pro suis viribus teneri ad impedienda mala et ad promovenda bona ». *S. Poenit. 1 dec. 1866.*

3681 Postea s. Poenitentiaria edixit: « non expedire, attentis omnibus circumstantiis concursum ad electiones politicas, nec tolerari Romae munus deputati ».

Tandem a card. Monaco La Valletta datae sunt ad episcopos Italiae sequentes litterae: 3682

« In parecchie diocesi d'Italia è invalsa l'opinione, che sia lecito il concorso alle urne politiche, perchè la s. Penitenzieria, richiesta in proposito, ha risposto soltanto: *non expedire.*

« A togliere ogni equivoco, il s. Padre, udito il parere di questi eminentissimi signori cardinali, inquisitori generali, miei colleghi, ha ordinato, che si dichiari il *non expedire, contenere un divieto.* Ed io nel comunicare questa dichiarazione alla E. V. ho il dovere di aggiungere, che il s. Padre *nelle presenti circostanze tiene fermo questo divieto.*

« E gioverà alla E. V. conoscere le risposte date dalla Penitenzieria nel 1883, ai Vescovi, dai quali fu consultata, ed in quanto al peccato, che si commette, ed in quanto alle censure, che si contraggono nel prendere parte alle elezioni politiche. In quanto al peccato, se dovesse cioè tenersi reo di colpa grave chi andasse a dare il voto per le elezioni dei deputati, la risposta fu: *Si regolerà nei casi particolari secondo ciò, che le detterà la sua coscienza e prudenza, considerate tutte le circostanze.* In quanto alle censure: *Che l'incorrere o non incorrere nelle censure per le elezioni politiche dipende dalle circostanze del fatto e dalle disposizioni di animo degli elettori; circostanze e disposizioni da ponderarsi secondo le norme che si danno sul proposito da' buoni autori.*

E baciandole umilissimamente le mani, mi dichiaro con profondissima stima.

Roma, 30 luglio 1886.

RAFF. Card. MONACO ».

3683 Ex his omnibus deduci commode potest, suffragium ferre ad eligendos deputatos vel senatores, aut obire haec munera non esse rem intrinsece illicitam; praeceptum de abstinendo ab iis esse disciplinare, quod proinde immutatis circumstantiis (de quo iudex est Romanus Pontifex) variari potest; hanc autem variationem posse induci permissione Romani Pontificis sive expressa sive tacita; tandem hoc praeceptum legem esse positivam humanam, quae non obligat cum gravi incomodo vel individuali vel sociali. Cfr. quoad haec G. B. *I. 394 (2); II. 784 (31)*; B. P. *VII. 290.*

3684 Quae quam recte dicta fuerint, patet ex sequentibus, quae excerpta hic transcribimus ex litteris Pii X. P. M. ad episcopos Italiae de actione catholica (*11 iunii 1905*):

« Certo è che l'odierno ordinamento degli Stati offre indistintamente a tutti la facoltà di influire sulla pubblica cosa, ed i cattolici, salvo gli obblighi imposti dalla legge di Dio e dalle prescrizioni della Chiesa, possono con sicura coscienza giovarsene per mostrarsi idonei al pari, anzi meglio degli altri, di cooperare al benessere materiale e civile del popolo ed acquistarsi così quell'autorità e quel rispetto, che rendano loro possibile eziandio di difendere e promuovere i beni più alti, che sono quelli dell'animo. Quei diritti civili sono parecchi e di vario genere, fino a quello di partecipare direttamente alla vita politica del paese, rappresentando il popolo nelle aule legislative. Ragioni gravissime ci dissuadono, venerabili Fratelli, dallo scostarci da quella norma, già decretata dal nostro antecessore di s. m. Pio IX e seguita poi dall'altro nostro antecessore di s. m. Leone XIII durante il diuturno suo pontificato, secondo la quale rimane in genere vietata in Italia la partecipazione dei cattolici al potere legislativo. Senonchè altre ragioni parimenti gravissime, tratte dal supremo bene della società, che ad ogni costo deve salvarsi, possono richiedere che nei casi particolari si dispensi dalla legge, specialmente quando voi, venerabili Fratelli, ne riconosciate la stretta necessità pel bene delle anime e dei supremi interessi delle vostre chiese, e ne facciate dimanda. - Ora la possibilità di questa benigna concessione Nostra induce il dovere nei cattolici tutti di prepararsi prudentemente e seriamente alla vita politica, quando vi fossero chiamati. Onde importa assai che quella stessa attività, già lodevolmente spiegata dai cattolici per prepararsi con una buona organizzazione elettorale alla vita amministrativa dei Comuni e dei Consigli provinciali, si estenda altresì a prepararsi convenientemente e ad organizzarsi per la vita politica, come fu opportunamente raccomandato con la circolare del 3 dicembre 1904 dalla Presidenza generale delle opere economiche in Italia ».

Certum est, tum senatores, tum 3685
deputatos, etsi illicite hoc munus

acceptent, nullam ex hoc capite excommunicationem seu censuram incurrere. Cfr. Pennacchi *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *vol. I pag. 397. sqq.*; B. P. *VII. 290*; D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 100* (*6*), Dixi *ex hoc capite*; nam profecto hi omnes excommunicationem incurrerent, si leges libertati, immunitati et iuri ecclesiae adversas suffragio suo ferrent, etc. Cfr. Pennacchi *loc. cit pag. 398.*

3686 An et quando episcopus, qui nostra aetate in senatorum aut deputatorum numerum sit ascitus, teneatur ad interveniendum comitiis, si absentia protrahatur ultra tres menses etiam discontinuos, exquirere veniam sedis apostolicae. Vid. *Residentia.*

Nota tandem sequentem responsionem S. Congr. negotiis eccl. extraor. praepositae, quae Galliam respicit: « Ex audientia SSmi die 2 aprilis 1906. - Quaesitum est ab hac S. Congregatione negotiis ecclesiasticis extraordinariis praeposita, num clericis sive secularibus sive regularibus in Gallia liceat, in praesentibus rerum adiunctis, candidatos se sistere in proximis electionibus ad deputatorum comitia. Re igitur per me infrascriptum secretarium ad Ss. Dnum Nrum Pium PP. X delata, Sanctitas Sua respondere dignata est, iisdem id non licere absque consensu proprii et ordinarii loci ubi se candidatos sistere cupiunt ».

3687 **Sententia.** — **De natura et divisionibus sententiae.** — Sententia est decisio iudicis pronunciata super re a litigantibus in iudicium deducta (Santi *in tit. 27 lib. II Decr. n. 1*); seu est determinatio eius, quod iustum est, in casu aliquo praesente, a iudice, cognita causa, facta (Vicat *Voc. utr. iuris v.* « *Sententia* »); seu etiam controversiae decisio a iudice facta. Heinecius *Elem. iur. secund. ordin. pandect. p. VI. § 236.*

Sententia dividitur in definitivam et interlocutoriam.

Definitiva sententia ea est, qua dirimitur principalis controversia in iudicium deducta; quare per eam iudex absolvit vel condemnat (*l. 3 de sententiis et interlocut. etc. C.* [*VII. 45*]), et vult per eam litigantes a tota controversia discedere. *l. 19 de receptis qui arbitrium etc. D.* (*IV. 8*).

Interlocutoria vero ea sententia dicitur, quam iudex profert inter principium causae et sententiam definitivam, quaeque concernit et dirimit aliquam controversiam seu aliquem articulum incidentem. Santi *loc. cit n. 3.* Si articulus incidens ita sit comparatus, ut ex eius decisione decisio etiam pendeat causae principalis, tunc *mixta* est utraque specie sententia (Vicat *loc. cit.*), et dicitur habere vim sententiae definitivae; secus *mere incidens*, seu *simpliciter interlocutoria* sententia dicitur.

De requisitis ad valorem sententiae. 3688 — Ad hoc ut sententia vim habeat, necesse est ut *a*) a legitimo iudice, *b*) iuste *c*) et iuris ordine servato feratur.

a) Ratio primi est, quia iudex non legitimus, seu non competens, aequiparatur viro privato. *c. 4 de iudiciis X.* (*II. 1*).

Iudex autem competens, sive legitimus, ille est, qui praeest foro, cui aliquis subditus est. Vid. *Forum.*

Hinc notat d'Annibale (*I. 307* [*32*]): « is, qui suae dioecesis legem violavit, postquam in aliam dioecesim domicilium transtulit, nec ab illius (*l. 1. C. de requirendis reis*), nec ab huius (*c. 15 de foro competenti*) episcopo iudicari et puniri potest; nam *illius* subditus non est, *huius* nullam legem violavit. Idem iuris est si in ea quasi domicilium fovebat, hoc relicto. Item, si factus subditus ratione delicti, discessit nondum citatione praeventus ». At, ne delicta impunita maneant, episcopus loci in quo quis deliquit, potest litteras requisitorias dare episcopo loci, ubi delinquens moratur, ut hunc per illium citari curet. Schmalzgrueber *in tit 2 lib. II Decr. n. 61.*

b) Praeterea iudex debet iustam sententiam dicere. Iusta autem ea sententia est, qua iudicatur ex actis et probatis, ex rei veritate, et ex iure.

Sententia, qua quis comdemnatus fuerit ex actis et probatis, non tamen ex rei veritate dicitur *materialiter iniusta ;* ea vero, qua quis fuerit condemnatus ex rei veritate, non tamen ex actis et probatis, dicitur *formaliter iniusta.*

Hinc verius neutra ligat in conscientia (at in foro externo sententia materialiter iniusta servanda est, D'Annibale *I. 307. 39*); quamvis aliquando sententiam dicere materialiter iniustam iudici probabiliter licet. Vid. *Iudex.*

Sententia, quae contra ius, sive scriptum sive consuetudinarium, lata est, ipso iure est irrita et nulla (Inst. Iust. *de officio iudicis* [*IV. 17*] *prooem.*; *c. 1 de sententia et re iudicata X.* [*II. 27*]), quippe iudex legum minister, non arbiter est. Hinc hac sententia reus non tenetur, et ideo sine appellatione causa denuo induci potest. *l. 19 de appellation. et relat. D.* (*XLIX. 1*). Attamen ratione scandali fieri potest, ut is, qui huiusmodi sententiam violet, quae tamen publice iusta habeatur, letaliter peccet (S. Alph. *VII. 68*; D'Ann. *I. 307. 40*); poenas tamen, quae forte violantibus sententiam inflictae sunt, is non incurreret. S. Alph. *loc. cit.;* Salmanticenses *Th. mor. tr. X. c. 1. n. 207.*

c) Debet insuper sententia a iudice ferri iuris ordine servato. *l. 4 tit. cit. C.* (*VII. 45*); *c. 19 tit. cit. X.* (*II. 27*).

Hinc non valeret ea sententia, quae lata esset, accusato non citato, crimine ipsi non contestato, causa non cognita, vel quae non publice et palam (*l. 6 tit. cit. C.* [*VII. 45*]) ac more maiorum, aut regulariter (cfr. *ll. 2. 7 quomodo et quando etc. C.* [*VII. 43*]) non praesentibus iis, inter quos res agitur, dicta sit (*l. 47 de re iudicata etc. D.* [*XLII. 1*], *ll. 5. 7 tit. cit. C.* [*VII. 43*]), vel quae recitata non est ex scriptis (*ll. 2. 3 de sententiis ex periculo recit. C.* [*VII. 44*]; *c. 5 de sententia et re iud.* [*II. 14*] *in 6°* — exceptis episcopis, *Iust. Nov. LXXXIII. praef.*; vel quando agitur de causis levioribus, *Nov. XVII. c. 3*), — aut non ab ipso iudice, episcopis exceptis (*c. 5 tit. cit.* [*II. 14*] *in 6°*), vel quae sine certa quantitate est prolata (*ll. 3. 4 de sententia quae sine certa quantit. etc. C.* [*VII. 46*]), aut lata est contra rem iudicatam, a qua provocatum non est (*l. 1 quando provocare etc. C.* [*VII. 64*]), aut continet aliquid im-

possibile (*l. 3 quae sententiae sine appellatione etc. D.* [*XLIX. 8*]), aut die non feriato lata est (*l. 4 tit. cit. C.* [*VII. 43*], — nisi necessitas vel pietas urgeat, aut agatur de feriis, quae ob necessitatem hominum iudulgentur, si partes consenserint, *c. 5 de feriis X.* [*II. 9*]), aut non interdiu sed noctu (*c. 24 de off. et pot. iud. del. X.* [*I. 29*]), aut non in loco publico tribunalis (at episcopus in tota dioecesi sententias ferre potest, *c. 7 de off. ord.* [*I. 16*] *in 6°*), vel a iudice pro tribunali non sedente (*c. 5 tit. cit.* [*II. 14*] *in 6°.*, — exceptis iudiciis summariis, *c. 2. de verb. sign.* [*V. 11*] *in Clem.*). Sententia condemnatoria debet etiam, continere delictum, ob quod punitur reus (*c. 1 de sent. excomm.* [*V. 11*], *in 6°*), non autem causam iudicandi seu rationem, quae iudicem movit (*c. 16 tit. cit. X.* [*II. 27.*] ; D'Ann. *I. 307. 34*) ; species quoque poenae, cui reus subditur, exprimenda est in sententia, nec satis est declarare crimen, cui poena cohaeret. Salmanticenses *Th. mor. tr. X. c. 1. n. 62., c. 3. n. 13:* D'Ann. *I. 307* (*35*).

Iure canonico etiam, quando oeconomice proceditur in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum, statutum est, ut, audito fisci procuratore ac defensione rei, sententia pronuncietur, eiusque pars dispositiva cancellario dictetur, expressa mentione facta, si damnationi sit locus, sanctionis canonicae, quae contra imputatum applicatur. *Instr. S. C. EE. RR. de modo procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum die 11 iun. 1880, art. 35.*

De tempore ferendae sententiae. — 3689
Sententia ferenda est intra tempus a iure statutum. — Iure canonico statutum est, ut omnes causae finiri debeant sententia intra biennium a die motae litis ; alioquin post id spatium liberum est partibus, vel alteri illarum, iudices superiores, alias tamen competentes, adire, qui causam, in eo statu, quo fuerit, assumere eamque quamprimum terminari, curare debent. Conc. Trid. *sess XXIV. c. 20 de ref.*

De revocatione sententiae. — Sen- 3690
tentia definitiva (non interlocutoria, *c. 60 de appellat. X.* [*II. 28*], *c. 10 de appellat.* [*II. 15*] *in 6°*), quae valida fuerit, revocari nequit. *ll. 55. 62 tit. cit. D.* (*XLII. 1*), *c. 9 de off. et pot. iud. del. X.* (*I. 29*), Invalidam vero sententiam revocare potest iudex ordinarius, non vero delegatus. Schmalzgrueber *in tit. 27 lib. II Decr. n. 78 sqq.*

De appellatione a sententia lata 3691
(*remissive*). — A sententia rite prolata potest quis intra tempus a iure statutum (generatim intra decem dies) appellare. Vid. *Appellatio.*

Quoad hoc notandum est, in causis ecclesiasticis a Concilio Tridentino prohibitum fuisse appellare a quacumque sententia, quae non sit definitiva, vel definitivae vim habens, et cuius gravamen per appellationem a definitiva sententia reparari queat. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 20 de ref.* ; *sess. XIII. c. 1 de ref.*

De sententia, quae transit in rem 3692
iudicatam vel non — De natura rei iudicatae. — Si quis autem intra legitimum tempus non appellavit, iudicis

sententia nomen assumit *rei iudicatae*. Quo redit definitio Modestini: « res iudicata dicitur, quae finem controversiarum pronuntiatione iudicis accepit, quod vel condemnatione vel absolutione contingit ». *l. 1 tit. cit. D.* (*XLII. 1*).

3693 **De effectibus rei iudicatae.** — Sententia, quae transiit in rem iudicatam, hunc praecipue effectum habet, ut sententia pro se habeat praesumptionem iuris et de iure (De Luca Mar. *Prael. iur. can. de iudiciis n. 231*); porro haec praesumptio cedere debet veritati certo cognitae. *ll. 24. 25 de probationibus etc. D.* (*XXII. 3*). Quare is, qui a debito solvendo liberatus est' si postea testimonium authenticum sui debiti inventum fuerit, ab onere solutionis in foro interno certe non liberatur; in foro autem externo oporteret rem evidentem in iudicio facere. Zallinger *in tit. 27 lib. II Decr. n. 413 sqq.*; Schmalzgrueber *in tit. 23 lib. II Decr. n. 12 sqq.*; cfr. *l. 60 de condictione indebiti D.* (*XII. 6*).

Praeterea res iudicata facit ius inter partes (*c. 13 tit. cit. X.* [*II. 27*]); tertio autem regulariter nec prodest, nec nocet. *c. 17 tit. cit. X.* (*II 27*); Zallinger *loc. cit. n. 411*.

Ex re iudicata oritur praeterea actio et exceptio rei iudicatae. Zallinger *loc. nuper cit.*

3694 **De causis, in quibus sententia non transit in rem iudicatam.** — Verum sunt causae, in quibus sententia ex peculiari iuris exceptione numquam transit in rem iudicatam. Hae praesertim sunt causae matrimoniales, in quibus de ipso vinculo agitur (*cc. 7. 10. 11 tit. cit. X.* [*II. 27*]), causae beneficiales, si victus probet contra victorem nullitatem tituli (*c. 46 de appellationib. X.* [*II. 28*]), sententia, quae lata est ex falsis testimoniis, conspiratione adversariorum, testibus pecunia corruptis (*l. 33 tit. cit. D.* [*XLII. 1*; *c. 22 tit. cit X.* [*II. 27*]) et aliae similes, quas vide apud Zallinger *loc. cit. n. 415*.

De exsecutione sententiae — Sen- 3695
tentia (nisi ea sit, quae ex natura rei exsecutionem non requirit, ut sententia inhabilitans, sententia mere absolutoria, etc.), exsecutioni mandanda est.

Mandari autem exsecutioni sententia debet ab ipso iudice, qui eam tulit, si fuerit ordinarius vel delegatus a Papa (*c. 26 de off. et pot. iud. del. X.* [*I. 29*]), imo quicumque delegatus, si hoc ipsum expresse in mandatis habeat, et probabilius etiamsi ad exsecutionem ipsam expresse non fuerit delegatus, sententiam exsecutioni mandare potest. *c. 5. tit. cit. X.* (*I. 29*).

Iudex, qui potest per se sententiam exsequi, potest et alium ad eam exsequendam delegare; is autem non debet causam cognoscere, sed mere sententiam exsequi (*c. 5 tit. cit. X.* [*II. 27*]), eamque exsequi debet, etsi iniustam cognoverit (*c. 28 § 3 tit. cit. X.* [*I. 29*]), idest etiamsi lata fuerit contra ius litigantis, a qua iste non appellavit intra legitimum tempus; non autem si alio ex capite est iniusta, quia tunc ipso iure est nulla. Reiffenstuel *in tit. 29 lib. I Decr. n. 103*.

Si exsecutio facienda sit in territorio alterius, ex. gr. in aliena dioecesi, iudex debet mittere litteras requisitorias ad iudicem loci, quibus petat ut sententiam exsecutioni det; nec

potest per seipsum in alieno territorio exsequi sententiam, quia executio sententiae est actus iurisdictionis, quam quis extra suum territorium exercere nequit.

Plura, quae ad sententias ferendas, intimandas etc. iure civili statuta sunt, invenire est in Codice processus civilis *lib. 1 tit. 4 c. 1 sect. 10.*

8696 **De expensis pro sententia seu de expensis iudicii.** — Expensae iudicii ab ea parte solvendae sunt, quae causa cadit. *l. 13 de iudic. C. (III. 1) S. C. C. in Sabinen. 31 maii 1783 ad 3.* — Si autem quaestio sit, quinam vere in aliquo casu is sit in individuo, qui causa cadit, generalis regula est, eam personam vel eam rem (beneficium, cappellaniam etc.) solvere debere expensas, in cuius bonum seu interesse causa suscepta est (*S. C. C. in Viterbien. 4 apr. 1767 ad 9*), et si in bonum plurium suscepta est causa, omnes debent solvere expensas pro rata (*S. C. C. in Ianuen. 25 maii 1901, 19 iul. 1902*); imo, si agitur de corpore morali, ex. gr. de capitulo, omnes, qui illud efformant tunc, quum sententia fertur, etsi hi corpus illud non efformarent tunc, quum causa incepta est. *S. C. C. in Calataieronen. 29 ian. 1898.*

Tid. de sententia et re iudicata X. (II. 27); idem tit. (II. 14) in 6°; idem tit. (II. 11) in Clem.; *a Ripa Io. Fr.* De re iudicata; *Asinius Io. B.* Tract. de exsecutionibus et processibus exsecutivis; *Vantii Seb.* Tract. de nullitatibus processuum et sententiarum; *Chartarius Flam.* Tract. de executione sententiae contumacialis capto bannito; *Halbritteri Io* De sententia et re iudicata; *Maynardi Fr.* De rerum iudicatarum auctoritate; *Carocci Vinc.* Tr. de remediis contra praeiudiciales sententias vel damnosas executiones, quae ab advocatis iuxta praxim opponi solent; *Scaccia Sigism.* Tract. de sententia et re iudicata; *Hoepneri G.* De sententiis ex querela nullitatis impugnandis; *Nonius Thob.* De mandatis et sententiis executivis; *Mausonius Flor.* Tract. de causis executivis, de iudicii assecuratione, de suspecto et fugitivo debitore ac de aliis in iudicio executivo occurrentibus; cui accessit opusculum de contrabandis et poenis extrahentium res vetitas; *Soetefleisch E.* De sententia; *Rhetius Io. Frid.* Disp. de exceptionibus partam executionem impedientibus; *Molina Lud.* Tract. de iustitia et iure tom. 6; *Schroterus Ernest. Frid.* De sententia; *Dornspergerus Io. Andr.* Syntagma iuris de probationibus, exceptionibus, sententiis et executionibus ex praecipuis practicis auctoribus collectum; *Chenitz Ioann. Ioach.* Disp. de poenarum exsecutione; *Maltini M.* Delle sentenze interlocutorie; *Demurtas Zichina Pasq.* Della spropriazione contro il debitore; *PateriGiov.* Dei mezzi per impugnare le sentenze; *Fusinato Guido* L'esecuzione delle sentenze straniere in materia civile e commerciale; *Moreau F.* Effets internationaux des jugements en matière civile; *Mariani M.* Sentenza civile passata in giudicato; *Cinaglione* Del carattere popolare delle sentenze presso i popoli di stirpe germanica; *Daguin Christ.* De l'autorité et de l'exécution des jugements ètrangers en matières civile et commerciale en France et dans les divers pays; *Pateri Giov.* Della esecuzione forzata immobiliare ossia dei giudizi di espropriazione, di graduazione, di purgazione delle ipoteche e di esecuzione per rilascio dei beni stabili ecc.; *Carulli L.* Della pubblicazione delle sentenze penali; *Sancipriano S F.* La correzione d'ufficio delle sentenze; *Manfredini Gius.* Dell'esecuzione forzata, Regole generali, Esecuzione mobiliare; *Ruta Giacomo* Dimanda di surrogazione sull'esecuzione immobiliare; *Ca-*

stellani A. La contrarietà delle sentenze come mezzo di impugnazione; *Franceschini Gaet.* Correzione delle sentenze; *Gabba Fr.* Deliberazione e distinzione tra gli effetti giuridici e quelli esecutivi di sentenze straniere.

Separatio a foro — Vid. *Divortium.*

3697 **Separatio sponsorum.** — Rescripta s. Poenitentiariae in causis matrimonialibus, quum adfuit incestus publicus, hanc clausulam habent: « remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem.... si fieri potest ». At haud raro accidit, ut separatio eorum, qui dispensationem postularunt, obtineri nequeat, aut quia plures iam habent liberos simul educandos, aut quia nuspiam alibi habitare possunt. Hinc a s. Poenitentiaria postulatum est, quaenam in his adiunctis via sit ineunda. Et s. Poenitentiaria (*12 apr. 1889*) respondit: separationem praeferri aliis modis reparationis scandali; sed, si ea fieri nequeat, scandalum quidem esse reparandum, modum vero scandali reparandi remitti prudenti arbitrio et conscientiae ordinarii, iuxta cuiusque casus exigentiam. Quare separatio in praesenti non est omnino necessaria ad valorem dispensationis; neque proinde opus est nova dispensatione, si separatione facta, sponsi iterum cohabitent. Scandalum vero reparandum est, quo meliori modo fieri potest, iuxta exigentias casus pro iudicio et prudentia episcopi. Cfr. *Praxis ap. disp. super imped. matr. n. 217.* Vide *Divortium, Torus.*

3698 **Septima manus.** — In causis matrimonialibus, praesertim si agatur de impotentia aut inconsummatione matrimonii, requiritur a iure testimonium septimae manus, ut vocatur, idest iurata attestatio septem testium, ex unaquaque parte, seu ex unoquoque coniuge, propinquorum, vel, si propinqui desunt, vicinorum; aliquando plures, aliquando pauciores admittuntur. Feije *de imp. et disp. matr. n. 544.*

Testimonium autem septimae manus stricto sensu sumptum in causis matrimonialibus exigitur tantummodo ad corroborandam confessionem coniugum quoad inconsummationem matrimonii. *S. C. C. in Varsavien. 16 iun. 1894.*

Testimonium hoc est testimonium credibilitatis seu veracitatis, idest hi testes non debent testari directe de consummatione vel non consummatione, sed potius an coniuges huiusmodi sint, qui in suis depositionibus fidem mereantur. Hoc tamen non impedit, quominus etiam alia testentur, quae ad veritatem detegendam faciunt, si quae sunt.

Sepulcretum. — Vid. *Requiem.*

Sepulcrum. — Sepulcrum est locus 3699 benedictus ab episcopo aut usu addictus fidelibus pie in Christo decedentibus sepeliendis. D'Ann. *I. 112;* Reiffenstuel *in tit. 28 lib. III Decr. n. 3.* Ius vero sepulcri consistit in hoc, quod quis in aliquo sepulcro, exclusis ceteris, sepeliatur. D'Ann. *loc. nuper cit.* Tum sepulcrum, tum ius sepulcri, differt a sepultura. Vide *Sepultura.*

Nota etiam iure sepulcri vel tumuli, venire etiam aliquando ius illud, quod pontificia aut episcopali auctoritate membris alicuius sodalitatis, commu-

nitatis ant instituti conceditur in eo consistens « ut eorum corpora, post ritus exsequiales iuxta ius commune expletos, reponantur, non quidem in coemeterio parochiali, ubi de iure condenda fuissent, sed in ecclesia vel coemeterio determinatis. Tunc nihil mutatur in officio funebri, quod fit a parocho in ecclesia parochiali, unde corpus deducitur a parocho non in coemeterium parochiale, sed in sepulturam destinatam; tunc etiam omnia emolumenta pertinent ad parochum ». Many *De locis sacris, n. 161.*

Ad sepulcrum eorum, qui in numerum beatorum aut sanctorum nondum authentico s. Sedis decreto ascripti sunt, lampades aut alia quaevis lumina accendere aut tabellas vel imagines appendere, in significationem venerationis et cultus, non licet, absque recognitione ab ordinario omnino facienda et sedi apostolicae referenda ac probanda. *Const.* Urb. VIII « Sanctissimus » *13 mart. 1625.*

Nomine sepulcri intelligitur etiam locus ille, in quo reconduntur reliquiae in altari consecrato. Vid. *Sigillum.*

Significat etiam vulgari usu altare illud, in quo feria V in Coena Domini solemniter exponitur adoranda sanctissima eucharistia. *S. R. C. in Narnien, 7 dec. 1844 ad 2 (2873).* Circa hoc altare notandum est, prohibitum esse ad eius ornatum adhibere crucem cum panno funereo, vel Christi demortui effigiem, vel sericas decorationes, statuas, picturas B. Virginis, S. Ioannis Evangelistae, S. Mariae Magdalenae et militum custodum, nec non arbores aliaque huiusmodi. Quoad statuas etc. possunt episcopi, ubi antiqua consuetudo viget, huiusmodi repraesentationes (sive sepulturae Dni, sive institutionis augustissimi Sacramenti) tolerare, sed cavere debent, ne novae consuetudines hac in re introducantur. *S. R. C. in Romana 15 dec. 1896 ad 2 (3939).* — Vide plura sub *Coena Domini.*

Sepultura. — **De ipsa ecclesiastica sepultura.** — 3700 Sepultura fidelium defunctorum debet esse in loco sancto, ad hoc benedicto et consecrato (Rit. Rom. *tit. VI. c. I. n. 18*), in quo alii sepeliri nequeant. Rit. Rom. *loc. cit. c. 2*; *c. 12 de sepult. X. (III. 28).* Stricte sepultura est ritus ipse, qui in efferendis sepeliendisque mortuis adhibetur. Cfr. Reiffenstuel *in tit. 28 lib. III Decr. n. 2.* Sepultura ecclesiastica latius sumpta duobus constat, loco sacro vel alio ad id destinato, et ritu catholico. D'Ann. *I. 112.*

Haec sepultura est pars communionis ecclesiae, ideo nulli fidelium deneganda est, nisi in poenam peccati. Rit. Rom. *tit. VI. c. 1. n. 18 c. 2.*

Eos vero, qui ecclesiastica sepultura privantur, catholico ritu efferre non licet. D'Ann. *I. 115 sqq.*

De membris amputatis quoad sepulturam. 3701 — Nec solum integra cadavera fidelium defunctorum donanda sunt ecclesiastica sepultura (quatenus haec importat sepulcrum in loco sacro), sed etiam membra ipsa amputata fidelium. Hinc. s. Congr. s. Officii ad superiorissam generalem sororum a Matre dolorosa, quae exponebat, sorores suae congregationis in America septentrionali in hospitalibus consuevisse, membra amputata, sive fidelium,

sive infidelium, aut in terra profana sepelire, aut, suadente medico, comburere, quum praesertim sepultura horum membrorum in aliquo coemeterio saepissime moraliter et haud semel physice impossibilis evaderet, respondit: « Quoad membra amputata acatholicorum sorores praxim suam tuto servare possunt. Quoad membra amputata fidelium baptizatorum pro viribus curent, ut in loco sacro sepeliantur. Sin vero graves obstant difficultates quominus in loco sacro condi possint, circa praxim hucusque servatam non sunt inquietandae. Quoad membrorum combustionem, praecipientibus medicis, prudenter dissimulent et obediant. Et ad mentem. — Mens est, quod, si fieri potest, in proprio horto domui annexo deputetur aliquod parvum terrae spatium ad sepelienda membra catholicorum amputata, postquam fuerit benedictum ». *S. U. I. 3 aug 1897.*

8702 **Quinam sepultura ecclesiastica priventur.** — Sepultura ecclesiastica deneganda est infidelibus (Rit. Rom. *l. c. c. 2 n. 2* cfr. *cc. 27, 28 dist. 1 de Cons.*); apostatis (Rit. Rom. *loc. nuper cit.*); haereticis (*c. 8 et c. 13 § 5 de haeret. X.* (*V. 7*); *c. 2 de haeret.* (*V. 2*) *in 6°*), excommunicatis publicis et notoriis (*c. 1. C. XXIV. q. 2; c. 12 de sepulturis X.* (*III. 28*), ut scilicet quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis; nominatim interdictis (D'Ann. *I. 114*); suicidis (cfr. *c. 12. C. XXIII. q. 5,* Vid. *Suicidae*); duellantibus, si in ipso conflicto (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 19 de ref.*) vel etiam alibi ex vulnere accepto in duello (Rit. Rom. *loc. cit. c. 2 n. 4; Const.* Ben. XIV « Detestabilem » *Vid. novemb. 1752*; Vid. *Duellum*), etsi poenitentes et absoluti, perierint; impoenitentibus publicis (Rit. Rom. *loc. cit. c. 2 n. 5*); non vero occisis in vindictam criminis (*c. 30. C. XIV. q. 1;* Reiffenstuel *l. c. n. 76*), nisi decesserint impoenitentes. Etiam infantibus mortuis absque baptismo per se (Rit. rom. *loc. cit. c. 2 n. 7*) deneganda est sepultura ecclesiastica. Attamen certe infantes nondum nati una cum matre mortua sepeliendi sunt, quia censentur pars matris. Etiam quoad infantes e christianis natos, e visceribus matris separatos et non baptizatos, mitior quaedam praxis invaluit; prout etiam pro catechumenis.

Qui sua corpora cremari post mortem iubent, sepultura ecclesiastica privandi sunt (B. P. *VII. 16*); non tamen hi, qui aliena voluntate cremantur, quamvis eorum seu cadavera ad ustrina, vel civiliter, comitari, seu cineres ad locum sepulturae ecclesiastico more deferre, eisve coram positis exsequias peragere, quasi praesente cadavere, nec oportet nec licet. D'Ann. *I. 116*; B. P. *loc. nuper. cit.* Vid. *Crematio.*

Quoad ascriptos sectis ab apostolica Sede damnatis, ut societati secretae Old Fellows, haec regula servanda est, scilicet: « Societatibus istiusmodi ascriptis, si sint notorii, neque sacramenta, neque exsequias, neque ecclesiasticam sepulturam concedi posse, nisi, debita retractatione emissa, per absolutionem Deo et ecclesiae fuerint reconciliati. Si quando vero iidem morte praeventi retractationem rite emittere non potuerint, nihilomi-

nus ante mortem signa poenitentiae et devotionis dederint, tunc poterit eis concedi sepultura ecclesiastica, vetitis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exsequiarum » *S. C. P. F. ad episc. Campirallensem 10 maii 1898.* Haec confirmantur ex decreto s. Congreg. s. Officii (*2 dec. 1840*), in quo statuitur praeterea, quod sepultura ecclesiastica ascriptis hisce sectis concedenda sit in casu, etsi feretro apponantur emblemata sectae, dummodo tamen appositio emblematum demandata non fuerit a defuncto post receptionem sacramentorum vel ab eodem fuerit revocata, et emblemata haec amoveantur, statim cognita eorum appositione, et omnino ante associationem cadaveris. Decretum 10 maii 1898 extendendum est etiam ad excommunicatos ac peccatores notorios, qui in morte desideraverint quidem sacerdotem catholicum, sed ab eodem fuerint iam mortui inventi, aut qui dederint signa poenitentiae, sive imaginem Christi crucifixi deosculantes, sive alia signa pietatis edentes; scilicet « in hisce casibus, evulgatis resipiscentiae signis, dari ipsis potest ecclesiastica sepultura, vetitis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exsequiarum. Quod si in aliquo casu circumstantiae extraordinariae concurrant, parochus consulat ordinarium, et stet eius mandatis ». *S. U. I. 4 iul. 1898.*

3703 **Quid in dubio, an alicui sit deneganda ecclesiastica sepultura.** — Semper in dubio, an aliquis donandus sit ecclesiastica sepultura, necne, episcopus est interrogandus (Rit. Rom. *l. c. c. 2 n. 8*); si id fieri nequeat, potius in benigniorem partem declinandum est.

Hinc Baruffaldus (*Comm. in Rit. tit. 35 n. 30*) ait: « In quocumque vero casu non omnino claro semper bene fit praesumendo ad favorem defuncti circa sepulturam, quum sepulturae privatio sit poena gravis fidelibus imposita ob mala voluntarie perpetrata. Nemo enim praesumitur delinquere, nisi probetur ». Quae omnia confirmantur ex sequenti responsione s. Congr. s. Officii, scilicet: « Sancta Mater Ecclesia benigna et misericors erga filios suos, eos salvos fieri vehementer cupit. SSmus D. N. hoc spiritu imbutus recte novit, quod impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. Hinc perspectis omnibus expositis peculiaribus circumstantiis, et rite perpensis, decrevit in iisdem tolerari posse, quod sepultura ecclesiastica illi gaudeant, et publicae preces seu suffragia pro iis defunctis fundantur, qui, adhuc viventes catholicae ecclesiae erant membra, quamvis in articulo mortis sacramentis refici recusaverint, dummodo vel minima spes interluceat, ipsos potuisse de peccatis commissis contritionem concipere et ad Deum ante obitum ex corde converti ». *S. U. I. ad miss. Terrae Sanctae 14 febr. 1827.*

Quid in casu, quo, denegata ecclesiastica 3704
sepultura, aliquod damnum immineat. — Praeterea, quum ecclesiasticae leges cum gravi incommodo non obligant, bene notat Ballerini-Palmieri (*VII 14*), sepulturam ecclesiasticam, quando, ea negata, aliquod damnum tran-

quillitati fidelium merito timeretur, tolerari posse, dummodo absit contemptus religionis et scandalum fidelium. Cfr. etiam D'Ann. *I. 114* et *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 166* (*16*), ubi citatur in confirmationem decretum *S. U. I. 13 iul. 1609.*

3705 **De excommunicatione vigente latae sententiae circa hanc materiam.** — Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos incurrunt excommunicationem l. s. nemini reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 4. n. 1.*

Quare « etsi peccent, qui dant indignis sepulturam ecclesiasticam, excommunicationem tamen non incurrunt, nisi agatur de haereticis notoriis, vel de excommunicatis aut interdictis nominatim. Et hi tantum incurrunt, qui mandant vel cogunt, eos tradi ecclesiasticae sepulturae, idest qui tumulo inferre, condere, non item, qui iusta persolvere iubent, nec qui iusta funerum persolvunt, sepeliunt vel sepelientibus operam praestant. Et qui mandant, cogunt, etc., excommunicationem non incurrunt, nisi post sepulturam traditam. At vero hodie eos non excusat ignorantia crassa aut supina; nec quod defunctus sepultus fuerit, nullo ritu ecclesiastico adhibito ». D'Ann. *Comm. in constitut. « Apost. Sedis » n. 168.* Vid. *Exsequiae.*

3706 **De sepulcro benedicendo, vel non.** — Sepulcrum, seu ipse locus, ubi cadaver inhumatur, benedicendus est; attamen sepulcrum, quod novum foditur in coemeterio rite benedicto, non est benedicendum, quum iam benedictum censeatur; quod dicendum est etiam de fovea in ecclesia effossa, non autem de crypta seu sepulcro lapideo in coemeterio vel ecclesia aedificato. *S. R. C. in Ruremunden. 27 maii 1876 ad 5* (*3440*); *in Briocen. 4 sept. 1880 ad 1* (*3524*).

De electione loci sepulturae (*remissive*). — Quoad hoc vid. *Exsequiae.*

De coemeterii catholici ab acatholico distinctione et separatione curanda. — 3707 Studium omne in id conferre debent episcopi, ut catholici proprium coemeterium et a coemeterio acatholicorum separatum habeant; quod si rerum adiuncta id minime sinant, et catholici adigantur corpora fidelium defunctorum in coemeterio protestantium sepulturae dare, curare saltem debent, ut in eodem distinctus ac separatus constituatur locus pro catholicorum sepultura; et si nec id impetrare possint, prout etiam quoadusque id assequi datum non fuerit, quoties catholicum humari contigerit, benedictione prius lustrari debet locus, quo sepulturae traditur. *S. C. P. F. 16 apr. 1862.*

Tolerari autem potest, ut acatholici ratione vinculi consanguinitatis aut matrimonii inferri possint in sepulcro gentilitio familiarum catholicarum (*S. U. I. 30 mart. 1859*); haec autem tolerantia intelligenda est de tolerantia mere passiva ad praecavenda maiora mala. *S. U. I. 14 nov. 1888.*

De distantia servanda inter sepulcra et altare. — 3708 Sepulcra distare debent ab altari saltem tribus cubitibus: quod si corpora defunctorum condita sint in sepulcris, quae ab altari iuxta ca-

nonicas praescriptiones non distant, removenda sunt, si id commode fieri possit (*S. R. C. in Nicoteren. 2 apr. 1875* [*3339*]); tria autem cubita sunt fere unum metrum longitudinis; et haec distantia unius metri ab altari in casu sufficit. *S. R. C. in Romana 12 ian. 1897 ad 2* (*3944*); [*in Vicen. 30 aug. 1901 ad 2.*

3709 **De corporibus acatholicorum sepultis in ecclesiis.** — Corpora et ossa acatholicorum condita in ecclesiis removenda sunt, si adhuc dignosci possint, adhibita omni prudentia; et ecclesiae ipsae reconciliandae sunt, quia ex tumulatione cadaverum acatholicorum fuerunt pollutae. *S. R. C. in Carthaginien. in Indiis 23 apr. 1875* (*3344*).

Tit. de sepulturis X. (III. 28); idem tit. (III. 12) in 6°; idem tit. (III. 7) in Clem.; idem tit. (III. 6) in Xvag. comm.; Const. Urb. VIII « Quum sicut » 2 mart. 1638; litt. Greg. XVI « Officium perlibenter » 13 febr. 1842; *Magii Hier.* Tract. de sepulcris et sepeliendi ritu; *De Medicis Seb.* Tract. de sepulturis; *Caraccia* De quarta funeralium; *Palma Caiet.* Tr. de sepultura et iure sepulchri; *Gretser Iac.* De funere christiano adversus sectarios; *Gehren Frid. Bern.* Disp. inaug. de sepultura punitorum; *De Gama Ant.* De sacramentis praestandis ultimo supplicio damnatis et de testamentis nec non de sepultura eorumdem; *Finckélthaus Sig.* Tract. de iure sepulturae; *Spondanus* Coemeteria sacra; *Dulphi Flor.* Tract. de sepulturis, de cappellis, de statutis, de epitaphiis et defunctorum munimentis; *Vestringk Io.* De iure exequiarum; *Wacke Christoph.* Disp. de iure sepulturae; *Samuellius Franc. Maria* De sepulturis ecclesiasticis; *Stein Gotfr. Lud.* De sepulcro violato; *Hoyeri Iust. Bern.* Tr. de iure sepulturae; *Rebhan Io.* De iure sepulcrorum; *Klengelius Christ.* Tract. de privilegiis sepulcrorum; *Ledererus Mich. Frid.* De privilegiis sepulcrorum; *Geisler* De iure coemeter.; *Gutherii Iac.* De iure Manium sive de ritu, more et legibus prisci funeris et de sepulturis earumque servitutibus; *Samuelli O.* Praxis nova observanda in eccl. sepulturis; *Philippi* De sumptibus funerum; *De Murga Petr.* De iis, qui sepultura in iure privantur; *Muratori* Diss. de vett. Christ. sepulcris; *Strykius* De iure funerandi; *Bruckner* De sepultura gratis concedenda; *Franzenius* De funeribus veter. christian.; *Lanzoni* De luctu mortuali veterum; *Panvinius* De ritu sepeliendi mortuos apud veteres christianos; *Gregorovius* De iure denegandi communionem coemeteriorum; *Willenberg* De sepulcrorum commercio; *Slevogt* De sepulturis imperatorum..., in monasteriis; *Bachovins* De sepulcris; Institutiones, ritus et decreta ad funera ducenda aliaque officia mortuis praestandâ; *Pertsch* De iure erigendi coemet.; *Sahme* De sepulturae denegatione; *Saurmann* De iure circâ sepulcra et cadavera; *Mencken* De iure sepulcrorum familiarium et haereditariorum; *Rosatius* De sepulcris; *Hofmann Christ. God.* De coemet. ex urbibus tollendis; *Tresling* De sepulturae ratione et iure; *Kläsen M.* Kann u. soll d. Leiche eines Selbstm. d. kirchl. Begräbnis verweigert werden?; *Murcier* La sépulture chrétienne en France; *Probst F.* Die Exsequien i. d. kath. Kirche; *Berrisch E.* Die Ausschliessung d. Selbstmörder, öffentl. Sünder u. Sakramentsverschmäher v. kirchl. Begräbnis; *Aichner S.* Das kirchl. Begräbnis u. d. Cömeterien; *Moulart F. I.* De sepultura et coemeteriis; *Hornstein Ed.* Les sépultures; *Ram* De sepultura et coemeteriis; *Simor I.* De funeribus et exsequiis defunctorum; *von Ketteler W. E.* Ueber d. Verweigerung d. kirchl. Begräbnisses; *Greith K.* Die Begräbnisfrage nach d. Satzung u. Orduung d. kath. Kirche; *Wagner L.* Das Begräbnisrecht d. Regularen; *Kolkmann* Das christl. Begräb-

nis; *Craisson* Peut-on accorder la sépulture ecclésiastique aux inconnus?; *Kohn Th.* Utrum locus, in quo sepeliuntur fideles, pertineat ad notionem sepulturae ecclesiasticae etc.; *Schultze V.* De christianorum vet. rebus sepulcralibus; *Wasmandorff* Die religiösen Motive der Totenbestattung bei den verschiedenen Völkern; *Fayout* Du ius espulcri en droit romain; *Chareyre* Des inhumations etc.; *Audibert* Funerailles et sépultures; *Daniel-Lacombe* Des sépultures; *Bonduel* Inhumations et sépultures; *Inhofer M.* Der Selbstmord; *Borrè Pietr. Ant.* Del diritto di sepolcro; *Geiger A.* Der Selbstm. i. deutsch. R.; *Geiger A.* Der Selbstm. i. franz. Recht; *Geiger A.* Der Selbstmord im Kirchenrecht; *Fadda Carlo* Sul diritto di sepolcro: contributo alla teoria della comunione; *Palladini Diocl.* La communione del diritto di sepolcro nelle leggi romane e nella italiana vigente; *De Hinojosa* La privación de sepultura de los deudores; *Garbasso Luigi* Del diritto di sepolcro nel diritto romano, nel diritto canonico, nel gius moderno; *Küchenmeister* Die Todtenbestattung der Bibel; *Tavallini E.* Intorno all'acquisto del diritto di sepultura nelle chiese parrocchiali in relazione al diritto feudale e alla legislazione piemontese; *Vix* Die Totenbestattung; *Sauer J.* Zur Gesch. d. Friedhofs u. d. Totenbestattung; *Dabot* Droit des particuliers concernant les sépultures; *Drössler O.* Die Begräbnisstätten u. d. Bestatt. d. Leichname einst u. jetzt; *Gabba* Intorno alla competenza dell'autorità municipale in materia di riti funebri; *Meunier W. H.* Das kirchl. Begräbnisswesen mit bes. Berücksichtigung der Erzdiöcese Köln; *Ruland L.* Die Geschichte d. kirchlichen Leichenfeier; *Alberti I.* De sepultura ecclesiastica deque iure sepeliendi; *Littlis* Law of Burial; *Thümmel W.* Die Versagung d. kirchl. Bestattungsfeier; *Gouffier* La législation des funerailles et des pompes funèbres; *Zema L. M.* Quaestiones canonico-liturgicae de sepultura religiosa; *Nöldeke O.* Die kirchl. Beerdigung d. Selbstmörder; *Castellano* Diritto di scelta del sepolcro, in particolare nei rapporti dei coniugi; *Lex* D. kirchl. Begräbnisrecht. Hist.-kanon. dargest.; *Many Ser.* Prael. can. de locis sacris, nimirum de ecclesiis, oratoriis, altaribus, coemeteriis et sepulturis; *Hawelka* Oesterr. Friedhofsrecht; *Baratte L.* Rapports de l'autorité civile et de l'autorité religieuse en matière de sépulture; *Pieper* Die Entwickelung d. Beerdigungsrechts d. Stadt Köln; *Goes* Die Friedhofsfrage; *Melata Ben.* De iure parochorum quoad missam funeralem; *Körner* D. kirchl. Beerdigungsrecht; *Ricca-Barberis* Funerali; *Castillon Pierre* Les droits funéraires et les hospices non exempts; *Kohl* D. Friedhofs- u. Begräbnisrecht in Preussen; *Goes* Frieden für d. Friedhof.

Sequestrantes. — Vid. *Usurpantes.*

Sequestrum. — Sequestrum est depositi species, quo res controversa deponitur apud tertium, ut post sententiam vincenti tradatur. *l. 109 de verb. signif. D.* (*L. 16*); Vid. *Usurpantes.* 3710

Duplex est (*C. C. a. 1869*): conventionale, quod fit mutua contendentium conventione (*C. C. a. 1870*); iudiciarium, quod sententia iudicis decernitur.

Utriusque obiectum potest esse res mobilis vel immobilis. *C. C. aa. 1873, 1875.*

Conventionale potest esse non gratuitum (*C. C. a. 1871*); sed, si gratuitum, iisdem regulis regitur ac depositum, quibusdam tantum exceptis, quae in iure notantur. *C. C. a. 1872.* In sequestro conventionali depositarius, apud quem deposita est res controversa, obligatione suscepta non liberatur, nisi ex consensu omnium in-

teresse habentium vel ex causa legitima. *C. C. a. 1874.*

Etiam iudiciarium per se non est gratuitum. *C. C. a. 1876.* Fit autem per auctoritatem iudicis illud decernentis ad instantiam eorum, quorum interest, quum alterationis aut subtractionis seu in deterius mutationis periculum imminet. *C. Proc. civ. a. 921.* Decerni etiam potest a iudice, ex solo facto controversiae quoad rei proprietatem aut possessionem. *C. C. a. 1875.* Etiam res, quae a debitore pro sui liberatione offeruntur, sequestrari per iudicem possunt. *C. C. art. nuper cit.*

Depositarius ad res depositas servandas uti debet diligentia, quam adhiberet bonus paterfamilias; tradere autem debet res depositas, sive ut vendantur ad indemnem faciendum sequestrantem, sive ut ei reddantur, cui sequestrum fuerat indictum, si revocetur. *C. C. a. 1876.*

Angeli De sequestrationibus et sequestris; *Carocius* De deposito et sequestro; *De Arena* De sequestrationibus; *Cludii Andr.* Tract. de iure sequestrationis; *Baumanni Ioann.* Tract. de sequestris et sequestrationibus; *Carocci Vinc.* Tr. de deposito, de oblationibus et de sequestro; *Foiani Guid.* De sequestro; *Reinigk Nic.* Disp. de sequestro; *Mevii D.* Tract. de arrestis (ubi etiam de sequestris); *Troplong T. U.* Comm. du prêt, du depôt, du séquestre et des contrats aléatoires; *Muther Th.* Sequestration und Arrest im Röm. Recht; *Gambini C.* Del sequestro; *Majno L.* Della confisca e del sequestro nei reati di contrabbando; *Demurtas Zichina P.* Del sequestro giudiziario; *Norsa Em.* Il sequestro nella legislazione vigente; *Gianzana S.* Del sequestro giudiziale e conservativo; *Chironi G. P.* Studio intorno al sequestro giudiziario; *Busatti Luigi* Se il sequestro giudiziario possa chiedersi con ricorso e concedersi per decreto inaudita altera parte; *Santorini G.* Del sequestro giudiziario; *Lessona* Decreto di sequestro conservativo proferito in Italia; *Bonelli Gust.* Del diritto del creditore istante e del sequestratario giudiziale ad espellere il debitore dal fondo espropriando; *Guillouard* Traité du prêt, du depôt et du séquestre.

Sermones. — Sermones turpes miscere delectationis venereae causa, vel cum proximo periculo consensus in illam, est grave peccatum. Sanchez *de matr. lib. IX disp. 46. n. 38 sqq.*; Tamburini *in dec. lib. VII. c. 8. § 4. n. 1.* Generaliter graviter peccant, qui de actu coniugali et similibus coram iuvenibus loquuntur (Salmanticenses *Th. mor. tr. XXVI. c. 3. n. 19*), vel verbis aequivocis, sed satis notis, turpia ob turpem delectationem proferunt. Bucc. *I. 778.* Dicere autem turpia ob vanum solatium sive iocum, absque periculo consensus in veneream delectationem et absque scandalo, de se non est mortale. S. Alph. *III. 426.* 3711

Servi. — Triplex distinguitur servorum species. Prima est eorum, qui adeo stricte a domino dependent, ut veluti res domini considerentur et habeantur veluti mancipia, quae a domino vendi et locari possunt; sunt autem servi stricte dicti, seu vera servitute devincti. Nunc inter christianas gentes nullibi aut fere nullibi indecora haec servitus viget. 3712

Altera species est eorum, qui operas suas ad certum tempus alicui domino locant, sed ad eius familiam non admittuntur, nec proprie eius gu-

bernationi subsunt. Hi sunt operarii seu opifices.

Tertia species est eorum, qui ad servitia praestanda in aliqua ditiori familia mercede conducuntur, cuius quasi pars proinde constituuntur. Hi sunt, qui famuli, familiares, famuli domestici appellantur. Génicot *Th. mor. I. 354;* Slater *Principia moralia de praec. dec. art. 6.*

3713 Quoad primi generis servos haec duo sufficiat indicare.

Servitus, seu *conditio servilis* proprie dicta (Feije *de imp. et disp. matr. n. 120*) est impedimentum dirimens matrimonii (*tit. 9 lib. IV. X.*). Hoc impedimentum iure apud nos adhuc viget, non vero de facto, quia communiter deest occasio: hinc de eo satis.

Iidem servi, qui nempe in vera servitute constituti sunt, irregulares sunt (*cc. 1. 5 de servis non ordinandis X.* [*I. 18*]), nisi plene fuerint manumissi (*cc. 1. 6 tit. cit. X.* [*I. 18*]); de hac etiam irregularitate satis, propter rationem supra allatam.

3714 Quoad alios vero, quamvis de obligationibus famulorum (vid. *Famulus*) et operariorum (vid. *Operarius*) quaedam dixerim, aliquid hic est addendum, complectendo simul obligationes utrisque communes et quaedam etiam addendo de obligationibus dominorum erga famulos et operarios.

Operariorum et famulorum officia facile complecti possumus hac formula: Operarii et famuli tenentur stare contractui locationis operarum, quem cum dominis inierunt. Quare nec possunt otio terere tempus, quo secundum pactum initum laborare deberent, nec res sibi commissas male perficere cum damno domini aut tertii, nec rebus domini nocere, aut dominorum personam violare. Cfr. *Encycl.* Leonis XIII « Rerum novarum » *15 maii 1891.*

Nec solum; nam, ut bene animadvertit Génicot *(l. c. I. 354),* falsum esset asserere, officia operariorum ac famulorum ex una parte et dominorum ex alia, « adimpleto utriusque fideliter contractu, penitus absolvi. Nam inter dominos et famulos, etiam hodiernos, exstat aliqua relatio superioritatis et inferioritatis, a qua necessario aliqua peculiaria officia utrimque gignuntur. Haec tamen eo minora sunt, quo magis restringitur dependentia, in qua, vi contractus, legum civilium et morum vigentium, famuli erga dominos constituuntur. Ita leviores obligationes sunt heri ad operarios, quam patrisfamilias ad famulos domesticos; pleraeque etiam, si debita iustitiae excipias, mere negativae sunt ».

Et postquam dixit de obligationibus operariorum et famulorum, idem auctor *(loc. cit. I. 356)* ita belle complectitur et exponit obligationes dominorum erga operarios et famulos: « Heri erga operarios, magis etiam erga famulos domesticos, tenentur: — 1° Non tantum observare iustitiam commutativam, sed et *caritatem.* Hinc monet eos Leo XIII (*Encycl. cit. de condit. opif.*): " Non habendos mancipiorum loco opifices: vereri in eis aequum esse dignitatem personae, utique nobilitatam ab eo, character christianus, qui dicitur..... Illud vero turpe et inhumanum abuti hominibus

pro rebus ad quaestum, nec facere eos pluris, quam quantum nervis polleant viribusque. „ Hinc peccant qui aspere operarios tractant, eorum querelas audire detrectant, inferiores officiales, a quibus male tractantur compescere vel removere negligunt, etc. — 2° Abstinere ab iis, quae opificibus *in bonis animae vel corporis nocent.* " Quare dominorum partes esse (sequitur), non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi, neque ullo pacto a cura domestica parcimoniaeque studio abducere. Item non plus imponere operis, quam vires queant, nec id genus, quod cum aetate sexuque dissideat. „ (*Encycl. cit.*). Hinc graviter peccant, qui maioris lucri faciendi causa, operarios moraliter cogunt ad genus laborum, quod, ex. gr. ob veneficas materias tractandas, sanitati plurimum nocet; similiter qui non removent famulum vel operarium, qui morum corruptela vel impietate aliis gravi scandalo est; qui utrumque sexum sine cautelis promiscue laborare cogunt, etc. — 3° Habere rationem *religionis et bonorum animi* seu " efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex. „ (*Encycl. cit.*) Tenentur ergo opificibus vel famulis suis opportunitatem concedere, ut, absque difficultate, christiani hominis officia implere queant, ex. gr. assistentiam sacro, annuam confessionem et communionem, quietem diei dominicae et festorum. — 4° *Correctionem fraternam* exercere erga delinquentes. Crebrius autem ad id tenentur erga famulos vel operarios, quam erga alias personas, propter speciale vinculum et inde natam maiorem efficaciam correctionis ad delinquentis emendationem. Cura tamen spiritualis ipsis etiam erga famulos domesticos, non incumbit (Sanchez *Cons. moral. lib. V. c. 1. a. 17*). Deinde a correctione facienda quandoque excusantur domini ob grave incommodum... Tale incommodum plerumque non aderit in corrigendis peccatis, quae palam in ipsa domo vel officina committuntur, ut sunt blasphemiae, turpia colloquia, etc.; non raro occurret in corrigendis aliis vitiis, ex. gr. ancillae amasium extra domum quaerentis, operarii a sacro audiendo abstinentis, etc. Nam saepe, praesertim in civitatibus, operarii et famuli vel ancillae profitentur se nolle heris suis subiacere, nisi ad quaedam determinata opera peragenda, in rebus autem conscientiae suae manere independentes. Ideo monentibus dominis saepe resisterent, et, cum gravi incommodo, dimittendi essent. Haec de stricta obligatione; patet enim, plurimum suadendum esse, ut nulli famuli domestici recipiantur, vel serventur, nisi christianis moribus praediti. — 5° *Succurrere in necessitate positis.* Haec obligatio, nisi in contractu exprimatur, vel lege civili imponatur, e sola caritate oritur, ideoque regulis de eleemosyna datis determinanda est, sed advertendum est, caritatem eo strictius obligare, quo arctius cum aliquo coniungimur. Ideo facilius aderit officium succurrendi famulis vel operariis, praesertim diuturnis obsequiis cum hero constrictis, quam aliis gravi necessitate laborantibus. Ita saepe iubebit caritas, herum

opem ferre operariis, quos, forsan ob iustam causam, ad tempus dimittat, vel qui aliter occasione industriae, in qua eum adiuvent, gravem inopiam patiantur. Ex ipsa enim conditione hodiernae industriae, speciatim a maxima laboris divisione et officinarum amplitudine fit, ut operarii diurni arcta necessitudine cum hero suo constringantur: quare, si ab eo dimittuntur, praesertim maximo numero in iisdem locis, saepe nullatenus, vel nonnisi aegerrime, et maxima salarii imminutione operam suam apud alios locare valent. Cfr. De Gryse *de contractu conductionis pag. 55.* Verum ubi diu, puta per menses et annos, huiusmodi subsidia tribuenda forent, ut contingit pro operariis famulisve ob morbum vel senium laborando imparibus, sola caritas tantum onus imponere nequit; quare, si aliunde necessitatibus horum miserorum non satis succurritur, seu propter languescentem caritatem seu propter ingentem operariorum numerum, legis civilis erit eisdem providere, servatis naturalis aequitatis regulis. Atque haec de stricta obligatione dicta esse patet, cuius limites multum excedere solent, qui vera christiana caritate aguntur ».

Aliud, quod a dominis operariis et famulis ex iustitia debetur, est debitum stipendium. De hoc vide *Stipendium.*

Tit. de coniugio servorum X. (IV. 9); *Vadiani Io.* De connubio servorum nostri temporis consultatio; *Bonacossa Hipp.* Tract de servis vel famulis; *Pignorii Laur.* Comm. de servis et eorum apud veteres ministeriis; *Manzi Gasp.* Tract. de servitutibus personalibus et de usufructu, habitatione et operis servorum; *Hussani Frid.* Tr. de servis vel famulis; *Gundling* De contubernio servorum; *Pütter* De SC. Claudiano vel de poenis mulierum, quae alienis se servis iunxerunt; *Josson* De la condition des affranchis en droit rom.; *Lemonnier* Etude hist. sur la condition privée des affranchis aux trois premiers siècles de l'Empire rom.; *Blanc* Des délits des esclaves en droit rom.; *Kuntze* Der servus fructuarius des röm. R.; *Costa* Le nozze servili nel diritto rom.; *Juglar* Du rôle des esclaves et des affranchis dans le commerce; *Erman* Servus vicarius, l'escave de l'esclave rom. Reliquam bibliographiam quaere sub *Stipendium.*

Servi Dei. — Quoad servos Dei iuve- 371
rit referre sequentia decreta S. Congregationis Rituum.

1° « Quum maximopere intersit, ne quid veritati aut pietati haud consentaneum in coelitum actis describendis proponatur, providentissime summi pontificis Urbani VIII decreto cautum est, ut vitae, res gestae, miracula ven. Servorum Dei edi typis nequeant "sine recognitione atque approbatione ordinarii, qui in iis recognoscendis theologos aliosque pios ac doctos viros in consilium adhibeat; et ne deinde fraus vel error aut aliquid novum aut inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad sedem apostolicam remittat „. — Item ad diem 17 novembris 1674, consulta sacrorum rituum Congregatione per r. p. Magistrum sacri palatii, super modo concedendi licentiam imprimendi libros continentes vitas, gesta et miracula servorum Dei, non adhuc a S. Sede sanctorum fastis ascriptorum; eadem S. C. censuit "in posterum, antequam typis mandentur,

revidendos esse per r. p. d. Fidei promotorem et per eumdem in sacrorum rituum congregatione referendos „. Id demum de ea re annotavit s. m. Benedictus XIV in opere de beatificatione et canonizatione lib. II, cap 2, §§. 6 et 7, quod videlicet " Sacra Rituum Congregatio aliquando eorumdem revisionem defert ad congregationem ssmae Inquisitionis, quae, accepta relatione ab aliquo ex suis relatoribus aut qualificatoribus, si quando illa typis imprimendi facultatem tribuit, iniungit locorum ordinariis observantiam erga saepe memorata decreta Urbani VIII „.

Salutaria haec instituta paullatim languescere ac ex usu plane iam decessisse compertum est; ideoque S. R. C. secretarius, de opportuno remedio adhibendo egit in generali conventu habito die 28 iulii 1821. Re itaque diligenter perpensa, emi PP. decernendum censuere: "Detur novum decretum, facto verbo cum SSmo: et transmittatur ex officio p. Magistro s. palatii Apostolici „.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII Pont. Max. relatione per infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua sacrae congregationis decretum approbavit et confirmavit; ac, ut ab omnibus servetur, typis evulgari atque in actis eiusdem Congregationis referri mandavit. Die 31 iulii 1821 » (*2617*).

3716 2° « I. In generalibus decretis a s. m. Urbano PP. VIII editis super moderatione cultus Dei famulis praestandi, omnino praecipitur, ut, sive causa procedat per viam non cultus, sive per viam casus excepti, particularis processus praecedere debeat una cum subsequenti pronuntiatione ordinarii, seu iudicis ab apostolica Sede delegati, vel super cultu non exhibito, vel super casu excepto. Quibus decretis diu conformis exstitit sacrae rituum congregationis praxis, uti patet ex eiusdem congregationis actis. Quin etiam, prouti testatur s. m. Benedictus PP. XIV in suo opere de canonizatione sanctorum lib. 2, cap. 23, n. 10, inductum fuit ad normam eorumdem decretorum, ut per particularem processum nedum probaretur cultus initium, seu fundamentum casus excepti, verum etiam cultus eiusdem iugis continuatio, usque ad sententiam hac de re editam sive ab ordinario sive a iudice ab apostolica sede delegato; subinde tamen, accedente expresso vel tacito s. sedis consensu, iudicialis illa ac legitima inquisitio intermitti coepit, et per extraiudiciales probationes deventum est ad declarationem casus excepti. Verum quum emi patres sacris tuendis ritibus praepositi particularis processus confectionem valde conferre animadverterint accuratiori causarum examini, re mature perpensa auditoque s. Fidei promotore, hodiernis comitiis ad Vaticanum habitis, generalium decretorum tenorem ac veterem s. congregationis praxim districtius in posterum observari iusserunt. Proinde statuere, ut deinceps ad approbationem cuiuslibet ex casibus exceptis non deveniatur, nisi praecesserit particularis processus tam super cultus initio, seu super fundamento casus excepti, quam super cultus continuatione usque ad sententiam ab

ordinario seu ab iudice ab apostolica sede delegato emanandam, qua declaretur casum, de quo agitur, comprehendi inter exceptos a memoratis decretis s. m. Urbani PP. VIII: si ssmo Domino Nostro placuerit. Die 5 decembris 1868.

Facta autem per subscriptum secretarium ssmo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua decretum sacrae congregationis approbavit, ac confirmavit, typisque editum publicari praecepit die 10 eiusdem mensis et anni ».

II. Sacra rituum congregatio, expendens processus sive ordinaria sive apostolica auctoritate pro servorum Dei beatificatione et canonizatione extra urbem confectos, gravem quandoque irregularitatem annotare debuit in eo sitam, quod personis certum officium in processu instruendo gerentibus, postquam illo fungi coeperunt, venia data fuerit, perdurante adhuc sive ordinaria sive etiam apostolica eiusdem causae inquisitione, officio primo dimisso, aliud diversae indolis assumendi et exercendi. Haec autem officiorum permutatio quum iuris regulis minime consona videatur, eadem sacra congregatio in ordinariis huius diei comitiis ad Vaticanum habitis, ad praedictum removendum abusum et suspicionem quamlibet etiam levem in re tam gravis momenti prorsus eliminandam, " censuit prohibendum, si SSmo placuerit, ne deinceps in condendis quibusvis processibus tam ordinariis, quam apostolicis, ad eiusdem servi Dei causam pertinentibus eadem persona diversis officiis, ne successive quidem, utcumque priori expleto et dimisso, fungi possit sub poena nullitatis ,,. Die 10 decembris 1870.

Factaque de praemissis per subscriptum secretarium ssmo Domino Nostro Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua praefatam sacrae congregationis decisionem ratam habuit et confirmavit, eamque praesenti generali decreto promulgari et ab omnibus servari mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 eiusdem mensis et anni » (*3233*).

3° « Inter constitutiones romanorum 3717
pontificum ac sacrae rituum congregationis decreta, quae edita fuere pro moderando cultu servorum Dei, qui cum fama sanctitatis vel martyrii decesserunt, sed inter beatos aut sanctos ab apostolica sede adhuc relati non sunt, nonnulla ad eorum imaginum sive in templis sive in publicis oratoriis appositionem pertinent. Recenter etiam quum vicarius apostolicus discrictus occidentalis Scotiae retulisset, in vitris coloratis, quibus templorum fenestrae decorantur, praefatas imagines interdum depingi; sacra eadem congregatio, per decretum in una vicariatus apostolici districtus occidentalis Scotiae diei 24 martii 1860 editum, hunc morem minime approbandum censuit. Verumtamen cum non raro, nedum in eiusmodi vitris, sed etiam in templorum parietibus facta ac gesta repraesententur, quorum Dei famuli, vel praecipui actores, vel pars aliqua fuerunt; dubitatum est, num prohibitio illa etiam ad historicas huiusmodi repraesentationes sese porrigat.

Re itaque maturo examini subiecta,

auditisque votis vtrorum in sacra theologia et in ecclestiastica qooque archaeologia praestantium, sacra rituum congregatio, referente eminentissimo et revmo domino cardinali eidem praefecto, in ordinariis comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, respondendum censuit:

" Imagines virorum ac mulierum, qui cum fama sanctitatis decesserunt sed nondum beatificationis aut canonizationis honores consecuti sunt, neque altaribus utcumque imponi posse, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve sanctitatis signis; posse tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis iudicium praeseferant, neque quidquid profani aut ab ecclesiae consuetudine alieni „. Die 14 augusti 1894.

Facta postmodum sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per eminentissimum et rmum dominum cardinalem praefectum de praedictis relatione, idem sanctissimus Dominus Noster sacrae congregationis sententiam ratam habuit, confirmavit, et ita decreta, quae in contrarium facere videantur, intelligi debere iussit. Die 27 iisdem mense et anno » (*3835*).

Cfr. etiam quoad hoc Mon. eccl. *vol. XVII pag. 371.*

3718 **Servitium ecclesiae.** — Servitium ecclesiae est titulus extraordinarius ordinationis, qui ea lege aliquando conceditur, ut quis sit perpetuo mancipatus servitio alicuius ecclesiae, ex cuius servitio et eleemosynis a christifidelibus elargiendis sustentari possit. Qui sic ordinantur, non possunt ab eadem ecclesia amoveri, vel ipsi recedere, nisi aliter eis provisum fuerit. *S. C. C. 21 iun. 1872.*

Circa hunc titulum attendendum est sequens duretum S. C. C. (*21 iun. 1879*) pro regionibus Americae latinae:

« In relatione status ecclesiae de Chiapas in Mexicana provincia, quam ad s. C. Congregationem revmus episcopus transmisit haec habet: " Universalis ecclesiae Mexicanae est praxis, ordines titulo administrationis conferre, et ego hanc praxim sequutus sum „. Quibus habitis, eidem episcopo demandatum fuit ut magis praecise referret, quidnam intelligatur titulo administrationis, et an praxis esset diuturna, et alicui peculiari privilegio inniteretur. Votis S. C. morem gerens revmus episcopus, datis literis diei 10 novembris 1877, sequentia exposuit:

" 1. Titulo administrationis intelligitur destinatio ordinandi ad munia ecclesiastica, ubi episcopo videbitur, obeunda cum iure ad pensionem congruentem pro sustentatione ex fidelium oblationibus recipiendam, dummodo ex sua culpa inhabilis ad illa officia non reddatur.

" Maioris hac super re claritatis gratia scire oportet, fideles christianos in Mexicana ecclesia quasdam determinatas praestationes, occasione quorumdam ecclesiasticorum officiorum parochis facere teneri. Hae autem praestationes dotem beneficiorum curatorum constituunt, et de illis designatam in unaquaque dioecesi pensionem sacerdotibus ab episcopo ad

paroecias, pro ipsarum necessitate missis, tamquam parochorum vicariis vel auxiliaribus, ipsi parochi solvere obligantur. Porro destinatio ad modo dictum officium vel ad aliud quodcumque munus, quasi ad partem administrationis ecclesiasticae cum iure ad praefatam pensionem, vel ad aliam assignandam, titulus administrationis appellata est.

" 2. Praxis ordinandi ad hunc titulum sacros ministros ab immemoriali proficiscitur tempore, et adeo, ni fallor, universalis est in Mexicana ecclesia, ut vix unus aut alter sacerdos in ea reperiatur qui sub hoc titulo non sit ordinatus.

" 3. Nullum vero, cui mos praedictus innitatur, peculiare privilegium novi umquam. Forte ex titulo *doctrinae Indorum* a Concilio Limensi III inducto, et a Concilio III Mexicano adoptato atque a sancta Sede approbato, evolutione quadam facta, originem duxerit „.

Cum ageretur de praxi, quae afficit totam Mexicanam ecclesiam, huiusmodi preces archiepiscopo Mexicano allegatae fuerunt pro informatione et voto, et ut referret an consuetudo, de qua in precibus, esset reapse immemorabilis, et an omnibus iuris requisitis polleret. Qui respondit:

" Ab antiquissimis temporibus, quorum iam amplius non exstat memoria, admiserunt seu consenserunt in huiusmodi titulum omnes quotquot fuere praelati, qui huius regionis ecclesias diutius quam per 300 annos rexerunt atque administrarunt. Cum viderent dignissimi praedecessores nostri, non solum populos in necessitate spirituali versari, sed etiam paucos inveniri, qui titulo beneficii, capellaniae seu patrimonii possent ordinari (quod maxime notandum post direptionem bonorum ecclesiae ac idearum subversionem), haud dubie sufficientem iudicarunt certam quamdam ac competentem congruam, quae proveniret ex emolumentis, obventionibus et iuribus, quae solent fideles in singulis paroeciis sacerdotibus erogare vel ob sacramentorum administrationem, vel ob curam animarum.

" Quoad substantiam idem omnino est titulus in omnibus dioecesibus, et tantum accidentaliter differt ob ipsius qualificationem seu denominationem. Sic ex. gr. exsistit in hac archidioecesi titulus administrationis eodem modo ac illum profert seu explicat episcopus Chiapensis; vocari etiam aliquando solet titulus idiomatis, seu linguae vernaculae. Nam cum exsistant Indi, qui tantum lingua vulgo dicta *Mexicana, Otonie* et *Mazahua* utantur, iuvenes in seminario versantes, ac quamlibet ex his tribus linguis seu idiomatibus agnoscentes, poterunt hoc uno titulo ordinari, dummodo illis populis, ubi aliquo ex tribus supradictis idiomatibus utuntur, sacris operam daturi sint „.

Hisce praemissis, dirimendum pro positum fuit dubium:

« An praxis ecclesiae de Chiapas, clericos ad sacros ordines, titulo *administrationis* promovendi, sustinenda sit in casu? »

Resolutio. « Sacra C. C. sub die 21 iunii 1879, re discussa, respondere censuit: *affirmative* ».

8719 **Servitus.** — Servitus *passive* est obligatio, qua res seu persona ita devincitur alteri, ut ipsi quodammodo serviat; *active*, est ius, quod inest cuipiam, ut alterius res aut alia persona sibi serviat.

Duplex est: *personalis*, quae personae est, ut usus et ususfructus; *realis*, quae rerum, ut servitutes rusticorum praediorum et urbanorum. *l. 1 de servitutibus D.* (*VIII. 1*).

A nonnullis (G. B. *I. 596*) minus apte (Vinnius *Comm. in Inst. Iust. lib. II tit. 3*) distinguitur triplex servitus: personalis, quae a persona personae debetur, et est propria mancipii erga dominum; mixta, quae a re debetur personae, cuiusmodi sunt usus, usufructus, habitatio; realis, quae rei a re debetur.

Servitus personalis est ius personae in aliena re constitutum. Vinnius *loc. cit. lib. II. tit. 4.*

Servitus realis definiri solet, passive quidem, onus praedio impositum in utilitatem alterius praedii; active autem, ius praedio inhaerens, ut alterum sibi deserviat. Vinnius *loc. cit. lib. II. tit. 3.*

Servitus, quando simpliciter dicitur, realis intelligitur. D'Ann. *II. 156.*

Iure nostro nomen servitutis solis servitutibus realibus seu praedialibus relinquitur. Cfr. *C. C. aa. 531 sqq.*

Servitutes constituuntur hominis voluntate aut lege. *C. C. a. 532.*

Nulla servitus constitui vel acquiri potest, nisi in re aliena; quisque enim in sua ius proprietatis habet, non servitutis. Cfr. Vinnium *loc. cit. lib. II tit. 3.*; D'Ann. *II. 156.*

Veteres distinxerunt servitutes praediales in servitutes praediorum urbanorum et praediorum rusticorum (cfr. *tit. de servit. praed. urban. D.* [*VIII. 2*], *tit. de servit. praed. rustic. D.* [*VIII. 3*], Inst. Iust. *tit. de servitutibus* [*II. 3*]); illae ipsis erant servitutes, quae aedificio serviebant, ubicumque illud esset, sive in urbe, sive ruri; haec ipsis illae erant, quae fundo seu solo sive locis puris serviebant. *l. 1 communia praediorum etc. D.* (*VIII. 4*); *l. 198 de verb. signif. D.* (*L. 16*); Inst. Iust. *tit. de servit. § 3.* (*II. 3*).

Iure italico servitutes, quae ex facto hominis constituuntur, dividuntur in continuas et discontinuas. Eae dicuntur *continuae*, quae actuale factum hominis non postulant, ut aquaeductus, stillicidia, etc. (*C. C. a. 617*); contra, *discontinuae* eae dicuntur, quarum exercitium sine facto hominis locum habere nequit, ut servitus itineris etc.

Alia est divisio servitutum in apparentes et non apparentes. Eae dicuntur *apparentes*, quae signo visibili patent, ut fenestra, aquaeductus etc. contra, *non apparentes* eae dicuntur, quae suae exsistentiae nullum habent visibile signum, ut servitus altius non tollendi, itineris etc. (*C. C. a. 618*). Quaedam servitutes aliquando apparentes, aliquando non apparentes esse possunt. Sic ex. gr. servitus aquaeductus, quae per canalem aut alio modo visibili et permanenti exercetur, est apparens (*C. C. a. 619*); eadem servitus, quae exerceatur per canalem subterraneum, est non apparens. Pacifici Mazzoni *Ist. di dir. civ. it. lib. 3. n. 240.*

Tertia divisio servitutum est in ser-

rituum positivas et negativas. Positivae sunt, ultimantes eas in usum ex quasi proprietarium fundi dominantis aliquid in fundo serviente facere posse. Negativae eas vocant, quibus proprietarius fundi servientis prohibetur quidquam in eo aliquid facere. Pacius Mazzoni loc. cit.

Servitutes communes et apparentes constituuntur ex modi aut praescriptione. V. annotata ad singulas species. C. C. a. 629. Servitutes communes non apparentes et servitus altius non tollendi etc., et servitutes non continuae non acquiruntur sine certa aliqua causa, nisi mediante titulo. Possessio inde immemorabilis non sufficit ad constituendas. C. C. a. 630.

In his servitutibus ad quas acquirendas requiritur modus negativus, qui non datur nisi documento, quod servitus agnoscatur possidet ei prout statu fundi, vel usus prohibendi. C. C. a. 634. In servitutibus positivis possessio valet ad praescriptionem temporis, et ea die qua proprietarius fundi dominantis incepit uti usu servitutis in fundo serviente, si negativa possessio incipit a die productionis a proprietario fundi dominantis prohibitionis fundi servientis formaliter facta ad impedendum hominum eius usum. C. C. a. 631.

In servitute usus regulae et normae comprehendit quae ad exercitium et usum vel modum pertinent. C. C. a. 639; L. 11 communia praediorum 21. D. VIII. 4. Verum si de servitute deberi ut in fundo quae ad exercitium servitutis necessaria non deberi, tenetur et modum veligere qui minimum praestet fundi servienti molestiae. C. C. aa. 640, 646, 647. Proprietarius autem fundi servientis non potest quod servitutem minuat vel eam impedit. L. 13 § 1 de servit. praed. rustic. D. (VIII. 3); C. C. a. 645.

Servitus tenuis [illegible] ident renunciatione, exeunte die vel impleta conditione resolutiva. C. C. a. 654 cum nn. 3 annotata ad C. C. a. 656. Hoc regula exceptionem patitur, si agatur de servitute discontinua. Secundo a die qua servitutis ad tempus vel sub conditione vel usus prohibendi [illegible] C. C. a. 657.

Modus servitutis eodem modo ut ipsa servitus praescribitur. C. C. a. 652.

Impedimenta aut interruptio praescriptionis in tempus nulla ex tempore servitutis alio tempore facta. C. C. a. 672.

Non obligatur servitus, si [illegible] fundo, ratione cuius [illegible] constituta fuit. L. 12 communia praed. cit. D. VIII. 4.

Iure Romano praetorea servitus cessat, quum res in eum conditionem devenit, ut usus non necessarius. C. C. a. 662. In casum rerum servitutis [illegible] vel [illegible] nondum ad aliquem tempus [illegible] C. C. a. 663.

[illegible] personalibus: Burgerhut Christ. Comm. de servitutibus realibus et personalibus; Claproth Progr. Diss. de [illegible] Lemgoviae 1761; Hoffmann Progr. de servitutibus [illegible]

personalibus et de usufructu, habitatione et operis servorum; *Jones T. W.* Prolus. academ. in titul. de iudiciis et de origine dominii et de servitutibus; *Matthaei Ant.* Disp. de servitutibus; *Blumblacheri Christ.* Disp. de servitutibus praedialibus; *Caepolla Barth.* Tr. de servitutibus tam urbanorum quam rusticorum praed.; *Pecchius Fr. M.* Tr. de servitutibus; *Pacichellius* Tr. de distantiis, in quo tota fere servitutum materia theorice ac practice delibatur; *Pardessus J. M.* Tr. des servitudes ou services fonciers; *De Luca Io. B.* De servitutibus praedialibus; *Traina Tomm.* Le servitù legali sulle acque; *Pacifici Mazzoni Em.* Tratt. delle servitù prediali; *Pacifici Mazzoni Em.* Delle servitù legali; *Demolombe Ch.* Traité des servitudes ou services fonciers; *Leconte* De l'acquisition des servitudes par la prescription; *Ciaburri F.* L'azione di turbativa in rapporto alle servitù prediali; *Destrais Ch.* De la proprieté et des servitudes en droit romain; *Dal Favero G.* Della prescrizione acquisitiva delle servitù sulla cosa comune; *Paoli Bald.* Delle servitù personali secondo il codice civile ital.; *Ciolfi Ett.* Sopra un caso di servitù di veduta.

3720 **Sigillum.** — Nomine sigilli intelligitur parvulus ille lapis, quo clauditur sepulcrum reliquiarum in altari consecrato repositarum (Gardellini *ad decr. S. R. C. 3 mart. 1821*); distinguitur ergo a sigillo episcopali cerae hispanicae impresso.

Si sepulcrum coopertum non fuerit lapide marmoreo vel saltem duro, altare indiget nova consecratione. *S. R. C. in Arichaten. 28 iul. 1883* (*3585*); *in una S. Ioann. in Amer. 15 dec. 1882* (*3567*). Hinc, quum in dioecesi Vicensi plurima invenirentur altaria, quorum reliquiae non lapide sed coemento obtectae erant, et quaereretur, an in his altaribus liceret missam celebrare, Sacr. Congr. Rituum respondit: « Interim permitti celebrationem missae in enunciatis altaribus, simulque indulgeri ritum formulamque breviorem pro nova consecratione ab episcopo per se vel per simplices sacerdotes delegandos peragenda cum substitutione operculi lapidei, ubi opus est, alteri ex coemento. Reliquias autem, quae in praedictis altaribus inveniuntur, licite apponi posse in nova eorum consecratione, si nullum dubium de eorum authenticitate exoriatur, et nisi ob duritiam coementi, in substitutione facienda, eiusdem coementi cum reliquiis et granis turis contingat commixtio. » *S. R. C. in Vicen. 30 aug. 1901.*

Attamen altaria portatilia, quorum operculum ex metallo confectum est, habenda sunt ut consecrata. *S. R. C. in Lauden. 23 iun. 1892 ad 4* (*3779*).

Ipse episcopus debet sepulcrum coemento linire, et lapide claudere; at si agatur de pluribus altaribus portatilibus consecrandis, satis est, ut episcopus liniat coemento labrum sepulcri unius arae, et, dum ipse prosequitur in repositione ss. reliquiarum, assistentes sacerdotes possunt peragere lituram et clausuram cuiusque sepulcri. *S. R. C. in Bellunen. 10 maii 1890* (*3726*).

Benedicendum est tum coementum, tum aqua, cum qua fit ipsum coementum seu malta, et ad benedictionem aquae adhibenda est formula, quae habetur in pontificali romano, non autem quae inserta est in missali. *S. R. C. in Bellunen. 21 ian. 1898* (*3976*).

Sigillum episcopi, quod plerumque ad authenticitatem sepulcro apponitur, non est necessario apponendum; hinc, si desit, altare non est interdicendum, dummodo constet fuisse rite consecratum. Reliquiae debent esse sanctorum martyrum; permittitur autem, ut etiam reliquiae sanctorum non martyrum in sepulcro recondantur, dummodo tamen reliquiae martyrum non desint. Nec debent esse reliquiae unius sancti, sed plurium sanctorum.

Factum est, ut in quibusdam altaribus sepulcrum fuerit effossum non in medio lapide, sed in eius fronte; ea non sunt admittenda. *S. R. C. in una Americae 13 iun. 1899 ad 3* (*4032*). Cfr. etiam Bargilliat *Prael. iur. can. n. 1288 sqq.* Vid. *Altare.*

3721 **Sigillum sacramentale.** — ***De natura sigilli.*** — Sigillum sacramentale est religiosa obligatio servandi *silentium* circa ea, quae ex confessione sacramentali cognita sunt. Suarez *de poen. disp. XXXIII sect. 1. n. 1;* Lugo *de poen. disp. XXIII. n. 1 sqq.*

Haec obligatio non oritur ex natura sacramenti poenitentiae, neque ex lege ecclesiastica, sed ex positiva lege Christi domini, ad quam dispensandam seu relaxandam ne ecclesia quidem ius ullum habet. B. P. *V. 591;* Palmieri *de poenit. th. XXXV. n. VI.*

Quum autem obligatio silentii confessario incumbat, non solum nequit confessarius aliis revelare quidquid sub ista obligatione cadit, quin imo servare de iis debet arctissimum secretum, sed ne cum ipso quidem poenitente loqui ei fas est de auditis in confessione (B. P. *loc. cit.*); multo minus loqui potest de auditis cum complice poenitentis ex. gr., vel cum alio eius confessario, qui rem iam sciret.

Dixi, confessario ne cum ipso quidem poenitente fas esse loqui de auditis in confessione. Hoc autem intelligendum est extra confessionem; nam in nova confessione hoc fieri posse *ex rationabili causa* omnes docent, et Lugo (*de poenit. disp. XXIII. n. 127*) probat ex sequenti ratione: « Hoc tamen nullo modo est contra sigillum, quum sint (confessarius et poenitens) *in eodem foro sacramentali*, in quo sacerdos ad bene curandum poenitentem debet considerare etiam peccata praeterita, quae vel sunt circumstantiae praesentium, vel indicant passionem vehementem aut aliquid aliud consideratione dignum ad melius cognoscendum statum poenitentis ».

Quandonam obligatio sigilli urgeat, vel non. — 3722 Haec obligatio in omni casu urget, ita ut in nullo casu possibili liceat revelare quidquam (intra limites infra dicendos) in confessione omni et sola sacramentali auditum et acceptum. *Omnes unanimiter.*

Diximus « *in omni et sola confessione sacramentali* »; hinc si poenitens ad confessarium accedat, ex. gr. ut consilium petat, etsi dicat se de ea re loqui sub sigillo confessionis, non habetur obligatio sigilli, quamvis obligatio exsurgat secreti commissi. B. P. *V. 595.* Multo minus obligatio sigilli haberetur in casu, quo poenitens ad confessarium pergeret, ut

eum ad peccandum induceret. Lugo *loc. cit. n. 43.*

Quid si confessarius nolit audire alicuius confessionem et hanc ipsam suam voluntatem significet, poenitens tamen peccata sua manifestet, et petat absolutionem velitque eum ad sigillum obligare; teneturne revera hac obligatione confessarius? Et Suarez (*l. c. sect. 2. n. 5*) negat eum teneri; sed Lugo (*loc. cit. n. 44*) Suaresii sententiam impugnat et tuetur oppositum, dicens eam in casu vere fuisse confessionem sacramentalem, quum intentio poenitentis haec esset, ut absolutionem reciperet. Verum sententia Suaresii praeferenda videtur; negante enim confessario velle se audire et absolvere, intentio illa poenitentis inefficax et illusoria videtur. Patet autem, quod in casu ille confessarius teneretur obligatione secreti sub gravi servandi. Cfr. B. P. *V. 596.*

3723 ***De subiecto huius obligationis.*** — Ad illud tenetur secundum communem sententiam confessarius quilibet, sive verus sive fictus; item ii omnes, ad quos notitia confessionis quomodocumque pervenit. Cfr. S. Alph. *VI. 645 sqq. et auctores ab eo citatos.* De his aliquid magis in particulari dicendum.

3724 **An ille, qui non est sacerdos, cui quis ex errore confessus est, teneatur sigillo.** — Quoad primum patet, ex communi sententia teneri ad sigillum confessarium quoque, qui per errorem legitimus existimatus, talis tamen de facto non est, etiamsi laicus. Attamen D'Annibale (*III. 357*) putat, sigilli obligationem non oriri ex confessione specie tenus sacramentali, etiamsi talis sit ex errore ipsius poenitentis, sive in iure (ut quum quis diacono confiteretur, putans diaconum posse absolvere) sive in facto (ut quum quis clerico confiteretur putans eum esse sacerdotem), erraverit, nam falsa nostra aestimatio rei veritatem non mutat; «quae, ait ipse, etsi non communior, verior tamen, ex rigore iuris, sententia esse videtur». Et re quidem vera in casu confessio sacramentalis non haberetur. Videant sapientiores. Hic annotandum, secundum omnes illum, qui hac iniqua ratione alterius peccata cognosceret, arctissimo in casu teneri secreto. Nota etiam ea, quae D'Annibale (*l. c.* [7]) addit: «Ex rigore iuris; nam sive ipse poenitentem decepit, sive decipi eum passus est, aequissimum est confessarii obligatione teneri (sive ex delicto, sive ex quasi contractu), qui pro confessario se gerit». Quare optime concludit Génicot (*II. 381*) dicens: «dissensus potius theoreticus, quam practicus est».

An teneantur sigillo ii, ad quos notitia confessionis pervenit. — Quoad eos autem omnes, ad quos notitia confessionis vere sacramentalis quomodocumque (si unice forte excipias notitiam habitam ab ipso poenitente volente, veluti si quis diceret, se confessum esse hoc vel illud peccatum) pervenerit, sive iuste sive iniuste, sive ex confessione ipsa sive ex mediis ad eam ordinatis, nulla est controversia, et planum est apud omnes eos obligatione sigilli teneri. 3725

De interprete et superiore quoad casus reservatos (*remissive*). — Hinc ea tenetur interpres (Vid. *Interpres*), vel 3726

qui confessionem pro alio conscriberet (B. P. *V. 639*), superior, ad quem pro aliquo casu reservato recursum quis habet (Vid. *Reservatio casuum*), etc.

3727 **De legente chartam, in qua scripta sunt peccata.** — Putant plures eum sigillo non teneri, qui chartam legit, in qua ab aliquo peccata sua ad confessionem peragendam scripta sunt. Suarez, Bonacina, Laymann apud S. Alphonsum (*VI. 647*), qui probabiliorem hanc sententiam putat. Huic sententiae et Lugo (*loc. cit. num. 47*) adhaeret, duos tamen excipiens casus, scilicet muti, qui per scripturam voluerit confiteri, et illius, qui per litteras petierit facultatem absolvendi a reservatis. Lugo *loc. cit. n. 48*. Verum magis placet sententia contraria Dianae (*tom. II. tract. 4. de sacram. resol. 112*), et aliorum, si nempe constet, eam chartam ad confessionem sacramentalem peragendam conscriptam fuisse; vere enim tunc est medium ad confessionem sacramentalem ordinatum.

3728 **De theologo consulto.** — Quaerunt doctores, an sigillo teneatur theologus a confessario ex licentia poenitentis circa aliquem casum interrogatus; et non conveniunt, quibusdam affirmantibus, quibusdam negantibus (cfr. S. Alph. *VI. 647;* B. P. *V. 638*); communior est sententia affirmantium. Patet autem in quacumque sententia, doctorem seu theologum consultum arctissimo teneri secreto. Praeterea notandum, quod confessarius, etsi ex licentia poenitentis aliquem doctorem consulat, imprudenter ordinarie agit, si, praeter ipsum casum, et personam revelet, de qua agitur.

De extensione et gravitate obligationis sigilli. — Tanta est extensio huius obligationis, ut semper urgeat, et nulla sit umquam ratio excusans a violando sigillo. Quare confessarius interrogatus de aliqua re, quam novit sub sigillo, non solum potest, sed debet respondere se id nescire, imo de hoc praestare etiam potest iuramentum. Eodem modo confessarius, qui non posset peccatum suum confiteri absque violatione sigilli, deberet in confessione peccatum istud reticere. Noldin *Th. mor. III. 421*. Insuper regula generalis est, confessarium teneri ad sigillum, quando dubius est, an poenitens aliquid dixerit in confessione sacramentali, necne (S. Alphonsus *VI. 637;* B. P. *V. 597*); imo etiam iuxta plures quando agitur de dubio iuris, quum nempe quaestio est inter theologos, an aliquid cadat sub sigillo, necne. S. Alph. *VI. 633;* D'Ann. *III. 359*. Quidquid sit de hoc ultimo, iuverit hic ea referre, quae Ballerini-Palmieri (*V. 592*), adducit ex Diana (*prooem. ad tract. de sigillo sacram. p. 5. tr. 11, alias tom. 1. tr. 8*), scilicet: « Miraberis fortasse, amice lector, me in sequenti tractatu strictiores semper opiniones amplecti, qui tamen in aliis ad exonerandas conscientias benignioribus libenter adhaesi. Sed ita merito faciendum esse duxi. Laxae enim opiniones circa praesentem materiam odiosum ac onerosum efficiunt sacramentum poenitentiae, quod facile ac leve a nobis reddendum esse, omnis recta ratio expostulat. Igitur in his mate-

riis, quando duae adsunt opiniones, semper illa debet seligi, quae favet sacramento, ad cuius sacrosanctum tribunal aliiciendi potius, quam retrahendi sunt poenitentes. Adde, quod licet speculative loquendo multae ex infrascriptis opinionibus contra sacrum sigillum sint probabiles, tamen, prout concedunt ipsi doctores contrarii, ut in praxim sine peccato deducantur, cum tantis circumspectionibus agendum est, ut difficile sine aliquo scandalo fieri posse existiment. Recte igitur in hac materia semper a confessariis in favorem sacri sigilli tenendum esse puto ».

In infringendo sigillo, saltem directe, non datur parvitas materiae. Suarez *loc. cit. sect. 3 num. 1.*

De obiecto sigilli. — Obiectum sigilli sunt omnia peccata (etiam venialia) in confessione manifestata, et omnia, quae ad individuam peccatorum explicationem pertinent, imo etiam quidquid in confessione manifestatum est, cuius revelatio cederet in gravamen poenitentis, et in odium sacramenti. Lugo *l. c. n. 60 sqq.*; B. P. *V. 606 sqq.*; etc.

3730 Aliquando etiam virtutes et extraordinaria charismata, saltem in obliquo, evadere possunt secundum quosdam materia sigilli (Lugo *loc. cit. n. 58*), at alii id negant (cfr. B. P. *V. 931*); item defectus naturales (Lugo *loc. cit. n. 60*; B. P. *V. 632*); et peccata commissa in ipsa confessione (Lugo *loc. nuper cit.*), si accusantur, aut, etsi non accusentur, si ex eorum notitia aliquid indirecte erui possit de peccatis accusatis. Hinc si quis revelaret peccata impatientiae aut contumeliae in ipsum confessarium facta, suspicari alius facile posset, confessarium reprehendisse vel etiam noluisse absolvere poenitentem, Noldin *Theol. mor. III. 424.* « Quoad defectus, pulcre D'Annibale (*III. 360. 24*): « Nostri diversi (Vid. Salmanticenses *VI. 14. 23*; S. Alph. *VI. 642*); dicam plane quod sentio: raro licet prodere defectus *corporis* (v. g. si herniosus); *status* rarius (e. g. si spurius, inops, ignobilis), quia utrumque ingratum est poenitentibus; *animi* (puta si iracundus, avarus) numquam prorsus, sive quia in vitia desinunt, sive quia poenitentes solent eos prodere quasi peccata, vel quasi ea, quae ad peccandum impellunt. Ideoque nec scrupulos, quippe huc recidunt, nec pauci aegre ferunt, se scrupulosos appellari (Sporer *844*); nisi forte, ait S. Alphonsus (*l. c.*), *minime redundent in gravamen poenitentis:* verum displicet haec limitatio ».

De violatione sigilli. — **De violatione directa et indirecta.** — Malitia violati sigilli est simul malitia sacrilegii et iniustitiae. Violatur autem sigillum directe et indirecte. Sigillum violatur directe, revelando expresse aliquid ad secreta confessionis spectans, etsi notorium sit (Lugo *loc. cit. n. 61*); indirecte, aliquid dicendo aut faciendo, ex quo quis suspicari possit peccatum poenitentis, vel aliquid ad sigillum pertinens. Lugo *l. c. n. 73*; B. P. *V. 592*; D'Ann. *III. 362.* 3731

Hinc indirecte violaret sigillum superior, qui diceret aliquem subditum sibi confessum fuisse, quia posset iniicere suspicionem, poenitentem in re-

servatum aliquod incidisse, nisi ex adiunctis aliud omnino constaret. B. P. *V. 600.* Indirecte etiam sigillum violaret ille, qui audiens aliquem laudantem quamdam suam poenitentem de honestate, taceret, si exinde suspicio ingereretur, quod confessarius cognosceret, eam talem non esse. Et plures sunt casus huiusmodi.

Verius autem directe violaret sigillum confessarius, qui diceret religiosum ex tali ordine peccatum aliquod grave sibi confessum fuisse (B. P. *V. 649 sqq.*); hoc enim cederet in gravamen poenitentis, etsi forte de ipsa persona poenitentis suspicio non ingereretur.

Quare generatim loquendo haec tenenda est regula: de auditis in confessione, etiam quando nullum videtur periculum violandi sigillum, nonnisi rarissime et ex causa loqui.

3732 **An violat sigillum confessarius, qui utitur notitia confessionis ad cavendum periculum.** — Quaestio est, an possit confessarius uti notitia ex confessione habita ad cavendum aliquod periculum sibi imminens, si ex usu istius notitiae (ex. gr. fugiendo vel per aliam insolitam viam transeundo) alii, qui sunt conscii criminis, suspicarentur, poenitentem in confessione illud peccatum dixisse. Plures negant, affirmant plures. S. Alph. *VI. 659*, ubi ex utraque parte doctores citatos invenies. — D'Annibale (*III. 363*) quoad hoc ait: « Confessarius a poenitente petat, ut sibi liceat ea notitia uti; si negat, is nequissimus omnium; ideoque confessario pro certo esse poterit, hunc non confiteri sibi, sed illudere voluisse, et hoc in casu posterior sententia (idest sententia usum huiusmodi licitum affirmans) videtur verior; nam quid hic reddere potest odiosam confessionem huiusmodi? »

De schedula attestante confessionem. — Quaestio etiam fuit inter doctores, utrum posset aut deberet necne confessarius tradere schedulam seu testimonium peractae confessionis iis, quibus absolutionem denegasset, praesertim quando in scheda diceretur, eum fuisse absolutum. Quoad hoc standum omnino videtur Ballerini-Palmieri (*V. 604*) dicenti, nullam haberi sigilli fractionem, si scheda negatur, quando absunt illa externa adiuncta, in quibus ob comparationem cum aliis, quibus datur, indirecte manifestari posset negata absolutio et proinde confessio; quod si haec adiuncta adessent, tunc schedulam tradi posse, quia semel ac constat (et modo de hoc constat), schedam tradi etiam non absolutis, nullum habetur menda. cium in ea tradenda, etiamsi de data absolutione testimonium fiat, quum in casu valeat axioma, signa illud tantum significare, pro quo ex communi pacto accipiuntur. 3733

Quare iure merito S. C. de Prop. Fide rescripsit, esse improbandam praxim praebendi in ipso tribunali poenitentiae *chartulam* sigillo signatam iis fidelibus, quibus permittitur communio, qua postridie exhibita, ad sacram mensam admitti possint. *S. C. P. F. pro Sin. 14 ian. 1806*; cfr. etiam *Instr. S. C. P. F. ad vic. gen. Nankin. 29 febr. 1836.*

De confessario regulari postea superiore. — Hinc etiam patet, superiorem nullo modo uti posse notitia con- 3734

fessionis ad gubernationem externam, etiamsi nullo modo appareat, quod ex ipsa notitia se dirigat. *Decr. Clem. VIII. 26 maii 1594; Decr. S. U. I. ann. 1682 iussu Innocentii XI editum.*

Et iuvat referre ipsa verba, quibus utitur Clemens VIII in suo decreto (*26 maii 1594*) quoad regulares, ubi praeter alia dicit: « Tam superiores pro tempore exsistentes, quam confessarii, qui postea ad superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur ».

8735 ***De confessario loquente ex licentia poenitentis.*** — Patet autem, confessarium non violare sigillum, quum ex licentia poenitentis loquitur. B. P. *V. 642 sqq.*

Attamen haec licentia non solum debet esse omnino libera ex parte poenitentis, nec valeret, si a confessario metu vel auctoritate extorqueretur; sed debet etiam esse non mere praesumpta vel interpretativa, sed formalis et expressa, nec a poenitente revocata. Lugo *l. c. n. 131.*

Sufficit tamen etiam tacita, dummodo certa, ut si poenitens prior cum confessario loquatur de aliquo peccato, quod in confessione dixit; is enim tacite quidem, sed certe, dat confessario licentiam loquendi. P. P. *V. 644 sqq.*; Lugo *loc. nuper cit.* Patet autem, in hoc casu non posse confessarium cum aliis de hoc ipso loqui. S. Alph. *VI. 651.*

Quod vero attinet ad loquendum cum aliis de auditis in confessione, etiam ex licentia poenitentis, dicendum videtur, ordinarie confessarium prudenter acturum, si hoc numquam faciat, etiam expostulante poenitente. B. P. *V. 624.* Et si ageretur de monendo complice ex mandato poenitentis, notanda sunt verba sancti Alphonsi (*VI. 492*) dicentis, quod « ordinarie loquendo non expedit, ut (confessarius) se immittat in huiusmodi rem; ipsi enim tantum incumbit curare de damno sui poenitentis, non de alieno, et solummodo intra confessionem, non extra. Et ex altera parte confessarius difficulter exsequetur munus corrigendi sine periculo scandali et offensionis sacri ministerii ».

De poenis contra violantes sacramentale sigillum. — « Sacerdos, ait Innocentius III, qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare (ergo tertiae personae illud nescienti), non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum ». *c. 12 de poenitentiis etc. X.* (*V. 38*).

Confessarius, qui sigillum violaret loquendo de auditis in confessione cum ipso poenitente vel cum poenitentis complice sine poenitentis licentia; vel quivis alius, qui ad sigillum tenetur, illudque frangit, debet puniri pro qualitate delicti, prudenti arbitrio iudicis ecclesiastici. Schmalzgruebes *in tit. 38 lib. V. Decr. n. 79 et sqq.*

An teneatur sigillo poenitens circa audita in confessione a confessario. — Non abs re erit hic anno-

tare, quomodo nonnullorum theologorum sententia fuerit, poenitentem etiam teneri sigillo relate ad ea, quae confessarius ipsi dicit; quae quidem sententia non est admittenda, quum sigillum institutum fuerit in favorem poenitentium et non confessariorum; attamen poenitens probabilius tenetur secreto naturali, si id ea requirant, ad tacendum ea, quae audivit a confessario. Et quidem poenitentes, secundum s. Alphonsum (*VI. 647*), tenentur hoc secreto, quamvis naturali, strictius quam alii; alii enim voluntaria consilia praebent, sed confessarius tenetur praebere ex officio. Quare, quum confessarius obligetur necessario ad dandum consilium poenitenti, ideo poenitens tenetur cavere, ne confessario damnum obveniat ob consilium ipsi praestitum. Cfr. etiam D'Annibale *III. 632* (*44*); Monitore eccl. *vol. XII pag. 176 sqq.*

Beieri Adr. De sigillo confessionis tractatus iuridicus et moralis; *Cobii I. F.* De sigillo confession. et poenit.; *Uihlein* De sigillo confessionis; *Knopp* Der kath. Seelsorger als Zeuge vor Gericht; *Porsch F.* Das Zeugnisverweigerungsrecht d. Seelsorgers; *Joder J. Ch.* Das Beichtsiegel vor d. Schwurgericht z. Mühlhausen i. Els.; *Schwalb M.* Beichtgeheimniss u. Zeugnispflicht; *Joder J. Ch.* Zeugeneid u. Beichtsiegel; *Geigel F.* Zeugnisfreiheit d. Seelsorgers; *An.* Das Beichtgeheimnis vor Gericht; *Mode R.* Beichtsiegel u. Zeugnispflicht n. d. Reichsprozessordnungen; *Leonhard* Das Beichtgeheimnis, s. Stellung i. Strafprozess u. i. Strafvollzug; fontes et reliquam bibliographiam quaere sub *Confessarius, Confessio, Poenitentia*.

3738 **Signatura apostolica**. — SS. Dnus Pius PP. X in sua const. «Sapienti consilio» abolitas renunciavit antiquas duas signaturas curiae, quarum altera gratiae, altera iustitiae dicebatur, et novam instituit signaturam apostolicam.

Hodierna apostolica signatura constat sex cardinalibus ab ipso rom. Pontifice electis, quorum unus munus gerit praefecti.

Praeter praefectum habetur etiam praelatus a secretis, notarius, qui sit sacerdos, nonnulli consultores a Pontifice electi et aliquot inferiores administri.

Competentia signaturae hodiernae probe insinuatur in lege propria, tit. 2, can. 37, qui est sequens:

«Supremum apostolicae signaturae tribunal videt tamquam sibi propria ac praecipua:

«1. de exceptione suspicionis contra aliquem auditorem, ob quam ipse recusetur;

«2. de violatione secreti, ac de damnis ab auditoribus illatis, eo quod actum nullum vel iniustum in iudicando posuerint, iuxta can. 9;

«3. de querela nullitatis contra sententiam rotalem;

«4. de expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam, quae in rem iudicatam transierit».

Apostolica signatura in iis, quae pertinent ad nominationem, insiurandum, obligationem secreti, etc., eadem servat ac ea, quae pro s. Rota sunt constituta. Quoad modum vero procedendi in causis eisdem demandatis omnia accurate statuta sunt in Lege propria a can. 38 ad 43.

«Can. 38. Ad postulandam restitu

tionem in integrum et ad introducendum iudicium nullitatis contra sententiam rotalem dantur tres menses utiles a reperto documento aut a cognita causa, ob quam ad haec remedia recursus fieri potest.

« Can. 39. § 1. Expostulatio ad signaturam pro restitutione in integrum non suspendit rei iudicatae exsecutionem.

« § 2. Nihilominus ad instantiam partis recurrentis signatura potest, incidentali sententia, inhibitionem exsecutionis iubere, aut obligare partem victricem ad congruam cautionem praestandam pro restitutione in integrum.

« Can. 40. § 1. Libellus, quo causa introducitur, exhibendus est secretario signaturae apostolicae.

« § 2. Cardinalis autem praefectus, una cum secretario, accepta instantia, examinare debet, utrum fundamentum aliquod boni iuris habeat: quod si desit, instantiam ipsam quamprimum reiicere; sin vero habeatur, tenetur admittere ».

Gomes Compendium utriusque signaturae; *Staphilaeus Io.* De litteris gratiae: de signatura gratiae et litteris apostolicis in forma brevis; *Mandosius Quintilian.* Praxis signaturae gratiae; *Marchesani I.* Commissionum ac rescriptorum utriusque signaturae S. D. N. Papae praxis; *De Matienzo Ioann.* Tractatus de referendariorum, advocatorum, iudicum officio, requisitis, dignitate et eminentia; *De Fatinellis Fatin. Luc.* De referendariorum votantium signaturae iustitiae collegio; *Vitale* Comm. de iure signaturae iustitiae.

Silentium. — Vid. *Taciturnitas.*

3739 **Simonia.** — **De natura et divisionibus simoniae seu pacti simoniaci.** — Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum pretio temporali vel re pretio aestimabili. S. Th. *2. 2. q. 100. a. 1;* Laymann *Theol. mor. lib. IV. tr. 10. c. 8. n. 1.*

Simonia, lata significatione, ait D'Annibale (*III. 89*), diducitur in eam quae iuris divini (naturalis), et in eam quae iuris humani (canonici) dici solet. Illa versatur circa spiritualia; haec circa temporalia spiritualibus annexa versatur. Illa continetur ea datione vel acceptione, quibus spiritualia veneunt; haec ea datione vel acceptione continetur, quae ideo ius canonicum vetat, quia cuiusdam venditionis vel emptionis rerum spiritualium aut speciem preseferunt, aut periculum continent. Atque ideo illa mala est natura, haec lege; illa stricta et propria significatione simonia est, haec minus stricta et minus propria. Quare simonia alia est iuris naturalis et divini, alia iuris ecclesiastici, prout ab ipsa lege naturali seu divino-positiva vel a lege ecclesiastica prohibetur; illa permutatur temporale cum spirituali vel viceversa, hac res spiritualis cum re spirituali, temporalis cum temporali commutatur contra leges ecclesiae, id iustas ob causas, praesertim ob periculum simoniae iuris divini, prohibentis. B. P. *II. 456.*

Simonia dividitur etiam in *mentalem* quae in solo quidem animo simoniaco consistit, quatenus exterius non prodit, ita tamen ut influat in exteriores actus, ut si quis hac prava intentione recipiendi exinde spirituale aliquid temporale daret, quin tamen

altera pars hanc simoniacam intentionem cognosceret vel saltem ratam haberet (B. P. *II. 445*); in *conventionalem*, quae habetur quum inter duas personas initur pactum simoniacum (B. P. *II. 447*); in *realem*, quum pactum simoniacum fuerit etiam exsecutioni mandatum (P. B. *II. 448*), neque ad hanc simoniam necesse est, ut iam traditum fuerit totum pretium temporale promissum, sed sufficit, si datum sit ex parte. B. P. *loc. nuper cit.*

Datur etiam simonia *confidentialis*, quae refertur tantummodo ad beneficia, et committitur quolibet pacto fiduciario circa beneficia, quo quis alteri beneficium aliquod confert, resignat, ad illud eligit etc., sub conditione expressa vel tacita, ut is, qui beneficium obtinet, postea illud in sui vel alterius a se designati favorem resignet, aut pensionem ex fructibus beneficii solvat. B. P. *III. 449 sqq.* — Vid. *Resignatio.*

3740 **De merce in pacto simoniaco.** — Res spirituales (quae in pacto simoniaco mercem constituunt) sunt omnia bona spiritualia. Quaedam talia sunt *formaliter*, ut gratia sanctificans et gratiae gratis datae etc,; huc pertinent etiam reliquae sanctorum; quaedam *causaliter*, ut sacramenta (*cc. 8. 9. 14 de simonia X.* [*V. 3.*]), sacramentalia, officia ecclesiastica ad spiritualem sive supernaturalem finem ordinata; quaedam *effective*, ut exercere actus ordinis, ex. gr. baptizare, facere exorcismos, consecrare ecclesias (*c. 10 tit. cit. X.* [*V. 3*]), exercere actus iurisdictionis spiritualis, veluti dare facultatem concionandi, dispensare in legibus ecclesiasticis, etc. Zallinger *in tit. 3 lib. V Decr.* § *79.*

Imo aliquando possunt esse res quoque temporales, si spiritualibus annectantur. Res autem temporalis spirituali annecti potest vel *antecedenter*, quando aliquid temporale praesupponitur tamquam subiectum ad aliquid spirituale, ut est in vasis sacris, quibus, iam in suo temporali valore exstantibus, consecratio accedit, vel in fundo, cui inhaeret iuspatronatus; vel *consequenter*, quando aliquid temporale praesupponit tamquam causam aliquid spirituale, ut reditus temporales annexi alicui ecclesiastico officio; vel *concomitanter*, quando aliquid temporale per se et necessario connexum est cum re spirituali, ut labor in sacris functionibus peragendis cum ipsis inseparabiliter coniunctus seu ei *intrinsecus*, ut dicunt. Zallinger *loc. cit.* § *76.*; De Luca Mar. *Prael. iur. can. de delictis et poenis n. 186.*

De pretio in pacto simoniaco. — Pretium temporale seu res temporalis (quae in pacto simoniaco constituit pretium) non est tantum pecunia, sed quaecumque res temporalis pecunia aestimabilis vel quae affert utilitatem temporalem. Vocari consuevit *munus*, et triplex distinguitur: *munus a manu*, idest quaecumque res temporalis mobilis vel immobilis, etiam iura; *munus a lingua*, idest patrocinium, laudes, preces, intercessiones, imo etiam detractiones aemulorum, quae alicui utiles esse possunt; *munus ab obsequio*, idest obsequium vel servitium temporale. *c. 114. C. I. q. 1.* 3741

3742 **De malitia morali et specifica simoniae.** — Simonia est peccatum gravissimum, et reducitur ad speciem sacrilegii realis, nec admittit parvitatem materiae, si sit iuris divini et naturalis. Suarez *de simonia c. 3. nn. 2, 5*; Croix *Th. mor. lib. III. p. 1. n. 198.*

Etiamsi temporale pro spirituali detur non unice, sed principaliter, est tamen simonia. Cfr. *prop. 45 et 46 damn. ab. Inn. XI decr. die 2 mart. 1679.*

3743 **Quandonam habeatur simonia, vel non.** — Emere aut vendere res temporales spirituali consequenter vel concomitanter annexas, secundum communissimam sententiam est simonia iuris divini. — Hinc non licet vendere ius ad reditus alicuius beneficii, nec licet aliquid exigere pro labore intrinsece coniuncto cum opere spirituali, ex. gr. cum celebratione missae, cum sacra concione, cum collatione ordinum, etc.

Attamen nota, aliquando rem temporalem spirituali annexam esse tantummodo extrinsece (et tunc nonnulli dicunt rem temporalem concomitanter *extrinsecus* annexam esse rei spirituali), quemadmodum est ex. gr. labor extraordinarius sacerdotis, qui ad celebrandum vel longum iter instituere deberet, vel diu deberet expectare. Has res temporales emere aut vendere licet. Hinc sacerdos, de quo supra locuti sumus, licite pro sua defatigatione extraordinaria pretium accipit. B. P. *II. 465.*

Emere autem aut vendere res temporales antecedenter annexas rei spirituali generaliter licet (*arg. c. 70. C. XII. q. 2.*; Suarez *de simonia c. 14. n. 11. c. 23 n. 8*), dummodo scilicet nec obstet specialis prohibitio ecclesiae, nec pretium rei temporalis augeatur ratione rei spiritualis, cui est coniuncta. Pirhing *in tit. 3 lib. V Decr. n. 72*; Croix *Th. mor. lib. 3. p. 1. n. 154.* — Hinc licet vendere et emere vasa sacra etsi consecrata, thecas pretiosas in quibus reliquiae reconditae sunt, etc. Noldin *Th. mor. II. 185.*

Res autem mere spirituales rei temporali non annexas, quocumque modo spirituales sint, vendere aut emere non licet absque simonia. Matth. *X. 8.*; *Act. VIII. 20.* — Hinc pecuniam accipere pro sacramentis, pro reliquiis, pro deleganda iurisdictione spirituali, etc. est simonia.

Descendendo ad quaedam magis particularia, iuverit ante omnia hic referre sequens decretum s. Congr. Indulgentiarum scilicet: « Sanctitas sua... districte praecepit, ne Christifideles sub quolibet praetextu, etiam redimendi sacras reliquias et sanctorum exsuvias, licet capsula reconditas et sigillo munitas, tam in urbe quam extra, emere aut mercari praesumant. Insuper mandavit, ut quicumque sacras reliquias, quae venales prostent, invenerit, locorum ordinarios commoneat, quorum interesse opportune providere ». *S. C. Indulg. 21 dec. 1878.*

Probabilius non est simonia functiones sacras obire principaliter ob stipendium (B. P. *II. 465*); certo autem simonia non est *pecunia* se redimere ab iniusta vexatione (quae tunc habetur, quum ab alio alterius ius circa eam rem laeditur) circa beneficia, aut aliud bonum spirituale. Suarez *loc.*

cit. c. 50. n. 1 sqq. — *Pecunia* diximus; nam, quum vexatio haec sit aliquid temporale, si quis ut ab ea se liberet, det aliquid spirituale; puta beneficium ecclesiasticum, simonia habetur. *c. 7. C. II. q. 3*; Suarez *l. c. c. 50. n. 14.* — Praeterea ne simonia habeatur, debet quis manere intra limites redimendae vexationis, et non ultra procedere ad quaerendum, ut non tantum non noceat, sed et prosit. S. Alph. *III. 100.* Cfr. etiam Monitore eccl. *vol. XIV. 535 sqq.*

Sacerdos, qui pro missa stipendium supra taxam consuetam exigit, nisi mente simoniaca agat secundum quosdam non committit simoniam (G. B. *I. 291. 7°*); alii vident in hoc speciem quamdam simoniae seu aliquam simoniam praesumptam vel interpretativam. Bonacina *de simonia disp. I. q. 6. p. 2. n. 3*; Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 35. n. 51;* B. P. *II. 465.*

Simonia non habetur, quum quis promittit vel dat aut legat aliquid temporale sub conditione vel modo operis cuiusdam spiritualis, ut fit in missis fundatis, in anniversariis, etc.

Simoniam iuris divini admitteret examinator ad curam parochialem, qui pro suffragio affirmativo ferendo pecuniam acciperet; si quis autem huiusmodi examinatorum aliquid, etsi exiguum, acciperet occasione talis examinis, sive ante, sive post examen, committeret simoniam iuris ecclesiastici, quemadmodum peccaret peccato simoniae iuris ecclesiastici candidatus, qui in hoc ultimo casu aliquid examinatori daret. B. P. *II. 460, 501*; Noldin *l. c. II. 187, 194 sqq.*

3744 **De restitutione rei spiritualis vel pretii, quae accepta sunt simoniace.** — Si agatur de beneficiis, restituenda est res spiritualis (idest beneficium) simoniace acquisita (*c. 8. C. I. q. 1*; *c. 2 de simonia* [*V. 1*] *in Xvag. comm.*; si de reliquis rebus spiritualibus agatur, res ista non est restituenda (B. P. *II. 503*), nisi quis a iudice in poenam criminis ad hoc obligetur. G. B. *I. 295. 1.*

Hoc autem alterum, scilicet simoniace receptum non esse ordinarie restituendum, excepta materia beneficiali (*c. 11 tit. cit. X.* [*V. 3*]), ita intelligendum est, ut comprehendat tantum simoniace receptum, non vero receptum simul *simoniace et iniuste.* Si enim laesio etiam iustitiae commutativae intervenerit, patet obligationem restitutionis induci ante omnem iudicis sententiam. B. P. *II. 505.*

Quandocumque autem pretium restituendum est, illi restitui potest, qui dedit, nisi ad aliud quis sententia iudicis obligetur (Schmalzgrueber *in tit. 3 lib. V. Decr. n. 297*; B. P. *II. 507*); quod valet etiam in materia beneficiali, nec dicendum tunc pretium restituendum esse ecclesiae, in qua beneficium situm sit; neque enim hoc in iure cautum est, quum in capite cit. 11. X. (V. 3) hoc tantum generali principio statutum fuerit, pretium simoniacum in casu ante omnem sententiam esse restituendum; quod autem tunc restitueretur ecclesiae, impositum fuit ex speciali lege a iudice ecclesiastico pro peculiari casu facta. Schmalzgrueber *l. c. n. 304*; B. P. *loc. nuper cit.*

De poenis in simoniacos. — Poenae con- 3745
tra simoniacos hae praecipue sunt:

a) Excommunicatio latae sententiae

R. P. simpliciter reservata in reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque eorumque complices. *Const.* «Ap. Sedis» *ser. 2. n. 8.*

b) Eadem excommunicatio in reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis. *Const.* «Ap. Sedis» *ser. 2. n. 9.*

c) Eadem excommunicatio in reos simoniae realis ob ingressum in religionem. *Const.* «Ap. Sedis» *ser. 2. n. 10.*

d) Praeterea simoniaca (ob simoniam realem) beneficiorum provisio nulla est ipso iure (*c. 2 tit. cit.* [*V. 1*] *in Xvag. comm.*), etiamsi tertia quaedam persona, inscio (*cc. 23. 27 tit. cit.* X. [*V. 3*]), non tamen contradicente (*c. 33 tit. cit. X.* [*V. 3*]), proviso, simoniam commiserit, nisi hoc in fraudem commiserit et in odium, ut scilicet exinde provisus beneficium amitteret (*c. 27 tit. cit. X.* [*V. 3*]); et huiusmodi possessori non prodest regula 36ª. Cancellariae de triennali possessore. Vid. *Beneficiatus.* Imo taliter provisus fit inhabilis ad idem beneficium in posterum obtinendum (*c. 59 de electione etc. X.* [*I. 6*]), nec non ad alia quaecumque beneficia (*Const.* Pii V «Quum primum» *1 apr. 1566*; cfr. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 18 de ref.*), saltem post sententiam criminis declaratoriam; potest insuper privari omnibus beneficiis, quae obtinet (*c. 2 de confessis X.* [*II. 18*]), deponi e ministerio altaris (*c. 11 tit. cit. X.* [*V. 3*]), et si pluries crimen simoniae commiserit, degradari. *Const. cit. Pii V.*

e) Ob simoniam confidentialem tum renuntiatio tum consequens collatio beneficii est nulla, et nova collatio Sedi Apostolicae reservatur. *Const.* Pii IV «Romanum» *XVII kal. nov. 1564*; *Const.* Pii V «Intolerabilis» *kal. iunii 1569.*

De procedura iudiciali in causis simoniae. — In causa simoniae iudex competens est solus iudex ecclesiasticus, qui contra reum simoniae debet quoscumque admittere accusatores (*cc. 3. 7 tit. cit. X.* [*V. 3*]); simoniacus vero, pendente accusatione, ab administratione divinorum prohibetur (*c. 4 tit. cit. X.* [*V. 3*]), sed condemnari nequit, nisi delicto probato vel violentis praesumptionibus concurrentibus. *c. 6 tit. cit. X.* (*V. 3*); De Luca Mar. *loc. cit. n. 199 sqq.* 3746

Tit. de simonia X. (V. 2); idem tit. (V. 1) in Xvag. comm.; Const. Pauli IV «Inter ceteras» 23 nov. 1557; Const. Pii IV «Rom. Pont.» 17 oct. 1564; Const. Pii V «Quum primum» 11 apr. 1566; Const. Pii V «Intolerabilis» 11 iun. 1569; Const. Pii V «Durum nimis» 1 iun. 1570; Const. Ben. XIV «In sublime» 24 aug. 1741; Conc. Trid. sess. XXI cc. 1, 9 de ref.; sess. XXII decr. de obs. et evit. etc.; sess. XXIV cc. 14, 18 de ref.; *Carafa Io.* Tract. de simonia; *Redoani Gul.* De simonia et de tribus eius partibus, mentali, conventionali et reali; *Ugolini Barth.* Tr. de simonia in genere, mentali, conventionali et reali; *Binsfeldii Petr.* Comm. in titulum iuris canonici de simonia; *Parisius F.* De confidentia beneficiali prohibita tract.; *Ripa F.* Tract. de simonia; *Gueinta Io. C.* Disp. de simonia; *Gibalini Ios.* De simonia; *Rusignoli Georg.* Novissima praxis theologico-legalis (in secundo tomo etiam de simonia); *Pertsch I. G.* Comm. de simoniae crimine; *Staudinger A.* Disputatio de simonia; *Pape I. L.* De simonia;

Van Espen Tract. de simonia circa beneficia, administrationem sacramentorum et celebrationem missarum; item de pensionibus ecclesiasticis; *Van Espen* De peculiaritate in religione et simonia circa ingressum religionis; *Van Espen* Vindiciae dissertationis canonicae de peculiaritate et simonia (contra libellum R. P. Wynants O. E. S. Aug.); *v. Kettwich Ch. I.* Disp. de simonia; *Leins A.* Zur Begriffsbestimmung d. Simonie; *Leinz A.* Die Simonie; *Hirsch E.* Der Simoniebegriff u. e. angebl. Erweiterung desselben i. 11 Jahrh.; *Drehmann I.* Papst Leo IX u. d. Simonie.

3747 **Simulatio.** — **De simulatione in genere.** — Simulatio proprie est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens; quare, quum omne mendacium peccatum sit, et simulatio est peccatum. S. Th. *2. 2. q. 111. a. 1. c.*

3748 **De simulatione fidei.** — Ratione fidei tenemur, scilicet christiani, fidem profiteri exterius (*Rom. X. 10*), quod duobus constat, nempe et fidem non negare, quod negativum est, et pro inde obligat semper et pro semper; et fidem positive profiteri, quod, utpote positivum praeceptum, obligat quidem semper, sed non pro semper.

Qui fidem simulat, fidem negat, non quidem verbis sed factis, ut patet ex definitione simulationis. Hoc autem ut diximus, semper peccatum est, et quidem grave; multo magis quod simulare fidem non intelligitur sine simulatione fidei heterodoxae, quod profecto maxime est illicitum. Cfr. D'Ann. *II. 6.*

A simulatione longe distat dissimulatio, quae tunc habetur, quum aliquis non factis decipitur, et reducitur ad occultationem veritatis. Occultare autem fidem saepe licitum, aliquando debitum est. Vid. *Dissimulatio.*

De simulatione sacramentorum. — Quoad 3749
simulationem relate ad sacramenta haec habe ex Ballerini-Palmieri (*IV. 694*): «Quum de sacramentis agitur, duplex modus simulationis distinguendus est. Simulari enim a ministro sacramentum potest: 1° quatenus ficte h. e absque intentione forma materiae applicetur; 2° quatenus loco debitae materiae et formae aliud earum speciem referens substituatur. Prior est simulatio proprie dicta sacramenti, versans circa materiam et formam sacramenti, continens abusum sacramenti, et sacrilega est; alia non versatur circa sacramentum, quod non est ullo pacto, absente forma et materia; at illicita est, quatenus illicita est deceptio aliorum in rebus religiosis..... De priore simulatione accipienda est prop. 29ª damnata ab Innocentio XI (*2 mart. 1679*): "Urgens metus gravis est causa iusta sacramenti administrationem simulandi.„ Porro S. Alphonsus optime solvit quaestionem quæ propter apparentem doctorum dissonantiam videri posset implicatissima, ostendens, quoad substantiam fere omnes convenire. Etenim, ut ipse inquit (*VI. 59*), omnes conveniunt, numquam esse licitum: 1° proferre sine intentione verba formae, v. gr. consecrationis supra panem, vel absolutionis supra indispositum (scilicet cum intentione non consecrandi aut non absolvendi, sed cum animo id simulandi); 2° hostiam non consecratam pro consecrata praebere; 3° celebrare missam non proferendo verba consecrationis. E con-

verso omnes conveniunt, licitum esse confessario aliquid orare et formare crucem, ne indispositio poenitentis prodatur, quamvis alii reputent, eum absolutionem recipere, et aliunde tenetur, ne aut verbo aut signo aut quovis alio modo aliquem prodat peccatorem, ut habetur in capite " Omnis utriusque sexus „ *de poenitentiis et remissionibus*. Ita qui ob metum gravem cogeretur sacramentum conferre indigno, puta absolutionem, posset alias preces seu voces adhibere, et simulatio esset secundi generis (scilicet non formalis, qua intenditur deceptio alterius, sed materialis — alii eam vocant dissimulationem — quam deceptio sequitur, quae permittitur), deficiente materia et forma; quae simulatio non decipit, nisi volentem decipi. Nec interest nunc referre varias rationes, quibus doctores volunt ostendere non haberi mendacium aut simulationem. Paucis: istae actiones sunt aequivocae significationis, et nemo tenetur, quando huiusmodi actiones ponit, alios monere quid agat, ne falsum putent; sibi imputent, si falso iudicant ex aequivocis motivis ». Vid. *Sacramentum*.

3750 **Societas.** — Societas est contractus de re aliqua in communi possidenda, ad commune bonum aut lucrum pro rata parte percipiendum. *C. C. a. 1697*; Lugo *de iust. et iure disp. XXX. n. 1.*

Duplex distinguitur iure nostro societas: universalis et particularis. *C. C. a. 1699.*

Universalis complecti potest vel omnia bona praesentia, vel lucra tantum, seu id, quod socii quocumque ex titulo industria sua lucraturi sunt, stante societate. *C. C. aa. 1700, 1702.* Contractus societatis universalis, quum nil aliud exprimitur, importat societatem lucrorum tantum. *C. C. a. 1703.*

Particularis societas ea est, quae complectitur res determinatas et particulares seu earum usum aut lucra ex eis provenientia. *C. C. a. 1705.* Particularis etiam societas ea est, qua duo vel plures uniuntur ad certum quoddam negotium agendum vel ad aliquam artem exercendam. *C. C. a. 1706.*

Est modus legitimus negotiandi (G. B. *I. 917*), dummodo adsint conditiones requisitae, idest ut habeatur divisio lucri pro rata rei collatae, ut quisque subeat onus damnorum et expensarum ratione societatis advenientium, etc. B. P. *III. 888 sqq.*

Pluribus modis solvitur: mutuo sociorum consensu; lapsu temporis praedefiniti; pereunte re, circa quam versatur; morte alicuius socii; eius interdictione; ipso ob egestatem vel infirmitatem non valente praestare, quod debet; unius vel plurium sociorum voluntate expressa, se nolle in societate perstare. *C. C. aa. 1729, 1735.* Sed ex hoc ultimo capite ea tantum societas finiri potest, quae ad tempus indeterminatum inita est (*C. C. a. 1733*), dummodo socii rescindere societatem volentes id bona fide peragant, idest non ut sibi lucrum quaerant, quod omnibus sociis quaerere statuerant, et non extra tempus, idest nolint societatem rescindere tunc, quum res in integro amplius non sunt, et societatis interest, ut eius dissolutio protrahatur. *C. C. a. 1734-*

Sunt et societates commerciales. Porro unaquaeque societas sua habet media, quae eam ducunt ad finem obtinendum, seu, ut hic de societate loquimur, ad lucrum acquirendum. Si haec media consistunt in actibus negotiatoriis, societas est negotiatoria; si in artificio seu industria exercenda, est industrialis.

Societates autem lucrativae, sive sint negotiatoriae, sive industriales, tripliciter ex Codice commerciali italico (*a. 76*) dispescuntur. Habentur enim societates, quae sociorum collectivo nomine ineuntur, seu societates collectivae; societates accomanditariae, et societates anonymae.

Societates collectivae eae sunt, in quibus omnes socii in solidum et illimitate respondent de obligationibus socialibus.

Societates accomanditariae eae sunt, in quibus unus vel plures socii accomanditarii respondent in solidum et illimitatè de obligationibus socialibus, et alii, unus vel plures, socii accomandantes respondent de certa pecuniae vi, quae etiam in *actionibus* collocari potest.

Societates anonymae eae sunt, in quibus sociales obligationes tantum assumuntur sub limite certae pecuniae vis, et socius quisque non tenetur praeter suam quotam aut actionem.

Societates collectivae vel societates accomanditariae nomen habent sociale (*la ditta sociale*), sub quo exsistunt; societates vero anonymae nomine sociali carent, sed speciali distinguuntur denominatione, quae ex earum obiecto seu fine desumitur, et debet esse distincta a denominatione cuiuslibet alterius societatis. *Cod. Comm. ital. a. 77.* Huiusmodi sunt societas ad vias ferreas, societas crediti fundiarii vel mobiliaris etc.

Semel saltem in anno conventus generalis cogitur (*Cod. Comm. It. a. 154*); omnes quidem socii vel actionarii ius habent, ut eidem intersint, nemo tamen eidem interesse cogitur.

Godaeus De contractu societatis; *Felici Hect.* De societate; *Harprecht Christ.* Comm. in tit. de societate et mandato; *Trombet Alex.* Tr. de societate; *Duardi Leon.* Tract. de omnibus societatibus; *Gibalini Ios.* Tr. de usuris, commerciis etc. (ubi etiam de societatibus); *Meurer H.* De eo quod iustum est inter socios; *Lauterbach* De sociorum obligatione, quae oritur ex conventione cum extraneis inita; *Stryck* De diversis sociorum pactis; *Reinhart* De natura et effectu societatis; *Ulmann* De dissolvenda unius renuntiatione societate; *Hofman* De societate; *Oeltze G. E.* Quatenus socii ob sociale debitum in solidum teneantur; *Troplong. R. Th.* Commentaire du contrat de société en matière civile et commerciale; *Delangle M.* Des sociétés commerciales; *Rauter* Du contrat de société en droit rom.; *De Benoit* De societate secundum ius rom.; *De Courcy* Les sociétés anonymes; *Rigal* De la dissolution et de la liquidation de la société; *Clavarino Carlo Giulio* La costituzione legale delle società cooperative; *Lescoeur* Essai historique et critique sur la législation des sociétés commerciales en France et à l'étranger; *Oudin* Etude sur les sociétés anonymes; *Alauzet* Comm. sur les sociétés civiles et commerciales; *Mornard* Des sociétés en commandite par actions; *Deloison* Traité des sociétés commerciales françaises et étrang.; *Pont* Comm. des sociétés civiles et commerciales; *Danieli Gualtiero* Le società commerciali

esistenti e il nuovo Codice di commercio; *Calamandrei Rod.* Delle società e delle associazioni commerciali; *Gonetta G.* Le società di mutuo soccorso e cooperative in Europa e specialmente in Italia; *Vidari Erc.* La società e l'associazione commerciale; *Brégeault* Les' associations et les sociétés devant la loi pénale; *Menus* De la dissolution des sociétés par la volonté et par la mort des associés; *Guillouard* Traité du contrat de société; *Sraffa* La liquidazione delle società commerciali; *Rodino Luigi* Codice delle società cooperative; *Ramella Agost.* Le società di commercio in rapporto alla legge penale; *Rodino Luigi* Codice delle società di mutuo soccorso; *Arthuys* De la constitution des sociétés par actions; *Floucaud-Penardille* Les sociétés par actions; *Vavasseur A.* Traité des sociétés civiles et commerciales; *Maria P.* Les sociétés commerciales par actions; *Rousseau* Des sociétés commerciales françaises et étrangères; *Hamon G.* Les sociétés de capitalisation; *Percerou* Etude des sociétés par actions; *Salzedo N.* Guide pratique des sociétés anonymes.

Societates piae. — Vid. *Uniones piae.*

3751 **Societates prohibitae.** — Non solum societates aperte impias et damnatas prohibentur fideles ingredi (Vid. *Secta*), sed ne illis quidem societatibus ordinarie dare possunt nomen, quae, etsi religionem aperte non impetunt, et gloriantur fine aliquo morali honesto, quamcumque tamen respuunt ingerentiam, etiam mere doctrinalem, auctoritatis ecclesiasticae, simulque proclamant se omnes in suum sinum cooptare velle, qui finem intentum prosequi curant sine ulla distinctione religionis aut sectae, cui sunt ascripti. Prohibentur autem generatim quia saltem periculis hae societates plenae sunt tum ex eo quod saepe ipso suo facto principia affirmant veritati catholicae haud consona, tum quia indifferentismum pessimam illam luem aetatis nostrae fovent quam maxime, tum quia catholici coguntur saepe exinde de rebus, quae a fide et dogmate praescindere omnino non possunt cum heterodoxis agere, tum quia hae societates de facto denegant ecclesiae auctoritatem, quam ipsa divinitus habet ex eo quod unica est authentica et legitima interpres moralitatis. Cfr. quoad hoc sapientissimas litteras, quas S. Congregatio s. Officii, (*16 sept. 1864*) dedit ad epos Angliae circa societatem *ad procurandam christianitatis unitatem* anno 1857 Londini erectam.

Sodalitates piae. — Vid. *Confraternitatis, Tertiarii* etc.

Sodomia. — Sodomia est concu- 3752
bitus cum persona eiusdem sexus (et dicitur perfecta), vel diversi sed in vase indebito (et dicitur imperfecta). B. P. *II. 1031 sqq.*

Est crimen horrendum. *Const.* Pii V «Horrendum sodomiae» *30 aug. 1568*: B. P. *II. 1033.* Perfecta differt specie ab imperfecta. B. P. *II. 1031.*

Probabilius non est declarandum in confessione quis fuerit agens, quis patiens, sed pollutio aperienda est. B. P. *II. 1032.*

Ratio igitur sodomiae proprie consistit in concubitu consummato cum persona eiusdem sexus, qui proinde nonnisi inter masculos haberi potest. Inter duas feminas impropria tantum datur sodomia.

Porro, quum ad sodomiam requiratur concubitus, si applicantur tantum manus, brachia, pedes ad partes genitales alterius, erunt impudici tactus, non sodomia, nisi forte in affectu aut desiderio.

Haec notanda sunt pro reservatione casuum; illa enim non veniunt, nisi crimina perfecta et in suo genere consummata. Si quando ergo absolute et simpliciter sodomia reservatur, non cadit sub reservatione, nisi concubitus consummatus masculi cum masculo. B. P. *II. 1031 sqq.*

Const. Pii V « Quum primum » 1 apr. 1566; Const. Pii V « Horrendum » 30 aug. 1568; *Magii Hier.* Mysopistigias h. e. tract. de sodomia seu repetitio in l. Cum vir nubit C. ad l. Iuliam de adulteriis; *Sharrock Rob.* Iudicia de variis inconscientiae speciebus, (ubi etiam de sodomia); *Hauemannus Mich.* Gamalogia synoptica seu de iure connubiorum (ubi in 2° libro etiam de sodomia).

3753 **Solidaritas.** — Solidaritas est obligatio restituendi in solidum, seu onus incumbens singulis cooperatoribus integrum damnum illatum reparandi. Cooperator, qui ita concurrit efficaciter ad damnum, ut hoc totum ei moraliter possit ascribi, tenetur ad restitutionem in solidum, et absolute, si fuerit causa principalis damni, conditionate tantum, si secundaria. G. B. *I. 695.*

Quoad causas concurrentes ad unum effectum producendum iam plura diximus ex Ballerini-Palmieri *III. 376* sub *Cooperatio.* Ea vide, et confer etiam B. P. *III. 388*, ubi invenies, quomodo quis possit esse causa sive physica sive moralis totius damni, sive cum aliis ad totum damnum operando, sive alios movendo.

Hic potius ea referenda sunt, quae Ballerini-Palmieri (*III. 390 sqq.*) optime exponit circa ordinem in obligatione restitutionis, quum non raro contingat, ut quis prior debeat, alius in defectu ipsius, quis sit causa principalis, alius secundaria. Huius autem ordinis ratio habenda est; nam quando causa principalis, vel qui prior debet, iam restituit, causae aliae ad nihil amplius tenentur. Si e contrario restituerint causae minus principales et posterius obligatae, tunc causa principalis, vel quae prius debebat, tenetur his compensationem refundere; quia haec per se absolute obligatur, illae conditionate, in defectu ipsius.

Quoad ordinem igitur inter obligatos ad restitutionem statuendum in primis est, quod ille prior prae ceteris tenetur, apud quem res exstat vel in se, vel in aequipollenti, si nempe factus est ditior; vel, etsi ditior factus non fuerit, si rem iniuste consumpsit. Attamen, si ille, qui rem consumpsit, eam habuit a mandante veluti praemium, vel quovis alio titulo, tunc primo loco tenetur mandans utpote causa principalis, idque multo magis si ille ad consumendam praedam vi, metu, fraude impulsus fuerit.

Si vero res nullo modo amplius exstet, primo loco tenetur ad restitutionem causa physica exsecutiva, quae fuerit in agendo principalis et non instrumentalis respectu alterius causae moralis. Haec autem regula continetur sub ista alia: omnis causa principalis iniuriae illatae, sive una causa sit, sive multiplex, etiamsi sit

tantum causa moralis, tenetur primo loco ante alias causas, quae se habent veluti instrumenta seu adiumenta ipsius. Ad quam pone sequitur haec tertia: ceterae causae, quae non se habent altero ex his modis inter se, neque ut principalis scilicet, neque ut instrumentalis erga aliam, sunt aeque inter se principales seu pares in obligatione restitutionis, et eodem loco tenentur.

Ad cognoscendum autem, quaenam dicenda sit causa principalis, quaenam instrumentalis, quaenam neutro modo se habens respectu alterius, sequentes regulae statuuntur:

1° Causa principalis moralis est mandans; et tunc causae exsecutrices non tenentur, nisi in defectu eius. Idque valet, etsi mandans non sit superior mandatarii, dummodo hic ex solo illius iussu agat.

2° Si exsecutor agat tum alterius tum suo nomine, tenetur simul cum alio primo loco, quatenus agit suo nomine; tenetur secundo loco, quatenus est exsecutor.

3° Quod si exsecutor solo nomine suo agit, licet commune fuerit consilium, dum v. gr. exsecutor sibi soli furatur, ipse solus tenetur primo loco, et reliqui habentur ut adiutores, qui solum in defectu primi tenentur.

4° Post causam principalem, scilicet mandantem, tenetur exsecutor, licet alieno nomine egerit.

5° Quoad consulentem, hic tenetur primus, si consilium ipsi soli est utile, v. gr. si precibus obtinuit falsum testimonium; si vero sit utile solum exsecutori, exsecutor tenetur primus, consultor in defectu; si utrique pariter utile est, aeque primi censentur ambo pro rata et in solidum in defectu alterutrius.

6° Si plures communi consilio aliquid auferant, quisque primo loco tenetur quoad ea, quae ipse abstulit; secundo vero quoad ablata ab aliis. — Hoc valet, si lucrativa fuit actio. Si vero est mere damnosa, quisque primo loco tenetur pro rata suae causalitatis; secundo loco ad supplendum pro aliis, scilicet in solidum. Rata autem aequalis vel inaequalis esse potest inter cooperatores, et duplici modo intelligi potest, scilicet *a*) ex portione praedae, si inaequaliter erat dividenda; *b*) ex inaequalitate influxus.

7° Prius tenentur causae positivae, quam negativae.

8° Inter causas negativas ordinem nullum servandum nonnulli dicunt; alii aliquem ordinem statuunt, et merito. Sic si magistratus et oeconomus peccaverint negligentia sive in monendo rei custode, vel in accusando ipso custode, et res dein pereat, prius tenebitur custos, quam oeconomus; quia magis et immediate hic influxit in damnum.

9° Causae positivae secundariae, uti consulens, consentiens, laudans, receptans, participans, quum non sint inter se subordinatae, aeque tenentur, eodemque loco, plus tamen vel minus pro maiori aut minori influxu, si de rata agatur. — Attamen si de facto una alteri subordinatur, videtur locus esse alicui ordini; ita si quis iubet, ut alter consulat furtum, iubens tenetur ante consulentem.

In hac materia raro omnino admo-

nendi sunt poenitentes, praesertim rudes, de sua obligatione, quia ea se ligari difficillime sibi persuadebunt. S. Alph. *Hom. apost. tr. X. n. 54.* Vid. *Cooperatio.*

3754 **Sollicitatio** — **De ipsa lege denuntiationis faciendae.** — Sacerdotes (non vero interpres [*S. U. I. 11 febr. 1661 ad 6*], etsi sacerdos [Mazzotta *tr. VI. d. 2 q. 2. c. 4. p. 1*], aut mandans confessario ut in confessione sollicitet [*S. U. I. 11 febr. 1661 ad 7*], aut poenitens confessarium sollicitans [S. Alph. *VI. 689*]) tum seculares tum regulares, etiam quomodolibet exempti aut cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae, vel quovis privilegio aut indulto muniti (*Const.* Greg. XV « Universi » *30 aug. 1622*), etiamsi carentes iurisdictione ad valide absolvendum (*Const.* Ben. XIV « Sacr. poenitentiae » *1 ian. 1741; S. U. I. 11 febr. 1661 ad 5; S. U. I. Instr. ad omn. arch. ep.. etc. circa observ. const. Ben. XIV « Sacr. poen. » 20 febr. 1866*), sollicitantes (tum mulieres tum viros) ad peccandum contra sextum decalogi praeceptum, etiam inhonestis tantum sermonibus (*Const. cit. Greg. XV; Const. cit. Bened. XIV;* B. P. *V. 708 sqq., 724 sqq.;* Bucc. *Comm. in const. Ben. XIV « Sacr. poen. » n. 24*), in confessione, aut occasione vel praetextu confessionis, immediate ante vel post confessionem, aut in loco, ubi confessiones audiuntur, vel ad confessionem electo, etiam confessione non secuta, simulantes ibidem confessionem audire, superioribus ecclesiasticis sunt denuntiandi. *Const. cit. Greg. XV; Const. cit. Ben. XIV.*

Haec autem non impediunt, quominus sacerdos huius criminis reus, aliunde rite dispositus, a quocunque confessario absolvi possit, quum sollicitatio, dummodo fuerit simplex, nullo iure s. Sedi reservatur. *S. U. I. ad arch. Cincinnaten 15 sept. 1859.*

Quodnam est obiectum sollicitationis denunciandae. — Restringitur autem in constitutionibus citatis obligatio denunciandi ad sollicitationem ad turpia, quae fiat cum aliquo abusu sacramenti poenitentiae, non vero aliorum sacramentorum. *S. U. I. 11 febr. 1661 ad 10.* 3755

Ex quanam sollicitatione ad turpia oritur obligatio denuntiandi. — Ex lege, quam supra retulimus, ad hoc ut habeatur obligatio denuntiationis, duo requiruntur, scilicet sollicitatio ad turpia, eaque huiusmodi, quae cum abusu sacramenti poenitentiae fiat. 3756

Quare ex primo sollicitatio debet esse ad omnia et sola inhonesta et turpia (*Constitut. citatae; S. U. I. 11 febr. 1661 ad 11;* S. Alph. *VI. 684*; B. P. *V. 724*), quocumque modo ea fiat, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut postea legendam (*Const. cit. Ben. XIV*; *prop. 6 damn. ab Alex. VII decr. diei 24 sept. 1665*), dummodo tamen certa sit vel saltem certa fiat, ut si quando confessarius dixerit alteri mulieri se domum eius venturum, et postea veniret statimque sollicitaret; nam quamvis ea verba in alium licitum finem dici potuissent, eventus in casu satis demonstraret, ea pravo sensu fuisse prolata. B. P. *V. 730.* 3757

Idem applicandum confessario laudanti mulierem de pulcritudine, qui

denuntiandus non esset, si pulcritudinis laudem, quam fecit, fuerit seria et nihil pravae intentionis redolens; denuntiandus vero esset in casu contrario. *S. U. I. 11 febr. 1661 ad 12.*

Idem et de confessario aliquod donum mulieri dante dicendum est. *S. U. I. 11 febr. 1661 ad 16.*

Sollicitatio autem, etsi a confessario facta fuerit, ut non cum seipso poenitens peccet sed cum tertia quadam persona, dummodo facta fuerit in circumstantiis supra recensitis, i n d u c i t obligationem denunciandi (*Const. cit. Ben. XIV*); quod valet etiam in casu, quo confessarius a poenitente petat, ut alium inducat ad hoc ut cum seipso peccet. *Const. cit. Gregor. XV.*

3758 Quoad alterum notandum est, abusum sacramenti poenitentiae, ex quo exsurgit denuntiationis obligatio, haberi omnibus modis supra recensitis. — De his aliquid singillatim annotandum.

3759 *a*) *In confessione* seu in actu sacramentalis confessionis, idest ex quo initium habet confessio (puta quum confessarius recitat orationem *Dominus sit in corde tuo etc.,* vel quum poenitens genuflectens signo crucis se munit, et incipit *Confiteor,* vel dicit ex quo tempore ad confessionem non venerit, B. P. *V. 715*), usque ad tempus, quo confessio absolvitur sive per datam absolutionem, sive per absolutionem denegatam, sive per impositionem poenitentiae, si quando poenitentia post absolutionem imponeretur. Bucc. *loc. cit. n. 12.*

3760 *b*) *Occasione confessionis,* idest quum confessarius petenti confiteri annuit, illumque quasi ad confessionem peragendam alio, ex. gr. in remotum quemdam locum procul a conspectu aliorum, ducit, ibique eum sollicitat.

Quaestio est inter doctores, utrum denuntiandus sit ille, qui ex simplici petitione confessionis sollicitandi ansam sumit, ve ille, qui idipsum facit ex aliqua notitia in confessione habita.

Primus casus haberetur, quum quis petentem, ex. gr. in sacristia, confiteri vel illico vel in crastinum, statim sollicitaret; et sunt qui dicunt eum esse denuntiandum (cfr. S. Alph. *VI. 678*, et ex parte D'Ann. *III. 367* [*12*]); sunt qui negant, quia potius occasione petitionis confessionis quam occasione confessionis sollicitare is videtur. B. P. *V. 717* (*b*); Bucc. *l. c. n. 16.*

Alter casus tunc haberetur, quum quis, cognita ex confessione fragilitate alicuius poenitentis, quae ex. gr. quam maxime procliva sit assentiendi invitanti ad peccatum, postea, occasione capta, eam sollicitaret; et in hoc quoque casu alii affirmantem (S. Alph. *loc. cit.*; Scavini *Th. mor. lib. III. tr. X. n. 404;* G. B. *II. 407*), alii negantem sententiam tuentur, quia non tam occasione confessionis, quam ex notitia in confessione habita is sollicitaret. D'Ann. *l. c.* (*11*); B. P. *V. 718* (*a*); Pignatelli *Nov. Consult. canon. Consult. 117;* Bucc. *loc. cit.*

c) *Praetextu confessionis,* scilicet 3761 quum quis aliquem ad confessionem invitat, ut provocet ad turpia (D'Ann. *III. 367*), etiamsi confessio non sequatur. Pignatelli *loc. cit.* Hinc denun-

tiandus est confessarius, qui invitet mulierem ad ecclesiam sub specie confessionis faciendae, eamque nil tale suspicantem sollicitet (S. Alph. *VI. 679*), quamvis Ballerini-Palmieri (*V. 719*) contrarium existimet.

Recte vero docet S. Alphonsus (*loc. cit.*), denuntiandum non esse confessarium regularem, qui pergeret ad feminam sollicitandam, petendo licentiam eam adeundi a suo superiore sub praetextu confessionis; nam hic, praetextu confessionis, fallit superiorem, non sollicitat poenitentem.

Idem dicendum de confessario, qui pergit ad mulierem, quae se aegrotam fingit ex tractatu cum confessario habito, eumque advocat quasi ad confessionem excipiendam (Bucc. *loc. cit. n. 17*); nam hic praetextus confessionis non ponitur nisi ad fallendos domesticos, ut eos sinant libere agere, non ad sollicitationem faciendam.

Et in hoc casu indifferens est quomodo ad hunc tractatum devenerint. Quare non puto denunciandum confessarium, qui mulierem sollicitaret extra confessionem, eique diffamationem timenti suggereret ut fingens se aegrotam eum advocaret, quasi volens cum ipso confessionem peragere, re autem vera ut opportunitatem peccandi tantummodo haberent; quum nullam ipsi in hypothesi intentionem habeant excipiendi aut peragendi confessionem, et proinde utantur hi praetextu confessionis non ad sollicitandum, sed ad liberius peccandum. B. P. *V. 719*. S. Alphonsus tamen (*VI. 679*) contrarium tenet.

Pariter non habetur sollicitatio quando mulier fingens se aegrotam sacerdotem advocat dicens velle se apud eum confessionem suam peragere; eo adveniente, alios omnes dimittit ut cum eodem sacerdote sola maneat. Quod quum fuerit assecuta ipsum sacerdotem eius consilii prorsus antea ignarum sollicitat et cum eo peccat. Ratio est, quia in casu nullus habetur abusus sacramenti ex parte confessarii, qui nullo modo praetexit confessionem ad sollicitandum; hoc enim facit mulier. Bucc. *loc. cit. n. 17*.

Imo non bene videtur affirmare Ballerini-Palmieri (*V. 719*), eum esse denuntiandum, qui, sponte accedens ad aegrotae domum, de confessione astantibus verba faceret, ut eos inde removeret, et postea aegrotam sollicitaret. Is enim praetextu confessionis removet astantes et liber manet ad sollicitandum, sed non praetextu confessionis sollicitat. Cfr. D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 181* (*19*). Aliud dicendum esset, si prius vere mulieri proponeret confessionem, sed hoc faceret in eum tantum finem, ut astantes removeret, et postea eam sollicitaret; is enim vere uteretur praetextu confessionis ad sollicitandum.

d) *Immediate ante vel post confessionem.* Hoc explicatum habes clarissime a Pignatelli (*Consultat. canon. cons. 117*): « Illud dicitur esse immediatum confessioni, inter quod et ipsam confessionem non mediat actio diversa. Ideo, si post confessionem poenitens vel confessarius divertitur ad aliquid extraneum, ut ad aliquid aliud faciendum vel loquendum, et postea sequatur sollicitatio, haec non dicitur immediata, nisi hoc diverti- 3762

culum sit adeo breve, ut pro nihilo censeri debeat. Sic etiam, si post sollicitationem intercedat aliqua alia actio ante confessionem, sollicitatio non est confessioni immediata. — Spatium autem hoc, intra quod, si fiat sollicitatio, incurruntur poenae huius cnnstitutionis, aliqui sic definiunt, ut spatium *ante* incipiat a petitione confessionis, et sic sollicitatio facta ante petitionem confessionis non potest dici facta immediate ante confessionem. Ex parte autem *post* incipit hoc spatium a data absolutione, et desinit postquam poenitens recessit a confessionario et a conspectu confessarii, genuflectit in ecclesia, ut fieri solet. Ita Bordonus in Tribun. cap. 23. n. 35. Unde poenas huius constitutionis non incurrit qui mulierem sollicitat, postquam adivit domum. Imo neque si illam euntem domum sollicitet in itinere. Censeretur tamen sollicitatio immediata, si, data absolutione, statim poenitentem ducat in sacrarium vel in cubiculum praetextu dandi illi chirographum confessionis, et postea ibi eam sollicitet ad turpia; quia talis actus pendet a confessione. — Ad hoc autem, ut sollicitatio dicatur facta ante confessionem, sufficit, si praecesserit petitio confessionis, licet non sequatur confessio; quia vel poenitens non vult amplius confiteri, vel confessarius illum non vult audire. Ideo, si postquam poenitens petiit confiteri de praesenti, confessarius illum sollicitet, id censetur facere immediate ante confessionem. Secus tamen esset dicendum, si poenitens diceret, se velle confiteri die crastina, et tunc confessarius illi dissuaderet confessionem et suaderet venerem; quia tunc in poenitente esset solum propositum confitendi, multo tempore distinctum a tempore confessionis, At vero, si poenitens extra confessionarium, non petita confessione, nec patefacto animo confitendi, sermocinatur de aliis cum confessario et illum sollicitet, etiamsi postea sequatur statim confessio, quae potest sequi, si poenitens sit dispositus, haec confessio non censebitur immediata sollicitationi factae, dum poenitens de aliis tractabat cum confessario. Quia per accidens est, quod sollicitationem sequatur confessio. Et nihilominus in hoc casu considerandum erit, an vere sollicitatio facta sit occasione confessionis ».

e) *Vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem.* Quare etiam extra casus superius recensitos, si sollicitatio locum habeat in confessionali, aut in alio loco destinato ad audiendas confessiones, ut ex. gr. in aliquo parvo sacello, quod in hunc usum excipiendarum confessionum in aliqua communitate religiosa vel in aliquo collegio aut conservatorio adhiberetur, vel in locis quibuscumque, in quibus excipi solent confessiones monialium (*S. U. I. 25. nov. 1874*), vel in quocumque alio loco ad confessionem excipiendam a confessario et poenitente hic et nunc electo, denuntiatio facienda est, dummodo tamen in his omnibus casibus (nam clausula illa *cum simulatione audiendi ibidem confessionem* refertur ad omnia loca recensita, Bucc. *l. c. n. 20*), 3763

habeatur simulatio quaedam confessionis.

Hinc confessarius, qui sedens in confessionario sollicitat mulierem stantem ante confessionarium non simulando confessionem, non est denuntiandus (*S. U. I. 11. febr. 1661 ad 15*). Et si quando (*S. U. I. 11 febr. 1661 ad 4*) ad quaesitum: « An confessarius, qui feminam in confessionario dicentem, se velle in crastinum confiteri, sollicitat et a confessione dissuadet, sit denuntiandus? » responsum est: « Si sollicitatio fiat extra locum confessionis et absque praetextu confessionis, censuerunt (Qualificatores) negativam opinionem esse probabilem; secus si in confessionario seu in loco confessionis »; intelligenda videtur responsio de muliere, quae quum in confessionario sit, idest ad crates, confessionem simularet ipso suo facto (Bucc. *loc. cit. nn. 19., 20*), nisi aperte ex visu. cachinnis et verbis elatis ac gestibus extrinsecus appareret omnibus, illam non esse confessionem, sed confabulationem de rebus ad confessionem minime pertinentibus (Leander *tr. V disp. 13. q. 31. apud. Bucc. loc. cit.*); et tunc denuntiatio non esset facienda. Cfr. D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 118*; B. P. *V. 723.*

Hinc non assentior cl. D'Annibale (*l. c.* [*16*]), dicenti, denuntiandum esse confessarium, qui peccat cum muliere, quae ex condicto eum advocavit simulando confessionem, ut possent liberius simul peccare; quod superius cum plurĺbus negavi. Porro ratio a D'Annibale allata haec est: « At quis neget eos habere inhonestos tractatus in loco ad audiendas confessiones electo? » Verum haec ratio nihil probat; nam profecto dici nequit locus electus ad confessiones excipiendas ille, quo duo conveniunt tantummodo ut peccent, et confessio non est nisi in erronea existimatione aliorum.

An in dubio sollicitationis denuntiatio facienda sit. — Ad obligationem autem denuntiationis, sollicitatio certa omnino esse debet, et proinde obligatio cessat, si sollicitatio dubia fuerit sive facto sive iure. 3764

Quando autem facto, quando iure dubia dicenda sit, pulcre explicat D'Annibale (*Comm. in constit.* « *Ap. Sedis* » *n. 182* [*30*]); « Porro *facto* dubia videtur sollicitatio, quum non satis constat, an sacerdos revera sollicitaverit, idest quum obscura sunt vel ambigua et verba (signa, nutus) et intentio... *Iure* autem dubia intelligitur sollicitatio, quoties non satis constat aut convenit, num sacerdos sollicitaverit quasi confessarius, ut puta si non appareat, utrum sollicitatio facta fuerit immediate ante confessionem vel an immediate post, vel utrum praetextu confessionis. Ceterum dubia huiusmodi in aestimatione non poenitentis, sed confessarii esse debent ».

Hinc, etsi confessarius aliquid imprudenter vel etiam imprudentissime quidem egerit, quod tamen nullo modo videatur egisse ex pravo fine, sed potius ex nimia quadam simplicitate, non videtur denuntiandus; denuntiandus enim est certo reus; nemo autem reus praesumitur, sed delictum probandum est.

3765 **De obligatione denuntiationis faciendae, de causis ab ea excusantibus vel non, et de poenis in non denuntiantes.** — Nullus poenitens vere sollicitatus absolvi potest, nisi saltem promiserit, se brevi denuntiaturum loci ordinario vel inquisitori s. Officii, sacerdotem sollicitantem (*Const. cit. Bened. XIV; Instr. S. U. I. 20 febr. 1866*, ubi praeter alia haec habentur: « Poenitentes admoniti, et omnino renuentes, nequeunt absolvi: qui vero ob iustam causam denuntiationem differre debent, eamque quo citius poterunt faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi »); et si de facto non denuntiaverit, ex negligentia vel culpabili omissione, intra mensem, incurrit excommunicationem latae sententiae nemini reservatam. *Constit.* « Ap. Sedis » *ser. 4 num. 4.*

Mensis autem, ad denuntiandum concessus, computandus est ex tempore, quo quis cognovit obligationem denuntiandi et excommunicationem annexam huic obligationi et tempus obligationis adimplendae. D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 184.*

Denuntiare quis tenetur, etiamsi ipse consenserit (*Const. cit. Ben. XIV*), quin tamen suum consensum aperiat (*S. U. I. 23 iul. 1624*); imo etiamsi confessarius non sollicitaverit, sed alterius sollicitationi mere consenserit secundum quosdam (B. P. *V. 726 sqq.* etc.), aliis negantibus (S. Alph. *VI. 681*; Bucc. *loc. cit. n. 29.* etc.); et certo secundum plures (B. P. *V. 735*), etsi confessarius sollicitans fuerit emendatus (ut si mulier sollicitata, ter vel quater ad confessionem postea accedens, pravum in eo animum numquam adverterit; si per triennium bene vixerit; si factus fuerit religiosus, etc., B. P. *V. 734*), quamvis multi in hoc casu obligationem denuntiandi negent (Leander *loc. cit.*; Cfr. D'Ann. *III. 368* [*28*]); nec non certo etiamsi propter sollicitationem alterius abiuravit (*S. U. I. 11 febr. 1661 ad 13*), idest si propter alterius sollicitationem fuit in iudicium vocatus et punitus; et tunc quoque quum denuntiatio nequeat iuridice probari (S. Alph. *VI. 695*), aut a multo tempore sollicitatio contigerit (*Const. cit. Ben. XIV*); non vero si confessarius iam fuerit mortuus. *S. U. I. 6 mart. 1839*; *S. Poen. 24 apr. 1884.*

An confessarius qui gravi metu inductus sollicitationi consensit, est denuntiandus? Et D'Annibale (*Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *180* [*9*]) respondet: « Probabile est (tunc) denunciationem cessare; quia S. U. I., quae citato decreto (*11 febr. 1661*) ad 9^um^ censuerat hunc quoque denunciandum esse, in citata instructione (*20 febr. 1867*) sacerdotem consentientem quidem memorat, sed de eo, qui metu consentit, verbum non facit ».

Timor, ne quis incurrat indignationem denuntiati, non excusat a denuntiatione (G. B. *II 405*); excusat tamen timor gravis damni sibi, aut proximis sibi consanguineis, seu affinibus, ex hoc imminentis. Ball. *in Gury l. c.* [*17*]; D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 182.*

Imo s. congregatio s. Officii (*22 ian. 1727*) respondit « mulieres sollicitatas non teneri ad denuntiationem, si ministri inquisitionis et vicarii epi-

scopi in longinquis regionibus degentes sine gravi incommodo adiri nequeant ».

3766 **Quinam denuntiare tenentur.** — Denuntiare tenetur non solum sollicitatus, sed alii omnes, qui id certo sciant (S. Alph. *VI. 695.*; D'Ann. *III. 368*). dummodo non noverint sub secreto consilii seu sub secreto commisso (S. Alph. *VI. 698;* D'Ann. *loc. nuper cit.*); quamvis alii omnes praeter ipsum sollicitatum: si non denuntiaverint, excommunicationem non incurrant. D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 183.*

3767 **De confessario relate ad sollicitatos.** — Confessarius autem tenetur poenitentes ab aliis sollicitatos monere de obligatione denuntiationis faciendae, neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat (*S. U. I. 20 febr. 1866*); et hanc obligationem confessarius iniungere debet poenitenti, etiamsi non sit fide dignus (*S. U. I. 4 mart. 1863*); imo confessarii, qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, debent puniri. *S. U. I. 20 febr. 1866.*

Monitio autem huius obligationis debet a confessario fieri, etsi praeviderit sollicitatum non esse denuntiaturum (s. Alph. *VI. 694*), dummodo poenitens non exsistat in periculo mortis (Bucc. *l. c. n. 33*), vel non sit in bona fide aut simplicitate constitutus, qui sollicitationem non intellexerit (Bucc. *l. c. n. 41*), ne ille perdatur, et is scandalizetur.

3768 **De poenis in sollicitantes.** — **Enumerantur hae poenae.** — Poenae contra sollicitantes ex constitutione Gregorii XV « Universi dominici gregis » (*30 aug. 1622*) sunt suspensio ab exercitio ordinis, privatio beneficiorum, dignitatum etc., et perpetua inhabilitas ad illa; pro regularibus etiam privatio vocis activaa et passivae. Quibus Benedictus XIV per sacram congregationem s. Officii (*5 aug. 1745*) addidit perpetuam inhabilitatem ad sacrificii celebrationem. Omnes huiusmodi poenae sunt tamen ferendae tantum sententiae. *S. U. I. 20 februarii 1866.*

Attamen « ii, qui nullis omnino super hoc crimine praeventi denuntiationibus, conscientia victi, ordinario loci eiusve delegato se sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confitentur, et veniam petunt, dimitti debent cum congrua abiuratione et poenitentiis dumtaxat salutaribus, adiecto consilio vel praecepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineant; nec ceteris poenis antea dictis, accedentibus licet postmodum denuntiationibus, afficiantur ». — *Instr. S. U. I. 20 febr. 1866* § *13.* — « Qui vero iudiciaria forma iam praeventi, sed nondum citati, sua sponte se sistunt, et ii pariter, quos veritatem non integram, sed diminutam, in spontanea apparitione confessos esse ordinarius loci ex acceptis postea denuntiationibus deprehenderit, impunitate non gaudent, verumtamen pro ipsius ordinarii prudentia mitius puniantur ». *Instr. cit. S. U. I. loc. cit.*

De suspensione, qua plectitur sacerdos sollicitans. — Suspensio inflicta contra sollicitantem generatim loquendo est poena et non censura; quare violata non inducit irregularitatem. Atta- 3769

men, si quando inferatur non propter delictum mere praeteritum, sed ob delictum praeteritum, habens tractum successivum, ut si quando praeterea iubeatur aliquis sacerdos sub poena suspensionis, ut locum aliquem suspectum deserat etc., tunc suspensio esset censura, et violata induceret irregularitatem, a qua tamen episcopus posset dispensare, quia episcopus potest dispensare ad omnibus irregularitatibus occultis, ea excepta, quae oritur ex homicidio voluntario. Mon. eccl. *vol. X part. 2 pag. 64.*

3770 **De poenitente nolente denuntiare.** — Si quando poenitens magnam experiatur difficultatem in denuntiatione facienda, ita ut ad eam nequeat induci, nec tamen sit ratio sufficiens cur ab ea poenitens se eximat, tunc confessarius recurrat ad s. poenitentiariam, quae quum causa vere subsit, dispensationem a denuntiatione facienda concedere potest.

3771 **De procedura iudiciali in causa sollicitationis ad turpia.** — Denuntiatio autem facienda est ordinario loci (hoc nomine venit etiam vicarius apostolicus, *S. U. I. 20 iun. 1882*), vel inquisitori (*Cons. cit. Gregor. XV; Const. cit. Benedict. XIV*) aut alii de licentia inquisitoris aut ordinarii (*Instr. S. U. I. 6 aug. 1897*), non tamen de licentia vicarii generalis, qui hanc facultatem non habet, nisi s. congregatio s. Officii ex privilegio idipsum, petente episcopo, alicui vicario generali concedat. *S. U. I. 20 mart. 1901.*

Fieri autem denunciatio potest per se (idest nisi vetet caritas) non solum voce, sed etiam per epistolas (*Istr. cit. S. U. I. 20 iun. 1882. §. 7*), sed non anonymas (*Instr. cit. S. U. I. 20 iun. 1882. §. 6*), vel per internuncium. *Instr. cit. S. U. I. 20 iun. 1882. §. 7.* Ratio autem, cur anonymae denuntiationes non admittuntur, haec videtur esse, quia denuntiatio facienda est denuntiatio iudicialis, non vero paterna.

« Accepta denunciatione non illico proceditur, sed a superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet, utrum persona denuntians sit fide digna » (*Instr. cit. S. U. I. 20 iun. 1882. §. 10*); et quamvis ob singularem rationem huius criminis, quod ut plurimum secreto perpetratur, singulares etiam attestationes admittantur, ad vitandum tamen, ne innocens ex falsa denuntiatione damnetur, necessarium est, ut singularibus hisce attestationibus concurrant praesumptiones, indicia et alia adminicula, ad hoc ut iudex procedere valeat. Quare « pondus cuiusque denuntiationis, qualitates et circumstantiae serio accurateque perpendendae sunt, et antequam contra denuntiatum procedatur, perspectum exploratumque iudici esse debet quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducantur. *Instr. nuper cit. S. U. I. §. 10.* Quod tanti momenti est, ut eadem s. congregatio idipsum denuo inculcaverit et expressis verbis confirmaverit, simulque declaraverit strictissimi iuris hoc censendum esse, ita ut, eo neglecto, ad ulteriora procedi nequeat. *Inst. S. U. I. 6 aug. 1897.*

Ad hoc autem, ut idipsum ad praxim

perducatur, eadem Sacra Congregaito in instructione nuper citata sequentia statuit: « Ordinarius toties quoties aliquam de infando sollicitationis crimine denuntiationem acceperit, illico ad diligentias peragendas procedet. Ad quem finem vel per se, vel per sacerdotem a se *specialiter* delegatum, advocabit (separatim scilicet, et qua decet circumspectione) duos testes, quantum fieri poterit, ex coetu ecclesiastico, utrumque vero omni exceptione maiores, qui bene noverint tum denuntiatum tum omnes et singulos denuntiantes, eosque sub sanctitate iuramenti de veritate dicenda et de secreto s. Officii servando, iudicialiter interrogabit, testimonium scripto referens, iuxta insequentem formulam (eam trademus in calce operis); utriusque vero testimonii, atque una simul respectivae denuntiationis authenticum exemplum directe tutaque via ad hanc supremam Congregationem quamprimum transmittet. (Quod intelligendum est, si res ad s. Officium deducta fuerit, non vero si episcopus per se procedit).... Quod si inveniri nequeant duo tantum testes, qui noverint una simul denuntiatum et omnes et singulos denuntiantes, plures vocari debent. Tot nempe hoc in casu testes vocandi erunt, quot oportebit, ut duplex quoad denuntiatum et unumquemque denuntiantem habeatur testimonium ».

3772 In hoc iudicio strictissimum secretum servandum est, quod non semel sacra Congregatio s. Officii sanxit: « Quod in hisce causis, vel ex commissione apostolica vel ex iure episcoporum proprio, tractandis maiorem in modum curari et observari debet, illud est, ut eaedem causae, utpote ad fidem attinentes, secretissime peragantur, et postquam fuerint definitae et exsecutioni iam traditae, perpetuo silentio premantur. Omnes curiae ecclesiasticae administri, et quicumque alii ad has pertractandas, vel patroni ad defendendas causas assumantur, iusiurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi episcopi, aliique locorum ordinarii, ad servandum secretum obstringuntur, prout in iure cautum est *cap.* « *Statuta* » *fin. de haeret. in 6°. et in Clementina* « *Multorum* » *§ Porro, de haereticis.* Qui vero denuntiationis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis examini subiiciuntur, iuramentum ab initio de veritate dicenda, et, actu expleto, de secreto servando, tactis sacrosanctis Dei evangeliis, etiam si sint sacerdotes, praestare tenentur ». *Instr. cit. S. U. I. 20 febr. 1866 § 14.* Quod iterum in recenti instructione citata (*6 aug. 1897*), inculcatum est his verbis: « Quoties autem iuramentum de secreto servando, et, pro diversis casibus, de veritate dicenda vel de munere fideliter obeundo deferendum sit, iuramentum ipsum semper et ab omnibus, etiam sacerdotibus, *tactis ss. Dei evangeliis et non aliter,* praestandum erit. In ordinarii vero potestate erit, siquidem pro rerum, locorum aut personarum adiunctis necessarium vel expediens iudicaverit, excommunicationem ipso facto incurrendam et Romano Pontifici speciali modo reservatam violatoribus comminari ».

Ex hac stricta obligatione secreti sequitur, episcopum non posse alios ordinarios monere de sollicitationis denuntiatione contra aliquem sacerdotem habita, ut eo non utantur in sacro ministerio; aut de sententia condemnatoria in crimine sollicitationis contra aliquem sacerdotem lata, ne ipsum in sua diocesi admittant; aut de his denuntiationibus seu sententiis vicarium suum generalem monere, etc. Cfr. Mon. eccl. *vol. X part. 1 pag. 44, 70.*

3773 Praeter has cautiones, hoc aliud a s. Congregatione s. Officii observari consuevit, « ut post unam alteramve denuntiationem rescribatur, quod denuntiatus *observetur*, ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut quum primum per novas denuntiationes res explorata erit, in iudicium vocandus sit. Ut plurimum nonnisi a tertia denuntiatione procedi solet ». Quod et ab episcopis observari docet. Cfr. quoad hoc ea, quae habet D'Ann. *III. 369 (33).*

3774 Omnibus exploratis, et criminis veritate probata, sententia ferenda est, eamque *ipse episcopus*, non alius ab eo delegatus, ferre debet secundum poenas in iure statutas et eius iudicio relictas; abstinere tamen debet ab infligenda degradatione et traditione brachio seculari, quae ad terrorem potius, quam ut exsecutioni mandentur, a Gregorio XV in sua constitutione sancitae sunt. *Instr. cit S. U. I. 20 febr. 1866 § 12.*

3775 **De crimine falsae denuntiationis.** — Ad praecavendum autem, quo melius fieri potest, ut ex his sanctissimis legibus, quae ad sacramenti dignitatem et reverentiam tuendam sancitae sunt, nemo odio, invidia, zelotypia, vel quacumque mala passione ductus, ansam acciperet innocentes sacerdotes calumniandi, iniuriose opprimendi ac vexandi, statutum est, ut peccatum falsae huius denuntiationis sit speciali modo Romano Pontifici reservatum, quamvis sine censura. *Const.* Ben. XIV « Sacr. poenit. » *§ 3.*

Hoc autem ntelligendum est non solum de casu, quo quis directe innocentem sacerdotem sollicitationis insimulet, sed etiam si sceleste procuret (efficaciter nempe, ut sit causa iniustae denuntiationis, et nisi suasio efficax ante exsecutionem denuntiationis efficaciter revocetur, s. Alph. *VI. 693*; B. P. *V. 750*), ut id ab aliis fiat. *Const. Ben. XIV nuper cit.*; *Instr. cit. S. U. I. 20 febr. 1866 § 1.*

Neque ad absolvendum ab hoc peccato facultatem ullam habent regulares; imo vel ipsi episcopi ea carent, etsi peccatum sit occultum. Bucc. *Comm. in const. Ben. XIV « Sacr. poen. » n. 60*, ubi plura vide.

Poenitens, qui confitetur crimen falsae denuntiationis, moneri debet, ipsum obligationibus calumniatoris teneri, scilicet obligari ad retractandam calumniam et ad resarcienda damna, quae sacerdos ex calumnia passus est. Noldin *Th. Mor. III. 390.*

Const. Pii IV « Cum sicut » 16 apr. 1561; Const. Greg. XV « Universi » 30 aug. 1622; Const. Ben. XIV « Sacramentum poenitentiae » 1 iun. 1741; Const. Pii IX « Apostolicae Sedis » 12 oct. 1869; *Bariola Al.* Notabilia circa mulierum sollicitationem in sacr. poenitentiae; *A Cunha Rod.* Tract. de confessariis sollicitantibus; *De Sousa Ant.*

In confessarios ad actus inhonestos feminas in confessionis sacramento allicientes; *Santarelli Ant.* Tract. de haeresi, schismate, apostasia, sollicitatione in sacramento poenitentiae; *De Trinitate Jo.* Expositio constitutionis Gregorii XV contra confessarios sollicitantes in confessionibus; *Thesaurus* De poenis v. Confessionis sacr. sig. cap. 4, Sollicitantes; *Bucceroni* Comm. in const. Ben. XIV « Sacram. poenitentiae »; *Desmyter E* De la sollicitation considérée en elle-même.

Somnium. — Vid. *Divinatio.*

3776 **Sortes divinatoriae.** — Sortes divinatoriae seu sortilegium, quibus rei occultae manifestatio inquiritur, sunt semper graviter illicitae. Vid. *Divinatio.*

Sortis periculum. — Vid. *Usura.*

Sortilio. — Vid. *Loteria.*

3777 **Specificatio.** — Specificatio est species accessionis, et habetur quando ex aliena materia nova corporis species per artem conficitur. Vinnius *Comm. in Inst. Iust. lib. II tit. 1. § 25.* Ex iure italico si artifex, aut quis alius, usus sit materia non sua ad novam rei speciem constituendam, sive res possit in suam pristinam redire formam sive secus, proprietarius eius ius habet in rem, quae facta est, soluto artifici aut alteri pretio laboris. *C. C. a. 468.*

Si ex duplici materia, partim sua, partim aliena, quis novam speciem ita effinxerit, ut neutra quidem sit penitus transformata, sed sine detrimento nequeant separari, res manet communis utrique domino, ratione habita quoad alterum materiae, quoad alterum vero materiae et operis. *C. C. a. 469.*

Attamen, si opus nimis materiam superaret, tunc opus censetur pars principalis, et artifex ius habet rem sibi retinendi, soluto pretio materiae domino, *C. C. a. 470*; cfr. etiam alios articulos codicis praeter citatos ab articulo 464 ad articulum 475. Vid. *Accessio.*

Spectacula. — Spectacula per se 3778
non sunt mala, nec proinde illicita (S. Th. *2, 2 q. 168 a. 3 ad 3*); si vero in iis repraesentantur res notabiliter turpes, aut turpi modo, grave est tum actoribus tum spectatoribus; nisi isti assisterent ob curiositatem tantum, secluso periculo consensus in turpem delectationem, et scandalo. S. Alph. *III. 428.* Qui vero pecunia et plausu cooperantur ad haec spectacula turpia, vel non impediunt, si possunt, graviter peccant. S. Alph. *loc. nuper cit.*

Clerici autem ratione sui status a pluribus prohibentur, quae per se etiam illicita non sunt. Hinc non solum a turpibus spectaculis sed et a theatris etsi non inhonestis et ab aliis id genus repelluntur lege ecclesiastica. Vid. *Clerici, Choreae.* Confer quoque quoad hoc prohibitionem ab emo Card. Urbis vicario nomine et auctoritate Pontificis latam clericis tum secularibus tum regularibus ne cynematographa in Urbe frequentent sub poena suspensionis ferendae sententiae. *Decr. 15 iul. 1909.*

Lacan-Paulmier Traité de la législation et de la iurisprudence des théâtres; *Rosmini E.* La legislazione e la giurisprudenza dei teatri e dei diritti di autore; *Rosmini E.* Legislazione e giurisprudenza dei teatri; *Deseure F.* Le droit et le théâtre; *Astruc* Le droit privé au théâtre; *Bureau* Le théâtre et sa législation.

3779 **Spes.** — Spes est exspectatio boni, quod sit futurum, arduum et possibile adipisci. S. Th. *1. 2 q. 40 a. 1.* Qua virtus est habitus supernaturalis, quo inclinamur ad exspectandam certa cum fiducia ex Dei promissione futuram beatitudinem, et media ad illam consequendam (cfr. S. Th. *2. 2 q. 17 a. 1*); eius obiectum materiale primarium est Deus possidendus, secundarium sunt media ad beatitudinem assequendam (S. Th. *loc. cit. a. 2 c. et ad 2*); formale est bonitas et fidelitas Dei cum eius omnipotentia coniuncta. S. Th. *2. 2 q. 18 a. 4 ad 2.* Peccata opposita sunt desperatio et praesumptio. S. Th. *2. 2 qq. 20, 21.* Spes requiritur in adultis de necessitate medii et praecepti ad iustificationem. Cfr. Conc. Trid. *sess. VI cap. 6*; *prop. 1 damn. ab Alex. VII decr. 24 sept. 1665*; S. Th. *2. 2 q. 22 a. 1*; B. P. *II. 119 sqq.* Ad hoc praeceptum implendum sufficit spes virtualis, quae a fideli passim exercetur. B. P. *II. 123.* Est mortale contra spem desiderare, se in hoc mundo semper victurum (B. P. *II. 124*); non item ex taedio mortem exoptare, quamvis hoc generatim sit veniale. B. P. *II. 125*; G. B. *I. 214.* Peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae, ad praesumptionem pertinet, et hoc non diminuit, sed auget peccatum; peccare autem sub spe veniae quandoque percipiendae, cum proposito abstinendi a peccato et poenitendi de peccato, non est praesumptionis, et peccatum diminuit. S. Th *2. 2 q. 21 a. 2 ad 3.*

3780 **Spiritismus.** — Spiritismus, si nomen consideres, recens superstitio est; si rem inspicias, vetus et omnium pessima. Nam idem omnino est recentiorum spiritismus ac veterum necromantia. Quare ipse est verissimum cum daemone commercium. Hac superstitione spiritus evocantur ope alicuius mediatoris (*Medium, Mediums*), qui anteactae aetatis magi et sagae aliis verbis sunt. Evocati spiritus quaestionibus sibi propositis ordinarie respondent. Quum primum superstitio haec recenti sub veste orbem civilem foedare incoepit, spiritus sese quaerentibus non ostenderunt, et responsa replicatis certo numero ictibus dederunt (*Spiritismo tiptologico, Mediums tiptologici*); postea ad responsiones scripto seu graphice datas transierunt, quas vel calamo manu alterius ducto, vel per haematiten in aëre pendulum, invisibiliter motum, scripserunt (*Psychographia, Spiritismo grafologico, Mediums grafologici*). Non hic finis progressus in spiritismo. Nam habiti postea sunt mediatores a spiritibus invasi et fere in ipsos transformati, quibus spiritus usi sunt tamquam mediis et instrumentis ad responsa danda et ad mira facienda (*Spiritismo dell'invasamento, Mediums pitoneggianti*). Postea spiritus noluerunt invisibiles manere, sed sese videndos exhibuere et mediatoribus, et iis, qui communicationibus mediatorum praesentes erant (*Spiritismo veggente, Mediums veggenti*). Tandem spiritus contrectabiles sese mediatoribus aliisque exhibuerunt, multaque operati sunt humano more, quae homines communiter faciunt, ut musica instrumenta pulsare aliaque id genus, nec non phaenomena quaedam portentosa

in morem ioculatorum, sed his omnibus longe melius (*Spiritismo delle materializzazioni, Reincarnazioni, Mediums materializzanti*).

Phaenomena spiritismi in omnibus suis gradibus (qui omnes et nunc perseverant, nam meliore invecto imperfectior non recessit) innumera prope sunt. Si qui cuidam spectaculo (*seduta, trattenimento*) a quodam mediatore exhibito adsunt, iubentur extremos digitos ad oram cuiusdam mensae apponere sese continuo contingentes, ut tangentium series non interrupta exsistat (*la catena*). Paullo post mensa crepitat, sese huc illuc inclinat, e solo assurgit, et in illud recidit. Tunc manus e mensa ad mediatoris invitationem tolluntur; spiritus adsunt, et operari incipiunt. Mensa est in dominio spirituum, imo et ipsi astantes, si manibus e mensa non recedant, quasi unum quoddam cum mensa efformantes in eorum potestate sunt. Mensa et cubiculi suppellectilia per aera volitant, choreas miscent, quam celerrime sese ad invicem confundunt, tabulae plura vitrea et fictilia vasa sustentantes in latus sese inclinant, quin aliquid in terram cadat, abrumpatur, corrumpatur. Graviora etiam armaria in aera attolluntur, et laqueari adhaerent diu ex eo pendula. Aliquando naturali sua gravitate sese exuunt, adeo ut puellulus quoque gravissimum vas maxima possit facilitate de loco in locum movere; vel, quae levissima sunt vasa, adeo gravia fiunt, ut plures etiam ea dimovere nequeant. Si quod musicum instrumentum in conclavi est, musicos edit concentus, nemine illud pulsante; sin est, et musici audiuntur concentus, invisibilibus tactis instrumentis. Aliquando ex improviso coruscat, tonat, solum terrae motu quatitur, mox ingens instrepit ventus moxque tacet; similiter et alia huiusmodi phaenomena eveniunt. Haud rarum est, ut de repente truncae manus, mutila brachia, crura nunc veluti in aerem tenuata, nunc solida, appareant, quae identidem astantes tangunt (et turpiter aliquando), percutiunt etc. Ad haec dant responsa petentibus, ut supra innuimus, voce etiam, ordinaria quoque ea voce, qua spiritus evocatus, hic vivens dum erat, loquebatur. Hinc creduli plures, mulieres praesertim, dilectas carorum suorum voces audire sibi videntur, daemone eas referente. His vero responsis et praeterita quaeque abdita pandunt et futura praedicunt; quae omnia aliquando in speciem hominis vivi (nec solum incogniti, sed et noti quoque, eum in ore, statura, more, quem vivens habebat, referentes) faciunt.

Ex his, quae breviter retulimus, unusquisque videt spiritismum constare phaenomenis physicis et psycobiologicis singularissimae naturae, quae cum ordinariis oeconomiae cosmicae phaenomenis nullo modo conveniunt, imo iis saepe adversantur. Hinc praeternaturalia sunt; quum autem Deum bonosque angelos haec aliquando ludicra, semper levia, plerumque in malum finem aperte tendentia, agere impossibile sit, a daemone sine dubio procedunt. Quod et physici spiritismi effectus in eius sectatoribus confirmant; plerique enim mediatores (*Mediums*) et assidui spiri-

tismi cultores, gravissimis nervorum morbis affecti, iis tandem succubuere. Quare spiritismus nullum nec societati nec individuis bonum gignit effectum, sed plures omnino pessimos et exitiales. Hinc divina lege ab his omnibus prohibemur omnino; hinc ecclesia mater et ipsa suos filios iure ab his omnibus retrahit (quare non solum his uti, sed ne interesse quidem iis licet; eos tantum dicit D'Ann. (*II. 54* *) letali vacare dixerim, qui quadam animi levitate aut curiositate iocandique causa mensis manus apponunt, ut in gyrum moveant, aut eiusmodi experimentis assistunt); hinc societates ipsae civiles providis legibus cives ab hac infanda et perniciosissima superstitione deterrere deberent. Cfr. D'Ann. *l. c.;* Lapponi *Ipnotismo e spiritismo c. 1. § 2, c. 3, c. 6, c. 7. n. 8.*

Nota autem hic responsionem sacrae Poenitentiariae (*1 febr. 1882*), qua declaratum est, assistentiam etiam mere passivam spirituum consultationibus et lusibus, illicitam esse ratione scandali et periculi propriae salutis, quae numquam penitus absunt.

Expositus est recenter sacrae Congregationi s. Officii casus sequens: Titius, omni conventione cum maligno spiritu sublata, evocare solet animas defunctorum. Ad quem finem haec peragit Titius: Ipse unus caput militiae coelestis exorat, ut alicuius certae personae spiritum se alloqui sinat; aliquot momentis temporis transactis, manum ad scribendum paratam aliena vi concuti sibi sentiens, spiritus praesentiam percipit. Ea, quae scire cupit, spiritui pandit; manus suis quaesitis responsiones scribit. Quae responsiones nihil contra ecclesiae doctrinam de vita futura continent; agunt plerumque de statu alicuius defuncti, de solatiis et expiationibus, quibus eget, etc. Quaerebatur, an haec agendi ratio liceret. Responsum est (*30 mart. 1898*): uti exponitur, non licere.

An. Avis aux chrétiens sur les tables tournantes et parlantes, par un ecclesiastique; *Tournier Valenint* Le spiritisme devant la raison. Les faits; *Schneid M.* Der neuere Spiritismus; *Wieser* Der Spiritismus und das Christenthum; *Gutberlet C.* Der Spiritismus; *Erzherzog Io.* Einblick in d. Spiritismus; *Schneider* Der neuere Geisterglaube; *Steudel* Der Spiritismus vor d. Reichterstuhl d. philosophischen Verstandes; *Diefenbach I.* Der Hexenwahn vor u. nach d. Glaubensspaltung in Deutschland; *D'Anglemont Arthur* L'hypnotisme, le magnétisme, la médiumnité scientifiquement démontrés; *Diefenbach I.* Besessenheit, Zauberei u. Hexenfabeln; *Schneider W.* Der neuere Geisterglaube; *Dippel J.* Der neuere Spiritismus in seinem Wesen dargelegt u. nach seinem Werte geprüft[2]; *Duhr B.* Die Stellung d. Jesuiten in d. deutschen Hexenprozessen; *Hansen I.* Zauberwahn, Inquisition u. Hexenprozess im MA u. d. Entstehung d. grossen Hexenverfolgung; *Diefenbach J.* Der Zauberglaube d 16 Jahrhunderts u. d. Katechismen Dr. M. Luthers u. d. P. Canisius; *Durf* Darf dem Jesuiten Laymann d. Autorschaft d. Processus iuridicus contra sagas noch weiterhin zugeschrieben werden? *Lapponi* Ipnotismo e spiritismo; *v. Hoensbroech P.* Das Papstum in seiner sozial-kulturellen Wirksamkeit; *Dumesnil G.* Le spiritualisme; *Hennig R.* Der moderne Spuk- u. Geisterglaube.

Spoliatus. — Vid. *Restitutio spoliatorum.*

3781 **Spolium.** — Spolium clerici constituunt bona de peculio ecclesiastico seu beneficiali superfluo, quae clericus decedens relinquit. De his bonis clericus ex iure (*cc. 7. 9 de testamentis etc. X.* [*III. 26*]; *c. 5 de peculio clericorum X.* [*III. 25*]) testari non potest, sed prius cedebant ecclesiae, in qua fuerat beneficium clerici (*cc. 7. 12 tit. cit. X.* [*III. 26*]), postea attributa sunt Camerae Apostolicae (*Const.* Pauli III « Romani Pontificis » *Non. ian. 1542; Const.* Pii IV « Decens esse » *Non. nov. 1560; Const.* Ben. XIV « Apostolicae servitutis » *25 mart. 1741*), tandem S. Congregationi de P. F. a Pio VII in subsidium missionum assignata. Santi *in tit. 26 lib. III Decr. n. 34.*

Veniunt etiam nomine spolii, et simili modo destinata fuerunt, prius nempe Camerae Apostolicae (*Constit.* Gregorii XIII « Officii nostri » *12 ian. 1577; Const.* Sixti V « In conferend s » *decimo kal. febr. a. 1590*), postea s. Congregationi de Propaganda Fide, bona regularium morientium extra claustra, vel apostatarum ab ordine, nec non fructus beneficiorum affectorum, seu S. Sedi reservatorum, a die vacationis usque ad diem provisionis.

Notandum tamen est, quod vel per concordata vel per privilegia, vel per legitimas consuetudines alicubi introductas hoc ius spolii in pluribus coarctatum est.

Praeter hoc animadvertendum est, nonnullos clericos ab hac lege exemptos fuisse, idest conclavistas (*Const.* Gregor. XV « Rom. Pontifex » *idib. mart. 1626*); clericos, quorum beneficia vel pensiones non excedunt annuum valorem 30 ducatorum aureorum de camera, dummodo illicitae negotiationi non vacent (*Const.* Pii V « Romani Pontificis » *8 ianuar. 1568*); clericos seculares Romae vel in eius districtu intra decem milliaria commorantes et decedentes, quoad omnia bona, iis non exceptis, quae acquisierunt ex iniusta negotiatione. *Const.* Pauli V « In eminenti » *8 apr. 1606.* Praeterea illi clerici ab hac lege exempti sunt, qui viventes quamdam annuam taxam Camerae spoliorum solvunt, seu cum eadem Camera sese componunt, ut dicitur. Santi *in tit. 26 lib. III Decr. n. 38.*

Improprie spolium dicitur sacra supellex, qua, dum viverent, utebantur beneficiati. Lucidi *de visitatione sacr. limin. I. c. 1. num. 59.* Vide *Utensilia.*

Redoani Gul. De spoliis ecclesiasticis; *Azpilcueta Mart.* Commentaria de spoliis clericorum super c. Non licet Papae 13 q. 2. 8; *Lutii Iul. Caes.* Tract. de spoliis ecclesiasticis diversorum auctorum; *Mainati Hier.* Tract. de spoliis ecclesiasticis; *Filliuccius Vinc.* Tract. de spoliis clericor.; *Eisenberg B.* Das Spolienrecht am Nachlass d. Geistlichen in s. geschichtl. Entwickelung in Deutschland bis Friedrich II.

Sponsalia. — **De natura et divisionibus sponsalium.** — Sponsalia sunt mentio et repromissio nuptiarum futurarum (*l. 1 de sponsalibus D.* [*XXIII. 1*]), seu futurarum nuptiarum promissio (*c. 3. C. XXX. q. 5 = resp. Nicolai I ad consult. Bulgaror. cap. 3*), seu plenius, promissio deliberata, mutua, utrimque acceptata et signo sensibili expressa futuri matrimonii inter 3782

personas certas seu determinatas, quaeque iure sint habiles. Reiffenstuel *in tit. 1 lib. IV Decr. n. 4,* et alii communiter.

Dividuntur in absoluta et conditionata, prout pure vel adiecta conditione ineuntur; in nuda et firmata, quae postrema habentur, quum contractui sponsalitio accedunt arrhae vel iuramentum. Vid. *Arrhae.*

3783 **De requisitis ad validitatem sponsalium.** — Ad eorum validitatem requiruntur omnes conditiones in definitione contentae, quarum una deficiente, sponsalia non subsistunt.

Hinc non essent sponsalia ea, quibus significaretur desiderium vel propositum ducendi aliquam in uxorem vel alicui nubendi, ut si quis diceret: *tu eris mea, volo te uxorem ducere;* nec valerent sponsalia, quae contraherentur sine animi deliberatione, idest sine ea iudicii maturitate, quae ad mortaliter peccandum requiritur (Schmalzgrueber *in tit. 1 lib. IV Decr. num. 18;* B. P. *VI. 6*); nec ea, quae continerent promissionem ex una tantum parte factam et ab altera acceptatam, ut si quis puellae diceret: *promitto tibi, me te in uxorem ducturum,* et illa responderet tantum: *promissionem tuam accepto vel ratam habeo* (Reiffenstuel *loc. cit. n. 15;* - nisi in casu ex circumstantiis appareret acceptationem continere repromissionem virtualiter, B. P. *VI. 22;* - attamen in hoc casu promittens teneretur ad matrimonium, non quidem vi sponsalium, sed vi promissionis, Reiffenstuel *loc. cit. n. 17;* B. P. *VI. 20;* - nisi is voluerit se obligare tantummodo secundum naturam contractus sponsalitii, idest in suppositione repromissionis, Laymann *Th. mor. lib. V. tr. 10. p. I. c. 1. n. 2*); nec ea sponsalia valerent, quae essent promissio facta indeterminatae personae, ut si quis tribus quibusdam sororibus promitteret, se ducturum unam ex eis (Gasparri *de matr. I. 55;* - quamvis et hic ad unam ex eis ducendam, si promissio fuerit acceptata, vi promissionis teneretur); nec valida essent ea sponsalia, quae contraherentur inter personas sive iure naturae sive iure positivo ecclesiastico, ad quemcumque contractum vel ad hunc contractum specialem inhabiles (B. P. *VI. 32*), ut si quis amens, vel impotens, vel cum alia parte affinitate in linea recta ex copula licita ligatus sponsalia attentaret.

Sponsalia ex metu gravi inita per se valida videntur, sed rescindibilia ad nutum metum passi.

Ad sponsalium validitatem, nedum consensus, sed ne scientia quidem parentum per se necessaria est. S. Alph. *VI. 877;* B. P. *VI. 93.* Attamen nota, filios contrahentes sponsalia, non tantum invitis sed et insciis tantum parentibus, plerumque peccare, graviter vero vel leviter pro diversis adiunctis. B. P. *VI. 95.*

De sponsalibus impuberum. — Impube- 3784
res quoque valide sponsalia contrahunt (*arg. c. 14 tit. cit. X.* [*IV. 2*]; non tamen ante septennium completum (*c. 4 tit. cit. X.* [*IV. 2*]), nisi forte malitia suppleat aetatem. Schmalzgrueber *in tit. 2 lib. IV Decr. n. 10 sqq.;* Sanchez *de matr. lib. 1 disp. XVI n. 9 sqq.* Ab his tamen initis impubes ante adeptam pubertatem resilire non

potest, ne ex consensu quidem alterius partis (*c. 7 tit. cit. X.* [*IV. 2*]); ea adepta potest, quin exspectet, ut altera pars impubes ad pubertatem venerit. Cfr. Gasparri *l. c. I. 127.* Pubes, qui sponsalia contraxit cum impubere, numquam potest ab iis resilire ex ea tantum ratione, quod sponsalia cum impubere contraxit; sed impubes, pubes factus, ex eo tantum quod impubes contraxerit, resilire statim potest. *c. 7 tit. cit. X.* (*IV. 2*).

Quid si sponsalia impuberum fuerint ab iis iuramento firmata? Et quidam (Schmalzgrueber *in tit. 2. l. IV Decr. n. 29 sqq., etc.*) putant tunc impuberes, puberes factos, ab iis non posse resilire propter solam causam quod in impubertate ea inierint; alii non immerito id negant, et contrariam tuentur sententiam. Reiffenstuel *in tit. 2 lib. IV Decr. n. 16 sqq.*

3785 **An quaedam formalitas requiratur ad validitatem sponsalium.** — Nulla sive ex iure antetridentino, sive ex iure tridentino, requirebatur formalitas ad sponsalia ineunda (*S. U. I. ad arch. Quebecen. 11 aug. 1852; S. C. C. in Anconitana 14 maii 1898;* Gasparri *l. c. I. 75*), excepta Hispania, in qua speciali iure a S. Sede probato cautum fuerat, ut pro valore requireretur publica scriptura (*S. C. C. in Placentina 31 ian. 1880; in Compostellana 11 apr. 1891*), et excepta America Latina, ad quam extensum fuerat ius hispanicum in perpetuum ex decreto S. C. Neg. Eccl. Extr. *1 ian. 1900.* Imo quum dubia exorta essent post hoc decretum, num invaliditas haec respiceret utrumque forum, an forum tantum externum, eadem s. Congregatio (*5 nov. 1901*) respondit, sponsalia aliter celebrata invalida esse etiam pro foro interno. Ius hoc Hispaniae et Americae Latinae per novum ius pianum, de quo statim mox, abrogatum est. *S. C. S. 12 mart. 1910 ad 7.*

Nunc autem ex iure novo piano per decretum « Ne temere » introducto, legitima forma ad ineunda sponsalia statuta est.

Ex hoc enim decreto ad validita- 3786
tem sponsalium necesse est ut fiant per scripturam, subsignatam a partibus, nec ab ipsis tantum, sed et praeterea sive a parocho aut loci ordinario, sive a duobus testibus cum appositione datae seu cum ascriptione diei, mensis et anni (*S. C. C. 27 iul. 1908 ad 2*). Et haec quidem, quando partes ipsae scribere sciant; si vero utraque vel alterutra pars scribere nesciat, idipsum annotandum est in scriptura, cui loco partium, praeter parochum vel loci ordinarium aut duos testes, ut supra praescriptos, subsignare debet alius testis.

Hoc idem, quod de utraque vel alterutra parte scribere nesciente diximus ex decreto, dicendum etiam puto, etsi de hoc casu decretum sileat, quando pars utraque vel alterutra scribere quidem sciat, sed non possit.

Scilicet is, si vult valida (ratione formae) sponsalia contrahere, debet scriptura ea inire, quae subsignetur ab altera parte, si haec scribere valeat, et ab uno teste superaddito parocho vel loci ordinario aut duobus aliis testibus, qui semper scripturam subsignare debent.

Quum forma substantialis ad cele- 3787

brationem sponsalium requirat subscriptionem ipsarum partium, si hae scribere sciant, dicendum ne est, *procuratorem* excludi? Et puto huic quaestioni negative respondendum. Nam certe antiquo iure, quemadmodum pro matrimonio, ita etiam a fortiori pro sponsalibus admittebatur procurator, iure autem novo expresse non excluditur. Cfr. De Smet *De sponsal. et matr.*[2] *n. 7. not. 7.*

Omnes autem admittunt, procuratorem ad sponsalia eodem modo constitui debere, quemadmodum constituitur procurator ad matrimonium; scilicet eget speciali mandato, quod datum fuerit ad contrahenda sponsalia cum determinata persona. De rigore tamen iuris non requiritur quod scriptis detur, licet hoc modo consultius dari evidenter pateat; nec ulla qualitas in eo exigitur pro validitate, veluti certa aetas aut sexus identitas cum mandante; sufficiunt proinde eae qualitates, quae de iure naturae in procuratore desiderantur.

3788 Subscribere autem partes, ad validitatem, debent unico contextu cum parocho seu ordinario et testibus requisitis, nec sufficeret ut scriptura ab una parte cum parocho et testibus subsignata remittatur ad alteram partem, quae vicissim cum parocho et testibus subscribat. *S. C. C. 27 iul. 1908 ad 1.*

3789 *Iure autem novo abolita evadit dispositio Bonifacii VIII in cap. un. de desp. impub. in 6°*, ex qua valida haberi debebant sponsalia, quae parentes iniverant nomine filiorum praesentium et tacentium, vel absentium ac ignorantium et postea expresse aut etiam tacite ratihabentium. Haec iuris praesumptio non amplius procedere potest iure novo, quum requiratur subscriptio ipsarum partium. Quod procedit etiam in casu, quo filii scribere nesciant, quia nimis clara ex decreti contextu legislatoris mens est, ut ad sponsalia requiratur expressa voluntas ipsorum contrahentium, nec sufficiat tantummodo scientia promissionis ab aliis factae et taciturnitas aut ignorantia et superveniens ratihabitio.

Pariter iure novo cessat dispositio 3790 *iuris antiqui, qua matrimonium ab impuberibus* inter se vel cum pubere (servata forma tridentina, sicubi opus esset) *celebratum*, quamvis ob impedimentum aetatis sit invalidum; *habet* tamen *vim sponsalium*. Patet quia deest in casu forma substantialis.

Quum in nova hac disciplina nulla 3791 super hoc expresse facta fuerit immutatio etiam relate ad testes pro matrimonio, quoad testes ad sponsalia ex novo iure requisitos, quemadmodum etiam quoad testes, qui ex novo decreto requiruntur ad matrimonium, standum est iuri antiquo, ex quo nullae positivae qualitates requirebantur praeter eas, quas ius ipsum naturae in testibus requirit. Proinde omnes ad validitatem admittuntur, qui testes actus materialiter esse possunt, mulieres quoque, minores, censura astricti. Et si haeretici non sunt adhibendi, hoc ad liceitatem pertinet. Imo, quamvis ordinarie caeci, muti, imo et surdi simul ac muti non possunt fungi munere testium, quando agitur de percipienda expressione consensus; quum de hoc

necessario non agitur, quemadmodum in sponsalibus, aut quum ex praevia peculiari institutione de actu, qui agitur, certiores fieri possunt, ne hi quidem excluduntur.

3792 Forma haec legitima sponsalium ad validitatem statuta est, ita ut aliter facta nec debeant ut valida haberi nec canonicos sortiantur effectus. Quare sponsalia inita non servata forma decreti « Ne temere » ante omnia iuridice et in externo ecclesiae foro sunt nulla, ac proinde omnes effectus, quos de iure ecclesiastico sponsalia producunt, ex ipsis non fluunt.

Sed, quid dicendum de valore horum sponsalium, quae, non servata forma decreti, inita essent, non quidem *in foro externo,* sed *in interno foro?* Aliud enim est, quod ex actu nulla exsurgat obligatio; aliud, quod exsurgentem obligationem auctoritas socialis non tueatur. Sic ex iure romano nulla exsurgebat actio ex nudo pacto, sed ex eo obligatio exsurgebat. Huic quaestioni respondendum puto etiam in foro interno nullam ex his sponsalibus oriri obligationem. Et haec, etsi quidam contradicant certissima sententia est: tum quia non dicuntur tantummodo in decreto talia sponsalia nullos sortiri canonicos effectus, sed invalida quoque dicuntur; tum quia unus ex modis, quibus iure mens legislatoris cognosci potest, praecise est ex comparatione et connexione totius legislationis canonicae. Porro vidimus iam, quomodo, quum dubium exortum esset quoad Americam latinam, num sponsalia ibidem sine praescripta forma celebrata invalida essent in foro tantum externo, ant etiam in interno, responsum fuit a s. Congr. Neg. Eccl. Extr., ea invalida esse in utroque foro. Idem proinde dicendum nunc quoad non servatam novam formam decreti, quod paucis immutatis, extendit eam formam ad universam ecclesiam. Sed et praeterea an dici potest non esse alienum a fine potestatis ecclesiasticae aliquem actum in externo foro invalidare, relicta tamen eidem validitate in foro interno? Scilicet an potest ecclesia nullo modo sua auctoritate tueri in foro externo ius, quod ab altera parte negligi non potest sine peccato?

Quare ex dictis evidenter infertur, nullam iuxta nos obligationem oriri ex sponsalibus initis non servata forma decreti, ne obligationem quidem fidelitatis. Hinc assentiri non possumus Noldin (*Decr. de spons. et matr. S. C. C. 2 aug. 1907 cum declaratione n. 6*) hanc fidelitatis obligationem admittenti. Si enim decretum non respicit sponsalia nisi in foro externo, ea igitur in foro interno reliquit in suo naturali valore. Valor autem naturalis sponsalium is est, ut non solum ex fidelitate, sed ex stricta iustitia obligent. Hinc cohaerenter vel dicendum est in foro interno sponsalia privata obligare ex iustitia, vel nobis assentiendum dicentibus nullam producere obligationem.

Ea omnia, quae diximus, referuntur stricte ad contractum sponsalitium, de quo unice loquitur decretum. Hinc dispositiones decreti non se extendunt ad alias promissiones quascumque, eas quoque, quae pro obiecto matrimonium habent, ut ex. gr. ad

promissionem unilateralem futuri matrimonii, quam Titius Titiae faceret, etsi haec a Titia fuerit acceptata, quae, quamvis non fuerit facta in forma decreti, suum tamen valorem retinet, nisi aliud obstet.

3793 Nomine autem *parochi* in hac nova disciplina intelliguntur non solum illi, qui legitime praesunt paroeciae canonice iam erectae, sed quoad regiones, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam ii sacerdotes, quibus in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, quique parochis aequiparantur, et quoad missiones, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnes sacerdotes a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione *universaliter* deputati.

Quaestio facta est inter doctores quinam parochus, si ipse adhiberetur, deberet subscribere contractui sponsalitio. Quaestio authentice resoluta est a s. Congr. Concilii, quae (*28 martii 1908 ad 7*) respondit, sponsalia celebrari posse coram quolibet ordinario aut parocho, dummodo intra limites ipsius territorii.

Parochus autem ad subscribendum sponsalibus non potest sibi alterum substituere seu suum privilegium ex eo proveniens quod ipse sit testis qualificatus, alteri delegare. *S. C. C. 28 martii 1908 ad 6.*

3794 *Quoad sponsalia acatholicorum*, sive de infidelibus agatur, sive de haereticis aut schismaticis, patet ante omnia, ea valida esse, si inter ipsos ineantur, etsi in eis celebrandis non fuerit servata forma decreti, et e contra invalida fore sponsalia, quae a parte acatholica inirentur, non servata forma decreti, cum parte catholica, vel cum ea, quae, etsi nata extra ecclesiam vel in ecclesia, ab eadem postea recessit.

Ex quibus hoc habemus corollarium, quod promissio quaedam mutua futuri matrimonii, quae inter catholicos vel inter catholicum et acatholicum fieret non servata forma decreti, quum nulla sit et nullos sortiatur canonicos effectus, nullum producit dirimens impedimentum publicae honestatis: sponsalia e contra ab acatholicis inter se inita (exceptis sponsalibus infidelium, qui legibus ecclesiasticis non subiiciuntur) hoc impedimentum producunt.

Quinam ligentur ad formam decreti « Ne temere » quoad celebrationem sponsalium diximus iam sub *Clandestinitas*, quia nimirum subiectum passivum legis quoad formam tum sponsalium tum matrimonii idem est. Nota hic tantummodo exceptionem factam pro Germania et Hungaria respicere eos tantum, qui in Germania aut Hungaria nati sunt et ibidem matrimonium contrahunt, ita ut in quovis casu utraque pars debeat esse nata in Germania vel respective in Hungaria, nec valeat matrimonium clandestine initum in Germania, quando alterutra pars in Hungaria nata est, sive in Germania sive in Hungaria matrimonium ineatur. *S. C. S. 18 iunii 1909.*

De effectibus sponsalium. — Valida, sunt verus contractus (B. P. *VI. 3*), et obligant sub gravi ex iustitia. S. Th. *in 4 dist. 27. q. 2. a 1. ad 2;* B. P. *VI. 64.* 3795

Inducunt praeterea impedimentum impediens, ne matrimonium licite cum alia contrahatur (*cc. 22. 31 tit. cit. X.* [*IV. 1*]; *c. 1 de sponsa duorum X.* [*IV. 4*]), et dirimens, ne contrahatur cum consanguineis sponsae in primo gradu. Vid. *Honestas publica.*

Ex sponsalibus exsurgit etiam obligatio fidei sponsalitiae, qua gravis iniustitiae reus fit sponsus vel sponsa, qui alteri commiscet; quare haec circumstantia fidei sponsalitiae violatae aperienda est in confessione (B. P. *VI. 75 sqq.*); quidam tamen contrarium tenent, quos vide refutatos apud B. P. *loc. nuper cit.*

Nota hic tamen specialem dispositionem capitis unici de sponsalib. et matr. (IV. 1) in 6°, iuxta quam persona, cum qua inita sunt sponsalia, non attingitur publica honestate, quae dein, manentibus praefatis sponsalibus, oriatur ex facto sponsi sui vel sponsae. Feije *de imped. et disp. matr. n. 338;* Wernz *Ius decr. IV. 451;* Giovine *I. 530.* Exinde magis clarum erit illud, quod dicebam sub *Affinitas* (*n. 281*) de casu, in quo, iuxta duplicem diversam sententiam doctorum de extensione impedimenti affinitatis ex matrimonio consumato sed invalido, iuxta quosdam haberetur impedimentum, quod iuxta alios non exsisteret. Casus esset sequens: si nempe Paulus post sponsalia valide inita cum Martha nondum solutis his sponsalibus, contraheret (invalide) matrimonium cum Maevia consanguinea Marthae in tertio gradu, ex copula cum Maevia habita non exsurgeret in altera sententia (in sententia scilicet quae restringit impedimentum affinitatis ex matrimonio consummato sed invalido ad secundum tantum gradum inclusive) impedimentum affinitatis; impedimentum autem publicae honestatis exsisteret utique in casu cum omnibus consanguineis Maeviae (nota sub n. 281 ex inadvertentia loco *Maeviae* scriptum fuisse *Marthae*) intra quartum gradum inclusive, at non cum ipsa Martha. Quare, soluto priore matrimonio cum Maevia, posset Paulus valide et licite cum Martha contrahere.

De appositione diei in contractu sponsalitio. — Si in contractu sponsalitio ad matrimonium perficiendum certus quidam terminus seu certa dies destinata est, ea est absque dubio servanda; si nulla certa dies fuerit destinata, debet matrimonium iniri quamprimum altera pars rationabiliter petit arbitrio boni viri, utputa confessarii, et in foro externo ordinarii. D'Ann *III. 512.* 3796

Quid autem, si dies quidem fuerit apposita, sed non fuerit servata, idest transierit, quin matrimonium fuerit contractum? Et tunc videndum est, num dies apposita fuerit ad finiendam obligationem, an ad urgendam tantum. — Si primum, et culpa fuerit ex utraque parte, extinguitur obligatio: si culpa vero ex una tantum parte fuerit, haec manet ligata, altera evadit libera. *c. 22 de sponsalibus etc. X.* (*IV. 1*); Schmalzgrueber *in tit. cit. n. 195.* — Si autem alterum, eo transacto, quaelibet pars adhuc tenetur.

Utrum autem dies apposita fuerit ad finiendam, an potius ad urgendam obligationem, res est pro foro interno dimetienda ex mente contrahentium,

pro foro externo ex verbis praecipue et ex aliis circumstantiis. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 196*.

Dies vero apponi potest etiam tamquam terminus, a quo incipit obligatio; tunc sponsalia quidem statim valent, sed obligatio nonnisi ea die adveniente incipit urgere.

3797 **Quid agere debeat confessarius vel iudex ecclesiasticus cum sponso renuente obligationi susceptae satisfacere.** — Confessarius autem debet urgere adimplementum promissionis, et sponsum vel sponsam, qui sine ulla causa et altero invito fidem servare nollent, non potest absolvere. B. P. *VI. 69*.

Imo etiam in foro externo debet iudex ecclesiasticus sponsum renuentem monere, eumque potest censuris cogere, ut promissis stet (*c. 10 tit. cit. X.* [*IV. 1*]), nisi, attentis circumstantiis, ex invitis nuptiis gravia mala et scandala timeantur; et quum huiusmodi coactiones difficiles soleant frequenter exitus habere, potius monitione quam censuris debet ordinarie iudex procedere. *c. 17 tit. cit. X.* (*IV. 1*).

3798 **De eo, qui post sponsalia valida iniit matrimonium cum tertia persona.** — Controversia est inter doctores utrum ille, qui, post sponsalia contracta et non legitime soluta, matrimonium cum alia contraxit, ita liberetur ab obligatione priorum sponsalium, ut ea penitus evanescat; an suspendatur tantum ita ut, matrimonio soluto, ad nuptias cum prima ineundas vi priorum sponsalium teneatur (cfr. Ball. *in Gury II. 545* [*22*]); quare in praxi nec is cogendus est ad primam ducendam, cum qua sponsalia contraxerat, nec ista prohibenda est, quominus ius suum persequatur.

De dissolutione sponsalium. — Pluribus de causis dissolvi possunt sponsalia, etsi fuerint iurata, idest mutuo consensu (*c. 2 tit. cit. X.* [*IV. 1*]), electione status perfectioris (D'Ann. *III. 515*), gravi crimine alterius (B. P. *VI. 154 sqq.*), notabili mutatione status sive bonorum sive corporis etc. (*c. 25 de iureiurando X.* [*II. 24*]), nimia dilatione matrimonii (*c. 22 tit. cit. X.* [*IV. 1*]; D'Annibale *III. 514*), superveniente impedimento sive dirimente sive impediente. B. P. *VI. 149 sqq.* 3799

Superveniente impedimento, dissolvi possunt, etsi impedimentum hoc dispensari soleat, si hoc accidit culpa neutrius (D'Ann. *III. 514*) vel utriusque (*arg. c. 6 de adulteriis etc. X.* [*V. 16*]); si vero culpa alterutrius tantum hoc accidit, tenetur alter etiam cum gravi incommodo dispensationem impetrare, si compars velit, et etiamsi damnum non esset passura (cfr. Sanchez *loc. cit. lib. I disp. LVI. n. 4*), non tamen cum magna impensa et longa mora, nisi forte reparandum sit damnum mulieri illatum, ex gr. ex nimia familiaritate. S. Alph. *VI. 858*; Sanchez *loc. nup. cit.*

Sponsus, cui superveniat pinguis hereditas, probabiliter potest a sponsalibus resilire. Ball. *in Gury II. 543* (*18*).

Quamvi sparentum consensus, ut diximus supra, non sit per se necessarius ad valorem sponsalium, parentum tamen dissensus aliquando potest esse iusta causa a sponsalibus resiliendi. Ball. *in Gury II. 544* (*21*).

Sponsus sponsae et vicissim, ante sponsalia, vel iis contractis ante matrimonium, defectus alteri iniuriosos detegere tenetur, alios vero non. S. Alph. *VI. 864 sqq.*

Fornicatio sponsae, non tantum quae sponsalia subsecuta est, sed etiam quae praecesserit, est iusta causa resiliendi in sponso. S. Alph. *VI. 861.* Contra, quibusdam casibus exceptis, secundum plures (Ball. *in Gury II. 545* [*23*]), fornicatio sponsi, quae sponsalia praecesserit, non dat ius sponsae resiliendi; imo sunt, qui negant hoc ius sponsae, etsi sponsi fornicatio subsequatur sponsalia (cfr. S. Alph. *Hom. ap. tr. XVIII. n. 18*), sed alii, verius, aliud putant, quia ex fornicatione hic non turpitudo, sed violata fides inspicitur, et quoad fidem servandam pari iure censendi sunt mulier et vir. D'Ann. *III. 514;* Gasparri *loc. cit. I. 132* Vid. *Reclamatio.*

Cessant etiam sponsalia ex dispensatione Romani Pontificis, qui certe hoc potest, quum pluries fecerit. Requiritur tamen iusta causa, quum agatur de tollendo alteri iure quaesito. Iustam autem causam adesse tunc putat Gasparri (*l. c. I. 160*), quum omnibus perpensis, maiora bona sperantur ex dispensatione, quam ex adimplemento fidei sponsalitiae. Hanc potestatem, quam Romanus Pontifex exercet per s. Congr. de sacramentis, ipse unus habet. Schmalzgr. *in tit. 4 lib. IV Decr. n. 53.*

3800 **De sponsalibus conditionatis.** — Sponsalia celebrari possunt licite non pure et absolute, sed apposita conditione etiam de futuro contingente, qua contractus sponsalitius suspendatur vel resolvatur. Reiffenstuel *in tit. 5 tit. IV Decr. n. 21.* Harum conditionum valor hic est.

De appositione conditionis de praesenti vel de praeterito. — 3801 Conditio *de praesenti* vel *de praeterito* hunc habet effectum, ut consensus sub ea conditione praestitus statim aut absolutus aut nullus evadat, prout conditio verificatur vel non. *l. 100 de verborum obligationibus D.* (*XLV. 1*); *l. 37 de rebus creditis etc. D.* (*XII. 1*). Et, si conditio non potest verificari, quia est de impossibili (ut: si non a tuis parentibus nata sis; si habeas viginti annos, quum viginti quinque nata sit, etc.), sponsalia sunt statim nulla. *l. 31 de oblig. et act. D.* (*XLIV. 7*).

De appositione conditonis de futuro. — 3802 Conditio autem *de futuro contingente* (ut: promitto matrimonium, si pater meus consenserit) suspendit valorem contractus sponsalitii, quoadusque fuerit purificata (*c. 3 de conditionibus etc. X.* [*IV. 5*]), scilicet si verificari potest; secus enim, si verificari non potest et est de impossibili (ut: si digito coelum tetigeris), tunc enim sponsalia nulla sunt. Inst. Iust. *de inutilibus stipulationibus* (*III. 19*) *§ 11.*

Attamen in hoc casu, si conditio ex ioco apposita probetur, sponsalia valent, sicut si esset conditio *de futuro necessario* statim valerent sponsalia (ut: si cras sol occidet), quia et haec ioco censetur apposita (Gasparri *loc. cit. I. 100*), quamvis, si partes noluerint ante conditionis eventum se obligare, interim cessaret obli-

gatio (D'Ann. *I. 41* [*27*]); nam conditiones primum a voluntate partium regiuntur. *l. 19 de conditionibus etc. D.* (*XXXV. 1*).

Sponsalia inita cum conditione de futuro contingente obligant statim ad exspectandum eventum: interim tamen sponsalia non subsistunt, quare nec impedimentum publicae honestatis incurritur. Verificata autem conditione, statim incipiunt esse sponsalia pura et absoluta, quin ulla sit necessitas renovandi consensus.

Conditio *suspensiva turpis* seu *de futuro turpis* sponsalium valorem et ipsa suspendit (cfr. Schmalzgrueber *in tit. 5 lib. IV Decr. n. 101 sqq.*; Gasparri *loc. cit. I. 100*); attamen sic contrahens non tenetur exspectare eventum, quem imo impedire debet (ut ecce: ducam te, si mecum interim copulam habueris; si Titium occidas, etc); quare et valide et licite nova sponsalia contrahit; si vero conditio fuerit impleta, transeunt statim in pura et absoluta, quare neuter potest a sponsalibus resilire.

Condiiio autem *suspensiva*, quae fuerit *contra substantiam* promissionis (ut ecce: nisi voluntatem meam immutavero) aut contra substantiam matrimonii (ut ecce: si promiseris te prolem vitaturam) vitiat sponsalia. Reiffenstuel *in tit 5 lib. IV Decr. n. 57.*

Conditio *de futuro* potest esse etiam *resolutiva* (ut: promitto matrimonium, sed, si invenero aliam ditiorem, liber ero); ea adiecta, actus ab initio valet, sed purificata conditione, rescinditur; quare in casu incurritur statim publica honestas, quae, invalidatis sponsalibus, non cessat.

Conditio *de futuro negativa* (ut ecce: si pater meus non contradixerit) videtur vim habere resolutivae; quare sponsalia valent statim, resolvenda utique, si conditio ponatur (idest si pater contradixerit). Attamen, si contrahens interim aliquod factum ponat, quo ex lege sponsalia firmantur vel transeunt in matrimonium, ut ecce in iure antiquo si post talia sponsalia copulam cum altera parte habuisset, etsi postea verificaretur conditio, matrimonium stetisset. *c. 6 de condit. appositis etc. X.* (*IV. 5*).

De conditione si Papa « dispensaverit ». 3803 — Quaestio est an valeant sponsalia contracta sub conditione: Si Papa dispensaverit (scilicet supposito impedimento exsistente).

Negant nonnulli et afferunt in contrarium quasdam decisiones sacrarum Congregationum.

Alii affirmant, et si quaestio est de natura rei, verissime, ut videtur; imo, etiamsi quaestio sit de sententia Congregationum Romanarum verior haec sententia videtur, quum responsa, quae in contrarium afferuntur, agere videantur de causis, in quibus consensus ab una parte fuerat revocatus ante exsecutionem dispensationis. B. P. *VI. 56*; Gasparri *l. c. I. 103.*

Attamen in praxi, quum prima sententia extrinseca gaudeat probabilitate, stare illi quis potest, ita ut si sponsalia sub hac conditione contraxerit et dispensationem obtinuerit, liber habeatur, quousque consensum non renovaverit.

3804 **De sponsalibus initis sub modo, causa, demonstratione.** — Diximus, sponsalia iniri posse sub conditione; multo magis licet sponsalia contrahere sub modo, vel causa, vel demonstratione.

Et sponsalia taliter inita semper valida sunt, quaecumque fuerit expressa demonstratio (ut: contraham tecum, quae pulcra es, et primogenita, et dives), etiamsi ea omnia, quae in demonstratione exprimuntur, falsa sint, dummodo error personae in casu non habeatur (Vid. *Error*); item valent, quaecumque fuerit expressa causa (ut: contraham tecum, quia dives es, et generationem prolis vitabis, etc.), etsi falsa; vel quicumque modus, etiamsi turpis, aut impossibilis, vel contra substantiam matrimonii (ut: contraham tecum ut filium occ das ut coelum digito tangas etc.).

Modus enim natura sua actum non suspendit (*l. 41 de contrahenda emptione etc. D.* [*XVIII. 1*]), et, si turpis vel impossibilis est, habetur pro non adiecto. Molina *de iust et iure disp. 208. n. 11;* Reiffenstuel *loc. cit. n. 63.* Attamen, si modus est licitus et honestus, obligat partem, quae modum promisit, obligationi satisfacere; et altera pars, si obligationi non fuerit satisfactum, potest obligationem urgere, vel a sponsalibus resilire. *l. 1 de donationibus, quae sub modo etc. C.* (*VIII. 55*). Haec certissima sunt, si agatur de veri nominis modo, causa, demonstratione; sed si haec transeunt in conditionem, idest si quoad substantiam conditiones sunt, etsi quoad extrinsecam expressionem sonent tantummodo modum, causam vel demonstrationem, regulas conditionis sequuntur. Schmalzgrueber *in tit. 5 lib. IV Decr. n. 140.*

De iuramento, arrhis, poena contractui sponsalitio appositis. — Si 3805 quis sponsalia iuramento confirmat, his praeter obligationem iustitiae ex ipso contractu exsurgente, contrahit etiam obligationem ex religione. Iuramentum tamen ordinarie aliquid accessorium est, quod leges de accessorio sequitur, et proinde naturam sequi congruit principalis (*reg. 42 iuris in 6°*); quare solutis sponsalibus quacumque ex causa, et ipsum cessat. Wernz *Ius Decr. IV. 109.* Si autem iuramentum per se stat, et sine peccato servari potest, servandum est. Verum etiam tunc mutuo consensu sponsalia dissolvi possunt, quia Deus non censetur acceptare iuramentum, nisi in utilitatem alterius partis, quae proinde potest renuntiare iuri suo. Gasparri *loc. cit. I. 126.*

Sponsalia non initia iuxta formam decreti « Ne temere », etsi iuramentum adiectum fuerit, nihil valent. Iuramentum enim non potest confirmare actus, qui propter bonum commune a lege irritantur, quemadmodum est de sponsalibus, non servata forma legitima.

Quoad actionem arrhae vel poenae in contractu sponsalium. Vid. *Arrhae*: attamen cfr. D'Ann. *III. 509* (*34*).

Tit. de sponsalibus et matr. X. (IV. 1); idem tit. (IV. 1) in 6°; decr. Pii X « Ne temere »; *Trevisani Th.* Tract. de privilegiis sponsaliorum; *Pisonis-Soacii T.* De sponsalibus; *Fontanella Io. Petr.* De pactis nu-

ptialibus sive capitulis matrimonialibus; *Buxtorffii Io.* De sponsalibus et divortiis; *Matthaei Ant.* Disp. de sponsalibus; *Neandri Sam.* Tr. de sponsalibus et nuptiis; *Mayer Henr.* De sponsalibus; *Scavenius Petr.* Tract. de sponsalibus; *Mogii Ier. Laur.* Emendatio analytica cap. Praeterea hi 2. X. de sponsal. cum nonnullis consiliis materiam hanc illustrantibus; *Bechstadii* De conditionibus sponsalium; *Rosignoli* Novissima praxis in universas de sponsalibus controversias; *Werner A. B.* Diss. an consensus sponsalitius a matrimoniali differat; *Brückner* De differentia consensus sponsal. et matrim.; *Vogler* Disputationes de sponsalibus; *Stryk* De prolatione sponsaliorum; *Wildvogel* De differentia consensus spons. et matr.; *Gottschald S. G.* Exercitatio, qua sponsalia a variis doctorum erroribus vindicantur; *Bendeleben* De diverso sponsalium et matrimonii iure; *Nettelbladt* De genuina notione sponsalium de praesenti et de futuro; *Tassern* De sponsalibus et eorum repudiis; *Scopp* De iure sponsaliorum; *Lehmannus* De recta sponsaliorum de praesenti et de futuro adplicatione; *Cosci Christoph.* De sponsalibus filiorum familias; *Muscettula Fr. M.* Diss. de sponsalibus et matrimonio parentibus consciis vel invitis; *Klügel* De fide sponsalitia; *Gregel* Von Eheverlöbnissen; *Weber* De vera inter sponsalia de praesenti et de futuro differentia; *Verhaeghe* Diss. de sponsalibus; *Bossi Ioan. Aug.* Tract. de peculiari effectu contractus matrimonii, nempe de dote filiabus danda; *Bagneris* De sponsalibus; *Bangen* Instr. practica de sponsalibus et matrimonio; *Sontag* De sponsalibus apud Romanos; *Freisen* Geschichte d. kan. ERs. 123 ff.; *Esmein* Le mariage en droit canonique I, 139 sqq.; *Colin* Des fiançailles; *Sehling* Die Unterscheidung der Verlöbnisse im kanon. Recht; *Naslin* De la rupture des promesses de mariage et de la séduction; *Peluso B.* Gli sponsali nel diritto canonico; *Tortori* La promessa di matrimonio; *Dubois* Les fiançailles et promesses de mariage en droit franç.; *Roche* Essai sur les origines romaines et germaniques du contrat de fiançailles; *Stutz* Rechtsnatur d. Verlöbn. n. d. bürgerl. Recht; *Lindenmeyer* Les fiançailles; *Dittenberger* D. Verlöbnis-Recht; *Zihlmann* D. Verlöbnisbruch im modern. Recht.; *Jacomet* Des fiançailles et des promesses de mariage. Etude d'histoire de droit et de jurisprudence moderne; *Lafourcade* Etude historique des fiançailles; *Roca* Les fiançailles; *Stanghelini* La promessa di matrimonfo nel diritto canonico; *Heiner Fr.* Das neue Verlöbnis- und Eheschliessungsrecht; *v. Moers W.* Verlöbnis u. Ehe; reliquam bibliographiam quaere sub *Matrimonium*, *Clandestinitas* (ubi de nova forma ineundi sponsalia iuxta praescriptiones decreti *Ne temere*), etc.

Sponsi — His licent oscula honesta in signum amoris; et si ex iis quaerant delectationem carnalem, venialiter peccant. Vid. *Oscula.* 380

Si autem in casu videat confessarius ex his adesse periculum consensus in malum, imo habeatur de facto consensus, et haec habenda sit ut occasio proxima, debet confessarius media proponere, ut occasio illa de proxima fiat remota; et si remedia proposita fructum non sortiantur, agendum cum his sponsis est non secus ac cum recidivis. Ball. *in Gury I. 413* (*3*).

Missa votiva pro sponso et sponsa dici nequit, nisi in eadem benedictio sponsorum fiat; dici tamen potest, etiamsi sponsi infra hanc missam s. communionem non sumant, quamvis parochi curare debent, ut sponsi nupturi in hac missa communicent. *S. R. C. in Lavantina 21 mart. 1874.* (*3329*); *in una de Guayana 15 sept. 1881 ad 7* (*3531*). Ceterum ea omnia, quae de hac missa statuta sunt, cla-

rissime exhibet decretum s. Congregationis Rituum (*30 iun. 1896 de missis votivis* [*3922*] § *6*), quod hic referre iuvat.

« In celebratione nuptiarum, extra diem dominicum, vel alium diem festum de praecepto, seu in quo occurrat duplex primae vel secundae classis, dicenda est missa pro sponso et sponsa, in fine missalis post alias missas votivas specialiter assignata. In diebus vero dominicis aliisque diebus festis de praecepto, necnon diebus duplicia excludentibus, dicenda est missa de die cum commemoratione missae pro sponso et sponsa, et quidem etiam in festis primae classis, sub altera conclusione, ac primo loco post ceteras commemorationes de praecepto, si quae faciendae.

Missa pro sponsis, et in ea benedictio nuptialis, fieri potest etiam in casu, quo sponsi infra hanc missam sacram communionem non percipiant.

Eadem missa, cum sit votiva privata, semper celebranda est, etiam si fiat in cantu, sine *Gloria in excelsis* et sine *Credo* et cum tribus orationibus : 1ª scilicet eiusdem missae votivae propria, 2ª et 3ª diei occurrentis ut in rubr. Tit. VII. Num. 3, *de commemorationibus* (idest secunda oratio erit officii diei, et tertia, si alia specialis commemoratio non occurrat, ea, quae alias in missa semiduplicis eodem tempore secundo loco diceretur) ; necnon in fine *Benedicamus Domino* et ultimo evangelio S. Ioannis

Temporibus vero prohibitis, nuptiae quidem celebrari possunt de licentia episcopi, at sine solemnitate, ideoque privatim ; et omissis missa et benedictione. Neque, iisdem temporibus, commemoratio pro sponsis fieri potest in missa occurrente.

Verum ex decreto generali S. C. sancti Officii dato die 31 augusti 1881, benedictio nuptialis impertienda est extra tempus feriatum iis coniugibus, qui eam quacum que ex causa non obtinuerint, missaque pro sponso et sponsa simul celebranda, diebus praescriptis ut supra.

Benedictio enim nuptiarum in missali posita, si sponsi eam petierint, (ceterum ad eam non adigendi, bene tamen adhortandi) ab ipsa missa pro sponso et sponsa abstrahi numquam potest, sed infra eam omnino debet fieri.

Notandum est tamen, quod si mulier est vidua et alias benedicta fuerit, omittenda est tam benedictio nuptiarum, quam missa propria pro sponso et sponsa.

Non obstantibus decretis quibuscumque particularibus in contrarium iacientibus, quae per hoc generale decretum uti revocata ac nullius roboris habenda esse Sacra Rituum Congregatio declarat ».

Color adhibendus in paramentis est albus ex ipso missali. Rubr. gen. miss. *tit. XVIII. n. 2.*

Quoad praefationem, vid. *Votiva.*

Nota autem, sacerdotem non teneri applicare missam hanc pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat. *S. U. I. 1 sept. 1841 ; S. C. P. F. 10 ian. 1837.*

Retinenda est consuetudo, ubi viget, velandi scapulas sponsi et caput sponsae in benedictione nuptia-

rum. *S. R. C. decr. cit. 15 sept. 1881. ad 6.*

3807 **Sponsio.** — Sponsio (*scommessa*) est contractus, quo plures de veritate, aut de eventu rei alicuius contendentes, aliquid sibi invicem spondent, vel apud aliquem deponunt, ut sit eius, qui verum dixerit. G. B. *I. 942;* Lugo *de iust. et iure disp. XXXI. n. 73.*

Est contractus licitus, si res eodem sensu ab utraque parte intelligatur; si adsit animus se obligandi, nec non solvendi id, quod promittitur; si eventus sit utrique parti incertus. B. P. *III. 900 sqq.* Attamen nota, quod ob extrinsecas rationes potest quis spondendo peccare, ex. gr. prodigalitate, si quis magnam pecuniae vim vel semel exponat, aut ratione damni quod infert aliis, quibus est obligatus, ut si paterfamilias gravi damno filios exinde exponeret. B. P. *III. 899.*

3808 **Spurius.** — Iure italico spurii (quamvis hoc nomine ius italicum non utatur) seu ii filii naturales, qui nati sunt ab iis, quorum vel unus tempore conceptionis matrimonio cum tertio quodam iunctus erat, seu inter quos matrimonium consistere non poterat ex consanguinitate aut affinitate in linea recta in infinitum, aut ex consanguinitate in linea collaterali in secundo gradu, neque legitimari possunt (*C. C. a. 195*), neque agnosci a parentibus. *C. C. a. 180.* Hi excluduntur etiam a quacumque investigatione circa paternitatem aut maternitatem; attamen actionem habent ad obtinenda alimenta, quum paternitas aut maternitas ex sententia sive civili sive poenali resultat, vel pendet ex matrimonio, quod fuerit nullum declaratum, vel resultet ex explicita declaratione parentum scripto facta. *C. C. a. 193.*

Filii naturales legaliter non recogniti nullum ius habent, etiam quoad successionem, in bona parentum. *C. C. a. 743.* Etiam recogniti nullum ius habent in bona eorum, qui cognati sunt parentum. *C. C. a. 749.* (*C. C. a. 756*). Filii naturales legaliter recogniti, si adsint descendentes aut ascendentes legitimi, ex iure italico ius habent ex testamento ad dimidium portionis, quae ad eos spectaret, si legitimi forent. *C. C. 815.* Si desint descendentes et ascendentes legitimi, ius habent ad duas tertias partes eiusdem portionis. *C. C. 816.* Si pater intestatus moriatur, deficientibus descendentibus, ascendentibus et coniuge, filii naturales legaliter recogniti totam accipiunt hereditatem. *C. C. 747.* Portio vero debita ex testamento his filiis naturalibus, non minuit legitimam debitam descendentibus aut ascendentibus, sed ex parte, de qua testator disponere potest, sumenda est. *C. C. 818.* Attamen nota: iure naturae filium ius habere, ut a patre alatur et instituatur secundum suam coaditionem. Quare filius, qui secus non haberet unde honeste secundum suam conditionem viveret, posset in foro conscientiae, si legaliter recognitus non esset, vel etsi ne agnosci quidem posset, ex bonis paternis id desumere quod ad eius alimenta (victum, vestitum, habitationem etc.) et institutionem necessaria essent, quousque evadere posset habilis ad se sustentandum, secun-

dum suam conditionem, industria sua. Quantitas autem, quam sumere posset, deberet esse in aestimatione boni viri. Cfr. Molina *de iust. et iure disp. 168. n. 1 sqq.* Vid. *Illegitimitas.*

Palaeotti Gabr. Tract. de nothis spuriisque filiis; *Hotomanni Fr.* Libellus de spuriis et legitimatione; *Steuer H. C.* Disquis. an e iure Justinianaeo patri incumbat onus alendi spurios; *Moulin* Des droits successifs des enfants naturels dans les differentes législations de l'Europe; *Héan* De la paternité et de la filiation; *Jacquier* Des preuves et de la recherche de la paternité naturelle; *Daste* De la recherche de la paternité hors mariage; *Guyard* Des preuves de la filiation légitime; *Coulet-Vannois* Etude sur la recherche de la paternité; *Coste* De la présomption légale de paternité; *Amiable* De la preuve de la paternité hors mariage; *Dubois* Etude hist. en droit rom. et en droit franç. sur la protection de l'enfance et la condition des enfants trouvés, abandonnés et indigents; *Seitz* Alimentationspflicht d. ausserehelichen Erzeugers nach gem. Recht; *De la Grasserie* De la recherche et des effets de la paternité naturelle; *Arnette* De la condition des enfants nés en dehors des justes nôces; *Parigot* Etude de législation comparée sur la condition des enfants naturels; *Laroche* La condition des enfants nés en dehors des iustae nuptiae; *Mayet* La recherche de la paternité; *Verneau* De la réserve de l'enfant naturel; *Guérillon* De l'action en désaveu de paternité; *Mauveaux J.* De la recherche du père en tant que géniteur; *Douxchamps* Des enfants naturels, histoire et législation; *Pouzol A.* La recherche de la paternité. Fontes et reliquam bibliographiam quaere sub *Illegitimitas*, *Legitimatio.*

3809 **Stare mandatis ecclesiae.** — Obligatio standi mandatis ecclesiae, de qua sermo est in constitutione «Apostolicae Sedis», quaeque incumbit poenitentibus a non habente facultatem absolutis a censuris Rom. Pontifici reservatis, importat onus sive per se sive per confessarium ad S. Pontificem recurrendi eiusque mandatis obediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem, non autem onus sistendi se coram Summo Pontifice; et haec obligatio non urget absolutum in articulo mortis a censuris Summo Pontifici simpliciter reservatis. *S. U. I. 19 aug. 1891, 13 ian. 1892, 2 apr. 1892.*

Obligatio haec urget sic absolutum sub poena reincidentiae, si infra mensem ad S. Sedem modo superius dicto non recurrerit. *S. U. I. 19 aug. 1891.* Attamen quando neque confessarius, neque poenitens, epistolam ad s. Poenitentiariam mittere possunt (ut esset ex. gr. tempore missionis vel exercitiorum, quae ab extraneis sacerdotibus in aliquo pago traderentur, quique responsum Poenitentiariae exspectare non possent, et poenitens per se litteras conscribere quacumque ex causa non posset) et durum sit poenitenti adire alium confessarium, in hoc casu licet confessario poenitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis absque onere mittendi epistolam. *S. U. I. 9 nov. 1898.*

Stationes. — Stationes dicta sunt 3810
ea Romae loca insignoria, in quibus sacra Apostolorum et Martyrum corpora conquiescunt, et ad quae christiani exinde a primis ecclesiae temporibus sese conferebant ibidem vigilaturi et oraturi. Bellarminus *de indulgentiis lib. II. c. 20.*

Quum communis plurium oratio sit acceptior, consuetudine invectum est, ut statis diebus, iis praesertim qui ieiunio et orationi ex praxi ecclesiae specialius dedicati fuere, stata loca visitarentur a christianis una cum clero et ipso Romano Pontifice, qui ibidem sacra mysteria celebrabat. Haec loca seu ecclesias visitantibus, ibique ad mentem et intentionem Romani Pontificis orantibus peculiares indulgentiae iam inde ab aetate Gregorii Magni (Beringer *Les indulgences I part. 2 sect. 3. n. 22*) concessae sunt. Eaedem confirmatae sunt a Pio VI per rescriptum sacrae Congregationis Indulgentiarum *9 iul. 1777.* (Schneider *Rescripta authentica S. C. Ind. sacrisq. Reliquiis praep. n. 313*), et ne dubium exoriretur circa earum extensionem, sic determinatae:

In Quadragesima: in feria IV cinerum et dominica IV, indulgentia quindecim annorum totidemque quadragenarum. — Dominica Palmarum, vigintiquinque annorum totidemque quadragenarum. — Feria V in Coena Domini, plenaria. — Feria VI in parasceve et sabbato sancto, triginta annorum totidemque quadragenarum. — In reliquis tam dominicis, quam feriis, decem annorum totidemque quadragenarum.

In Paschate Resurrectionis D. N. I. Ch.: In dominica, indulgentia plenaria. — In duobus aliis festis diebus immediate sequentibus et per totam octavam usque ad dominicam in Albis inclusive, quotidie triginta annorum totidemque quadragenarum.

Die Ascensionis, indulgentia plenaria.

In Pentecoste: In sabbato ante dominicam, decem annorum totidemque quadragenarum. — In dominica, et aliis infra octavam diebus usque ad sabbatum inclusive, quotidie indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

In dominicis adventus: In dominica I, II et IV, indulgentia decem annorum totidemque quadragenarum. — In dominica III, quindecim annorum totidemque quadragenarum.

In Nativitate D. N. I. Ch. et aliis temporibus: In vigilia, nocte ac missa aurorae, indulgentia quindecim annorum totidemque quadragenarum. — In die, indulgentia plenaria. — In subsequentibus tribus diebus festis, et in Circumcisione ac Epiphania Domini, nec non in dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum. — In tribus feriis Quatuor Temporum, decem annorum totidemque quadragenarum. — In festo S. Marci Evangelistae ac tribus feriis Rogationum, indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

Quandonam habeantur stationes et ubi, annotatur in missali romano.

Indulgentiae, quae primitus solis ecclesias quasdam Urbis visitantibus concessae sunt, progressu temporis ex privilegio visitantibus quoque quasdam certas ecclesias extra Urbem fuerunt elargitae. Quod praesertim factum est cum plerisque ordinibus et congregationibus religiosis, quibus concessum est, ut eorum alumni ipsas ordinis ecclesias visitantes possint lucrari indulgentias

concessas visitantibus statas Urbis ecclesias. Attamen quoad hoc privilegium notandum est decretum sacrae Congregationis Indulgentiarum *7 mart. 1678*, quod ita se habet: «Indulgentias... stationum Urbis, quae a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatae sunt vel communicabuntur interdum aliquibus locis, ordinibus aut personis, diebus tantum stationum in missali romano descriptis suffragari posse (sacra Congregatio) declarat». Hinc regulares, qui, etsi ex erronea consuetudine, putantes se has indulgentias quotidie lucrari posse, quotidie visitationem ecclesiae in hunc finem peragerent, nullam tamen indulgentiam assequerentur.

Pariter ille, qui nomen dedit pluribus confraternitatibus, quae gaudent indulto lucrandi indulgentias, quas *stationales* appellant, non potest eas lucrari tot vicibus, quot sunt sodalitates, quibus ascriptus est, sed semel tantum in die. *S. C. Indulg. 13 sept. 1905 ad 1.*

811 **Status ecclesiae.** — Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut iura ad ecclesiam Romanam pertinentia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis, nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes, incurrunt excommunicationem l. s. Romano Pontifici specialiter reservatam. *Const.* «Ap. Sedis» *ser. 1. n. 12.* Quoad hanc excommunicationem, Vid. *Bona ecclesiastica.*

812 **Status foederati Americae septentrionalis.** — Iuverit hic referre duo sequentia documenta, quae fideles in statibus foederatis Americae septentr. degentes respiciunt.

« 1° Fidelibus Orientalibus in Americam septentionalem confluentibus facultas esto, si libuerit, sese conformandi ritui latino; regrediendum tamen ipsis erit ad ritum proprium simul ac in patriam revenerint.

2° Orientalibus qui verum et stabile domicilium in America septentrionali constituerint non permittatur transitus ad ritum latinum, nisi obtenta in singulis casibus venia Apostolicae Sedis.

3° In provinciis ecclesiasticis Americae septentrionalis, in quibus multi sunt fideles rutheni ritus, archiepiscopus cuiuscumque provinciae initis consiliis cum suis suffraganeis, sacerdotem ruthenum coelibatu et idoneitate commendabilem deputet, et huius defectu sacerdotem latini ritus ruthenis bene visum, qui super populum et clerum dicti ritus vigilantiam et directionem exerceat, sub omnimoda tamen dependentia ordinarii loci, qui pro suo arbitrio, facultates ei tribuat, quas in Domino expedire iudicaverit.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus eiusdem S. C., die 1 maii 1867».

« I. Filios ex parentibus non americanis linguam ab anglica diversam loquentibus, in America natos, non teneri cum emancipati sint ad sese iungendos quasi-paroeciae, ad quam pertinent parentes, sed iure frui sese uniendi quasi-paroeciae in qua regionis lingua, seu anglica, adhibetur.

II. Catholicos qui in America nati non sunt, qui tamen linguam anglicam noscunt, ius habere membra fieri illius ecclesiae in qua anglica lingua in usu est, nec obligari posse ad sese subiiciendos iurisdictioni rectoris ecclesiae erectae pro populo linguam propriae nationis loquente ».

Mon. eccl. *vol. X. p. 1 pag. 126*, ubi haec responsio sine data refertur.

3813 **Status liber.** — ***De statu libero probando.*** — Parochus, antequam deveniat ad matrimonio copulandos aliquos fideles, imo antequam ad banna pro aliquo matrimonio celebranda procedat, « tum sponsum tum sponsam seorsim caute, et, ut dicitur, ad aurem explorare studeat, an ex voluntate, sponte ac libenter et vero cum animi consensu in matrimonium vicissim coniungantur; nec non, quantum fieri potest, inquirere nitatur ullumne et cuius generis impedimentum inter contrahentes intercedat, aliisne fidem sponsionemque alter ex contrahentibus dederit, de consensune parentum filii filiaeque familias contrahant. Haec aliaque huiusmodi momenta postquam parochi accuratissime exploraverunt, si aliquod eorumdem momentorum sive definire aut nocere posse deprehenderunt, suspensis interea denuntiationibus, illud, quod obstare possit, deferre tenentur ad proprium antistitem, qui, prout res postulaverit, pro auctoritate munerisque sui debito opportune provideat ». *Const.* Ben. XIV « Nimiam licentiam » *23 maii 1743* § *10.*

Inter haec omnia, ut patet, primum locum tenet interrogatio et exploratio circa *statum liberum* contrahentium (Cfr. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 7 de ref. matr.*), idest circa absentiam cuiuscumque impedimenti dirimentis, praesertim impedimenti ligaminis. *Instr. S. U. I. sub Clemente X. 21 aug. 1670;* Gasparri *de matr. I. 172.* Nec solum hoc prudenter praescriptum est, sed praescriptus est modus hoc probandi.

Obligatio haec probandi statum liberum seu hanc probationem exigendi per se incumbit parocho; attamen in aliquibus dioecesibus mos est ut acta omnia ad hunc finem directa peragantur a curia episcopali, quae postea parocho veniam facit assistendi matrimonio. Mos iste, sicubi habetur, retinendus est etiam post decretum « Ne temere ». *S. C. C. 1 febr. 1908 ad 11.*

His accessit nuperrimum decretum s. Congr. de sacramentis, scilicet:

« Perlatum haud semel est ad hanc s. Congregationem de disciplina sacramentorum, in quibusdam regionibus parochos matrimoniis assistere, praesertim advenarum, non comprobato rite ac legitime statu libero contrahentium, eiusque rei causa non defuisse qui alteras nuptias attentare sint ausi.

« Haud pauci praeterea ordinarii conquesti sunt, initorum notitiam connubiorum, quae vi decreti. *Ne temere* editi a s. Congr. Concilii die 2 mensis augusti anno 1907, transmittenda est ad parochum baptismi coniugum, saepe omni fidei testimonio esse destitutam debitisque indiciis carere.

« Ad haec incommoda removenda emi Patres huius s. Congregationis

in generali conventu habito in aedibus Vaticanis die 7 mensis februarii 1911, praescribenda censuerunt ea quae sequuntur:

« I. In memoriam redigatur parochorum haud licere ipsis adesse matrimonio, nisi constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis (cfr. Decr. Ne temere, n. V, § 2); iidemque praesertim moneantur ne omittant baptismi testimonium a contrahentibus exigere, si hic alia in paroecia fuerit illis collatus.

« II. Ut autem quae n. 9, § 2 memorati decreti praescripta sunt rite serventur, celebrati matrimonii denuntiatio, ad baptismi parochum transmittenda, coniugum eorumque parentum nomina et agnomina descripta secumferat, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnomina, habeatque parochi subscriptum nomen cum adiecto parochiali sigillo. Inscriptio autem accurata indicet paroeciam, dioecesim, oppidum seu locum baptismi coniugum, et ea quae ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent.

« III. Si forte accidat ut, adhibitis etiam cautelis, de quibus n. 1, baptismi parochus, in recipienda denuntiatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis iam esse alligatum, rem quantocius significabit parocho attentati matrimonii.

« IV. Ordinarii sedulo advigilent ut haec praescripta religiose serventur, et transgressores, si quos invenerint, curent ad officium revocare, adhibitis etiam, ubi sit opus, canonicis poenis.

« Ex aedibus eiusdem s. Congr. die 6 martii 1911 ».

De modo probandi statum liberum. — **De requisito iurato testimonio duorum.** — Constare in primis debet de statu libero eorum, qui matrimonium contrahere volunt, iurato duorum testimonio (duorum scilicet pro viro et duorum pro muliere, quamvis iidem duo possint pro viro et pro muliere testimonium ferre). D'Ann. *III. 453;* Gasparri *loc. cit. I. 172*). 3814

Ad hoc testimonium ferendum omnes admittuntur, mulieres quoque (*S. U. I. 25 febr. 1847; Instr. eiusd. S. C. ad Orientales locorum ordinarios 29 aug. 1890*) et acatholici (*S. U. I. 2 apr. 1873; ad ep. S. Alberti 9 dec. 1874*) dummodo constet eos esse fide dignos; at homines vagi et milites, nisi data causa et maturo consilio, non debent admitti. *Inst. cit. S. U. I. 21 aug. 1670.* Consanguinei tamen, imo etiam parentes seu genitores nupturientium (*S. U. I. 25 febr. 1847*) non solum non respuuntur, sed externis praeferuntur in hoc processu tamquam testes (*Instr. cit. S. U. I. 21 aug. 1670 et 29 aug. 1890*) quia praesumuntur melius informati; propter eamdem rationem recipiuntur cives magis quam exteri. *Instr. cit. S. U. I. 29 aug. 1890.*

De processu instituendo — Ad probationem status liberi per se processus instituendus est; iste autem processus faciendus est in curia episcopali loci, ubi sponsi contrahunt, et si ex ea dioecesi non fuerint, in dioecesi quoque originis (nisi eam non reversuri 3815

reliquerint impuberes adhuc, *S. U. I. sine data apud Lucidi de vis. sacr. liminum vol. III pag. 578 num. 72 §. 20*), licet in nova dioecesi a decen, nio et amplius commorentur (*S. U. I. 25 febr. 1847*), iique sint ex dioecesibus circumvicinis vel etiam conterminis et ab eorum rectoribus cognoscantur. *Instr. S. U. I. nuper cit. sine data*.

Nota, attestationem status liberi in foro civili habitam, vel etiam ipsum matrimonium civile iam celebratum, non sufficere pro probatione status liberi in foro ecclesiastico. *S. U. I. 2 apr. 1873.*

3816 **Quinam processui interesse debeant.** — Testium examini debet interesse in Urbe, praeter notarium, officialis specialiter deputandus ab eminentissimo vicario, et extra urbem vel vicarius episcopi, vel aliqua alia persona insignis et idonea (de hac idoneitate episcopi est iudicare) ab episcopo specialiter deputanda; alias notarius arbitrio s. Congregationis puniri debet, et ordinarius non debet permittere publicationes fieri. *Instr. cit S. U. I. 21 aug. 1670.*

Pro locis a civitate episcopali dissitis possunt episcopi vi indulti et solent deputare vicarios foraneos ad hoc examen, vel etiam parochos. *S. U. I. 25 febr 1847, 8 aug. 1900;* Gasparri *loc. cit. n. 174.* Huiusmodi autem deputati debent transmittere acta ad curiam episcopalem; cuius est expedire fidem status liberi. *S. U. I. 25 febr. 1847.*

3817 **Quid si testes non idonei, aut nulli testes habeantur.** — Si testes idonei, qui in curia episcopali sint cogniti, non habeantur, notarius examen non recipiat, nisi, una cum persona testis, aliqua alia compareat cognita notario, et quae attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum. *Instr. cit S. U. I. 21 aug. 1670.* Et si testes omnino desint, vel unus tantum habeatur, peti debet a s. Congr. s. Officii ut sponsis seu sponso iuramentum suppletorium de statu libero deferri sinat. D'Ann. *loc. cit. (13);* Gasparri *loc. cit. n. 182:* cfr. *Instr. S. U. I. ad delegatum Apostolicum Aegypti quoad probationes status liberi 11 ian. 1869; et responsiones eiusdem S. C. ad vic. Apost. patr. Constantinop. 2 apr. 1873.*

Indultum autem hoc admittendi ad iuramentum suppletorium (si quando a s. c. s. Officii ad certum quoddam tempus concessum est) locum dumtaxat habet, quando libertas status aliter legitime probari non potest. *S. U. I. (11 ian.) 1 febr. 1865.*

De vagis quoad probationem status liberi. — 3818 Quando agitur de vagis, qui pluribus in locis versati sunt, debet haberi testimonium status liberi ab omnibus dioecesibus, in quibus aliquamdiu contrahentes moram traxerunt. Si tamen id difficulter admodum fieri possit, admitti poterunt in curia loci, ubi contrahitur matrimonium, testes fide digni, qui status libertatem tempore vagationis concludenter probent; et, si ordinario opportunum videatur, admitti etiam potest sponsus ad iurameutum suppletorium, dummodo constet, ipsum esse fide dignum. In casibus vero particularibus et difficilioribus episcopus recurrere debet ad sacram Congregationem. Quod si

matrimonium adeo urgeat, ut tempus recurrendi non adsit, episcopus curare debet concludentes probationes super status libertate, prout expediens iudicaverit, aliter colligere. *Instr. cit. S. U. I. 1 febr 1865.*

3819 **De nonnullis, quae episcopi arbitrio permittuntur.** — Attamen quaedam sunt, quae episcopi iudicio relinquuntur. Sic in instructione nuper citata (*in Adrien 1 febr. 1865*), ad quaesitum: « an episcopus obligetur certiorem fieri per testium depositiones de libertate sponsorum, qui matrimonium contrahunt in sua dioecesi, ante publicationes, etsi nupturientes semper in eadem dioecesi domicilium foverint », responsum est: « *Generatim loquendo*, affirmative »; et in responsionibus ad vicarium apost. patr. Constantinop. (*2 apr. 1873*), ad dubium: « quinta interrogatio testibus proponenda haec est: an sibi pro hoc ferendo testimonio fuerit aliquid datum, promissum etc? Possetne omitti huiusmodi interrogatio, quum testis est persona distincta vel ob suum characterem, ut presbyteri, vel propter munus, quo fungitur, ut sunt v. gr. interpretes legationum, aliique administrationibus addicti »? responsum est: « *Generatim loquendo* negative, et ad mentem. Mens est, quod si attenta conspicua qualitate et honestate testis, prudenter timeatur, ne ipse ex huiusmodi interrogatione offensionem accipiat, possit idem interrogatorium omitti ».

3820 **De taxa.** — Pro testium depositione recipienda ordinarius vel delegatus nihil exigere aut recipere potest. Cancellarius tantum ius habet ad mercedem proportionatam labori scribendi, quae iuxta antiquam taxam Innocentianam erat unius iulii (fr. o, 58) pro testimonio. Gasparri *loc. cit. I. 183.*

De lapsu temporis requisito ad novum processum instituendo. — Si 3821
post probatam status libertatem duo aut tres menses transierint, quin matrimonium fuerit celebratum, regulariter novus processus pro hoc temporis spatio fieri deberet; ast pro casuum varietate res relinquitur prudenti arbitrio ordinariorum. *Instr. cit. S. U. I. 29 aug. 1890, et 25 feb. 1847.*

De articulo mortis. — Haec omnia 3822
cessant in articulo mortis, intra quem scilicet probabiliter non adest tempus sufficiens faciendi diligentias debitas: hoc tamen cauto, quod, si infirmus forte convaluerit, debeant fieri diligentiae secundum instructionem, antequam conveniant. *Instr. cit. S. U. I. sine data, et 29 aug. 1890.*

Varia. — Iuverit hic referre sequentia 3823
dubia cum respectivis responsionibus s. Congr. s. Officii quoad probationem status liberi.

1° Acatholici existimandine sunt idonei testes, et arcessiri possunt ut deponant de statu libero eorum, qui matrimonium contrahere volunt, praesertim cum catholici non inveniuntur?

Et quatenas affirmative possuntne eiusmodi viri a iuramento liberari?

2° Quinta interrogatio, testi facienda, est an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum etc. Haec interrogatio possetne omitti cum testis est vir fide dignus aut propter dignitatem, ut sacerdotes aut propter officium, quo fungitur, ut ex. gr. interpretes legationum et alii officiales?

3° In septima interrogatione dicitur: si responderit (testis) esse extraneos (contrahentes), supersedeatur in licentia contrahendi donec per literas ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum statu libero. Demonstravit experientia quod non possunt haberi cautiones ab episcopis, qui sunt in imperio Russiaco et praesertim ab iis qui in Polonia degunt. Pariter notum est schismaticos orientales numquam dare testificationes status liberi pro iis, qui eamdem communionem habent et tamen volunt matrimonium contrahere cum catholico coram catholica ecclesia; qua ratione se gerere debet cancellaria vicariatus apostolici tam in primo casu quam in secundo?

4° Quaeritur praeterea: quanti faciendae sunt testificationes de statu libero factae ab auctoritate civili?

Quod si generatim testificationes auctoritatis civilis, repellendae sunt, posset fieri exceptio quoad protestantes, pro quibus propria cancellaria sola auctoritatem habet in his casibus?

5° Denique personae fide dignissimae etiam ecclesiasticae asserunt in Gallia fieri absolute non posse ut matrimonium in ecclesia celebretur, si prius matrimonium civile factum non sit coram syndico (*maire*) loci; itaque pro Gallis sufficeretne testificatio syndici (*maire*), an necessaria etiam foret testificatio ecclesiasticae auctoritatis?

R. ad 1. Quoad primam dubii partem, quatenus constet acatholicos testes, de quibus in singulis casibus agitur, esse fide dignos, nihil obstare quominus eorum testimonium recipiatur. Ad secundam partem, generatim loquendo non expedire.

Ad 2. Generatim loquendo, negative, et ad mentem.

Mens est, quod si attenta conspicua qualitate et honestate testis prudenter timeatur ne ipse ex huiusmodi interrogatione offiensionem accipiat, posse (possft) idem interrogatorium omitti.

Ad 3. et 4. cumulative:

Curandum est ut habeantur documenta prout de iure, et quatenus ea obtineri nequeant, supplendum eo meliori modo quo fieri potest, habita ratione instructionis anni 1869 r. p. d. vicario apostolico transmittendae. Ceterum generatim vitanda esse matrimonia exterorum, qui sint destituti requisitis documentis. In iis vero casibus urgentioribus, in quibus vetari sine periculo haud possit, quin matrimonium ineant, qui ab eius adeptione repulsi turpissimis vitiis non sine publica offensione sordescere, et quod ipsis imminet aeternae salutis amittendae periculum in dies augere pergerent, dummodo constet de domicilio alterutrius sponsi, et factis interrogatoriis iuxta formulam (de qua in expositis dubiis), supplicandum SSmo pro gratia remittenda prudenti arbitrio et conscientiae eiusdem r. p. d. vicarii apostolici ut praefati sponsi admitti possint ad iuramentum suppletorium, idque ad quinquennium durantibus circumstantiis.

Ad 5. Ad 1 partem, negative; ad 2 partem, affirmative.

Factaque de praemissis fideli relatione Sanctissimo D. N. in ordinaria audientia eiusdem diei ac feriae ab

assessore s. Off., Sanctitas Sua resolutiones supra relatas approbare, ac facultatem, de qua in resp. ad 3 et 4 dubium, impertiri dignata est». *S. U. I. ad vic. ap. Constantinop. 2 apr. 1873.*

3824 Circa probationem matrimonii eorum, qui e dissitis veniunt regionibus, huc inserenda est nuperrima responsio, quam s. Congr. de disciplina sacramentorum dedit sequenti dubio proposito ab emo patriarcha Venetiarum:

« An et quibus in casibus quibusque sub conditionibus admitti valeat tamquam sufficiens probatio initi matrimonii simplex affirmatio eroum, qui ex America aliisve dissitis regionibus adveniunt, quotiescumque documentum vel alia legitima probatio celebrationis matrimonii aut omnino haberi nequeat, aut nonnisi admodum difficulter et post longum tempus, cum interea rerum adiuncta moram inquisitionis non patiantur.

« Cui dubio emi ac rmi Patres in plenariis comitiis habitis die 17 febr. 1911, re mature perpensa, respondendum censuerunt:

« Imprimis curandum diligentissime est, ut factum contracti matrimonii legitimis probationibus ostendatur; quae probationes, licet studiose quaesitae, si haberi nequeant, deferatur partibus iuramentum, quo propriam assertionem confirment: hoc praestito, partes habeantur tamquam legitimo matrimonio coniunctae, earumque proles ut legitima. Excipiendi tamen sunt casus, in quibus ius plenam probationem requirit ex. gr. si agatur de praeiudicio alterius matrimonii vel de ordinibus suscipiendis.

« Matrimonium autem per iuramentum ut supra confirmatum inscribatur non quidem in communi matrimoniorum libro, sed in distincto libello ad hoc destinato.

« Ex aedibus eiusdem s. Congr. die 6 martii 1911 ».

De probatione obitus prioris coniugis. — 3825 Quoad probationem status liberi pro secundis nuptiis, seu quoad probationem obitus coniugis, nota ea, quae s. Congregatio de Prop. Fide rescripsit ad provic. apost. Tungk. Occid. *ann. 1792.* Postquam dixit, certum nuntium exspectari debere de morte prioris coniugis, priusquam novae nuptiae permittantur, subiungit: « Neque sufficit rumor incertus, aut diuturna coniugis absentia, aut probabilia argumenta illum interiisse, sed vel testem omni exceptione maiorem adesse oportet, qui vidisse se mortuum priorem coniugem sacramenti religione confirmet, aut tales coniecturae de illius interitu intervenire debent, quae prudentem virum ita plane esse morali quadam certitudine persuadeant. Allatae a vobis calamitates belli, famis, captivitatis, aliaeque huius generis, quae vastitatem regioni ac plurimis interitum attulerunt, non tanti ponderis sunt, ut viris aut mulieribus, qui coniuges amiserunt, passim permitti possit novas nuptias appetere. Quamobrem si qui iam nova coniugia contraxerunt, et quidem in bona fide existimantes, se per interitum coniugis a priori coniugii vinculo absolutos, relinquendi sunt in bona fide, quia bonae fidei

possessor turbari a possessione non debet; si eorum alter dubius et anceps est, reddere quidem debitum potest, non autem petere. Si demum uterque mala fide contraxit, iam sunt omnino separandi. Cavendum praeterea et illud est, quod, si fortasse contigerit, priorem coniugem, quem mortuum putabant, adhuc in humanis exsistere, tunc secundae nuptiae sunt omnino irritandae, et dimisso posteriori coniuge, ad priorem reverti unusquisque tenetur ».

Haec omnia plenius evolvuntur et explicantur in pluribus instructionibus s. Officii, quarum praescripta ad haec summatim reducuntur. Quum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a sacris canonibus minime sufficiens ad iustam probationem habetur; quod valet etiam tunc, quum edicto regio coniux absens evocatus (idemque dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit; quod enim non comparuerit, non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia (Pius VI *ad arch. Pragensem 11 iul. 1789*); sed requiritur omnino moralis saltem certitudo ipsius obitus.

3826 **Undenam desumenda certitudo sufficiens de morte prioris coniugis.** — Sufficiens autem huiusmodi certitudo habetur ex instrumentis authenticis et plenam fidem de obitu facientibus (ut esset publica scriptura magistratus cuiusdam sive ecclesiastici sive civilis, vel notarii etc.), et etiam ex testimonio duorum *de visu* (qui scilicet viderint illum morientem vel funus vel sepulcrum eius). Admittitur etiam aliquando ad hoc probandum testimonium unius, dummodo et is sit omni exceptione maior, et eius depositio gravibus adminiculis fulciatur.

De probatione obitus prioris coniugis ex coniecturis. 3827 — Deficientibus testibus, ne ipsa quidem probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus etc. respuitur, sed est exitus difficillimi.

Tunc autem in primis illae praesumptiones investigandae sunt, quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque facile haberi possunt a coniunctis, amicis, vicinis et quoquo modo notis utriusque coniugis.

In horum examine requiri haec poterunt: an ille, de cuius obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset; pie religioseque viveret; uxorem diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis aut aliunde sperare posset; — an discesserit, annuentibus uxore et coniunctis; quae tunc eius aetas et valetudo esset; — an aliquando, et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque huius generis indicia colligenda sunt.

Alia etiam ex rerum adiunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt: *si ob militiam abierit*, a duce militum requiri oporteret, quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit

captus; num castra deseruerit aut destinationes periculosas habuerit etc.; — *si negotiationis causa iter susceperit,* inquirere oporteret, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit vel pluribus comitatus; utrum in regionem, ad quam se contulit, supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiae etc.; — *si maritimum iter fuerit aggressus,* sedula investigatio facienda esset a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen haberet navis, quam conscendit; quis eiusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas, quae navis cautionem forsan dederit, pretium eius solverit, aliaeque circumstantiae, si quae essent, diligenter essent perpendendae. Fama quoque aliis adiecta adminiculis, argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum, quod a duobus saltem testibus fide dignis et iuratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a maiori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium, illam fuisse concitatam ab illis, in quorum commodum inquiritur. Si opus fuerit, praetereunda etiam non esset investigatio per publicas ephemerides, datis directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

Haec omnia proponuntur a sacra congregatione s. Officii in instructione *ann. 1868.* Conferri possunt aliae quoque instructiones eiusdem sacrae congregationis *ad deleg. ap. Aegypti 11 ian. 1869; ad ordinarios de iudiciis eccles. circa causas matrimoniales (tit. 6 art. 4) 30 iun. 1883; ad epis. Orientales 22 aug. 1890*; *et rescriptum S. Congr. de Sacr. in Neocastr. 22 ian. 1909.*

Haec eadem ex parte iterum resolvit sacra congregatio s. Officii (*6 maii 1892*), simul declarans, non necessario esse extrahendas a duobus tribunalibus duas sententias consentaneas mortem coniugis declarantes, sed sufficere unam sententiam quasi supplentem documentum de statu libero partis, nisi forte aliquis ex interesse habentibus appellationem interposuerit. Eadem sacra congregatio s. Officii (*3 maii 1893*), respondit, testimonium iuratum ipsius coniugis in defectu aliorum adminiculorum per se non sufficere ad probandum obitum alterius coniugis, et ad hoc ut coniux superstes admittatur ad novas nuptias; sed ad eamdem sacram congregationem recurrendum esse in casibus particularibus.

Varia. — Tandem nota sequentem 3828
responsionen sacrae congregationis s. Officii circa uxores eorum, qui pugnae Aduae interfuerunt, et quorum notitia nulla habita amplius est, nimirum: « dummodo agatur de viris, qui certo astiterunt pugnae de Adua, et, peractis opportunis investigationibus, indubitanter dignosci nequeat, an vir reapse mortuus ceciderit, attentis specialibus circumstantiis in casu exposito occurrentibus et valida praesumptione obitus, ordinarius permittere poterit transitum ad alias nuptias ». *S. U. I. 20 iul. 1898.* Idem

responsum datum est a s. congr. de Sacram. pro illis, qui ad exercitum Russicum pertinebant et stipendia faciebant tempore belli Russico-Iaponici illisque praeliis astiterunt. *S. C. S. in Mohilovien. 15 dec. 1910.* Quoad eos vero qui praesentes fuerunt terraemotui, qui tantam cladem ultro citroque Messanae fretum edidit, responsum est: « Exponendos esse ab ordinario casus particulares iuxtra instructionem *Matrimonii vinculo* a s. C. s. Officii datam anno 1868 ». *S. C. S. 12 martii 1910.*

Ultimo loco non est praetereunda sequens animadversio et constitutio sacrae congregationis s. Officii in instructione ad epos Orientales *20 iun. 1883 n. 42* (quae fere eadem a sacra cong. de Prop. Fide ad suas missiones transmissa est), scilicet: « Si omnes circumstantiae ad mortem prioris coniugis ante secundas nuptias de quarum valore agitur, astruendam conspiraverint, iudex sententiam proferre contra secundum matrimonium non poterit; non enim constaret de eius nullitate. Quod si de matrimonio contrahendo agatur, hoc permitti numquam poterit, donec de morte prioris coniugis certo constiterit ».

Status religiosus. — Vid. *Regularis, Religiosus, Ordo religiosus etc.*

Status secretaria. — Vid. *Secretariae Curiae.*

3829 **Stemma.** In stemmate familiae canonicus, qui ex privilegio gaudet indulto pontificalium, mitram apponere non potest, nisi hoc ipsum expresse concessum fuerit in litteris Apostolicis. *S. R. C. decr. gen. 27 aug. 1882 ad 27* (*2624*).

Nihil obstat, quominus ostensorio et paramentis sacris apponatur stemma gentilitium familiae donatorum. *S. R. C. in Reatina 7 dec. 1884* (*2875*).

Insignia seu stemmata cardinalis protectoris apponi possunt super ianuas domus, cuius protectionem habet; et, ubi id fieri nequeat, apponi etiam possunt super ianuas ecclesiae, una tamen cum stemmate Romani Pontificis, nisi ratio habenda sit potioris iurisdictionis aut patronatus; stemmata vero primicerii alicuius confraternitatis non possunt apponi super ianuas ecclesiarum confraternitatum, etiam una cum stemmate cardinalis protectoris, etsi exstaret consuetudo. *S. C. Cerem. 30 maii 1912.* Vid. *Protector.*

Stipendia facere. — Vid. *Militia.*

Stipendium. — ***De stipendio operariorum et famulorum.*** — 3840 Domini operariis et famulis iustum pretium *solvere* pro labore, quod hi in eorum bonum ineunt, debent. Hoc iustum pretium, quod stipendium aut salarium audit, debetur operariis et famulis ex stricta iustitia commutativa, et peccatum dominorum defraudantium mercedem debitam est peccatum, quod ad Deum clamat (*Deuter. XXIV. 14*; Iac. *V. 4.*), qui hoc scelus maxime detestatur.

Hinc peccant domini, et quidem contra iustitiam, si aliquid subtrahunt operariis et famulis ex iis, quae ipsis se soluturos promiserunt, in contractu cum ipsis inito. Peccant, si solutionem pactae mercedis differunt cum operariorum aut famulorum damno. Peccant, si labores exigunt, ad quos operarios aut famulos non con-

duxerunt, nisi, proportione facta, salarium augeant. Peccant, si operarios et famulos, ad certum tempus conductos, ante pactum tempus sine iusta causa dimittunt, nisi eos servent indemnes. Noldin *Th. mor. II. 295 sqq.*

3881 Servare praeterea debent domini ea omnia, quae ex inito contractu descendunt circa salarium solvendum. Hinc peccaret dominus, generatim loquendo, qui famulo ad breve quoddam tempus aegrotanti subtraheret pro rata pactum stipendium; nam propter universalem consuetudinem tacite in contractu inito inest, dominum in his quoque casibus integrum stipendium soluturum. Dixi, ad breve quoddam tempus: si enim famulus ad notabile tempus aegrotaret, puta per mensem, merces ei pro rata diminui posset.

3882 Haec quidem quoad famulos; quoad operarios saepe res aliter se habet. Nam contractus cum operariis non continet tacite ex consuetudine hanc conditionem. Génicot *Theol. mor. I. 356.* Quoad operarios hoc potius est notandum, dominos teneri eis mercedem integram solvere, etiam quando negotia ipsis prospere non successerunt, et ex infelici commercii successu damna tulerunt, nisi aliter inter ipsos et operarios, servatis limitibus iustitiae, pactum antecedenter esset. Noldin *l. cit. II. 296.*

3883 Et in his omnes conveniunt. Verum quaestiones in aliis plures non desunt.

Diximus, debere dominos operariis et famulis *iustum* salarium. Quodnam autem est iustum salarium? Generatim in hoc omnes concordant, iustum salarium illud esse, quod respondet naturali valori operis praestiti. Sed quinam est iste valor? In hoc praecipue discordant doctores. Breviter pro more nostro, quaestionem proponemus.

Distinguunt doctores duplex salarium, seu duplicem mercedem, aliam *individuam* (quam alii non bene personalem dicunt, confer Vermeersch *Quaest. de iustitia n. 426*), *familiarem* (quam non belle generatim familialem dicunt) alteram.

Merces individualis ea est, quae ad operarium parcum et bene moratum alendum sufficit. Merces familiaris ea est, quae ad integram familiam alendam sufficit.

Merces familiaris distinguitur in *absolutam*, quae sufficit ad sustentandam familiam exsistentem in ordinariis adiunctis, et semper eadem manet atque *relativam*, quae variat pro numero personarum, quibus constat familia et pro necessitatibus variis, quibus angitur.

His positis, si de iusto salario quae- 3884
stio est, vel melius, si quaestio est de minimo iusto salario (diurno), nonnulli volunt illud esse mercedem individualem (Antoine, Génicot, etc.), alii contendunt esse mercedem familiarem (Liberatore, Steccanella, Verhaegen, Pottier, Noldin, Vermeersch, etc).

Limites excederet et finem nostri huius operis hanc quaestionem ex professo ingredi. Ut aliquid breviter dicamus, hoc ante omnia annotamus, videri nobis in multis quaestionem potius esse de vocibus, et de modo loquendi, quam de ipsa re. Profecto ii, qui volunt, limitem iusti pretii esse

mercedem familiarem relativam, hi vere aliquid dicunt, a quo plerique substantialiter discrepant. Sed inter eos, qui mercedem statuunt individualem vel familiarem absolutam, non videtur quoad substantiam adeo magnum intercedere discrimen.

De sententia statuentium limitem infimum iusti pretii mercedem familiarem relativam breviter dicendum, eam nullo modo sustineri posse.

Et certe argumenta, quae afferuntur, si logicas deductiones non negemus iniuria, merito concluderent ad hoc, quod operarius, qui alere debet patrem et matrem senes, sorores infirmas, uxorem praegnantem, quatuor vel quinque filios adhuc infantulos, ius haberet strictum ad stipendium, quod sufficeret ad alendas octo aut decem personas, vel operarius senex et imbecillus, qui parum admodum operari potest, quique vetulam uxorem, infelicem filiam etc. alere debet, ius haberet ad stipendium, quod tribus vel quatuor alendis sufficeret. Haec autem infelicem istum haberent exitum, ut nemo unus vellet opera uti istorum operariorum.

Auctores vero qui defendunt salarium familiare absolutum, videntur defendere, non esse iustum pretium (diurnum) illud, quod unice respondet strictae necessitati operarii, ita ut illud unum operario pro mercede detur, quod sufficit ad hoc ut vitam, et quidem modice, ea die vivere queat.

Quod utique verum est, et respondere videtur iis, quae traduntur a Leone XIII in encyclica «Rerum novarum» dicente, salarium rependendum esse pro ratione operae personae, quae ius habet ex labore ad honestam vitam ducendam.

Porro ab hoc non puto esse alienos doctores, qui defendunt sententiam statuentem limitem infimum iusti pretii salarium individuale, idest salarium, uni operario sufficiens. Nam profecto et hi admittunt, quod operarius possit ex suo labore non solum honestam ducere vitam, sed simul aliquid seponere, quo et matrimonium inire, et decentem sibi procurare queat senectutem. Salarium in praxi statuere quod his exigentiis respondeat, ius est societatis civilis, imo et ecclesiae, in quantum haec est interpres legitima iuris naturalis. Verum impossibile est omnia in praxi determinare, quia multa sunt elementa, multae circumstantiae, quae in individuo considerari debent.

Si quid autem magis auctores, defendentes salarium familiare absolutum, statuere volunt (neque enim, saltem plures, adeo clare loquuntur), a iusto medio discedere videntur. Supponunt enim in suis argumentis, nihil aliud ad vivendum ex naturae praescripto haberi, nisi commutationem inter operam et mercedem. Profecto hoc non est verum. Nam et praeceptum caritatis urget ex ipso iure naturae; et praeterea ipsa respublica officium habet instituendi media, quibus auxilium feratur indigentibus aut operariis, qui quacumque de causa se suosque alere non possunt: hinc nosocomia, brephotrophia etc.

Confer quoad universam hanc quae- 3895
stionem, quam nos summis tantummodo labiis attigimus, seu potius innuimus, Lugo (*de iust. et iure disp.*

XXIX. n. 54 seqq.), Lessium (*de iust. et iure lib. II. c. 24 num. 23 seqq.*) Vermeersch (*Quaestiones de iustitia n. 403 sqq.*) Génicot (*Theol. moral. I. 356. 645 sqq.*) Noldin (*Th. mor. II. 600 sqq.*) Antoine (*Cours d'économie sociale c. 19*) et praesertim *encycl.* Leonis XIII « Rerum novarum » nec non responsum romanum (Card. Zigliara) ad quaedam quaesita archiep. Mechliniensis emi Card. Goossens ann. 1891; quod Leo XIII voluit publicari tamquam responsum alicuius consultoris, qui, rogatus ut suam sententiam circa ea quaesita aperiret, dedit « *ai singoli quesiti opportune risposte* ».

Circa quod nota, nullo modo dici posse, *opportune* in eo contextu significare responsiones suo tempore suppeditatas, quemadmodum videtur asserere De T' Serclaes *Léon XIII. t. 2. p. 107*, et admittere Vermeersch *loc. cit. n. 420 art. 3.* Nam *opportune* ibidem dicit responsiones, quae quadrant quaesitis, quemadmodum quippe Italus facile videbit.

3836 Attende tandem ea, quae tradit recapitulando Vermeersch (*Quaestiones de iustitia n. 468, 2*) circa interventum auctoritatis publicae in quaestione de operis et labore operariorum: « Conclusiones ita videntur nobis compresse proponi posse.

a) Cum de iis agitur qui aetate vel sexu sunt debiliores, opportunae sunt sanctiones quae hanc tantum permittant rationem operarum, haec statuant intervalla ac requiem, has praescribant cautiones quae universe requiruntur ad pueritiae et adulescentiae vel muliebris condicionis rationes. Namque in praesenti fidei et morum corruptione. quae spes est ut moribus atque usu satis protegantur inermes isti atque imbecilliores?

b) Maturiore opus est consideratione antequam ipsi *adultorum labori* praefiniantur tempora et regulae. Miserabiles enim condiciones, in quibus exercentur nonnulla artificia, si causam habent necessitatis, cui ipsi obnoxii sunt officinatores ex nimia aemulatione et usibus universalioribus, vix lege tolli poterunt, nisi prius inter varias gentes res convenerit; si vero ab humiliore loco proficiscuntur quo sunt operarii, non raro, ex coniunctis in sodalicia viribus, ipsi valebunt ad duriores respuendas stipulationes: ita ut lex careat necessitate.

Quare minus obstare videtur quominus decreta ferantur de iis, quorum modus est magis stabilis et omnibus idem, praesertim si accedat ratio quaedam superior, ut in observantia festorum dierum. Namque alia plura, quae accommodanda sunt ad adiuncta quae varia sunt et in motu, tutius per se permittentur arbitratui eorum quorum interest, atque huc potius spectabit utilis interventus potestatis publicae, ut tutelam recipiat collegiorum et institutorum, quibus, in deliberanda pactione, loco magis aequali ponuntur operarii.

Huc facit istud ex enciclica " *Rerum novarum:* " Verumtamen, in his similibusque causis, quales illae sunt, in unoquoque genere artificii, quota sit elaborandum hora, quibus praesidiis valetudini maxime in officinis cavendum, ne magistratus inferat sese importunius, praesertim cum adiun-

cta tam varia sint rerum, temporum, locorum, satius erit eas res iudicio reservare collegiorum, de quibus infra dicturi sumus, aut aliam inire viam, qua rationes mercenariorum, uti par est, salvae sint, accedente, si res postulaverit, tutela praesidioque reipublicae ".

Nihilominus, alia seclusa via, non prohibetur Princeps directe mederi ingruentibus malis: " Si quando fiat, observaverat ante Leo XIII..., ut religio in opificibus violetur, non satis impertiendo commodi ad officia pietatis: si periculum in officinis integritati morum ingruat a sexu promiscuo, aliisve perniciosis invitamentis peccandi: aut opificum ordinem herilis ordo iniquis premat oneribus, vel alienis a persona ac dignitate humana conditionibus affligat: si valetudini noceatur opere immodico, nec ad sexum aetatemve accommodato, his in causis, plane adhibenda, certos intra fines, vis et auctoritas legum " ».

Popma Aus. Tract. de operis servorum; *Manzi Gasp.* Tract. de servitutibus personalibus et de usufructu, habitatione et operis servorum; *Bechmanni I.* De iure famulorum hodierno; *Bochmanni I.* De iure operarum; *Zacchia Lanfr.* Tract. de salario seu operariorum mercede; *Mayr I. P.* De divisione bonorum societatis; *Mollot* Le contrat de louage d'ouvrage; *Dunkwardt* Die locatio-conductio operis; *Vita Levi Marco* Della locazione di opere e più specialmente degli appalti; *Déffès* De la locatio operarum en droit romain; *Schindler* Der Lohnvertrag; *Glatard* Du louage d'ouvrage en droit romain; *Dodopoulos* Du louage d'ouvrage à Rome; *Iannacone* Il contratto di lavoro; *Eberle* Arbeit und Lohn; *De Gryse E. I.* De contractu conductionis; *Biederlack* Die soziale Frage; *Godts F. X.* Scopuli vitandi; *Pesch H.* Lohnvertrag u. gerechter Lohn; *Pottier* La questione operaia; *Vadalà-Papale* Il contratto di lavoro; *Weber G.* Evangelium u. Arbeit; *Reichenbach A.* Die Arbeit in ihrem Wesen, ihre Entwicklung u. kulturgeschichtliche Bedeutung; *Pesch H.* Das Coalitionsrecht der Arbeiter; *Bücher K.* Arbeit und Rhythmus; *Bach J.* Ueber d. Verhältnis von Arbeit u. Bildung; *Müllendorf J.* Die Heiligung d. Handarbeit; *Laugé* Du contrat de louage d'ouvrage et d'industrie; *Barassi* Il contratto di lavoro nel diritto positivo italiano; *Herkner H.* Die Arbeiterfrage; *Cavagnari C.* Studi sul contratto di lavoro; *Legrand G.* Le travail; *Diessel G.* Die Arbeit betrachtet im Lichte des Glaubens; *Lehmkuhl* Arbeitsvertrag und Streik; *MaurerFerd.* Arbeitslohn und Honorar für sündhafte Handlungen; *Vermeersch A.* Cas de conscience pour l'introduction du travail de nuit dans certaines industries du tissage.

De stipendio quoad missam, — 3837
De liceitate istius stipendii. — Stipendium missae licite recipitur a sacerdote celebrante, etiam divite. Quod explicatur a S. Thoma (*2. 2. q. 100. a. 2 ad 2*) sic: « Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis eucharistiae aut missae decantandae; hoc enim esset simoniacum; sed quasi stipendium suae sustentationis ». Hoc autem licite fit, nam « qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant ». *1 Cor. IX. 13.* Quibus addit Ballerini-Palmieri (*IV. 1009*): « Pactum, quod fiat circa stipendium, si de iusto stipendio agatur, quatenus vel est secundum taxam,

vel a certis circumstantiis postulatur, pactum, inquam, licitum est: quod enim iure exigis, si aliquid facias, potes deducere in pactum. Si autem sacerdos ultra iustum stipendium exigat sine causa aliquid vel id paciscatur, peccabit exigens id, ad quod ius non habet, tum peccabit contra legem statuentem taxam, tum propter scandalum; at peccatum simoniae non erit, quia abest obiectum proprium simoniae (nisi ex perversa voluntate intendat sacerdos sacrificium vendere) et vitium est in indebito excessu eius, quod recte fieri potest. Praesumitur tamen simoniacus, qui ita se gerat ».

3838 **Quodnam debeat esse missae stipendium.** — Stipendium pro missa generatim ab episcopo definitur (et haec dicitur taxa synodalis), eique se accommodare omnes decet; nec licet ultra aliquid exigere (B. P. *IV. 1009*; Gasparri *de euch. I. 557*), quamvis admitti possit sponte oblatum; neque hoc prohibere possunt episcopi. *S. C. C. 16 an. 1649.* E contra potest episcopus praescribere, etiam pro regularibus, ne missae manuales celebrentur stipendio minori eo, quod ab ipso episcopo statutum est tamquam taxa synodalis. *S. C. C. in Romana 15 ian. 1539*; *in una S. Severini 16 iul. 1689*; *in una ord. Min. conv. 8 maii 1905.*

3839 **De obligatione celebrandi exsurgente ex accepto stipendio.** — Sacerdos, qui stipendium accepit pro missa dicenda, tenetur ex iustitia missam celebrare (B. P. *IV. 1012*), et quidem ad intentionem dantis seu offerentis eleemosynam, nisi is contentus sit de celebratione missae, relicta applicatione arbitrio sacerdotis celebrantis. Cfr. Gasparri *de ss. euch. I. 494.*

3840 **Quomodo applicatio missae facienda.** — Applicatio autem missae tunc fieri debet, quum nondum sacrificium peractum est; hinc, si quis applicaret alicui missam, peracta iam communione, nihil certo ageret; et verius applicatio fieri omnino debet ad validitatem ante consecrationem saltem calicis. B. P. *IV. 1040.*

Praeterea haec applicatio debet fieri certae cuidam personae, idest personae alicui determinatae, quare nulla esset applicatio facta uni ex Romae degentibus; attamen non ea necessario esse debet applicatio, ut persona explicite determinetur, ut ex. gr. dici debeat: offero sacrificium pro Titio. Sed sufficit, ut determinatio ista sit implicita ex. gr.: offero pro eo, qui dedit stipendium (etsi nesciam quis ille fuerit), aut pro eo, cui applicare teneor, aut ad intentionem dantis etc. (etsi is pro alio velit applicari, et ego nesciam). G. B. *II. 167.*

Sacerdos accipiens stipendium a decem personis, satisfacit celebrando decem missas cum intentione, non quidem omnino confusa et indeterminata, sed determinata applicandi quamlibet missam ad decem illas personas. S. Alph. *VI. 335.*

Quando stipendia a multis ignotis dantur, intentio facienda est pro iis, qui priora stipendia dederunt.

Quoad applicationem factam sub conditione eadem valent principia, quae de actibus conditionatis generatim traduntur. Cfr. Gasparri *loc. cit. I. 471 sqq.*

An valeat missa pro primo, qui sti-

pendium offeret, disputatum est; et plures negant valere, si causa, pro qua missa applicatur, nondum exsistit, ex. gr. si quis celebraret pro primo, qui stipendium offeret pro missa celebranda ad obtinendam sanationem ab infirmitate Titio, qui quum missa dicitur, nondum est aegrotus (Croix *Th. mor. lib. VI pag. 2 num. 222;* S. Alph. *VI. 337*); sunt autem qui et in hoc casu validam eam esse affirment. Gasparri *loc. cit. I. 537.* Sententia negantium verior videtur. In praxi autem certum est, hoc a sacerdote licite fieri non posse, quum haec consuetudo, quae alicubi inolevit, tamquam pluribus nominibus periculosa, fidelium scandalis et offensionibus obnoxia, atque a vetusto ecclesiae more nimis abhorrens, improbata sit per decretum Sacrae Congregationis Concilii *15 nov. 1608.*

3841 **De tempore, intra quod celebranda est missa ex stipendio.** — Satisfacere autem quis debet obligationi, quam habet ex stipendio accepto, infra modicum tempus (Cfr. *decr.* Inn. XII « Nuper » *23 nov. 1697 ad II*); quod a recenti decreto S. Congregat. Concilii « Ut debita » (*11 maii 1904*) ita determinatur: « Utile tempus ad manualium missarum obligationes implendas (decernit S. Congregatio) esse mensem pro missa una, semestre pro centum missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve iuxta maiorem vel minorem numerum missarum ».

Haec supputatio relinquitur discreto iudicio et conscientiae sacerdotum iuxta decretum et regulas a probatis doctoribus traditas. *S. C. C. 27 febr. 1905 ad 1.* Termini autem in decreto statuti intelligendi sunt seorsim quoad quemlibet stipendium offerentem, non autem cumulative quoad omnes aliqua occasione eleemosynam dantes, ita ut non possit sacerdos, qui eadem die a centum oblatoribus, a quolibet pro una missa, stipendium acciperet, ad has missas celebrandas semestre sibi sumere (*S. C. C. 27 febr. 1905 ad 2*); quo in casu non posset sacerdos plures quam triginta vel triginta et unam elemosynam accipere. Pro illis autem, qui stipendium ab ordinario recipiunt, computatio temporis, infra quod missae celebrandae sunt, non est facienda a die, quo missam petens eleemosynam dedit, sed a die, quo ordinarius sacerdoti stipendium tribuit seu commisit (*S. C. C. 27 febr. 1905 ad 3*); attamen ordinarius curare debet ut, quantum fieri potest, missae a pluribus receptae a pluribus sacerdotibus intra tempus statutum decreto « Ut debita » celebrentur. *S. C. C. 27 febr. 1905 ad 4.* In casu autem quo sacerdotes stipendia ab ordinario accipiunt, sufficit ut iuxta eius mentem celebrent; ordinarius vero intentionem pro singulis offerentibus efformare debet iuxta regulas a probatis theologiae moralis auctoribus traditas. Melius tamen esset, si ordinarius sacerdotibus celebrantibus praesumptas intentiones patefaceret. *S. C. C. 27 febr. 1905 ad 5.* Praeterea nota unumquemque ordinarium suorum sacerdotum catalogum conficere debere in eoque describere missarum numerum, quibus quisque satisfacere tenetur, quo tutius deinceps in assignandis missis

procedat. *S. C. C. decr.* » Recenti » *22 maii 1907*. Cfr. Mon. eccl. *vol. XVI pag. 518, pag. 524 sq. nn. 102, 103, vol. XVII pag. 39. 41.*

3842 **De certa missa celebranda vel non.** — Sacerdos non solum debet missam celebrare eo tempore, quo dans eleemosynam statuit; sed etiam debet eius voluntati se conformare circa ipsam missae liturgiam. Verum si oblatum fuerit stipendium pro missa de requie vel pro missa Beatae Virginis etc. dicenda, sacerdos dicens aliam missam obligationi susceptae satisfacit, si applicat missam diei, quando ritus diei, in quo eam missam celebrat, non permittit missam petitam; attamen consultius est, ut pro ea eleemosyna alio die celebret, et, ut quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfaciat per missam vel de requie vel votivam. *S. R. C. in una plurium dioeces. 13 iun. 1899 ad 4 (4031)*; *in Labacen. 28 apr. 1902 ad 15.*

Quid autem, si quis diceret missam diversam a petita ea die, qua secundum ritum posset petitam missam celebrare? Et videtur dicendum, exceptis peculiaribus circumstantiis, quae possent occurrere, graviter non peccare illum, qui aliam missam prae requisita celebraret. Hinc s. C. indulgentiarum ad dubium: « utrum sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi missam pro defuncto, servando ritum feriae vel cuiuscumque sancti, etiamsi non sit semiduplex aut duplex » respondit (*11 apr. 1840*): « affirmative ». Ad hoc etiam videtur inclinasse s. Poenitentiaria *7 dec. 1892*. Nam hic casus propositus fuit, nempe: in aliquo sanctuario, quo multi peregrini affluunt, et multa stipendia offerunt pro vivis et pro defunctis, in alicuius sancti vel sanctae honorem etc., missae celebrari solent iuxta ordinem eleemosynae perceptae, quin cappellanis missas celebrantibus intentiones peculiares manifestentur; et idcirco quaesitum fuit: « Utrum modus adimplendi onera missarum supra expositus sit validus? Et quatenus affirmative, an licitus? »; respondit s. Poen.: « dummodo missis integre satisfiat intra tempus ab ecclesiae praxi praefinitum, nec missae retardentur, quae ad certam diem vel pro urgenti causa offeruntur, orator acquiescat ».

De missa celebranda in certa ecclesia vel in certo altari. 3843 — Quod diximus de qualitate missae applicandum cum proportione est circumstantiae loci ab offerente determinati (cfr. Gasparri *loc. cit. I. 590*); quare sacerdos qui accepit stipendium, debet celebrare missam in ea ecclesia vel altari, quod dans eleemosynam determinavit, si nempe is hanc fecerit determinationem; imo s. Alphonsus (*VI 329*), putat eum peccare mortaliter, qui in alia ecclesia vel altari celebret, si id saepius faciat vel sine iusta causa aut sine dispensatione, quam praebere posse episcopum affirmat. Quod si iusta causa mutationis adsit, ut quia altare vel ecclesia, in qua celebrare deberet, sint exsecrata, vel quia sacerdos egressus e sacristia viderit altare ab alio occupatum, omnes concordant posse alibi celebrare et obligationi satisfacere.

Nota etiam, quod si ageretur de

translatione perpetua alicuius cappellaniae de uno altari vel templo ad aliud, non sufficeret auctoritas episcopi, sed requireretur certo auctoritas Sedis Apostolicae. Ferraris *Prompta bibl. v. « Cappellania », num. 14;* B. P. *VI. 1030.* Vid. *Reductio.*

3844 **De missa celebranda in altari privilegiato.** — Si petatur missa in altari privilegiato, sacerdos alibi celebrans non solum obligationi suae non satisfacit (Gasparri *loc. cit. I. 590*), nisi habeat indultum personale altaris privilegiati (*S. C. Indulg. 15 mart. 1852*), sed ne compensare quidem potest detrimentum inde datori eleemosynae proveniens, aliam indulgentiam plenariam applicans defuncto, pro quo celebravit (*S. C. Indulg. 2 maii 1852*), excepto casu, quo idipsum ipsi fuerit concessum a Sede Apostolica, ut factum est aliquibus decreto eiusdem s. C. indulgentiarum (*22 febr. 1847*), quo gratiam fuisse concessam et non iuridicum principium determinatum declaravit eadem sacra Congregatio *24 iul. 1885.* Ratio autem huius est, quia indulgentia plenaria altaris privilegiati in hoc differt ab aliis plenariis indulgentiis, quod has lucrari pendet a lucrantis dispositionibus, haec vero probabilius unice annexa est divini sacrificii celebrationi in tali altari. Bucc. *II. 1375.*

Ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati sacerdos debet, quando per rubricas permittitur, celebrare missam de requie (*S. R. C. in Rhedonen. 27 august. 1836 ad 5* [*2744*)]; *S. C. Indulg. 11 april. 1840*); et si privilegium hoc sit personale, et definitum sit ad tres vel quatuor vices in hebdomada, debet sacerdos ad hanc indulgentiam lucrandam, quando in hebdomada plura inveniuntur duplicia et plura semiduplicia vel infra, applicationem privilegii differre ad semiduplicia et iis diebus celebrare in paramentis nigris, nec posset ad eamdem applicationem duplicia eligere. *S. C. Indulg. 11 apr. 1840, 22 febr. 1847, 2 mai 1852, 29 febr. 1864.*

Quare sacerdos, qui acciperet eleemosynam ad celebrandam missam in aliquo altari, quia privilegiatum est, non satisfaceret suae obligationi celebrando in eo altari missam non de requie iis diebus, quibus ea missa per rubricas permittitur. Attamen iis diebus, quibus non permittitur celebratio missae de requie, sive ratione expositionis ss. Sacramenti, sive ratione ritus officii seu quacumque ex causa, sacerdos aliam missam celebrans privilegio fruitur, ac si missam de requie celebraret. *S. C. Indulg. 11 apr. 1864.*

Sacerdos missam celebrans in alio altari non privilegiato, quando in privilegiato ratione stipendii celebrare deberet, vel in eo celebrans, non tamen missa dicens de requie, iis diebus, quibus ad indulgentiam lucrandam necessaria esset, videtur peccare mortaliter; quum maximum sit damnum inde proveniens ei, cui missa applicatur.

3845 **Des acerdote accipiente stipendium et per alium celebrante. — Quomodo hoc liceat.** — Nihil obstat, quominus sacerdos, qui stipendia accipit ad aliquas missas celebrandas, eas per alium sacerdotem celebrari curet, dummodo eidem sacerdoti integrum tradat sti-

pendium acceptum, ut mox dicemus, et dans eleemosynam expresse aut tacite non exegerit ut missae ab ipso sacerdote accipiente eleemosynam celebrarentur. Attamen decretum « Ut debita » statuit: « Qui exuberantem missarum numerum habuit, de quibus sibi liceat libere disponere (quin fundatorum vel oblatorum voluntati quoad tempus et locum celebrationis missarum detrahatur), posse eas tribuere, praeterquam proprio ordinario aut S. Sedi, sacerdotibus quoque sibi benevisis, dummodo certe ac personaliter sibi notis et omni exceptione maioribus » (*n 5*). Praeterea: « Qui missas cum sua eleemosyna proprio ordinario (aut praelato regulari, vel ordinarii aut praelati regulares, qui aliis ordinariis aut praelatis regularibus, *S. C. C. 27 febr. 1905*) aut S. Sedi tradiderint, ab omni obligatione coram Deo et ecclesia relevari. Qui vero missas a fidelibus susceptas aut utcumque suae fidei commissas aliis celebrandas tradiderint, obligatione teneri usque dum peractae celebrationis fidem non sint assecuti; adeo ut si ex eleemosynae dispersione, ex morte sacerdotis aut ex alia qualibet, etiam fortuita, causa in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat et missis satisfacere teneatur ».

Statutum praetererea est, ut quicumque missas celebrandas committere velit sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus extra dioecesim commorantibus, hoc facere debeat per eorum ordinarium, aut ipso saltem audito atque annuente. *S. C. C. decr.* « *Recenti* » *22 maii 1907*, Si autem episcopi vel sacerdotes velint missas, quarum exuberet copia, ad antistites aut presbyteros ecclesiarum, quae in Oriente sunt, mittere, in singulis casibus id praestare debebit per s. Congreg. Prop. Fidei. *S. C. C. decr. super cit.*

Postea vero declaratum est has missarum eleemosynas exuberantes mitti etiam posse ad delegatos apostolicos in Oriente, ut eas distribuant dumtaxat praelatis et sacerdotibus delegationis suae; pariter superiores ordinum aut institutorum religiosorum posse eas immediate in Orientem mittere, sed taxative pro religiosibus subditis suis, non vero pro ceteris. *S. C. C. 9 sept. 1907.*

De non retinenda parte stipendii ab eo, qui accepit stipendium, et missam alteri celebrandam tradit. — Nequit omnino sacerdos missam alteri celebrandam tradere, parte stipendii sibi retenta (*prop. 9 damn. ab Alex. VII decret. diei 24 septembr. 1665*; *decr. cit. Inn. XII. 23 nov. 1697*, quod decretum obligare cum poenis in eodem contentis non solum in Italia, sed etiam alibi, declaratum est a S. Cong. Concilii *16 dec. 1893*); nec potest aliquid inde detrahere, etsi in usum pium erogandum, nisi alter sponte prorsus ac liberaliter, atque ideo non rogatus, excessum remiserit. D'Ann. *III. 190;* cfr. etiam *Const.* Ben. XIV « Quanta cura » *30 iun. 1741 §. 3.*

Prohibitum etiam est retinere sibi collybum (*aggio*), qui ex permutatione pecuniae proveniret. Hinc si quis plures haberet missarum eleemosynas extra Italiam collectas et missas in Italia celebrandas curaret, si permutando pecuniam exteram in pecu-

niam italicam aliquod lucrum perciperet, non posset sacerdoti in Italia celebranti tantum tradere eleemosynae, quantum pro unaquaque missa celebranda ipse extra Italiam accepit, sed deberet illi tradere etiam lucrum proveniens ex permutatione pecuniae. *S. C. C. 21 nov. 1898.*

An sacerdos, qui partem eleemosynae sibi retineret in casu, non solum peccaret, sed etiam furti teneretur, controvertitur inter doctores. Nonnulli volunt eum ad restitutionem obligari, et probabilius sacerdoti celebranti faciendam (S. Alph. *VI. 322*; G. B. *II. 184)*; alii dicunt eum obligari ad restitutionem celebranti faciendam, si eleemosynam dederit iusto minorem, secus probabiliter non teneri, quia intentioni dantis satisfecit, pro qua implenda stipendium habuit. Cfr. D'Ann. *loc. cit. (17)*; Mon. eccl. *vol. XVII. p. 31 sqq.*

3847 **An aliquando liceat partem stipendii sibi retinere, commissa alteri celebratione missae.** — Nota autem, prohibitionem supra recensitam spectare solas missas *manuales*, quas scilicet fideles oblata manuali stipe celebrari postulant, cuique vel quomodocumque, sive brevi manu sive in testamento hanc stipem tradant, dummodo perpetuam fundationem non constituant, vel talem ac tam diuturnam ut tamquam perpetua haberi debeat (*S. C. C. decr. « Ut debita » 11 mai 1904*); aut etiam illas, quae privatae alicuius familiae patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed in nulla ecclesia sunt constitutae, quibus missis ubivis a quibuslibet sacerdotibus, patrisfamilias arbitrio, satisfieri potest (*S. C. decr. cit*): vel eas, quae *instar manualium* habentur; excepto etiam quoad has omnes casu, quo aliquis titulus adsit a celebratione distinctus, cuius intuitu, eleemosynae dominium acquiratur. Hinc si moraliter constet sacerdoti, eleemosynam solita maiorem datam fuisse non missae intuitu, sed amicitiae, paupertatis, propinquitatis, gratitudinis, etc., potest excessum communis eleemosynae sibi retinere. *S. C. C. 25 iul. 1874, 31 ian. 1880.*

Ad instar manualium vero eae habendae sunt missae, quae in aliqua ecclesia constitutae vel beneficiis annexae a proprio beneficiato vel in propria ecclesia hac illave de causa applicari non possunt et ideo aut de iure aut cum S. Sedis indulto aliis sacerdotibus tradi debent ut iisdem satisfiat. *S. C. C. decr. cit.* Quare ad instar manualium sunt missae, quae ex onere perpetuo inhaerent ecclesiae, monasterio, confraternitatibus aut locis piis quibuscumque, sed in nulla ecclesia sunt constitutae ita ut a quolibet sacerdote pro administratorum arbitrio ubivis applicari possint. *S. C. C. 19 dec. 1904 ad 1.*

3848 **De cappellanis** — Ex iis, quae supra diximus, sequitur quod cappellanus, qui habet cappellaniam non manualem, sed fundatam, ut dicitur, cui scilicet certi reditus annui sunt constituti cum obligatione celebrandi per se, vel per alium, certum quemdam numerum missarum, potest missas alteri celebrandas committere, tradita tantum eleemosyna consueta secundum taxam synodalem loci, in

quo cappellania erecta est. *S. C. C. decr. « Ut debita » 11 maii 1904 n. 15; 19 dec. 1904.*

Idem dicendum de alio simili cappellano, qui pro aliqua die legitime impeditus quominus celebret, per alium sacerdotem satisfacit. *Decr. S. C. C. nuper citati.*

Hinc etiam quilibet alius beneficiarius potest per alium missis debitis satisfacere, tradendo solitam eleemosynam. *Decl. 8. S. C. C. ad decr. Urb. VIII;* B. P. *IV. 1015 sqq.*

Nota etiam, sacerdotes, obligatos ratione beneficii, cappellaniae, legati aut stipendii celebrare quotidie missam per se ipsos, posse aliquando, quinquies vel sexies per annum, pro se vel aliis gratis celebrare, nisi mens testatoris refragetur (S. Alph. *VI. 332*; D'Ann. *III. 69* [*55*]), aut aliquando a celebratione vacare, concurrente nempe aliqua rationabili causa (*S. C. C. 18 sept. 1683*), et iis diebus teneri supplere celebrationem per alium, si in fundatione cautum fuerit, ut hoc in ista hypothesi fiat, secus non teneri (*S. C. C. in Romana 26 nov. 1796*, ubi pro diebus quindecim ex obligatione cappellanos infirmos non teneri edixit; cfr. etiam B. P. *VI. 1036*); nisi ratio excusans nimis longa esset, ut si ageretur de infirmitate duos menses diuturniore (S. Alph. *VI. 333*), imo etiam tunc, si sacerdos aliunde non haberet unde viveret, idest si solos reditus cappellaniae haberet iique in eius sustentationem et curationem insumerentur toti. Cfr. *resp. S. C. C. 5 febr. 1630, 24 apr. 1655 apud* Giraldi *Exp. iur. pont. 1 part. sect. 366, c. 11;* B. P. *loc. nuper cit.*

Quoad missas fundatas nota, eas generatim applicandas esse, scilicet praesumi semper intentionem testatoris fuisse imponere obligationem applicationis; attamen potest etiam contrarium constare saltem ex validis praesumptionibus, contrariam iuris praesumptionem elidentibus. Cfr. *S. C. C. in Casalen. 20 febr. 1897; in Mediolanen. 21 nov. 1903; in Mediolanen. 19 nov. 1904; in Mutinen. 21 ian. 1905.*

De administratoribus et rectoribus ecclesiarum. — Aliquid ex stipendio debito detrahere ne administratoribus quidem et rectoribus ecclesiarum licet, ad compensandas expensas in missarum celebratione et detrimentum paramentorum etc., nisi quum ecclesiae et loca pia alios non habeant reditus, quos in usum harum expensarum erogare licite possint; et tunc portio, quam retinebunt, nullatenus debet excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessario sunt subeundae, imo etiam in hoc casu curandum est, ut ex pecuniis, quae supersunt, absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae sunt ab offerentibus eleemosynam. *Decl. 7. S. C. C. ad decr. Urbani VIII.* Cfr. quoad hoc *S. C. C. in Wratislavien. 6 sept. 1902 apud Monitore eccl. vol. XIV pag. 389.* 3849

De episcopo prohibente missarum stipendia extra dioecesim mitti. — An episcopus prohibere potest, ne stipendia missarum mittantur extra dioecesim? Ad hoc quaesitum ita re- 3850

spondet Gasparri (*de euch. 1. 583*): « Certe nequit impedire fideles, qui missae applicationem desiderant, quominus eleemosynas mittant ad exteros; quisque enim dominus est rerum suarum. Hinc etiam sacerdos, cui missae committuntur celebrandae per se vel per alios, quos voluerit, potest eas mittere etiam ad exteros, non obstante episcopi prohibitione. Pariter episcopus nequit prohibere, quominus regulares missarum eleemosynas, quas habent, mittant ad exteros, e. gr. proprii ordinis alumnos; et idem putamus de religiosis cum votis simplicibus. At quoad reliquas missas... hodie certum est, episcopum posse lege constituere (prouti in Galliis passim constitutum est), ut etiam missarum eleemosynae in ecclesia vel sanctuario seculari superabundantes mittantur ad curiam ».

De reductione missarum (*remissive*). — Quoad reductionem missarum vide *Reductio*.

3851 **De collectione stipendiorum vetita.** — Iam ipse Benedictus XIV (Const. « Quanta cura » *13 iun. 1741*) commemorat et damnat abusum eorum, qui stipendia a fidelibus erogata, ea mente *colligunt*, ut in aliis dioecesibus missae celebrentur, ubi taxa eleemosynae minor est, retenta sibi parte eleemosynae. Hunc abusum exsecrabilem vocat, et gravibus plectit poenis. Quem abusum semper ecclesia detestata est, et novissimis etiam decretis exstirpare studuit. Et recentia haec decreta respiciunt praesertim collectionem stipendiorum a bibliopolis seu mercatoribus factam. Quare ante omnia stricte prohibita est praxis, ab aliquibus bibliopolis, mercatoribus etc. in usum inducta, colligendi missarum eleemosynas, ut postea sacerdotibus has missas celebrantibus rependant libros, merces etc. Quae praxis numquam cohonestatur, ne tunc quidem, quum lucrum perceptum impendatur in pios usus. Improbantur autem tamquam turpi mercimonio concurrentes ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas missarum tradunt huiusmodi collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine, imo sacerdotes quoque hoc pacto missas celebrantes merito improbantur. *S. C. C. 25 iul. 1874.* Nemo autem non videt, ex hac bibliopolarum vel mercatorum agendi ratione facile consequi monopolium missarum, quo, eleemosynarum copia ab hoc vel illo intercepta, sacerdotes adiguntur ad collectores recurrere et ab eorum arbitrio pendere. Sed et praeterea facillimum est evenire in hac stipendiorum collectione, ut fundatorum seu dantium voluntas non salvetur in multis, ut in iis, quae spectant locum, tempus aliasve circumstantias missarum celebrandarum. B. P. *IV. 1022.*

Contra violantes haec decreta, si sacerdotes fuerint, suspensio a divinis ipso facto incurrenda Sanctae Sedi reservata; si clerici nondum sacerdotes, suspensio ab ordinibus susceptis et inhabilitas ad superiores; si laici, excommunicatio latae sententiae episcopis reservata, lata est per S. C. C. *decr. 25 maii 1893.* Quod decretum iterum iterumque recenter inculca-

tum est per litteras encyclicas ad episcopos in Italia (*28 aug. a. 1897*) a S. C. C. datas, quibus cautum etiam est, ut sacerdotes assertis contrariis indultis non fidant, sed de eorum exsistentia et ambitu ordinarium consulant.

Attamen responsum est episcopo S. Deodati petenti, consuetudinem, ut vicarii apud parochos in domo curiali degentes pensionem non argento exsolvant sed missae suae quotidianae eleemosynam parocho dimittant, retineri posse, dummodo et quousque excessus in modo aut alius abusus non oriatur, super quo ordinarii est vigilare. *S. C. C. 27 febr. 1905*; *in Bredanen. per summ. precum 25 febr. 1905*. Cfr. *causam Luxemburgen. apud S. C. C. 26 febr. 1910*. Cfr. Monitore eccles. *vol. XVII pag. 320 sqq.*

Imo S. Congr. Concilii in decreto « Ut debita » (*11 maii 1904*) superiora decreta iterum inculcans, praeterea decernit: « neminem posse plus missarum quaerere et accipere, quam celebrare probabiliter valeat intra temporis terminos inferius statutos (scilicet intra mensem pro missa una, semestre pro centum, et proportionatum spatium temporis pro aliis) vel per seipsum vel per sacerdotes sibi subditos, si agatur de ordinario dioecesano aut praelato regulari ». In eodem decreto statutum est etiam: « Nemini licere tot missas assumere, quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat; salva tamen semper contraria offerentium voluntate, qui aut brevius tempus pro missarum celebratione sive explicite sive implicite ob urgentem aliquam causam deposcant, aut longius tempus concedant, aut maiorem missarum numerum sponte sua tribuant ».

Quare ab uno eodemque offerente potest sacerdos accipere plures missas, quam eae sint, quibus probabiliter intra annum satisfacere potest. Vermeersch *Periodica II pag. 100*.

Praeterea in alio decreto (*25 maii 1893*) statutum fuerat, ut « omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum, aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera, quae reliqua erant, et quibus nondum satisfecissent, propriis ordinariis traderent iuxta modum ab iis designandum ». Ad tollendas autem ambiguitates in recentiori decreto « Ut debita » declaratum et statutum est, tempus iis verbis « praefinitum ita esse accipiendum, ut pro missis fundatis aut alicui beneficio annexis obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni, intra quem onera illa impleri debuissent; pro missis vero manualibus obligatio eas deponendi incipiat post annum a die suscepti oneris, si agatur de magno missarum numero; salvis praescriptionibus praecedentis articuli pro minori missarum numero aut diversa voluntate offerentium ». Cfr. quoad hoc decretum Monitore eccl. *vol. XVI pag. 377. n. 82, pag. 421, n. 85, 86, 87*.

Contra transgressores huius dispositionis episcopus procedere potest in particulari, servatis de iure ser-

vandis, etiam cum censuris *S. C. C. 19 dec. 1904 ad 4.*

Colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent, excommunicationem incurrunt latae sententiae R. P. simpliciter reservatam (*Const.* « Apostol. Sedis » *ser. 2. n. 12*); etiamsi in eodem loco, ubi collegerunt, pro minori pretio eas celebrandas curent. *S. U. I. 13 ian. 1892.* Vid. *Collectores missarum.*

3852 **De dioecesano collectore missarum.** — Patet eum, qui de episcopi mandato, curat colligere missas sacerdotibus dioecesis committendas non solum utile dioecesi opus impendere, sed etiam, nisi aliam habeat laboris compensationem, posse, de licentia episcopi, parum aliquid sibi retinere de collectis eleemosynis, quod respondeat labori et expensis administrationis. S. Alph. *VI. 321*; D'Ann. *III. 191.* Cfr. etiam *S. C. C. in Tarraconen. per summ. precum 18 mart. 1905.* Et nota quod quamvis ibidem venia aliquid retinendi data a S. Congregatione fuerit, *facto verbo cum SSmo*, hoc ideo videtur factum ut scrupuli omnes cessarent, non ad necessitatem. Mon. eccl. *vol. XII pag. 149 sqq.* Praeterea adverte s. Congregationem nimium existimasse ut dioecesanus collector retineret sibi quinque pro centum et hanc retentionem ad tria tantum pro centum restrinxisse.

Frassinelli De sacerdotum obligationibus ad missas pro aliis ex iustitia celebrandis; *Thomassin* Vetus et nova eccl. discipl. III 3, 5; *Benedictus XIV* De synodo dioec. lib. V cc. 8. 9.; *Benedictus XIV* Instit. eccl. 56, 92; *Benedictus XIV* De sacr. missae sacrificio lib. III c. 21; *Guyard-Huber* Dringende Vorstellung an die Religion wider die Halbguldenmesse und Priestermiethe; *Huber* Abendgespräche über die Miethmesse; *Schmid F. X.* Messopfer, Messapplication und Messstipendium; *Barbier De Montault* La question des messes; *Geier* De missarum stipendiis *Tachy* Les honoraires des messes; *Link O.* Messstipendien; *Bargilliat M.* Les honoraires de messes; *Ferreres G. B.* Comm. canonico-morale dei decreti « Ut debita » e « Recenti »; *Boudinhon* in Le Canoniste contemp. XXVII, 449; *Arndt Aug.* Messstipendien; *Buzet* Nature juridique de la fondation de messes; *Besson I.* La transmission des messes aux prêtres de rites orientaux. Fontes et reliquam bibliographiam quaere sub *Celebratio missae*, *Sacrificium.*

Stipes. — Necesse aliquando est ut 3853
stipes a fidelibus colligatur, quo sus tentari possint clerici ministerio ad dicti. Hoc accidit nunc in Gallia post legem « separationis ». Quum quidam parochi in his eleemosynis colligendis inobedientes se praebuerint, quaesivit episcopus Carcassonensis a sacra Congr. Concilii an posset ipse eos adigere, poenis etiam et remotione a parochia ad normam decreti « Maxima cura ». S. Congregatio respondit: « Episcopum in casu posse sub gravi parochos adigere ad colligendas vel per se vel per alium fidelium oblationes et post monitiones poenis canonicis inobedientes prosequi, eosque, si contumaces fuerint, servatis de iure servandis, etiam a paroecia removere ». *S. C. C. 29 apr. 1911.*

Stola. — Stola non est adhibenda ut 3854
signum iurisdictionis (*S. R. C. in Brio-*

cen. 21 iul. 1885 ad 2 [*3035*]), sed adhiberi debet solummodo in confectione et administratione sacramentorum vel sacramentalium (et proinde a fortiori in exponendo et reponendo ss. Sacramento, vel in eodem transferendo de uno altari in aliud), et etiam in concionibus, ubi adest consuetudo (*S. R. C. in una Burgi S. Donnini 11 mart. 1871 ad 2* [*3237*]*; in Tlascalen. 26 sept. 1868* [*3185*]*; decr. gen. 12 iul. 1892* [*3784*]); non autem in omnibus horis canonicis ab hebdomadario, etsi exstaret antiquissima consuetudo. *S. R. C. in Oriolen 30 maii 1905*. Stola autem concionatoris debet esse coloris officio diei respondentis etiam die secunda novembris. *S. R. C. in Mechlinien. 31 aug. 1867 ad 6* (*3157*)*; in Licien. 6 febr. 1892 ad 13* (*3764*). Imo ex consuetudine et ex sensu citati decreti (*11 mart. 1871*), adhiberi etiam debet stola in commendatione decedentis animae, in exsequiis mortuorum, in benedictione sacerdotalium indumentorum, novae ecclesiae vel oratorii, novi coemeterii, in processionibus quibuscumque, atque in ceteris benedictionibus in pontificali ac rituali Romano contentis.

Cappellani confraternitatum in processionibus cum confratribus intra propriam ecclesiam stolam deferre possunt, non autem extra ecclesiam (*S. R. C. decr. gen. 12 ian. 1704 ad 23* [*2123*]), nisi tamen adesset consuetudo. *S. R. C. in una Portus Aloisii 9 maii 1857 ad 4* (*3051*). Multo magis hoc possunt parochi in processionibus, si adsit consuetudo, vel collegialiter incedant. *S. R. C. decr. cit. 9 maii 1857*; *in Apuana 5 mart. 1825* (*2640*).

Assumi etiam potest stola (alba) a sacerdotibus vel diaconis, qui intra presbyterium superpelliceo induti assistunt et orant, dum sanctissimum eucharistiae Sacramentum publicae venerationi expositum est. *S. R. C. in Brixien. 17 aug. 1883 ad 2* (*2709*).

Quando sacerdos utitur stola super albam, debet eam gestare aptatam ante pectus in modum crucis, non vero ad utrumque latus a collo pendentem. *S. R. C. in una ord. Min. Capuc. 30 sept. 1679 ad 3* (*1637*).

Celebrans, ubi non est obligatio chori, in vesperis festivis vel votivis non potest stolam induere. *S. R. C. in Veronen. 11 sept. 1847 ad 5* (*2956*).

Canonicus assistentiam praebens episcopo, dum in oratorio privato aut alibi missam celebrat, nec tenetur nec potest deferre stolam super habitu chorali. *S. R. C. in Valentina 12 mart. 1836* (*2741*); *in una de Zacathecas 4 sept. 1875* (*3367*).

Sacerdos in excipiendis confessionibus debet uti superpelliceo et stola violacei coloris (Rit. Rom. *tit. III. c. 1. n. 9; S. R. C. decr. gen. cit. 12 iul. 1892*), nec sufficit, quod sola stola aut solo superpelliceo utatur, nisi aliter ferat consuetudo secundum praescriptiones ritualis Romani *tit. III. c. 1. n. 9. S. R. C. in Patavina 7 dec. 1844* (*2883*)*; in Ambianen 31 aug. 1867* (*3158*); *in Adiacen. 23 mart. 1882 ad 3* (*3542*).

In missa medium stolae collo, non autem tergo, imponitur (Gavantus *p. 2. tit. 1 rubr. 3 litt. num.*; Praxis pont. *tom. 2. n. 81;* De Herdt *Sacrae lit.*

praxis I. 198), eaque ita ante pectus in modum crucis aptari debet ut pars dextera, idest ea, quae a dextero humero pendet, ponatur super sinistram. De Herdt *loc. nuper. cit.*

In administratione baptismi adhibendae sunt duae stolae, altera violacea ab initio usque ad inunctionem olei cathecumenorum inclusive, altera alba post factam hanc inunctionem assumenda et retinenda usque ad finem; attamen potest etiam sacerdos uti unica stola bicolori, ex altera parte violacea, ex altera alba, secundum opportunitatem ex ea parte invertenda, quae colorem praeferat a rituali praescriptum. *S. R. C. in Tarnovien. 26 mart. 1859 ad 7* (*3086*). Vid., *Administratio sacramentorum*, *Assistens*, *Expositio ss. sacramenti*.

3855 **Studiorum S. Congregatio.** — Sixtus V in sua const. « Immensa », instituit hanc congregationem sub hoc titulo: « Congregatio decima, pro universitate studii romani » Haec congregatio postmodum fere cessasse dicenda est, quum anno 1824 die 28 augusti Leo XII costitutione sua: « Quod divina sapientia », qua ordinata fuit a Pontifice methodus studiorum in ditione pontificia, mentione facta indirecte Sixtinae institutionis, novam instituit congregationem, quae tum Romae tum in pontificia ditione studiis praeesset. Post eversionem Status pontificii a. 1870 congregatio haec, quae etiam in nova constitutione piana integra manet, non solum non cessavit, sed maius etiam incrementum sumpsit.

Haec congregatio constat, prout aliae generatim, convenienti Cardinalium numero pro arbitrio Pontificis, quorum unus munus gerit praefecti. Habet etiam suum secretarium, paucos quosdam officiales et suos consultores.

Competentia istius congregationis ita determinatur in const. « Sapienti consilio »:

«Est huic sacrae congregationi commissa moderatio studiorum in quibus versari debeant maiora athenea, seu, quas vocant, universitates seu facultates, quae ab ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis, quae a religiosae alicuius familiae sodalibus administrantur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi, et, ubi agatur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre ».

Modus autem, quo procedit, exponitur in Normis peculiaribus cap. VII, a. 11, his verbis:

« Plenae congregationi huius officii competunt condendae novae studiorum universitates ac facultates omnes quibus ius est academicos gradus conferendi; mutationes maioris momenti in iisdem iam institutis; cognitio quaestionum graviorum in ipsis occurrentium de patrimonii administratione, de magistri alicuius decurialis nominatione, de ratione studiorum, et de aliis huiusmodi; item quae necessario capienda consilia in commune videantur; postremo iudicium de excellenti aliquo viro academicis gradibus *ad honorem* decorando.

Congressus officium est ad plenam congregationem deferenda parare: leviores controversias in aliqua stu-

diorum universitate vel facultate subortas dirimere, ad normam praescriptorum superius.

Si qua velit in posterum studiorum universitas aut facultas nova constitui, opus est fieri per breve. Nulla pariter in praesentem facultatum et universitatum statum gravior immutatio induci poterit nisi per breve. »

Cohellius Not. cardinal. Congreg. XIX pro Universitate studii romani; *Moroni* Dizionario, Congregaz. degli studii, *Caterini Prosp.* Collectio legum et ordinationum de recta studiorum ratione iussu Emi ac Rmi Domini Cardinalis Aloysii Lambruschini SS. D. N. Gregorii XVI P. M. a secretis Status, Sacrae Congregationis studiis moderandis praefecti etc.; *Capalti Hann.* Collectio legum et ordinationum de recta studiorum ratione ab anno 1842 usque ad annum 1852 iussu Card. Raphaelis Fornari praefecti... continuata.

3856 **Stuprum. — De natura et malitia stupri.** — Stuprum est violatio seu oppressio mulieris (seu virginis, seu viduae, seu nuptae), ipsa invita (*Inst. Iust. de publicis iudiciis* [*IV. 18*] §. *4.* D'Ann' *II. 69* [*54*]); in sensu canonum proprie est illicita virginis defloratio. *Dict. Grat. ad can. 2. C. XXXVI. q. 1.* Nostris communiter est defloratio virginis, ipsa invita. Sanchez *in Dec. lib. VII disp. 12*; Salmanticences *Th. mor. tr. XXVI. c. 4. n. 4*; S. Alph. *III. 443.* Hinc fornicari cum virgine plane consentiente his non est stuprum.

Quatenus autem est oppressio mulieris aut defloratio illicita virginis, ipsa invita, graviter laedit castitatem et iustitiam. B. P. *II. 1011.* In stupro consideranda est etiam iniuria, quae parentibus plerumque infertur, quaeque satisfactionem exigit (Vid. *Satisfactio*). S. Alph. *III. 641.* Vid. *Oppressio.*

De obligatione restitutionis ex stupro. — 3857 Pro ipsa laesione integritatis corporalis nihil probabilius in foro conscientiae restituendum est. B. P. *III. 471.*

Pro damno temporali, quod subsecutum sit, si puella consenserit, nihil secundum plures restitui debet (Lugo *de iust. et iure disp. XII. n. 8*; Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 10. n. 9*; B. P. *III. 472*); si vi etc. puella violata fuerit, tenetur stuprator omnia damna puellae, vel eius parentibus inde obvenientia reparare (Lessius *loc. nuper. cit. n. 10*; Lugo *loc. nuper cit. num. 11*), quare eam debet vel ducere vel dotare (*cap. 1 de adulteriis et stupro X.* [*V. 16*], ita ut aeque bene nubere possit ac si non fuisset violata. S. Alph. *III. 648.* Electio autem inter matrimonium vel dotem mulieri est. D'Ann. *II. 277.* Attamen vir, dote data, liberabitur, ut communiter docent (Lugo *loc. cit. n. 14*; Lessius *loc. cit. n. 13*), quia coacta matrimonia difficiles exitus habent. At si stuprator non posset eam convenienter dotare, deberet illam ducere, modo ipsa consentiat (S. Alph. *III. 649*), dummodo id possit sine suo damno longe graviore. Lugo *l. c. n. 18.* Idem multo magis dicendum, si violator puellam violaverit sub promissione sive vera, sive ficta matrimonii. Lugo *l. c. n. 19 sqq.*

Praeterea violator, si ex concubitu proles oriatur, et de puella agatur vi oppressa, tenetur ad omnes expen-

sas nutritionis et educationis prolis (D'Ann. *II. 278*); si puella in peccatum consenserit, mulier tenetur alere infantes per tres annos et postea pater proli providere debet ex iure romano (*l. 9 de patria potestate C.* [*VIII 47*]); iure gallico nihil expresse statuitur (G. B. *I. 730*); iure italico in casu stupri violenti, quando ipsius tempus tempori conceptionis respondet, admittitur inquisitio paternitatis (*C. C. a. 189*), et si sequatur sententia declarans filiationem naturalem, filius habetur tamquam agnitus (*C. C. a. 192*), et tunc tenetur pater eum alere et educare. *C. C. a. 186.*

Tit. de adulteriis et stupro X. (V. 16); Const. Paul. IV « Sanctissimus » a 1558; Const. Sixti V « Ad compescendum » 30 oct. 1586; Const. Sixti V « Volentes » 5 apr. 1587; *Hauemanni Mich.* Gamalogia synoptica (ubi in libro 3 de stupro); *Salmuth Henr.* Responsa quator criminalia de stupro; *Sharrock Rob.* Iudicia de variis inconscientiae speciebus (ubi etiam de stupro); *Giuliani G.* Dello stupro violento e sua penalità e gli articoli 189 e 490 Codice penale italiano; *Silvestri Cosimo* Influenza giuridica del matrimonio fra l'autore morale dello stupro e la stuprata in ordine all'azione penale promossa contro gli autori materiali; *Fadda C.* Il risarcimento dei danni alla donna sedotta.

3858 **Subdelegatio.** — Nota hic tantummodo sequentia: Episcopus dioecesanus potest subdelegare absque speciali concessione suis vicariis generalibus aut aliis ecclesiasticis viris facultates ab Apostolica Sede sibi ad tempus delegatas, dummodo id in facultatibus non prohibeatur, neque subdelegandi ius pro aliquibus tantum coarctetur; in hoc enim casu servanda est adamussim forma rescripti (*S. U. I. 14 dec. 1898*); attamen non posset episcopus committere exsecutionem rescripti apostolici super dispensatione alicuius impedimenti matrimonialis alicui clerico, qui non esset eius vicarius generalis. *S. U. I. 1 iun. 1904.* — Alia vide sub *Delegatio.*

Subdiaconatus. — **De ipso subdiaconatu.** — Subdiaconatus est ordo, quo confertur alicui specialis potestas quaedam ministeria ad altaris servitium obeundi, praesertim in missa solemni inserviendi diacono et solemni ritu epistolam cantandi. Pont. Rom. *de ordinat. subdiaconi.* (Cfr. Reuter H. *Das subdiaconat*). 3859

Volunt quidam, eum esse ex mera institutione ecclesiastica (S. Alph. *VI. 736 sqq.*; B. P. *V. 886*; Lehmkuhl *Th. mor. II. 582*; Gasparri *de sacr. ordin. I. 33 sqq.*); contra alios, qui contrarium sentiunt (Bellarminus *Contr. de ordin. lib. 1. c. 7*; Billot *de eccl. sacr. II. th. XXIX § 2;* De Augustinis *de re sacramentaria tr. VII th. 6*, etc.). Ex hoc etiam sequitur controverti an subdiaconatus sit sacramentum, istis affirmantibus, negantibus illis. — Certe autem nunc, et saltem (Cfr. Thomassinum *de vet. et nov. eccl. disc. p. 1 lib. 2. c. 33*) ab aetate Innocentii III (*c. 9 de aetate et qualitate etc. X* [*1, 14*]), inter ordines maiores computatur.

De materia subdiaconatus. — Eius materia in ecclesia latina est traditio calicis vacui cum patena vacua et libri epistolarum. Pont. Rom. *loc. cit.* Loco libri epistolarum pro subdiaconatu, quemadmodum loco libri evan- 3860

geliorum pro diaconatu, tradi potest missale. *S. R. C. in Erien. 27 sept. 1873 ad 7* (*3315*).

An utraque traditio sit essentialis, controvertitur; nonnulli affirmant (Croix *Th. mor. lib. 6 p. 2 num. 2149,* etc.), alii negant, et asserunt solam traditionem calicis cum patena esse materiam huius ordinis necessariam et sufficientem. Salmanticenses *Tr. mor. tr. VIII cap. 3 n. 19.*

Indifferens est ad validitatem ordinationis, utrum tradatur ordinando calix vacuus cum patena, quae hostiam superpositam non habeat, an calix tradatur plenus cum patena vacua, sive etiam an calix plenus vel vacuus tradatur cum patena hostiam continente. Gasparri *loc. cit. II. 1034.*

Quaestio est, an calix et patena debeant ad validitatem ordinationis esse consecrati. Et certe de necessitate praecepti hoc servandum esse dicunt omnes (S. Alph. *VI. 747*; Gasparri *loc. nuper cit.*); quoad validitatem controvertitur, quibusdam affirmantibus (S. Alph. *loc. nuper cit.*, etc.), quibusdam negantibus. Croix *Th. mor. lib. VI. p. 2. n. 2150;* D'Ann. *III 190. 6*, etc.

In praxi certum est, integram ordinationem esse repetendam, si utraque traditio, idest traditio tum calicis et patenae, tum libri epistolarum, omissa fuit; traditionem calicis et patenae, si ea tantum fuerit omissa, supplendam esse absolute (Gasparri *loc. cit. II. 1036*); item supplendam esse traditionem libri epistolarum, si ordinandus eum non tetigit. *S. C. C. 11 ian. 1711.* Imo etiam in casu, quo calix et patena non fuerint consecrati, aut quo defuerit contactus physicus, sub conditione eadem traditio supplenda est. Cfr. Gasparri *loc. nuper cit.*

In ecclesia graeca materia vel est sola impositio manus (S. Alph. *VI. 746*), vel est signatio crucis in capite ordinandi, vel utraque. Cfr. Gasparri *l. c. II. 1020, 1029.*

De forma subdiaconatus. — Quoad 3861
formam in ecclesia latina, ex controversia exstante circa materiam, sequitur controverti etiam, an ad eius essentiam pertineant ea tantummodo verba, quae episcopus profert tradendo calicem, an etiam illa, quae recitat tradendo librum epistolarum.

In ecclesia graeca forma est oratio « Domine Deus noster », quam episcopus dicit imponens manus ordinando. Gasparri *l. c. II. 1028.*

De officiis subdiaconi. — Subdia- 3862
coni est diacono ministrare, pallas altaris et corporalia abluere, calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre, legere epistolam solemniter in ecclesia. Pont. Rom. *de ordin. subdiaconi.*

Nota etiam, in ecclesia graeca subdiacono in sua ordinatione tradi ea quoque munera, quae pertinent apud nos ad acolythum et ostiarium; in ea enim ordinatio distincta pro his muneribus non habetur, sed una ordinatione hypodiaconatus haec munera tribuuntur. Gasparri *loc. cit. I. 17, II. 1029, 1155.*

De obligationibus subdiaconi. — 3863
In ecclesia latina per ordinationem subdiaconi acceptant onus ab ecclesia ipsis impositum servandi coelibatum sub religione voti (Vid. *Coeliba-*

tus), et recitandi horas canonicas (Vid. *Horae Canonicae*).

3864 **Liturgica quaedam quoad officium subdiaconi.** — Subdiaconus et diaconus possunt et debent indui paramentis sacris in eadem mensa, in qua planetam vel pluvialem induit celebrans, etiamsi hic sit canonicus et dignitas. *S. R. C. in Recineten. 16 mart. 1833* (*2703*).

Subdiaconus et diaconus, qui sint canonici (multo magis alii) adiuvare celebrantem debent, dum sacras vestes induit, dummodo contraria consuetudo non vigeat. *S. R. C. 9 iul. 1895 ad 1* (*3866*).

3865 **De missa cantanda, quando deficit subdiaconus, vel subdiaconus et diaconus.** — Deficiente subdiacono non licet missam cantare cum solo diacono (*S. R. C. in una S. Iacobi de Chile 16 mart. 1861 ad 2* [*3104*]), sed alius constitutus in minoribus ordinibus, vel, modo saltem sit clericus, paratus absque manipulo officio subdiaconi in missa solemni fungi potest (*S. R. C. in Collen. 5 iul. 1698 ad 13* [*2002*]; *in Amerina 18 dec. 1784 ad 1* [*2525*]; *in Florentina 22 iul. 1848 ad 4* [*2965*]; *17 iul. 1894 ad 7* [*3832*]); at debet necessario esse clericus, etsi sit regularis, nec non solummodo in casu praecisae et absolutae necessitatis (*S. R. C. decr. cit. 18 dec. 1784, 17 iul. 1894*), idest dummodo non adsit alter. *S. R. C. decr. cit. 22 iul. 1848*. Vid. *Acolytatus*.

Quaestio est, an clericus non subdiaconus, qui fungitur munere subdiaconi in missa solemni ex necessitate, possit abstergere calicem, etc. Et Monitore eccl. (*vol. XV pag. 128. n. 32*) putat hoc posse, imo debere; sed hoc non videtur verum, quum in antiquioribus decretis, ut in decretis citatis in Collen. et in Amerina non dicatur, quod in casu necessitatis clericus potest fungi munere subdiaconi, sed quod potest pro subdiacono adhiberi ad cantandam epistolam. Idipsum autem confirmat praxis, quae generatim contrarium habet. Nec videtur omnino esse adiaphorum ab hac interpretatione decretum *in Plocen. 6 dec. 1901*, quo dictum est, ministrum, qui missae cantatae assistit, non posse abstergere calicem, nisi sit constitutus in sacris; attamen Monitore eccles. (*loc. cit.*) contrarium putat.

Haec omnia certa facta iam sunt ex sequenti decreto S. Congregationis rituum (*14 maii 1905*):

« Quum nonnulla dubia huic sacrorum rituum Congregationi proposita fuerint circa servitium clerici, qui aliquando vel loco subdiaconi in missa solemni, vel loco cappellani in missa ab episcopo vel ab alio praelato lecta, vel etiam in missa cantata absque ministris inserviat, eadem sacra Congregatio, audito voto commissionis liturgicae, ut dubia ipsa omnino diluantur, haec statuenda et in posterum observanda decrevit:

1. Clericus ad munus subdiaconi obeundum in missa solemni, numquam deputetur, nisi adsit rationabilis causa et in minoribus ordinibus sit constitutus aut saltem tonsura initiatus.

2. Clericus pro subdiacono inserviens, alba super amictu, cingulo et tunica absque manipulo sit indutus, atque omnia quae ad subdiaconum

ex rubricis spectant rite expleat, hisce tamen exceptis: *a*) aquam ante offertorium in calicem non infundat, quod in casu diaconus praestabit; *b*) calicem ipsum infra actionem numquam tangat, neque pallam ab eodem removeat aut super eum reponat; *c*) post ablutionem calicem non abstergat (abstergente ipso celebrante), sed tantummodo illum componat more solito et velo cooperiat cum bursa, et ad mensam deferat.

3. Clericus, qui loco cappellani episcopo vel praelato in missa lecta, aut alio sacerdoti in missa solemni sine ministris inserviat, saltem tonsuratus esse debet, si alius minister in sacris in promptu non sit.

4. Clericus ipse omnia explere potest, quae in ceremoniali episcoporum lib. 1. cap. XXIX dicuntur, pro missa ab episcopo lecta, iis exceptis quae supra n. 2 prohibentur clerico munus subdiaconi obeunti. Insuper: *a*) calicem ante offertorium non abstergat; *b*) nec vinum nec aquam in eo infundat; *c*) nec patenam cum hostia, nec calicem celebranti tradat.

5. Calix pro missa ab episcopo vel a praelato lecta, sicuti et pro missa cantata sine ministris, velo et bursa coopertus in abaco statuatur, amoto abusu illum non velatum retinendi, et ad altare discoopertum deferendi.

6. Calix ipse post communionem a celebrante rite abstersus, a clerico ministrante suis ornamentis instrui poterit, ac velo et bursa coopertus in abacum deferri.

7. Si vero clericus sacra non sit tonsura initiatus, poterit quidem ab episcopo aut a praelato in missa lecta uti minister assumi; sed eo in casu calix velatus ante missam ad altare deferatur, et more solito in medio mensae super corporale statuatur; clericus vero non tonsuratus ita se gerat ut in missis a simplici sacerdote celebratis. Poterit autem ad missale celebrantem assistere, folia vertere, palmatoriam sustinere; calix autem, ab ipso celebrante suo tempore abstersus et velatus, ac in medio mensae collocatus, absoluta missa in sacristiam deferatur ».

Non licet, deficientibus diacono et subdiacono, ut duo laici vestibus sacris induti, licet sine stola et manipulo, celebranti assistant ad maiorem solemnitatem, quamvis nullam sacram functionem ad diaconum vel subdiaconum pertinentem obeant. *S. R. C. in Blesen. 11 sept. 1847* (*2952*). Vid. *Diaconus.*

Notandum quoad susceptionem subdiaconatus pro religiosis. — Religiosus ad subdiaconatum promovendus, praeter alia, ex decreto sacrae Congregationis episcoporum et regularium (*4 nov. 1892*), debet studuisse per annum sacrae theologiae, praemisso regulari omnium aliorum studiorum curriculo. 3866

Subsannatio. — Subsannatio est species contumeliae, qua quis honorem praesenti detrahit, gestibus ridiculis ei irridens. Per se est levis, sed ex circumstantiis potest fieri letalis. G. B. *I. 462.* 3867

Substitutio. — De substitutione relate ad testamenta. — Substitutio est dispositio, qua quis vocatur ad hereditatem vel legatum in alterius defectu; vel secundis seu ulterioris heredis 3868

institutio. *l. 1 de vulg. et pupill. subst. D. (XXVIII. 6).*

Multiplex; sed praecipue *fideicommissaria*, quae idem est ac fideicomissum (vid. *Fideicommissum*); *pupillaris* proprie dicta, qua pater, instituto herede filio impubere, instituit quoque eius heredem, si forte filius heres quidem erit, sed morietur antequam fiat pubes (Inst. Iust. *de pupillari substitutione* [*II. 16*]; Vinnius *Comm. in inst. Iust. eod. tit. prooemium*); *vulgaris* seu *directa*, qua quis directe ac proprio nomine ad hereditatem vocatur loco alterius, qui hereditatem accipere vel non possit vel nolit. *l. 1 de vulgari et pupill. subst. D. (XXVIII. 6)*; Inst. Iust. *de vulgar. substitutione (II. 15)*; Vinnius *loc. cit. eod. tit.*; D'Ann. *II. 350.*

Substitutio fideicommissaria iure italico reprobatur. *C. C. a. 899.* An valeat in foro conscientiae, si lege prohibeatur, controvertitur. V. *Fideicommissum.*

3869 **De substitutione relate ad venditionem.** — Quaeri potest, an liceat venditori rei venditae aliam substituere. Quoad hanc quaestionem, haec habe eleganter proposita a Palmieri in B. P. *III. 796.* Scilicet, postquam doct. auctor statuerit iniustitiam non esse, generaliter loquendo, rei venditae aliam substituere, quae sit aeque utilis aut fere aeque, dummodo iustum pro hac pretium exigatur, addit: « Sed quosdam oportet casus distinguere. Si res quaesita sit res naturalis, ex. gr. vinum, et res substituta sit prorsus artefacta, differens intrinsece a re naturali et solum apparenter vel quoad aliquos effectus ei similis, quemadmodum nunc frequenter componi solent vina, quae nihil habent vini ex vite; error per se est circa substantiam, et contractus nullus. Si vero ars eo progredi potest, ut eumdem secundum intrinseca elementa, effectum edat, ac ille est, quem dat natura; tunc, quando id certum sit, nec specialiter emptor determinaverit, se velle rem a natura perfectam, substitutio licita est; nam est reapse eadem species. Ita S. Thomas *2. 2. q. 77. a. 2 ad 1.* Nihilominus etiam in priore casu, si communiter nota sit ars simulandi naturales merces, et in societate toleretur, si merx artefacta non sit nociva, imo satis utilis ad eum finem, propter quem ab emptoribus quaeritur, si de pretio convenienter subtrahatur, permitti potest talis venditio. Satius tamen esset, venditorem rem, qualis sit, aperire; quae, si utilis sit, congruo pretio a pluribus emetur. — Causa huiusmodi simulationum seu sophisticationum est quidem frequenter cupiditas venditorum; sed non raro ii ad hoc moventur ex importunis postulationibus multitudinis, quae alicuius mercis quamdam sibi fictitiam necessitatem creavit, cui sola natura facere non potest satis. Tunc quidam consensus saltem implicitus videtur esse ementium, ut mercatores arte suppleant defectum naturae. Talis est moderna societas, quae in quolibet ordine materiali, morali, politico fictionibus vivit. — Minus impedita est quaestio, quum res substituta, positis memoratis conditionibus, est naturalis; quam quaestionem et veteres DD. agebant. Haec substitutio familiaris pharmacopolis dicitur, quum

ad manus non habent medicamentum quaesitum, cui aliud substituunt, eorum prudenti iudicio, aeque vel quasi aeque profuturum. Probabile est, actionem hanc non esse iniustam, dummodo conditiones positae prorsus locum habeant; nam, etsi res physice quoad substantiam differat, moraliter tamen, idest ratione habita eius, quod emptor postulat, propter finem, quem intendit, differentia non videtur substantialis. Sic, si ad usum mensae tradas unum genus piscium pro alio parum diverso, vinum burdigalense pro burgundico. Sed certe pretium reducendum est ad aequalitatem, ut scilicet illud exigatur, quod res tradita valet, non ea, pro qua substituitur; quamvis illa in casu sit aeque utilis; non enim ex huiusmodi particularibus eventibus pretium rerum pendet, sed ex communi usu et existimatione. S. Alph. *n. 821.* Cfr. Tamburini *in Decal lib. VIII. tr. 3. c. 7. § 11. n. 7. 10*; qui erga pharmacopolas severum potius se exhibet, et certe ii, quamvis pro suo officio periti, frequenter peccare possunt periculo obiicientes salutem infirmi. Etsi enim aliud medicamentum censeatur ab ipsis alteri par; fieri certe potest, ut, ex sapientiore medici consilio, collatis dispositionibus infirmi et usu simultaneo aliorum medicamentorum, medicina ab eo praescripta, non alia, sit paritura effectum salutarem ».

3870 **De substitutione canonicorum ad invicem (*remissive*).** — Quoad substitutionem, qua canonici possunt unus pro altero servitium chorale praestare, vid. *Canonici.*

Alosini Leon. De substitutionibus tract.; *Vasquius Ferd.* Tract. de successionum progressu; *Angeli* De substitutionibus; *Caius Ant.* Tract. de substitutionibus; *Chifletii Cl.* Accurata dispositio de substitutionibus etc.; *Trentacinqui Alex.* Tract. de substitutionibus; *Goveani Ant.* De substitutionibus; *Mostelli Jon.* De haeredum substitutionibus; *Politi Lancellottus* Tract. de substitutionibus; *Grassi Mich.* Tract. de successione tam ex testamento quam ab intestato; *Forsteri V. G.* Tract. de substitutionibus; *Fusarii Vinc.* Tract. diffusissimus de substitutionibus et fideicommissis; *Borei Vinc.* Alveare rium iuris; *Caimi Iac.* Formula Aquiliana de substitutionibus etc.; *De Barry Fr.* Opus de successionibus testati ac intestati.

Suburbicarii episcopi. — Suburbi- 3871
carii episcopi, idest sex cardinales, qui regunt dioeceses suburbicarias dictas, et sunt episcopus Ostiensis et Veliternus, Portuensis et S. Rufinae, Sabinus, Praenestinus, Tusculanus et Albanensis, soli non tenentur ad residentiam in dioecesi, sed residere debent Romae. Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Cardinales* » *art. 3. n. 33.*

Circa episcopos suburbicarios maximi momenti sunt praescriptiones, quas ss. Dnus Pius X tulit constitutione sua « Apostolicae » *15 apr. 1910.* Sunt autem sequentes:

« I. Cardinalis, ad sedem suburbicariam promotus, ipse verus est episcopus dioecesis, cuius possessionem inibit eadem ratione qua ceteri episcopi residentiam habentes.

« II. Disciplina, quae hucusque viguit, ut emis episcopis Sabinensi et Veliterno adiutor daretur suffraganeus episcopus, ad omnes extenditur cardinales suburbicarios, quibus id

circo singulis suus erit in posterum suffraganeus episcopus cum sede titulari.

« III. Suffraganeus a Summo Pontifice nominabitur et sui officii possessionem capiet, litteras nominationis exhibendo episcopo cardinali.

« IV. Cardinalis suffraganeo attribuat et vi praesentis constitutionis irrevocabiliter attribuisse praesumitur, omnia ad regendam dioecesim necessaria ita ut uni suffraganeo sint in dioecesi gubernanda eadem iura et officia ac episcopo residenti, quae hisce litteris contraria non sint.

« Suffraganeus dioecesim gubernat nomine et vice cardinalis.

« VI. Cardinali vita functo vel renuntiante vel ad aliam dioecesim translato, suffraganei iurisdictio non cessat, sed ipse dioecesim tunc regit nomine Sanctae Sedis ad instar administratoris apostolici.

« VII. Ipse debet quotannis de statu dioecesis etiam oeconomico ad cardinalem referre.

« VIII. Ubi fieri poterit pars aedium episcopalium a Sancta Sede destinabitur suffraganeo et curiae.

« IX. Ad unum cardinalem pertinent solemnes oleorum benedictiones et pontificalia in festis anni maioribus, prout in *ceremoniali episcoporum* descripta sunt; nisi forte cardinalis ipse velit ea suffraganeo committere.

« X. Cardinalis debet missam, sicuti ceteri episcopi residentes, pro populo applicare.

« XI. Insigne tantum cardinalis domui episcopali, cathedrali aedi, aliisque templis, piisve de more locis et actis curiae apponatur.

« XII. Solium in dioecesi et nomen in canone cardinali uni competit.

« XIII. Cardinalis, etiam absens, facultate pollet per universam dioecesim largiendae indulgentiae dierum biscentum.

« XIV. Uni cardinali, quo tempore in dioecesi commoratur, ius est pontificalia in eadem peragendi aut permittendi.

« XV. Beneficia capitulorum sive cathedralium sive collegialium et beneficia parochialia Sanctae Sedi non reservata, nequeunt a suffraganeo, servatis servandis, conferri absque episcopi cardinalis consensu.

« XVI. Cardinalis ius est vigilandi dioecesim, et, si opportunum duxerit, etiam lustrandi, ne quid fides aut ecclesiastica disciplina detrimenti patiatur.

« XVII. Potest in sua dioecesi cardinalis matrimoniis assistere et reliqua sacramenta ministrare omnia. Candidati tamen ad tonsuram et ad ordines doctrinae periculo subiiciantur et probentur a suffraganeo; cui ceterum non licet ordines conferre, aut conferendos alii committere absque venia cardinalis.

« XVIII. Synodus haberi nequit sine consensu cardinalis; eiusque nomine convocanda est. Synodi autem decreta antequam promulgentur, cardinali cognoscenda deferantur, eiusque nomine promulgari debent.

« XIX. Beneficia etiam parochialia in dioecesi ne uniantur, dividantur, dismembrentur, inaudito cardinali.

« XX. Idem cardinalis audiri debet, antequam seminarii rector, professores, oeconomus nominetur.

« XXI. Vita functo suffraganeo vel renuntiante vel ad aliam dioecesim translato, cardinalis, per vicarium dioecesis administrationi providebit, donec a Sancta Sede nominetur successor.

« XXII. Vita functo cardinali eadem debentur iusta funebria, quae cardinali episcopo residenti ».

Salmasii Cl. Coniecturae de suburbicariis regionibus et ecclesiis; *Sirmondi Iac.* Censura scriptoris anonymi de suburbicariis regionibus et ecclesiis; *Salmasii Cl.* Eucharisticon pro Sirmondi « adventaria de suburbicariis regionibus »; *Salmasii Cl.* Vindiciae pro coniectura de suburbicariis regionibus; *Sirmondi Jac.* Propempticon Claudio Salmasio contra eius Eucharisticon de regionibus et ecclesiis suburbicariis; *Salmasii Cl.* Epistola de suburbicariis regionibus et ecclesiis; *Duchesne L.* Le sedi episcopali nell'antico ducato di Roma.

3872 **Successio ab intestato.** — Ea tunc habetur, quum defunctus vel testamentum non fecerit; vel, si fecerit, fuerit nullum, aliquibus, quae ad substantiam requiruntur, deficientibus; vel, etiamsi validum fuerit testamentum, heres institutus hereditatem adire noluerit vel nequiverit. Cfr. Inst. Iust. *de heredit. quae ab intestato etc. (III. 1) proem.; C. It. a. 720.*

Nostra iura devolvunt successionem descendentibus legitimis, ascendentibus, collateralibus, filiis naturalibus, coniugi sub certo quodam ordine. *C. It. a. 721; C. G. aa. 731. 723.* Nostrae leges in regulanda successione considerant proximitatem consanguinitatis, non vero lineae praerogativam aut bonorum originem, exceptis quibusdam casibus in ipsa lege statutis. *C. It. a. 722; C. G. a. 732.*

Patri, matri vel cuicumque alteri ascendenti succedunt filii legitimi aut eorum descendentes, nulla facta distinctione sexus, et etiamsi ex differentibus coniugiis nati sint: succedunt autem per capita, si omnes sint in primo gradu, per stirpes, si quando omnes aut aliqui iure *repraesentationis* succedunt (*C. It. a. 736; C. G. a. 745.* — Est autem repraesentatio fictio iuris, qua remotiores heredes subeunt in gradum et ius proximorum deficientium. *C. G. a. 740;* D'Ann. *II. 373*). Legitimorum filiorum nomine veniunt legitimati quoque, adoptivi, eorumque descendentes: attamen adoptivi eorumque descendentes succedunt quidem adoptanti cum filiis legitimis, at excluduntur a successione omnium coniunctorum adoptantis. *C. It. a. 737.*

Deficientibus descendentibus nec non fratribus et sororibus ac descendentibus ab ipsis, succedunt aequis partibus pater et mater, vel e parentibus ille, qui est superstes. *C. It. a. 738.*

Iure gallico, deficientibus filiis, fratribus, sororibus et descendentibus ab ipsis, hereditas in duas aequales partes dividitur; altera pars ad ascendentes lineae paternae, altera ad ascendentes lineae maternae spectat; ascendens, qui proximiorem occupat gradum, portionem integram accipit suae lineae debitam, exclusis ceteris; si autem ascendentes in eadem linea sint in pari gradu, succedunt per capita. *C. G. a. 746.* Quod et iure italico statutum est, ex quo si ascendentes

non sint in pari gradu, hereditas viciniori devolvitur sine lineae distinctione. *C. It. a. 739.*

Iure italico, si cum parentibus aut horum altero concurrant fratres aut sorores germani defuncti, omnes ad eius successionem admittuntur per capita, dummodo portio, in qua parentes vel horum alter succedunt, numquam triente seu tertia parte minor sit; si adsint fratres aut sorores consanguinei aut uterini, et ipsi succedunt, sed, sive cum germanis concurrant, sive secus, solam dimidiam partem portionis, quae ad germanos spectat, consequuntur. *C. It. a. 740.* Iure gallico, quum pater et mater defuncti, qui filios non reliquit, ei sunt superstites, si is fratres, sorores aut descendentes ex ipsis reliquerit, hereditas in duas aequas partes dividitur; harum portio altera spectat ad patrem et matrem, qui inter se eam aeque dividunt, altera ad fratres, sorores et descendentes ex eis, qui eam inter se ex aequo dividunt, si ex eodem toro nati sunt, secus si ex diverso toro. *C. G. aa. 748. 752.*

Si vero alteruter tantum ex genitoribus superstes sit, iure gallico, portio fratrum, sororum horumve descendentium est dodrans, idest tribus hereditatis partibus constans; quarta tantum parte parenti superstiti relicta. *C. G. a. 751.*

Si quis defunctus sit sine prole, et nec patrem nec matrem reliquerit, ad hereditatem vocantur, exclusis ceteris ascendentibus et coniunctis eius, fratres et sorores per capita, eorumque descendentes per stirpes; hoc tum iure gallico (*C. G. a. 750*), tum iure italico (*C. It. a. 741*); iure autem italico et in hoc casu fratres et sorores consanguinei et uterini eorumve descendentes, si concurrant cum fratribus aut sororibus germanis eorumve descendentibus, ius habent tantummodo ad dimidium portionis, quae ad germanos spectat. *C. It. a. 741.*

Iure italico, si quis moriatur, nullis relictis filiis, parentibus, ascendentibus, fratribus, sororibus aut descendentibus ex ipsis, hereditas devolvitur ad coniunctum seu coniunctos viciniores, sine distinctione lineae paternae aut maternae: successio autem ultra decimum gradum non protenditur. *C. It. a. 742*, Iure vero gallico, si defunctus nullos filios, fratres, sorores, aut eorum descendentes reliquerit, et desint ascendentes alterutrius lineae, dimidium hereditatis ad ascendentes superstites devolvitur, alterum dimidium ad proximiores coniunctos alterius lineae (*G. C. a. 753*); si tamen superstites sint pater aut mater, hi ius habent ad usumfructum trientis bonorum, quae tamen in proprietatem non obtinent. *C. G. a. 754.* Eodem iure gallico, ius successionis in coniunctis protenditur usque ad duodecimum gradum, non tamen ultra; et si intra hos gradus coniuncti alterius lineae desint, coniuncti lineae alterius totam habent hereditatem. *C. G. a. 755.*

Iure italico, filii naturales legaliter recogniti (nam alii ad successionem suorum parentum ius nullum habent, *C. It. a. 743*), exsistentibus descendentibus legitimis sive descendentibus ex ipsis, ius habent ad dimidium

portionis, quae ad ipsos spectaret, si essent legitimi. *C. It. a. 744.*

Si parens filios legitimos aut descendentes ex ipsis superstites non relinquat, sed pater et mater aut horum alteruter, sive alius ascendens aut coniux ei sit superstes, filii naturales ipsi succedunt in duplici triente idest in duabus tertiis partibus hereditatis, reliquum autem hereditatis ad ascendentes vel ad coniugem devolvitur; si vero una sint superstites ascendentes et coniux, detrahitur tertia pars hereditatis pro ascendentibus, quarta autem pro coniuge, reliquum ad filios naturales devolvitur. *C. It. a. 745.* Deficientibus descendentibus, ascendentibus et coniuge, filii naturales totam accipiunt hereditatem. *C. It. a. 747.*

Quod de filiis naturalibus dictum est, de eorum descendentibus est dicendum, iis praemortuis. *C. It. a. 748.*

Iure gallico, filii naturales, si pater vel mater reliquit descendentes legitimos, ius habent ad tertiam partem portionis, quae ad ipsos spectaret, si essent legitimi; si pater et mater descendentes legitimos non reliquerit, sed ascendentes, aut fratres, seu sorores, ius habent ad dimidium eiusdem portionis; si vero nec descendentes nec ascendentes, nec fratres, nec sorores, pater et mater reliquerit, ius habent ad dodrantem seu ad tres quartas partes eiusdem portionis. *C. G. a. 757.* Ad filios vero naturales tota hereditas devolvitur, si pater aut mater eos tantum reliquerit coniunctos, qui ultra gradum sunt, ad quem protenditur successio. *C. G. a. 758.*

Coniux, iure italico, exsistentibus filiis legitimis, ius habet ad usumfructum illius partis hereditatis, quae ad unumquemque filium spectat, computato in numero filiorum etiam coniuge; si adsint etiam filii naturales, coniux habet usumfructum portionis hereditatis, quae aequet portionem cuiuscumque filii legitimi; haec portio ususfructus numquam potest excedere quartam hereditatis partem. *C. It. a. 753.* Exsistentibus tantum ascendentibus, aut filiis naturalibus, aut fratribus, aut sororibus, aut eorum descendentibus, tertia hereditatis pars in proprietatem coniugi contingit; si vero una sint ascendentes et filii naturales, coniux nonnisi ad quartam hereditatis partem ius habet. *C. It. a. 754.* Si defunctus reliquerit alios coniunctos, quibus ius sit succedendi, coniux superstes obtinebit duos trientes seu duas tertias partes; si autem desint coniuncti, qui succedere possint, intra sextum gradum, integra hereditas ad coniugem devolvitur. *C. It. a. 755.* Coniux superstes, contra quem coniux defunctus obtinuit sententiam separationis personalis, quae transierit in rem iudicatam, supra recensita iura ad successionem non habet. *C. It. a. 757.*

Iure gallico, coniux superstes non habet ius ad successionem defuncti, nisi in casu, quo ipse nec coniunctos intra duodecimum gradum, nec filios naturales reliquerit; et tunc omnia hereditatis bona ad coniugem superstitem spectant. *C. G. a. 767.*

Omnibus, qui ius habent succedendi, deficientibus, succedit fiscus tum ex iure italico (*C. It. a. 758*), tum ex iure gallico (*C. G. a. 768*).

Tit. de successionibus ab intestato X. (III. 27); *Serveti Andr.* De successionibus ab intestato; *Lose Wolfg.* De successionibus; *Gercke I. Steph.* De successione proneptis in testamento proavi sui; *Forster Val. Guil.* Tract. de successionibus quae ab intestato deferuntur; *De Casolis Ph.* Tr. de testamentis et successionibus; *Cyni* De successione ab intestato; *Dyni* Tr. de successione ab intestato; *Matthesilani Matth.* Tr. de successione ab intestato; *Passagerii Rol.* Tract. de testamentis, de codicillis, de successione ab intestato etc.; *Roselli Ant.* Tr. de successione ab intestato; *Saporta Io.* Tr. de successione ab intestato; *Vasquius F.* De successionibus et ultimis voluntatibus; *Entzlini* De successione ab intestato; *Friderici Io.* Quaestio de successione intestata; *Schureri Ambr.* Tr. de haereditatibus, quae ab intestato deferuntur; *Borcholten Io.* Tractatus de gradibus (in quo etiam de successionibus ab intestato); *Winei Io.* Comm. de successionibus ab intestato; *Capriola Const.* Tr. de successionibus ab intestato; *Keller Adam.* Tr. brevis et succinctus de iure succedendi ab intestato; *Grassi Mich.* Tract. de successione tam ex testamento quam ab intestato; *Marta D.* Summa totius successionis legalis; *Richter Christ. Andr.* Tr. de successione ab intestato; *Strauchii Io.* Disput. de successionibus ab intestato; *Leickeri Isaac.* De successionibus; *Borei Vinc.* Alvearium iuris (in quo etiam de successionibus ab intestato); *Probst W.* De successione ab intestato; *Beati Georg.* De testamentis et successionibus; *Bottilieri C. Ant.* De successione ab intestato; *Reusneri Elias* Ventilatio successionis legitimae; *Cirocchi V.* Disceptationes (ubi etiam de successionibus ab intestato); *De Barry Fr.* De successionibus testati ac intestati; *De Luca Io. B.* De successionibus ab intestato; *Struvii G. A.* De successionibus; *Grossi Mut. Ant.* Comm. in rubr. de succession. ab intestato; *Mertz Io. Will.* Speculum successionis universae, nempe civilis, canonicae et feudalis; *Malpel* Traité elém. des successions ab intestato; *Lagrange E.* Mannale delle successioni testate ed intestate; *Manenti Giov.* I casi pratici delle successioni legittime; *Buniva Gius.* Delle successioni legittime e testamentarie secondo il Codice civile del regno d'Italia; *Demolombe Ch.* Traité des successions; *Pacifici Mazzoni E.* Tratt. delle successioni; *Rivier Alph.* Traité elémentaire des successions à cause de mort en droit rom.; *Losana Cesare* Le successioni testamentarie secondo il codice civile italiano; *Losana C.* Le disposizioni comuni alle successioni legittime e testamentarie secondo il codice civile italiano; *Delpech* Essai histor. et jurid. sur le droit de succession ab intestato du conjoint survivant; *Vitale Vitt.* Delle successioni legittime e testamentarie; *Le Sellyer A. I.* Comm. histor. sur le titre des successions.

Suffraganeus. — Suffraganeus dicitur episcopus ille, qui sub quodam archiepiscopo est. Episcopus suffraganeus (in hoc sensu) alicuius archiepiscopi potest, quando missae solemni in aliqua cathedrali vel alia ecclesia in provincia, praesente metropolitano, assistit, uti mozzetta, si idipsum metropolitanus permittat, qui tamen potest eum ab usu mozzettae prohibere. *S. R. C. in Rheginen. 17 mart. 1663 ad 2 (1256), 13 sept. 1898 (4001).* 3873

Quoad missam solemnem in ecclesiis suffraganeorum iuverit hic referre dubia et responsiones hac super re in collectione authentica decretorum s. Congreg. Rituum relatas.

Emus et rmus dominus Cardinalis Herbertus Vaughan archiepiscopus Westmonasteriensis sequentia dubia sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humiliter exposuit; nimirum:

I. Utrum metropolitano, sive cardinalitia dignitate insignito sive non, conveniat assistere cum mitra et pluviali missae solemni in ecclesia alicuius suffraganei, sive ab ordinario, sive ab alio, ipso praesente, celebrandae. Et in casu affirmativo, utrum habeat usum baculi et presbyteri assistentis, et ea alia omnia, quae conveniunt ordinario, mitra et pluviali parato, missae solemni in propria dioecesi assistenti?

II. Utrum metropolitanus, sive cardinalis sive non, in dioecesi suffraganei cum cappa assistens missae solemni ab ordinario vel ab alio, ipso praesente, celebratae, adhibere valeat praeter ministros assistentes etiam presbyterum assistentem?

III. Utrum in dictis circumstantiis metropolitanus habere possit usum libri et scotulae ad legendum introitum etc.?

IV. Praesente metropolitano, sive cardinali sive non, cappa induto simul cum ordinario loci missae solemni a canonico vel sacerdote simplici celebratae, cuinam spectare debeant benedictiones turis, ministrorum etc.?

V. Utrum episcopis, sive suffraganeis sive non, missae solemni in aliqua cathedrali vel alia ecclesia in provincia, praesente metropolitano, assistentibus, conveniat usus mozzettae supra rochettum mantelletta coopertum?

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem sacretarii, exquisito voto commissionis liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam-partem; ad alteram partem, quoad usum baculi pastoralis observetur ceremoniale episcoporum praesertim in lib. I cap. XVII. § 5; quoad presbyterum assistentem, detur decretum s. Congregationis Ceremonialis diei 16 decembris 1837 ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Ad metropolitanum ».

Ad V. « Dentur decreta in Rheginen. 17 martii 1663 ad 2; - Mediolanen. 16 martii 1833 ad 1 et 2; - et Liburnen. 23 septembris 1848 ad 2 ». - Atque ita rescripsit. Die 13 septembris 1898.

Alio sensu suffraganeus dicitur epi- 3874
scopus titularis, qui alicui episcopo residentiali tamquam coadiutor conceditur. Cfr. Ferraris *Prompta bibliot. v.* « *Coadiutor* » *n. 23. sqq.*

Episcopus, qui hoc secundo sensu est suffraganeus, seu episcopus coadiutor, quum non sit episcopus ordinarius loci, etiam quum habet ius successionis, non potest tamen pontificalia in civitate episcopali vel in dioecesi exercere sine consensu episcopi ordinarii. Barbosa *Coll. Doct. in Conc. Trid. sess. VI cap. 5.*

Attamen quando nomine episcopi ordinarii functiones episcopales exercet, tenentur canonici et dignitates eidem assistere. *S. R. C. in Bracharen. 21 febr. 1604* (*159*). Verumtamen, quando solemniter celebrat, contentus esse debet ministris solitis, idest diacono et subdiacono ac uno cappellano cum pluviali, qui ei assistat ad librum, nec potest praeterea habere assistentiam duarum dignitatum vel canonicorum, quae ad episcopum loci

ordinarium tantummodo spectat, ut expresse cavetur in ceremoniali episcoporum lib. 1 cap. 8 in fin. *S. R. C. in Caesaraugustana 9 maii 1606 (211)*; *in Bracharen. 1 sept. 1607 (236)*. Debet insuper, quando solemniter celebrat, sedere in faldistorio in cornu epistolae locando, nec ius habet sedendi in sede episcopali; nec potest uti baculo pastorali, nisi quando habeat ordinationes vel alias functiones faciat, in quibus iuxta regulas libri pontificalis eo uti debet et necesse est. *S. R. C. decr. cit. 1 sept. 1607.* Nec eo solemniter celebrante, debent omnes canonici sacris paramentis induti assistere, nec poni tunc debet in altari septimum candelabrum; nec, quum ipse assistit missae solemni ab alio cantatae (et tunc debet sedere non in sede episcopali, sed in primo stallo chori), debent canonici ante eum facere circulos ad Gloria, Kyrie, Credo, Sanctus et Agnus Dei. *S. R. C. in Sarsinaten. 22 aug. 1722 (2274).*

Coadiutor autem debet sustentari de reditibus ecclesiae, cui suffragatur, idest debet ei assignari ex his reditibus congrua portio. *c. 3 de clerico aegrotante etc. X. (III. 6)*; *c. un. eiusd. tit. (III. 5) in 6°*. Et si nullo modo hoc praestare posset episcopus, cogendus esset populus ad necessaria coadiutori praebenda. Ferraris *loc. cit. n. 41.*

3875 **Suggestio.** — Ea est singulare quoddam phaenomenum, in statu hypnotismi praesertim locum habens. Est autem insinuatio cuiusdam ideae vel etiam imperium alicuius rei perficiendae ab hypnotizante hypnotizato factum. Aliquando hypnotizatus sibimetipsi suggestionem facit (*autosuggestione*). De his vid. *Hypnotismus.*

Bernheim De la suggestion dans l'état hypnotique et dans l'état de veille; *Campili Giul.* Il grande ipnotismo e la suggestione ipnotica nei rapporti col diritto penale e civile; *Ochorowicz J.* De la suggestion mentale; *Haas L.* Ueber Hypnotismus u. Suggestion; *Stoll O.* Suggestion u. Hypnotismus in d. Völkerpsychologie; *Grasset* L'occultismo.

Suicidae. — Suicidiae, nisi tales 3876
fuerint ex insania, vel ante mortem dederint signa poenitentiae, ecclesiastica sepultura privandi sunt (Rit. Rom. *tit. VI. c. 2. n. 3*); sed suicidium debet probari (Reiffenstuel *in tit. 28 lib. III Decr. n. 89*); quamvis si de suicidio constat, non statim dicendum est illud ex insania perpetratum fuisse. S. Alph. *III. 375.* Si vero dubium supersit, utrum mortem quis sibi dederit ex desperatione an ex insania, defunctus non est privandus ecclesiastica sepultura; sed vitandae sunt pompae et solemnitates exsequiarum. *S. U. I. 16 maii 1866.* Cfr. Mon. eccl. *vol. XIX pag. 278.*

Suicidium. — Suicidium est gravi- 3877
ter illicitum. *Exod. XX. 13; Deut. XXXII. 39.*

Indirecte concurrere ad occisionem sui (videlicet moraliter certo mortis periculo se exponere) quandoque licet, idest quando fiat vel ad evadendam mortem certiorem seu atrociorem (ut si quis se e fenestra proiiceret in casu magni alicuius incendii, in quo omnino perire deberet, Lugo *de iust. et iure disp. X. n. 50*), vel amore alicuius virtutis, ut pudicitiae, caritatis etc. D'Ann. *II. 73.*

Hinc probabilius licet cum vitae propriae periculo navim aut turrim incendere, ut hostes grave damnum patiantur (Cfr. Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 9. n. 32*; Lugo *l. c. n. 51 sqq.*; B. P. *II. 857*); item licet virgini se exponere mortis periculo, imo permittere etiam se occidi ad castitatem servandam (Laymann *Th. mor. lib. III tr. 3. p. 3. c. 1. n. 3 sqq.*; S. Alph. *III. 366*), quamvis ad hoc non teneatur. (S. Alph. *III. 368*; B. P. *II. 860*); licet in naufragio submergendis tabulam amico cedere (Lessius *loc. cit. n. 31*); licet reo se sistere tyranno, a quo certa mors imminet (Lugo *loc. cit. n. 38 sqq.*).

Possunt etiam artifices periculo vitae se exponere tecta ascendendo, non vero funambuli sua experimenta periculis plena peragere (G. B. *I. 391. 6°*), nisi experientia constet abesse proximum periculum mortis. D'Annibale *I. 73. (5)*.

Quaenam sit mensura afflictionis carnis, qua quis, vel abstinendo a vitae commodis, vel macerationibus voluntarie assumptis, peccat, seu contra obligationem positivam vitae suae conservandae, seu contra negativam non se occidendi, metiri debemus ex adiunctis, sed nemo facile in hoc limites excedet, qui haec non facit positive ad vitam breviandam. B. P. *II. 866 sqq.* Certum autem est neminem hac servandae vitae obligatione ita teneri, ut quaecumque ad eum finem donea sint, ea debeat assumere, sedi satis est uti mediis ordinaris. Cfr. S. Alph. *III. 371*.

Falkner Disp. de authochiria seu homicidio sui ipsius; *Francke N.* De authochiria seu homicidio sui ipsius; *Gerhard* De crimine et poenis propriicidii; *Maurei Petr.* Decisiones quinque amplissimae (quarum prima est de testamento eius qui sibi mortem conscivit); *Garrisson* Le suicide en droit romain et français; *Caro* El suicidio y la civilización; *Anfosso* Di alcuni fattori del suicidio; *Geiger A.* Der Selbstmord i. KR.; *Geiger* Der Selbstmord im französischen Recht; *Geiger* Der Selbstmord im deutschen Recht; *Bonomelli G.* Il suicidio, la scuola laica.

Superbia. — Superbia est amor 3878
inordinatus propriae excellentiae, et in eo principaliter posita est, quod non vult Deo et eius regulae subiici (S. Th. *2. 2. q. 162 per totam*), et ideo ex hoc capite inter gravia peccata gravissimum est (S. Th. *ibid. a. 6*), et unum est ex peccatis capitalibus. Alia perfecta est seu completa in suo genere et consummata, alia imperfecta. Illa semper peccatum mortale in se includit, haec per se veniale tantum. G. B. *I. 174*.

Superflua. — Superflua beneficio- 3879
rum clericus in pauperes vel in alia pia opera erogare tenetur (Conc. Trid. *sess. XXV. c. 1 de ref.*), non tamen ex iustitia. Vid. *Beneficiatus*. Superflua vero censentur quae honestae, idest sui status convenienti sustentationi supersunt. B. P. *IV. 430 sqq.* Nec tenetur ea statim erogare, sed potest servare in futurum. S. Th. *2. 2. q. 185. a. 7 ad 4*; S. Alph. *III. 491 quaer. 4°*. Nota hic, in violanda ista obligatione, qua tenentur clerici, expendendi superflua beneficii in usus pios, non solum dari parvitatem materiae, sed secundum omnes multo maiorem quantitatem requiri ad pec-

candum graviter, quam quae requiritur ad grave furtum. Lugo *de iust. et iure disp. IV. n. 42;* B. P. *IV. 431.* Ceterum haec valent de superfluis *beneficiorum;* quare non extendenda sunt ad bona quasi patrimonialia, et proinde ad distributiones inter praesentes (Lugo *loc. cit. n. 25;* B. P. *IV. 435*), vel ad cappellaniam amovibilem ad nutum (B. P. *IV. 436*), vel etiam saepe ad cappellaniam collatam in titulo. Cfr. quoad hoc ultimum Lugo *l. c. n. 30;* B. P. *IV. 436.* Hinc etiam pensionarii (si pensio non induat rationem beneficii) superfluum erogare possunt ad libitum. B. P. *IV. 437.*

Qui, bona etiam statui superflua habens, nullam umquam eleemosynam largiri vellet, a mortali non esset excusandus. Quaenam sint bona statui necessaria, vide sub *Eleemosyna.*

Superiores. — Quoad confessiones suorum subditorum, Vid. *Confessio.* Vide etiam *Praelatus regularis*, etc.

3880 **Superiorissa monialium.** — Superiorissae monialium non tenentur cum ordinario in cuius dioecesi religiosa domus exsistit conferre de translatione alicuius sororis de una in aliam domum, etiam alterius dioecesis, aut de institutione vel remotione alicuius superiorissae inferioris aut de aliis huiusmodi; multo minus autem tenentur ad habendum in his confirmationem vel assensum episcopi, sed sufficit ut superiorissa, ratione dumtaxat convenientiae, episcopum loci de huiusmodi dispositionibus certiorem reddat. *S. C. EE. RR. 9 apr. 1895.* Vid. *Abbatissa.*

3881 **Superpelliceum.** — Superpelliceum non debet esse confectum ad formam rochetti; quare superpelliceo tali forma confecto induti non possunt mansionarii et clerici assistere sacris functionibus. *S. R. C. in Templen. 12 ian. 1878 ad 8* (*3438*). In administratione et confectione sacramentalium et sacramentorum utendum semper est superpelliceo et stola, excepto alicubi sacramento poenitentiae, quod secundum praescriptiones ritualis romani (*tit. III. c. 1. n. 9*) administrandum est cum superpelliceo et stola violacei coloris, *prout tempus, vel locorum feret consuetudo. S. R. C. decr. gen. 12 iul. 1892* (*3784*).

Superstitio. — Superstitio est vi- 3882
tium religioni oppositum per excessum, quo cultus divinus exhibetur vel cui exhiberi non debet, vel eo modo, quo non debet. S. Th. *2. 2. q. 92. a. 1*; D'Ann. *II. 27.* Ad eam pertinent idololatria, vana observantia, divinatio, magia, maleficium; quas singulas vide. Vid. *Elephas, Eclypsis.*

Tit. de sortilegiis X. (V. 21); *Fehr I.* Der Aberglaube u. d. katholische Kirche d. Ma.; *Pfleiderer O.* Die Theorie d. Aberglaubens; *Linsenmann* Ueber Aberglauben; *Wuttke-Meyer* Der deutsche Volksaberglaube d. Gegenwart; *Schanz* Zauberei u. Wahrsagerei; *Walter F.* Aberglaube u. Seelsorge.

Suppressio officiorum ecclesiasti- 3883
corum. — Generatim loquendo potestas supprimendi officia ecclesiastica competit ecclesiasticae auctoritati, et non civili.

Si autem quaeramus, cuinam ex habentibus ecclesiasticam auctoritatem facultas supprimendi officia ecclesiastica competat, generatim etiam loquendo, dicendum est, eam iis competere, quibus competit potestas eri-

gendi aut innovandi officia ecclesiastica. Wernz *Ius Decr. II. n. 277.*

In specie autem, Romano Pontifici exclusive competit supprimere officia maiora, idest particulares dioeceses, capitula, dignitates in capitulis, etc. Cfr. *reg. 4 Canc. Apost.*; Riganti *in hanc. reg.*

Episcopis competit facultas supprimendi officia minora in casibus a iure permissis; hoc autem nec capitulo aut vicario capitulari, sede vacante, competit, nec, sede plena, vicario generali, nisi is habeat speciale mandatum. Barbosa *Coll. in Conc. Trid. sess. XXIV. c. 15 de ref. n. 5 sqq.*

Ut autem suppressio officiorum ecclesiasticorum legitime fiat, necesse est, ut adsit causa necessitatis vel evidentis ecclesiae utilitatis, v. gr. deficientia redituum, etc. Wernz *loc. cit. II. 278.*

Debent etiam quaedam solemnitates servari, et in primis inquisitio de exsistentia causae facienda est; deinde debent vocari ii omnes, quorum consensus requiritur aut quorum consilium est audiendum. Exigendus est autem consensus actualis beneficiati, si suppressio debet sortiri suum effectum ante eius mortem; collatorum inferiorum, si qui sunt in possessione officii conferendi; electorum et etiam patronorum, saltem laicorum, nec non capituli ecclesiae cathedralis. Attamen si ab his consensus irrationabiliter denegaretur, suppleri posset a Sede Apostolica.

Bona temporalia beneficii suppressi a superiore ecclesiastico, qui suppressionem fecit, debent applicari novo subiecto, ex gr. novae parochiae. Superior autem ecclesiasticus curare multo magis debet, ut officia annexa beneficio suppresso, ex. gr. cura animarum, in aliud officium ecclesiasticum transferantur. Wernz *loc. cit. II. 280 sqq.* Cfr. etiam Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 15 de ref.*; *S. C. C. in Regien 2 apr. 1898.* Cfr. Mühlbauer *Thës. res. S. C. C. v. « Canonicatus » 22.*

Surdus. — Surdus et mutus tenetur 3883
saltem per signa confiteri; quae si confessarius non intelligat, vel ipse sit minus instructus, sufficit ut unum aut alterum peccatum manifestet, vel saltem in genere se esse peccatorem significet (cfr. *resp. S. U. I. 28 febr. 1663, 10 febr. 1668, apud B. P. V. 234 a.*); et verius, etiamsi scribere sciat, ad peccata sua in scriptis confessario tradenda non tenetur. B. P. *V. 233.* Surdus et non mutus tenetur, ut quilibet alius, sua peccata aperire, sed confessarius ad eum interrogandum non tenetur, praesertim ob periculum revelationis. B. P. *V. 234. 262*; Bucc. *II. 699.*

Surdi-muti valent indulgentias lucrari, quae annexae sunt orationibus vocalibus, mente cum aliis orando, si agatur de precibus publice habendis, vel alia pia opera exercendo, in quae preces praescriptae a confessario (qui semper pro ipsis ea commutandi facultatem habet) fuerint commutatae. *S. C. Indulg. 15 mart. 1852.* Imo nunc etiam pro privatis orationibus surdi-muti possunt acquirere indulgentias, iniunctas preces signis vel mente fundendo, vel eas tantum legendo sine ulla pronuntiatione. *S. C. Indulg. 18 iul. 1902.*

Surdi, qui nihil audiunt, ita ut nul-

latenus vocem ministri respondentis audire queant, sunt irregulares. Cfr. *S. C. C. 25 ian. 1806, 27 ian. 1856.*

Surdi-muti, nec non surdi tantum, vel tantummodo muti, et sponsalia et matrimonium contrahere possunt, quum id, quod verbis non possunt, signis valeant declarare, et hoc ad sponsalia et ad matrimonium sufficiat. *cc. 23. 25 de sponsalibus X.* (*IV 1*). Idem dicendum esset etiam de iis, qui surdi essent, muti et caeci, si quando per scientiam medicam eo adducti essent, ut valerent sibi invicem mutuum consensum aperire. Cfr. Guyot R. T. *Diss. de iure surdo-mutorum.*

3885 **Suspensio.** — **De natura suspensionis.** — Suspensio est censura, qua clericus privatur ad tempus, ex parte vel ex toto, usu potestatis, quam habet ratione ordinis, officii, vel beneficii. Laymann *Th. mor. lib. I. tr. 5. p. 3. c. 1. num. 1 sqq.*

Nota tamen, quod quamvis suspensio per se et principaliter sit censura, et proinde feratur ad modum poenae medicinalis ad frangendama alicuius contumaciam; aliquando tamen fertur etiam in vindictam et poenam admissi criminis, et dicitur ferri per modum poenae; imo aliquando relate ad aliquod individuum est mera privatio, ut quum suspensio, sive per modum censurae sive per modum poenae, fertur in aliquod collegium seu in aliquam communitatem, cuius aliquis est membrum, qui proinde ea plectitur, quamvis sit innocens.

Imo suspensio (et tunc potius est prohibitio quaedam) ferri potest etiam *ad cautelam*, quum superior ecclesiasticus ob quamdam oeconomiam seu ob quamdam providentiam pastoralem clericum *de crimine suspectum vel insimulatum* ob subortos rumores vel obtrectationes ab officio suspendit. B. P. *VII. 338*; D'Ann. *I. 385.* Vid. *Censura.*

De divisionibus suspensionis. — Duplex 3886
distinguitur; totalis, partialis, prout privat usu omnis omnino potestatis, quam quis habet ratione ordinis, officii vel beneficii, vel tantum ab usu alicuius ex his potestatibus prohibet. Hinc suspensio partialis est triplex; ab ordine, ab officio, a beneficio. G. B. *II. 805.*

Alii suspensionem distinguunt in suspensionem ab officio et a beneficio Primam dicunt eam suspensionem quae clericum privat exercitio potestatis ecclesiasticae tum ordinis tum iurisdictionis, nec non administrationis ecctesiasticae; alteram eam, quae clericum removet ab administrando suo beneficio et a percipiendis eius fructibus nec non ab aliis functionibus, quae a beneficio pendent. Suspensionem autem totalem dicunt suspensionem ab utroque, nempe a beneficio et ab officio. Suarez *de cens. disp. XXV. s. 2. n. 6 sqq.* — Haec altera divisio magis iuri est consona (cfr. *c. 11 de priv. etc. X.* [*V. 33*]); et vere qui *ab officio* suspenditur, intelligitur suspensus ab omni potestate ordinis et iurisdictionis. D'Ann. *I. 380.*

Suspensio absolute et simpliciter lata censetur totalis omnino. D'Annibale *I. 383.*

Quomodo ferenda sit censura. — Sus- 3887
pensio, sive ut censura, sive ut poena vindicativa, ferri nequit, nisi ob cul-

pam personalem clerici, cui infligitur, et proportionatam poenae. Cfr. Suarez *de censuris disp. XXVIII. sect. 4. n. 7.* Cfr. apud Mühlbauer (*Th. res. S. C. C. v.* « *Baptismus* » *n. 20*) causam Neapolitanam agitatam apud S. C. C. pro S. Francisco de Hieronimo contra vicarium capitularem Neapolitanum, qui ipsum suspenderat ab audiendis confessionibus secularium personarum.

Si suspensio feratur per sententiam iudicialem, et si fertur ut censura semper sic ferri debet, servanda ea omnia sunt, quae in iure praescribuntur ad infligendas censuras; praesertim servanda est canonica monitio. D'Ann. *I. 385.*

Quoad suspensiones ab informata conscientia, Vid. *Informata conscientia.*

3838 **De effectibus suspensionis.** — Primarius effectus suspensionis is est, ut suspenso graviter illicitum sit exercere actus, a quibus est interdictus; datur tamen parvitas materiae, et causae excusantes, ut metus gravis et necessitas. B. P. *VII. 345.* Hinc clericus suspensus ab ordine, vel ab officio (secundum alteram divisionem supra positam), per se graviter peccat, solemniter exercens actum ordinis sibi vetitum. S. Alph. *VII. 323.*

Effectus alter suspensionis, excepta suspensione ab ordine, est irritatio actuum a suspenso positorum, qui per suspensionem interdicuntur. Circa quod haec habe ex Schmalzgrueber (*in tit. 39 lib. V Decr. n. 309*): « Poena haec locum dumtaxat habet in iis, quae ab ecclesia pendent, uti est iurisdictio et beneficium. In his ergo suspensus, si beneficium administret et iurisdictionem exerceat, invalidum actum facit, modo sit denuntiatus tamquam suspensus; quia, facta denuntiatione, privatur potestate omnimoda actus illos exercendi. Ante denuntiationem, solum impeditur ab illorum exercitio, dum a fidelibus non requiritur; quando autem a fidelibus requiritur, valide et licite illos actus exercet. Ideoque necessarium est, ut iurisdictionem retineat ».

Tertius effectus, pro suspenso ab officio, in hoc est, quod, quamdiu durat suspensio, non possit accipere beneficium. Ratio est, quia beneficium datur propter officium. Plures quaestiones quoad hoc fiunt apud canonistas, quas apud illos vide in titulo de sententia excommunicationis etc. *X.* (*V. 39*).

Quartus effectus, pro suspenso ab ordine (vel ab officio secundum alteram divisionem supra positam), est, quod si actus ordinis, a quo prohibetur, exerceat, et si suspensio, qua tenetur, lata fuerit ut censura, irregularitatem incurrit. *cc. 1. 20 de sent. excomm. etc.* (*V. 11*) *in 6°.*

Clericus a beneficio suspensus, si aliunde non habeat, potest ex fructibus illius alimenta suscipere. Mühlbaner *Th. res. S. C. C. v.* « *Alimenta* ». *n. 1.*

De cessatione suspensionis. — Suspen- 3889
sio tollitur, si censura sit, per *absolutionem*, et si reservata est, superioris tantummodo (B. P. *VII. 360*); si vero fuerit conditionata, per adimpletionem conditionis. Bonacina *de censuris disp. III. p. 3. n. 1.* Suspensio autem, quae lata sit ut poena, a solo superiore, etsi non fuerit expres-

se reservata, per *dispensationem* aufertur. B. P. *loc. nuper cit.* Plura vide sub *Censura*.

3890 **De suspensione ab usu pontificalium.** — Datur etiam suspensio quaedam particularis pro episcopis. Ea est suspensio *ab ordine pontificali* vel *ab usu pontificalium*. Illa prohibentur episcopi ea agere, quae pertinent ad ordinem episcopalem (ut ordines conferre, confirmare, etc., non vero missam celebrare etiam more pontificali, D'Ann. *I. 381*); hac episcopis interdicitur usus ornamentorum pontificalium et consequenter exercitium ordinis pontificalis, quod cum pontificalibus ornamentis fieri debet. B. P. *VII. 350*. Suspensio *a pontificalibus* verius idem significat ac suspensio *ab usu pontificalium*. D'Ann. *I. 381*. Utraque haec suspensio obligat sub gravi, sed irregularitatem episcopus non incurrit, nisi violet suspensionem *ab ordine pontificali*. D'Ann. *loc. nuper cit.*

Tit. de sententia excomm., suspensionis et interdicti X. (V. 39): idem tit. (V. 11) in 6°; idem tit. (V. 13) in Xvag. Ioannis XXII; *De Villadiego G.* De irregularitatibus, suspensione et interdicto ecclesiastico; *D'Avezan* Tract. de depositione, degradatione et suspensione; *Kober* Die Suspension d. Kirchendiener; *München* Das kan. Gerichtsverfahren u. s. w. II, 229 ff.; *Laurentius Ios.* Die vorbehaltene Suspension u. d. Dekret d. heil. Offic. v. 23 Iuni 1886. Reliquam bibliographiam quaere sub *Censura, Excommunicatio, Poena*.

3891 **Suspicio.** — Suspicio temeraria est quaedam inclinatio ad assensum de malo proximi, seu quaedam de malo proximi opinio, aut assensus in probabilitatem de malo proximi, ex insufficienti ratione. B. P. *II. 1056*. Est venialis ex genere suo (S. Th. *2. 2. q. 60. a. 3.*), sed si materia sit malum ex gravioribus, indicia autem levia, et quis ex odio vel malevolentia in ea persistat, secundum plerosque mortalis erit. B. P. *II. 1062 sqq.*

Syllabus. — Quoad syllabum, seu collectionem errorum nostrae aetatis, quos Pius IX (*8 dec. 1864*) damnavit, asserunt quidam, eum esse definitionem ex cathedra, quamvis minori evidentia hoc constet pro syllabo, quam pro encyclica «Quanta cura» *8 dec. 1864*, qua etiam Pius IX quam plurimos recentiorum errores confixit; melius diceres, eum definitioni ex cathedra aequivalere propter consensum saltem universalem ecclesiae. Quare certissime propositiones in syllabo damnatae a catholico tuta conscientia tamquam verae retineri non possunt. Wernz *Ius Decr. I. 278*. 3892

Etiam Pius X decreto s. Officii («*Lamentabili*» *3 iul. 1907*) publicavit syllabum errorum, praesertim modernistarum, de ecclesia, revelatione, Christo, sacramentis.

Marty H. Le syllabus et la liberté de conscience; *Rinaldi C. G.* Il valore del Sillabo; *Stazzuglia A.* Vindiciae Syllabi Pii IX; *Frins Art.* Syllabus im KL. tom. XI col. 1019 m.; *Heiner* Der Syllabus; *Michelitsch* Der neue Syllabus; *Heiner* Der neue Syllabus.

Symbolus. — Symbolum apostolorum memoriae mandare, prouti iacet, non esse sub gravi praescriptum certum est. Suarez *de fide disp. XIII sect. 5 n. 8*. 3898

Attamen quae in symbolo continentur, christianus necessitate praecepti sub gravi scire et credere debet (B. P. *II. 13*), si pauca quaedam excipias, ut ea quae incidenter dicuntur de Pontio Pilato (B. P. *loc. cit.*), et probabiliter articulum de communione sanctorum (Lugo *de fide disp. XIII. n. 112*), vel sessionem Christi ad dexteram Patris (Lugo *loc. cit. n. 87*), quippe quae subtilia nimis sunt; item non improbabile existimat Lugo (*loc. cit. nn. 82. 85*), non esse necesse explicite credere descensum ad inferos et sepulturam Christi, imo etiam perpetuam Deiparae virginitatem. Suarez *loc. cit. disp. XIII sect. 4. n. 4*; Lugo *l. c. n. 75.*

Tit. de summa Trinitate et fide catholica X. (I. 1); idem tit. (I. 1) in 6°; idem tit. (I. 1) in Clem.; *Caspari* Ungedruckte und wenig beachtete Quellen zur Geschichte des Taufsymbols und der Glaubensregel; *Fourgès* Le symbole des apôtres exposé et défendu; *Krawutzky* Das apostolische Glaubensbekenntnis; *Caspari* Alte u. neue Quellen zur Geschichte des Taufsymbols und der Glaubensregel; *Harnack Ad.* Das apostolische Glaubensbekenntnis; *Zahn T.* Das apostolische Symbolum; *Kattenbusch F.* Das apostolische Symbol; *Fouard G.* Saint Pierre et les premiers années du christianisme; *Hahn* Bibliothek der Symbole und Glaubensregeln der alten Kirche; *Doerholt B.* Das Taufsymbolum der alten Kirche; *Burn A. E.* An introduction to the Creeds; *Kunze* Glaubensregel, Heilige Schrift und Taufbekenntnis; *Sanday* Recent research on the origin of the Creed; *Ehrhard A.* Die altchristliche Litteratur u. ihre Erforschung von 1894-1900; *Sanday* Further research on the history of the Creed; *Ermoni V.* Le Symbole des Apôtres; *Burn A. E.* The textus receptus of the Apostels' Creed; *Blume K.* Das apost. Glaubensbekenntnis; *Bäumer S.* Das apostol. Glaubensbekenntnis. Seine Geschichte u. s. Inhalt.

Syndicus. — Quaestio est non parum agitata, an liceat syndico pronuntiare sententiam divortii inter duos coniuges, qui ligati sunt matrimonio civili et religioso. 3894

Porro Ballerini-Palmieri (*VI. 525*), postquam plura dixerit theoretice circa hanc quaestionem, plures refert responsiones sacrarum Romanarum Congregationum, quae rem illustrant. Ait igitur: «Iam vero, collatis omnibus hucusque dictis, manifestum fit iuxta diversas circumstantias danda esse diversa responsa quaestioni ab initio propositae, ut mirari proinde non oporteat, si RR. CC. responsa differre identidem videantur. Subiiciamus responsa nobis nota:

I. Episcopus Soutwariensis interrogavit 1° utrum advocatus defendere possit reum contra actorem postulantem divortium. Resp. C. S. O. (*22 maii 1860*): "Dummodo episcopo constet de probitate advocati, et dummodo advocatus nihil agat, quod a principiis iuris naturalis et ecclesiastici deflectat, posse tolerari:" 2° utrum liceat advocati et actoris partes agere, quando finis litis est simplex separatio absque ulla sententia matrimonii nullitatem secum ipsa trahente. Resp. C. S. O. (*19 dec. 1860*): "Dummodo pars catholica nullum aliud tribunal adire possit, a quo sententiam obtineat separationis quoad torum et mensam, et dummodo sententia huius tribunalis nullum alium habeat effectum, quam separationem

praedictam, posse tolerari, ut catholici in foro actoris et advocati partes agant, et dummodo adsint iustae separationis causae, iudicio episcopi, et, si quid habeat praeterea dubii, recurrat exponens omnes circumstantias et legis dispositiones."

II. Utrumque responsum iteratum est ab eadem s. Congregatione episcopo Sangallensi, qui dubia proposuerat: "Dubium 5um. Utrum iudices catholici et advocati in tribunalibus laicis causas matrimoniales tuta conscientia suscipere ac defendere sive cognoscere et iudicare possint. Dubium 6um. Utrum iidem iudices et advocati, secundum recentem Helvetiae legem, matrimonii vinculum ut dissolvendum proponere, seu ut dissolutum declarare, tuta conscientia possint, necnon declarare eiusmodi coniuges ad aliud matrimonium contrahendum posse transire, sicut lex civilis hoc in casu iudicare et declarare iudices expresse iubet et urget. In disserenda hac quaestione obliviscendum non est, quod tribunalia secularia, quorum est iudicare de causis civilibus, eadem sunt, quibus nova lege incumbit causas matrimoniales cognoscere et iudicare. Quod si iudicibus catholicis vetitum fuerit huiusmodi tribunalibus interesse, in magnum damnum civium ea tribunalia iis iudicibus carebunt, qui timore Dei pleni pie et iuste iudicant".

Sancti Officii Congr. (*3 apr. 1877*) respondit: "Quoad iudices, recurrat in casibus particularibus. Quoad advocatos, dentur responsa iam data Episcopo Soutwariensi etc.".

III. Anno 1884, restitutis in Gallia divortii legibus, allatae sunt quaestiones ad C. S. O., quid liceret iudicibus, advocatis, procuratoribus. Responsum est (*25 iun. 1885*): "Eminentissimi patres una mecum inquisitores generales, re mature perpensa, ita censuerunt: Attentis gravissimis temporum ac locorum adiunctis, tolerari posse, ut qui magistratus obtinent et advocati causas matrimoniales in Gallia agant, quin officio cedere teneantur, dummodo catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos iudices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteantur, et dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem coniugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis iudicare coguntur, ut numquam proferant sententiam, neque ad proferendam defendant, vel ad eam provocent, vel excitent, divino aut ecclesiastico iuri repugnantem, et in casibus dubiis vel difficilioribus suum quisque ordinarium adeat, eius iudicio se dirigat, et, quatenus opus sit, per eum ad Apostolicam Poenitentiariam recurrat. Hoc decretum SS. Pater ratum habuit, ideoque omnibus in Gallia archiepiscopis et episcopis notum fit pro eorum norma per has litteras, ceteroquin non evulgandas".

IV. Exortae tamen dubitationes sunt in Gallia circa intelligentiam huius decreti. Quaesitum est proinde ab episcopis.

"1° An recta sit interpretatio per Gallias diffusa ac etiam typis data, iuxta quam satisfacit conditioni praecitatae iudex, qui, licet matrimonium aliquod validum sit coram ecclesia,

ab illo matrimonio vero et constanti animo abstrahit, et, applicans legem civilem, pronuntiat locum esse divortio, modo solos effectus civiles solumque contractum civilem abrumpere mente intendat, eaque sola respiciant termini prolatae sententiae? Aliis terminis, an sententia sic lata possit dici divino aut ecclesiastico iuri non repugnans?

2° Postquam iudex pronuntiavit locum esse divortio, an possit syndicus (*le maire*), et ipse solos effectus civiles contractus intendens, ut supra exponitur, divortium pronuntiare, quamvis matrimonium validum sit coram ecclesia?

3° Pronuntiato divortio, an possit idem syndicus coniugem, ad alias nuptias transire attentantem, civiliter cum alio iungere, quamvis matrimonium prius validum sit coram ecclesia, vivatque altera pars? „

Sacra Congregatio s. Officii (*27 maii 1886*)., respondit: Ad 1.m 2m et 3.m dubium, negative. Praecedens responsum anni 1885 iusserat, non animo retineri, sed palam profiteri doctrinam catholicam, qua publica professione id quoque obtineri poterat, ut sententia, secundum legem civilem lata, ad effectus solum civiles manifeste coarctaretur et sic nihil reapse statueretur a iudice vel syndico contra ius divinum aut ecclesiasticum.

V. Sane aliter rem censeri, si haec publica professio edatur, patet ex responso s. Poenitentiariae 24 sept. 1887 episcopo Lucionensi. Quum enim quodam particulari casu urgente, si syndicus divortium pronuntiare recusasset magistratu spoliatus certe fuisset, quod et in rei catholicae detrimentum cessurum erat, interrogavit episcopus Lucionensis, an propter gravissimas circumstantias rerum, temporum ac locorum, ille syndicus possit pronuntiare divortium civile dummodo „ 1° catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos iudices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteatur: 2° in ipsa sententia et tamquam magistratus loquens, publice declaret, se solos effectus civiles solumque civilem contractum abrumpere velle: aliunde vinculum matrimoniale omnino firmum manere coram Deo et conscientia ". Respondit s. Poenitentiaria: „ Episcopum in hoc casu particulari, si, inspectis omnibus eius adiunctis, ita in Domino expedire iudicaverit, tolerare posse, ut syndicus ad actum, de quo in precibus, procedat, cum declarationibus ab ipso propositis, ita tamen ut loco verborum *solumque civilem contractum abrumpere*, ponat: *solumque civilem contractum spectare*, Formula: *abruptio* (*rescissio*) *contractus*, etsi addatur *civilis*, non placuit sacro tribunali, forte ne ipsius vinculi exsistentis dissolutio videatur significari.

VI. Porro (*4 iun. 1890*) eadem Poenitentiaria declaravit, „ se in eo rescripto edendo id unum in mente habuisse, ut casui particulari pro eius circumstantiis et exigentiis provideret. Quod tamen certe non impedit, quominus inferatur, quid in paribus casibus liceat tolerare „.

VII Praeterea notandum est, responsum C. S. O. (*27 maii 1886*) locale

esse, non universale. Ita sane Nuntius Apostolicus Belgii respondit ministro publico externor. Negotiorum Belgii (*14 sept. 1886*), qui declarationem flagitaverat: " Em. Card. a Secretis status significavit mihi, iubente hoc Sanctitate Sua, Congregationem s. Officii declarasse, quod decretum diei 27 maii non respicit Belgium, et idcirco nihil esse in hac regione mutatum quoad ea, quae spectant ad materiam divortii „. Ergo vel rescriptum illud doctrinam dogmaticam non continet, vel speciales rationes exstant pro Galliis, puta ad scandalum averruncandum.

VIII. Alius propositus est casus. "Mulier, vise ntentiae separata a marito quoad torum, vellet, ad vitam sustentandam, quoddam publicum munus suscipere. Sed Gubernium id non sinit, nisi petat divortium. Ipsa petere vellet, sed, in sua intentione, semper salvo ligamine. Parochus, qui est et illius confessarius, petit, num admitti possit ad sacramenta, et lumen seu consilium circa reliqua, ut infra „. Responsio data est a s. Poenitentiaria (*5 ian. 1887*): „ Mulieri poenitenti, in casu, nihil aliud esse consulendum, nisi ut a petendo divortio sub gravi se abstineat". Forte ratio fuit, quia in hoc casu, post iam factam separationem tori, petitio divortii, ut Gubernio mos geratur, videretur exterius petitio dissolutionis vinculi matrimonialis.

En alius casus delatus ad s. Poenitentiariam: „ Eduardus ob adulterium mulieris notorium et scandalosum, ex quo etiam proles spuria exorta est, ab iudice ecclesiastico obtinuit sententiam pro separatione tori. Ut vero talis sententia iudicis ecclesiastici effectus civiles sortiri queat, praesertim quoad repudiationem paternitatis circa filios adulterinos horumque exclusionem a partē et bonis prolis legitimae, lex civilis non aliud suppeditat medium efficax, quam divortium civile. Unde Eduardus familiae suae decori et bono providere volens, ad actionem pro consequendo divortio civili recurrere cogitat. Nullo modo tamen vinculum sacramentale infringere aut novarum nuptiarum libertatem pro se aut pro indigna muliere praetendere putat, paratus ceteroquin talem intentionem authentice coram parocho vel episcopo confirmare et declarare. Quum saepius a s. Sede declaratum sit matrimonium civile nihil aliud significare quam meram nudamque ceremoniam seu formam, quae nullum conscientiae vinculum aut obligationem condere queat, Eduardus itidem etiam in divortio civili nihil aliud ae talem nudam ceremoniam considerat, quae civiliter destruit effectus, quos prius condiderat mera contractus civilis ceremonia: unde simili iure divortium civile conscientiae obligationibus nec addere quidquam nec detrahere ipsi videtur; proinde ordinem mere civilem et externum spectans, quamlibet vinculi sacramentalis laesionem seu violationem expresse respuit et excludit, quum divortii civilis effectus exquirit. Quum talis sit animi sui dispositio ac considerata praesertim sentia iudicis ecclesiastici super separatione tori, Eduardus, ut conscientiae suae quieti provideat, enixe poscit, an ita

sibi liceat adire tribunal laicum pro consequendo divortio civili, sub clausulis et restrictionibus supra indicatis.„ S. Poenitentiaria respondit: "Orator consulat probatos auctores „. *30 iun. 1892.*

IX. Tandem, si divortio civili a sponsis obtento, aliquis ex his admittendus esset a syndico ad novum matrimonium civile contrahendum, vivente adhuc comparte, id profecto syndico non licet, ut ex mandato em. Praefecti s. Poenitentiariae significatum est episcopo cuidam 28 novembris 1883. Nam iniuria est in matrimonium exsistens, et illi sponsi neque effectuum civilium ex novo matrimonio sunt capaces. Aliud est sane quod effectus civiles tollantur, in quo nihil absurdi: aliud quod tribuantur iis, qui iam coram Deo sunt veri coniuges aliorum.

Advertimus, in responsis omnibus citatis, quamvis oratores sciscitarentur, *an liceat, an fieri possit*, sacram Congregationem, quum quiddam concessit, continuisse se intra formulas magis temperatas respondendo: *posse, posse tolerari.* Attamen si tolerantia proprie et exclusive acciperetur, quae non est nisi de malo, inutilis fuisset responsio; nam fideles decisionem postulabant, ut suae conscientiae coram Deo consulerent eique consulere intendebat sacra Congregatio. Tolerantia ergo, quam s. Congregatio in certis adiunctis consulit episcopis, malitiam actus excludit et declarationi aequivalet actus liciti in iis tamen adiunctis, quae in casu proponuntur, quemadmodum tolerari dixit perceptionem τοῦ interesse in mutuo. Et forte hac etiam de causa ea formula minus efficaci usa est sacra Congregatio, ne videretur quaestio in genere solvi et illa agendi ratio absolute et per se inspecta licita declarari; a quo abstinendum duxit, vel ne praeocuparet hac in re iudicium supremum Romanae Sedis, vel ut significaret, se ab his omnibus actibus civilibus per se spectatis non minimum abhorrere ».

Cfr. Noldin *Th. mor. III. 663 sqq.*; Lehmkuhl *Th. mor. II. 701 in nota;* Génicot *Th. mor. II. 561*; Waffelaert *N. R. Th. p. 600 sqq.;* B. P. *VI. 519 sqq.;* De Becker *de sponsal. et matr. p. 404 sqq.*; Leitner *Lehrbuch des katholischen Eherechts pag. 634*, qui cum aliis defendunt liceitatem ferendi sententiam pro divortio civili, vel saltem, ut Noldin, illiceitatem non probari, contra Bucceroni *Th. mor. II. 983*, qui illiceitatem indubitatam habet, Gasparri *de matr. II. 1554.*, qui ad illiceitatem inclinat, Rosset *de sacr. matr. VI. 4085 sqq.*, cui illiceitas admittenda videtur. Vide etiam Monit. eccl. *vol. IV. p. 1 pag. 274, vol. XIII pag. 32.*

Postquam de syndico superius dicta retulimus, aliquid innuendum etiam est de coniugibus et de advocatis. 3895

Et quoad coniuges evidenter nimis patet, eos non posse petere sententiam divortii, ut ad alias nuptias convolent. An possunt petere sententiam divortii civilis in eum tantum finem, ut matrimonium quoad effectus civiles nullum declaretur? Et evidens est, non posse coniugem divortium petere, respiciens effectus etiam civiles sed inseparabiliter connexos ex natura rei

cum ipso valore matrimonii, sine permissione auctoritatis ecclesiasticae, aut nisi antea ob causam canonicam obtinuerint ab auctoritate ecclesiastica licentiam se separandi; quia causae hae matrimoniales ad solum ecclesiae iudicium pertinent. Noldin *Th. mor. III. 665.*

In casu vero habitae licentiae a potestate ecclesiastica, si habeantur graves causae, si quis ex. gr. vellet per hoc medium se liberare a scandalis seu a periculis peccati, idque obtinere non possit nisi per divortium civile, poterit probabilius illud petere. «Quandoque gravissima mala (ait Génicot *II. 562*), puta liberorum educatio patri impio, qui prior divortium petierit, a tribunali committenda, etc., vitari non possunt, nisi pars catholica non tantum separationem, sed verum divortium petat. In hoc casu censemus probabil us id licite peti (Allègre *le Code civil commenté tit. I. p. 1. pag. 315;* De Becker *de spons. et matr. p. 410*); coniux enim non tenetur pati gravissima mala, ut vitet sat leve damnum commune, quod ex eius petitione fluat».

At si mala, quae timentur, vitari aeque possunt per simplicem separationem quoad habitationem et bona in nationibus, in quibus simul cum divortio haec separatio viget, ut in Belgio et in Gallia, non liceret petere divortium, quia divortium de se aptum est producere nefaria consectaria, et proinde, si fieri potest, vitandum est, et solummodo videtur posse assumi, quando mala vitanda gravia sunt, et nullum aliud sit medium his malis occurrendi. Génicot *loc. nuper cit.* Cfr. etiam B. P. *VI. 519 sqq.;* Gasparri *l. c. II. 1555.*

Quoad advocatos haec habe ex Nol- 3896
din *loc. cit. III. 666:* «Si advocatus partes defensoris vinculi matrimonialis, quod verum matrimonium est, agit, alia difficultas non est, praeterquam quod causa in foro incompetenti, nempe civili, agatur. Atqui S. Sedes declaravit, cooperationem in eiusmodi causis tolerari posse, "dummodo episcopo constet de probitate advocati, et advocatus nihil agat, quod a principiis iuris naturalis aut ecclesiastici deflectat" (*S. U. I. 19 dec. 1860*). — Si advocatus causam divortii agit quando coniuges licite divortium petunt, licite pro divortio disserit. — Quod si coniuges aut sine iusta ratione aut ex prava intentione postea ineundi novum matrimonium divortium petunt, causam suscipere certo non potest sine gravissima ratione. Si autem adsit gravissima ratio, ex. gr. notabilis damni vitandi, causam agere potest: non enim necessario se conformare debet intentioni partium; cooperatio autem ad eorum peccatum ob gravissimam causam excusatur».

Synodus dioecesana. — Quid sit. — 3897
Synodus dioecesana est legitima congregatio ab episcopo coacta ex presbyteris et clericis suae dioeceseos aliisque, qui accedere ad eam tenentur, in qua de his, quae curae pastorali incumbunt, agendum et deliberandum est. Ben. XIV *de Synodo dioec. lib. I. c. 1. n. 4.*

Quinam synodum convocare possit. — 3898
Convocari potest synodus dioecesana sine ulla licentia archiepiscopi ab episcopo (Ben. XIV *loc. cit. lib. II. c. 5.*

n. 1). saltem confirmato (Ben. XIV *loc. cit. lib. II. c. 5. n. 5*), vel a vicario generali ad id specialiter deputato (Ben. XIV *loc. cit. lib. II cap. 8. n. 3 sqq.*); nec non sede vacante a vicario capitulari, sed nonnisi postquam annus elapsus fuerit ab ultima synodo ab episcopo celebrata. Bened. XIV *loc. cit. lib. II. c. 9. n. 6.*

Praelati, etiam vere Nullius, synodum convocare non possunt, nisi habuerint indultum speciale a sede apostolica. *S. C. C. 17 aug. 1626, 5 iul. 1738;* Ben. XIV *loc. cit. lib. II. c. 11. n. 5.*

3899 **De solemnitatibus in convocatione servandis.** — Per se omnino servandae sunt in indictione synodi dioecesanae solemnitates praescriptae in pontificali romano et in ceremoniali episcoporum; quod si aliqua iusta causa sit eas omittendi, dispensatio petendo est a s. Congregatione, nunc, ut puto, consistoriali. Cfr. *S. C. C. in Marianen. in Brasilia 29 iul. 1905.*

3900 **Quinam ad synodum vocandi sint et teneantur venire, vel non.** — Vocandi sunt ad synodum et venire tenentur: Abbates seculares intra dioecesim exsistentes (*c. 9 de maioritate et obedientia X.* [*I. 33*]), etiam exempti, nec possunt se solutos existimare sub praetextu cuiuscumque exemptionis (cfr. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 2 de ref.;* Ben. XIV *loc. cit. lib. III. c. 1. n. 3*); abbates regulares et superiores conventuum, licet exempti, nisi in eorum religione habeatur capitulum generale (Conc. Trid. *loc. nuper cit.;* Fagnanus *in c. 9 tit. 33 lib. I. Decr. n. 5;* Ben. XIV *loc. cit. lib. III. c. 1. n. 8*); parochi omnes (Ben. XIV *loc. cit. lib. III. c. 5*), et qui curam animarum in dioecesi exercent, quicumque illi sint sive seculares sive regulares (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 2 de ref.;* Ben. XIV *loc. cit. lib. III. c. 1. n. 9*); capitulum ecclesiae cathedralis, saltem per aliquot canonicos (Ben. XIV *loc. cit. lib. III. c. 4. n. 2*), qui capitulum repraesentant (nonnulli putant nullo modo ad accedendum capitulum teneri; eos vide apud Bened. XIV *loc. nuper cit.*); vicarii generales (Ben. XIV *loc. cit. lib. III. c. 3. n. 2*), et vicarii foranei (Ben. XIV *loc. cit. lib. III. c. 3. n. 10*), vocante episcopo.

Si vero agi debeat in synodo de aliqua re totum clerum concernente, vel debeant intimari decreta facta in concilio provinciali (et in hoc casu in ipsa synodi convocatione facienda est mentio, quod de praedictis erit tractandum, *S. C. C. 15 dec. 1629*), episcopus potest ad synodum advocare etiam alios presbyteros et clericos inferiores, dummodo non subtrahantur ecclesiis debita servitia. *S. C. C. 15 dec. 1629, 19 nov. 1729;* Ben. XIV *loc. cit. lib. III cap. 6. n. 4.*

Quod si in synodo de huiusmodi rebus ad totum clerum spectantibus agi non debeat, episcopus non potest cogere simplices beneficiatos et alios clericos ad accedendum, nisi ex consuetudine aliud observatum fuerit. *S. C. C. 17 mart. 1593, 15 dec. 1629;* Ben. XIV *loc. cit. lib. III. c. 6. n. 1.*

Simplices beneficiati et alii clerici, si quando in synodum veniunt, non sunt admittendi ad votum ferendum pro confirmatione iudicum et examinatorum synodalium. *S. C. C. 10 sept. 1633, 17 ian. 1654.*

In eos, qui accedere ad synodum tenentur, et recusant, potest episcopus animadvertere etiam censuris (*c. 9 tit. cit. X.* [*I. 33*]), etsi sint exempti Ben. XIV *loc. cit. lib. III. c. 12. n. 1 sqq.*

De praecedentia et ordine in synodo (*remissive*). — Quoad praecedentiam et ordinem sedendi in synodo vide Benedictum XIV *loc. cit. lib. III. c. 10* et *S. R. C. in Novarien. 8 maii 1700* (*2054*).

3901 **De loco celebrandae synodi.** — Satius autem est, ut episcopus synodum celebret in civitate episcopali, quamvis possit etiam in tota dioecesi illam congregare. *S. C. C. 17. maii 1636.* Locus autem proprius celebrandae synodi, si de sessionibus ipsis synodalibus sermo sit, non autem de congregationibus praeparatoriis (Ben. XIV *loc. cit. lib. I. c. 5. n. 5*), est ecclesia (Pont. Rom. *Ordo ad synodum*), eaque, si fieri possit, cathedralis. Ben. XIV *loc. cit. lib. I. c. 5. n. 6.*

3902 **De tempore celebrandae synodi.** — Synodus dioecesana per se ad normam Concilii Tridentini (*sess. XXIV. c. 2. de ref.*) celebrari deberet quotannis. In schemate Concilio Vaticano proposito de synodo dioecesana statuebatur, eam saltem quovis triennio habendam esse.

3903 **Quomodo leges synodales ferendae, et de appellatione contra eas.** — Episcopus, ut leges seu statuta in synodo edat, debet exquirere (sed sequi non tenetur) consilium capituli (Ben. XIV *loc. cit. lib. XIII. c. 1. n. 6*), non vero aliorum clericorum interessentium (Ben. XIV *loc. nuper cit. n. 9*); ipse tamen est verus et unus legislator, etiam in synodo.

A constitutionibus synodalibus non admittitur appellatio ad effectum suspensivum, sed licet ab eis interponere appellationem apud sacram Congregationem Concilii, quae ex rationabili causa admittitur in devolutivo tantum. Ben. XIV *l. c. lib. XIII. c. 5. n. 12. sqq.*

Constitutiones synodales non sunt recognoscendae a sacra Congregatione Concilii ante promulgationem. Ben. XIV *loc. cit. lib. III cap. 3. n. 6*; Lucidi *de visit. sacr. lim I. 162*; Bargilliat *Prael. iur. can. n. 605.*

Cap. 9 de maior. et obed. X. (I. 33.); c. 25 de accus. etc. X. (V. 1); c. 17 de priv. X. (V. 33); c. 6 de priv. (V. 7) in 6°; Conc. Trid. sess. XXIV cc. 2. 18 de ref.; sess. XXV. cc. 2. 4. 10 de ref.; Const. Ben. XIV « Quamvis » 26 aug. 1741; Const. Pii VI « Auctorem fidei » 28 aug. 1794; Const. Leon. XIII « Rom. Pontifices » 8 maii 1881; *Bened. XIV* De synodo dioecesana; *Binterim* Die Curatexamen und die Diöcesansynoden; *Amberger* Der Clerus aus der Diöcesansynode; *Phillips* Die Diöcesansynode; *Sattler* Die Diöcesansynoden; *Fessler* Ueber Provincialconcilien und Diöcesansynoden; *Bouix* Tract. de episcopo, ubi et de synodo dioecesana.

T

3904 **Tabernaculum. — An aliquid in tabernaculo asservari possit praeter eucharistiam.** — Tabernaculum, in quo asservatur ss. Sacramentum, debet esse omni alia re vacuum, nec in eo asservari possunt vasa sacrorum oleorum, vel reliquiae, vel quidquam aliud. *S. C. Episc. 3 maii 1693.*

3905 **Quomodo debeat esse tabernaculum.** — Regulariter debet esse ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno serico decenter contectum. *S. C. Episc. 26 oct. 1575.* Potest tamen etiam confici ex alia nobiliori materia solida, et interius vestiri pannis aureis vel argenteis, vel etiam intus deauratum tantum esse. *S. R. C. in Urgellen. 7 aug. 1871 ad 7 (3254); in Calven. 5 iun. 1889 (3709); in Romana 20 iun. 1899 ad 4 (4035).* Attamen patribus Capuccinis permissum est, ut retineant tabernaculum ligneum affabre elaboratum. *S. C. EE. RR. 13 iul. 1659; S. R. C. in una ordin. Capucc. 7 dec. 1888 ad 13 (3697).*

3906 **An aliquid ante vel supra tabernaculum poni possit.** — Vas florum, vel quid simile, ante ostiolum poni nequit; quod tamen poni permittitur in humiliore et decentiore loco (*S. R. C. in una congr. Montis Coronae 22 ian. 1701 ad 10* [*2067*]); item imagines aut reliquiae sanctorum tabernaculo superimponi non possunt (*S. R. C. decr. gen. 3 mart. 1821 confirmat. a Pio VII. 3 apr. eiusd. anni ad 6* [*2613*]; nec in illo vasa ss. Oleorum, vel reliquiae, aut purificatorium et vas cum aqua ad abluendos digitos aut similia ponenda sunt. *S. C. Episcop. 3 maii 1693.* Hinc non potest loco tabernaculi in medio maioris altaris collocari effigies ss. Cordis Iesu, aut, si adsit tabernaculum, in quo asservatur ss. sacramentum, in huius parte posteriore. *S. R. C. in Cadurcen. 31 mart. 1887. ad 2 (3673).*

Tolerari nequit usus statuendi crucem super throno, et in eo praecise loco, super quo publicae adorationi in ostensorio exponitur ss. eucharistia, multo autem minus ipsam crucem superimponendi corporali, quod expositioni inservit. *S. R. C. in Cuneen. 2 iun. 1883. ad 3 (3576).*

An tabernaculum sit benedicendum. — Benedicendum est secundum quosdam benedictione, quae in rituali romano inscribitur: Benedictio tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta eucharistia conservanda; quae que episcopis vel eius delegatis reservata est. Rit. rom. *tit. VIII. c. 23.* Alii tamen hanc obligationem adesse negant, quamvis concedant id laudabiliter fieri. Cfr. De Herdt *Sacrae lit. praxis III. 180. 9.* Attamen nunc ex decreto citato s. Congr. Rituum (*20*

3907

iun. 1899 ad 4) quaestio est dirempta; rescriptum enim fuit, benedicendum esse.

3908 **Varia.** — Tabernaculum debet diligenter obserari (vid. *Clavis*), et decenter conopeo operiri. Vid. *Conopeum.*

Petitum fuit a s. Congregatione Rituum ut approbaret novam quamdam formam tabernaculi nullo modo contrariam rubricis et decretis, quae commendabatur maxime ob ingeniosum modum quo tabernaculum claudebatur ita ut nullimode aperiri posset sine propria clavi, neque pulvis ipsum penetrare posset. Respondit s. Congregatio: « Finem inventoris esse laudandum, negotium vero in casu et ad effectum, de quo agitur, spectare ad ipsos locorum ordinarios ». *S. R. C. 1 apr. 1908.*

Tabernaculum debet habere corporale mundum, benedictum, huic tantum usui destinatum, super quod ponitur ss. Sacramentum; sed loco corporalis adhiberi potest palla. De Herdt *Sacrae lit. praxis III. 180. 8.*

Non licet sacerdoti pro sua privata devotione sacrum tabernaculum aperire pro adorando sacramento, precibus fundendis etc., ac postea illud claudere. *S. R. C. 17 iul. 1894 ad 2* (*3832*). Vid. *Eucharistia.*

Parochus autem vel rector ecclesiae, in qua asservatur ss. Sacramentum, gravi obligatione tenetur identidem sacras species renovare; imo iuxta rituale romanum (*tit. de euch. c. 1. n. 7*) haec ss. specierum renovatio *frequenter* facienda est, et iuxta ceremoniale episcoporum (*lib. I. c. 6. n. 2*) saltem semel in hebdomada. Conveniunt tamen auctores, secluso praecepto particulari aut seposita peculiari causa ex. gr. humiditatis, non peccare parochum qui particulas nonnisi singulis quindecim diebus renovat. De Herdt *Sacrae lit. praxis I. 280.* E contra qui hanc renovationem ultra mensem differunt, non videntur posse excusari a periculo gravis irreverentiae. Cfr. Schüch *Handb. d. Pastoralth.* § *280.*

Barbier de Montault Les tabernacles de la renaissance à Rome; *Caldecott W.* The tabernacle, its history and structure; *Scherndl B.* Der Tabernakelbau; *Raible Felix* Der Tabernakel einst u. jetzt. Reliquam bibliographiam quaere sub *Eucharistia*, *Expositio Sacramenti ecc.*

Tabulae rotantes. — Iis experimen- 3909
tum tentare aut recreari non licet; et certo sub gravi prohibitum est eas in gyrum agere, ut rei occultae notitia exquiratur; in hoc enim certe habetur divinatio (vid. *Divinatio*), vel vana observantia (vid. *Vana observantia*). Génicot *Th. mor. I. 260.* Attamen eos, qui quadam animi levitate aut curiositate, iocandique causa, mensis manus apponunt, ut in gyrum moveant, aut eiusmodi experimentis assistunt, letali vacare dixerim, ait D'Annibale *II. 54.* * Vid. *Spiritismus.*

Taciturnitas. — Inter regulas iuris 3910
in 6° adest haec 43ª: « Qui tacet, consentire videtur ». Haec regula nonnullas creat difficultates etiam ex eo, quod in ipso iure plurima exstant exempla eorum, qui scienter etiam tacent, nec tamen habentur pro consentientibus. Regula autem haec agit de casibus, in quibus ex taciturnitate praesumi potest consensus. Porro ut

haec regula veram et legitimam habeat applicationem, haec nota ex Ballerini-Palmieri (*I. 21*), ubi tamen adverte nonnulla, quae ad exemplum adducuntur, ex antiquiori iure desumpta esse:

« 1° Qui tacet in favorabilibus, consentire videtur. Hoc extra controversiam esse debet, et in id consentit communis doctorum sententia. Ratio, quia in dubio merito id praesumitur, ad quod naturalis affectio et propensio nos ducit.

2° Huic canoni quidam hunc alium subiungunt: Qui vero in praeiudicialibus vel odiosis tacet, non videtur consentire. Sed quum in iure plura reperiantur exempla, vi quorum tacens, etiam in praeiudicialibus, consentire censetur, hinc aptis finibus secunda haec sententia est circumscribenda, quod praestamus sequentibus regulis.

a) Consentire itaque quis censetur, quando quis facile potest, contradicendo vel expresse dissentiendo, impedire vel damnum proprium vel malum, ad quod avertendum teneatur, et tamen tacet.

Et quod spectat ad damnum proprium cavendum (de qua re habetis effatum illud: scientia et patientia consensum operatur), patet exemplo, quod suppeditat lex superius citata *l. 2. § 2 soluto matrimonio Dig.* [*XXIV. 3*]) ex Digesto, de filia, cui pater dotem constituit. Etsi enim minor aequo videri dos possit, si tamen filia praesens evidenter non contradixerit, consentire censetur. Aliud exemplum praebent sponsalia, quae parentes pro filiis sive puberibus sive impuberibus contrahunt (*cap. un. de desp. imp.* [*IV. 2*] *in 6°*)... Ita et locatio vel alienatio rei ecclesiae, ad quam requiritur consensus capituli, si hoc sciente et non contradicente fiat, consentire capitulum censetur. *c. 2 de his quae fiunt etc. X* (*III. 10*).

b) Quod vero spectat ad illud effatum, quod memoravimus: scientia et patientia consensum operatur, certum est ex iure, patientiam sufficere ad ius alteri creandum. *l. 1. § 2 de servitut. praed. rustic. D.* (*VIII. 3*).... Ceterum patientia inde satis evincitur quod qui patitur, sciverit, quidpiam in praeiudicium suum agi, et non reclamaverit. Cur enim, si quid pati nollet, non clamaret, quum posset? Hac de causa ius amittit creditor, si fisco rem hypotheca obligatam distrahente, ipse sileat, ut patet ex lege 8 *de remissione pignoris C.* (*VIII. 26*)... Imo patientia habetur ut ratihabitio, ut patet ex lege 12. § 2 *ratam rem haberi etc. D.* (*XLVI. 8*). Quin imo, etiamsi ab initio dominus reclamaverit, sed altero resistente et allegante quod utatur iure suo, postmodum taceat et patiatur, taciturnitas seu patientia habetur pro consensu.

Verumtamen illud addendum est, in casibus, in quibus ius speciale quidpiam non statuit, regulam esse generalem, quod in onerosis et maxime in obligantibus personam (nam haec personae obligatio merito censetur gravior, v. gr. si quis nominetur procurator) tacens habeatur pro contradicente. Hinc obligatur utique filius, si non contradicat patri contrahenti pro ipso sponsalia; at non obligatur minor, si pro eo contrahat curator

aut alius quilibet ex agnatis; quia lex quoad parentes non est extendenda ad alios, eo quod sit odiosa.

Quod vero spectat ad alium casum in regula secunda expressum, scilicet de silentio eius, qui tenetur contradicere et prohibere, ex iure canonico consentire censentur in grave subditorum praeiudicium superiores, qui, quum possint, non contradicunt... Excipiendum tamen, si superior non contradicat in casu, quo sine magna turbatione, sine strepitu externo, aut proprio gravi damno contradicere non posset; tunc enim non censetur ipsi adesse libera facultas prohibendi. Huc spectat regula 50ª Dig. *de regulis iuris* " culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest „ (cfr. etiam *c. 2. de praescriptionibus X.* [*II. 26*])... Ob paritatem autem rationis haec exceptio merito extenditur etiam ad subditos, qui aliquid patiantur a superioribus.

Tertia regula, secundum quam silentium iura interpretantur ceu consensum, sita est 1° in plurium consensione, videlicet quando communi alicuius coetus, v. gr. capituli canonicorum, religiosorum, monialium vel senatus etc., consilio res peragi debet. Si enim, dum aliquid forte iniuste aut minus recte agitur ac decernitur, quidam taceant, hi habentur pro consentientibus et fiunt rei cum aliis omnium malorum, quae inde sequantur, si dum possunt, non contradicunt.

Quod vero additur 2° in plurium comparatione, utique communius usurpatur de confessione ac negatione, quam de consensu et dissensu. Quum scilicet quispiam de duobus interrogatus, si alterum neget, de altero sileat, hoc fateri censetur... *c. 5 de praesumptionibus X.* [*II. 23*]).

Verum eadem prorsus ratio valet etiam quum agitur de consensu. Sic si quis plura rogatus, quaedam concedat, de reliquis sileat, silentium aequivalet dissensui et vicissim, si e pluribus quaedam recusat et de aliis taceat, haec silendo concedere censetur. Sic si petas a vicino codicem, inquiens: des mihi oportet modo et post scholam, aut hodie et cras; si alter respondeat: modo non, vel hodie nequaquam, at de reliquo taceat, consentire in aliud tempus merito putatur.

Duo demum de hoc argumento notabimus:

1° Silentium numquam censetur consensus, quando iura exigunt consensum verbis aut alio signo manifeste expressum. Sic v. gr. ad valorem stipulationis ordinarie ex iure requiruntur verba utriusque stipulantis. Ut enim habetur in Digesto lege 1ª *de verborum obligationibus*: " stipulatio non potest confici, nisi utroque loquente „. Ita ex iuris dispositione ad valorem sponsalium vel matrimonii non sufficit, ut ad alterius partis interrogationem altera pars taceat et non contradicat, licet loco eius alius (exceptis parentibus) respondeat et consentiat. Pariter, si fur, sciente et non contradicente domino, rem huius surripit, non est locus regulae; quia in tali causa dominus non praesumitur consentire, atque actionem contra furem instituere potest. Ratio est, quia in odium furis sic specialiter

iura statuunt. *l. 91 Dig. de furtis lib. 47 tit. 2.*

2° Hanc regulam, silentium nempe in datis conditionibus pro consensu haberi, valere, quando nulla ratio occurrit suadens oppositam partem. Etenim si ex circumstantiis vel certis coniecturis verisimilius appareat, eum qui tacet et non contradicit, dissentire, tunc non potest amplius prudenter praesumi consensus. Ut igitur locum habeat regula, opus est, ut res in dubio versetur; tunc enim ex iure praesumitur consentire, qui tacet et non contradicit ».

3911 **Tactus.** — **De variis speciebus tactuum.** — Circa hoc iuverit referre ea, quae clare et concinue habet Bassaeus *Flores totius theol. pract. v.* « *Impudicitia* » *n. 2*: « Tactus oscula et amplexus tripliciter fieri possunt iuxta Lessium (*de iust. et iure l. IV. c. 3 dub. 8*), Reginaldum (*tom. 2 lib. 22. n. 6*): 1° In signum amicitiae et iuxta consuetudinem patriae; 2° causa delectationis concubitus; 3° causa delectationis ipsius tactus et osculi secundum se considerati, ut est delectabilis carni et remote disponens ad seminationem ». Et paullo post (*n. 5*) addit: « Magna controversia est inter theologos quis sit dicendus tactus libidinosus et venereus. Caietanus in comm. *q. 154. a. 4*, quem secuti sunt alii recentiores, ut Valentia, Lessius, Sanchez apud Filliuccium (*tr. 30. n. 181*), ait, non modo esse libidinosum eum, qui fit ex intentione concubitus vel delectationis concubitus, sed etiam eum, qui fit ex intentione delectationis sensibilis tantum, quia hic etiam est ex sua natura actus circumstans coitum et habet idem motivum seu obiectum moraliter, quod habet actus, quem circumstat... Alii vero, ut divus Thomas, divus Antoninus, Lessius, Rodriguez, Navarrus, Azor, Filliuccius, apud Sanchez et apud Filliuccium docent, tunc tantum esse libidinosum actum, quando fit ex intentione actus luxuriosi vel delectationis eius. Hanc secundam sententiam antiquiores doctores una cum S. Thoma complexi videntur, ut videre est apud Filliuccium, qui ipsorum verba formalia affert; Caietani vero et aliorum sententia nec videtur ad mentem S. Thomae, nec omnino vera, quia ratio libidinosi in tactibus... est separabilis secundum se, quia haec possunt fieri sine peccato et libidine; unde ratio delectabilis secundum sensum tactus et ratio libidinosi diversae sunt realiter. Unde secundum hanc sententiam dicendum est, tactum libidinosum et venereum dici eum, qui fit propter delectationem peccati mortalis in materia luxuriae, non autem, qui fit propter delectationem ipsius secundum se, ut habet adiunctam mollitudinem, lenitatem, moderatam caliditatem... ».

Materialiter autem sumpti tactus dividuntur in honestos, minus honestos et inhonestos, prout in partibus honestis, minus honestis vel inhonestis fiunt. Vide *Partes*.

An et quale peccatum possit esse in tactibus. — 3912 Ante omnia reducenda heic in memoriam sunt ea, quae loquentes de aspectibus annotavimus sub num. 438 ex Ballerini-Palmieri (*II. 974*), scilicet in actibus quibuscumque imperfectis in genere

luxuriae omnia ex isto principio fere pendere, illicitum esse et mortale coniicere se in periculum plus minus proximum consensus in delectationem venereaam, et idcirco eas actiones sub mortali vitandas, quae tale periculum secum ferunt. Quaenam de facto eae sint, pendet a circumstantiis, praesertim personarum. Doctores, qui ad particularia, nimis forte aliquando, descendere voluerunt, rem dimetiti sunt ex iis, quae generaliter accidunt, nec diffitendum aliquando regulam forte ex seipsis desumpsisse, qui maxime ab his alieni facilius poterant commoveri. Quae de tactibus docent, ad sequentia reduci possunt.

Tactus turpes seu in partibus genitalibus, vel in iis, quae ipsis proximae sunt, sine causa habiti, cum persona diversi sexus, sunt semper grave peccatum, saltem ratione periculi. S. Alph. *III. 420.*

Quid si tactus isti supra vestes fiunt? Et eos a mortali quidam (Sanchez *de matr. lib. IX disp. 46. n. 11,* et alii) excusant, si fiant absque delectatione venerea ex ioco aut levitate animi; verum, addunt Salmanticenses (*Th. mor. tr. XXVI. n. 49*): « quod utique, licet difficulter, admittimus, *non ut probabile practice,* sed tantum speculative, si illi fiant, tum quasi per transennam et absque continuatione (alias non leviter, sed graviter ad luxuriam commovent) tum etiam absque scandalo; si enim hoc adest, absque dubio culpa letali non vacabunt. Et etiam si fiant supra vestes non subtiles et delicatas, sic enim idem est ac immediate se tangant; unde praedicti tactus etiam supra tales vestes facti circa pudenda, erunt letaliter peccaminosi ». Cfr. B. P. *II. 982.*

Attamen, si tactus fiant sine delectatione venerea, ex levitate, in persona, quae non moveat ad malum (Cfr. Bassaeum *Flores totius theol. pract. v.* « *Impudicitia* » *n. 6 sq.*) etiamsi habeantur immediate in verendis diversi sexus, per se excusantur a gravi, ut est de ancillis tangentibus pudenda infantium, quos vestiunt. S. Alph. *III. 420.* Hac tamen ancillae, quae saepius hoc faciunt, ad sedandas ex. gr. puerorum lacrimas, graviter obiurgandae sunt, quum his frequentibus contrectationibus causae sint, cur pueri assuescant se tactibus contaminare, antequam malum noscant, quem habitum nonnisi magna cum difficultate postea exuent. Quare ancillae, frequenter has contrectationes exercentes, non videntur posse a gravi excusari.

Idem generatim dicendum de huiusmodi tactibus sine causa habitis cum personis eiusdem sexus, etiam supra vestes, nisi quando ex petulantia, ioco, levitate et obiter fiant (G. B. *I. 416*), ut solet accidere inter pueros natantes, qui aliquando leviter aliorum verenda tangunt (Sanchez *l. c. n. 12*), dummodo valde leviter et quasi per transennam fiant, non tamen si ex proposito et per aliquod temporis spatium hoc contingat, quia ex praedicta continuatione sequitur frequenter pollutio, aut periculum illius. Salmanticenses *loc. cit. n. 50.*

Tactus huiusmodi inhonesti in verendis propri corporis sine causa ha-

biti, etiam immediati, secluso affectu venereo, si fiant ex curiositate aut levitate, veniale non excedunt. Salmanticenses *loc. cit. n. 68.*

Omnes vero huiusmodi tactus, tum proprii corporis tum alieni, etiam diversi sexus, si fiant ex iusta et proportionata causa, excusantur ab omni peccato; etiamsi ex ipsis aliquis motus turpis, et vel ipsa pollutio sequatur. Salmanticenses *loc. nuper cit.*; S. Alph. *III. 420.*

Quoad bruta animantia generatim dicunt doctores, tactum eorum genitalium non esse nisi veniale (praesertim si agatur de animalibus minoribus, de catellis ex. gr., Croix *Th. mor. lib. III. p. 1. n. 903*); esset tamen periculosum, ait Croix (*loc. nuper cit.*), sic tangere eorum genitalia, ut effundant semen, quia ordinarie se ingeret motus aut delectatio venerea; et S. Alphonso (*III. 420*) probabilius videtur hoc esse mortale. Attamen, si quis id faceret ex mera levitate et curiositate, et experiretur se nihil inde veneree commoveri, de mortali damnari non posset. Tamburini *in dec. l. VII. c. 8. § 2. n. 5*; Sporer *Th. sacr. de matr. n. 697*; Bucc. *l. 781.*

Tactus in partibus minus honestis (ut secundum quosdam in mulieris pectore, in brachiis, in cruribus), vel etiam honestis (in facie, manibus, dorso, capite, pedibus) si ex delectatione venerea vel morose exerceantur, de mortali damnandi sunt; at si fiant ex mera levitate, curiositate, loco, etc., etiam cum personis diversi sexus, veniale non excedunt, secluso periculo consensus in veneream delectationem. B. P. *II. 961*; Bucc. *loc. nuper cit.*

Tactus in partibus honestis iuxta consuetudinem patriae carent omni culpa. S. Alph. *III. 417.* Si autem fiant ex ioco, curiositate, levitate, imo etiam sensualitate sive affectu sensuali et naturali (dummodo non cum deleetatione venerea et eius causa) veniale non excedunt (B. P. *II. 976 sqq*; S. Alph. *III. 418*); attamen praesertim ab his tactibus inter puberes ex affectu sensuali habitis, maxime curandum est a confessariis, ut poenitentes abstineant. B. P. *II. 977.* Hinc nota, nimis duram et improbabilem videri sententiam D'Annibale (*II. 68* [*45*]) de tactibus in partibus honestis dicentis: « at ioci vel lusus causa, iuvenculae vel tantum pedem premere, brachium vellicare, digitum intorquere, grave esse tenendum est ». Et citat S. Alphonsum (*III. 415*); sed ibi s. doctor quaerit, an detur parvitas materiae in genere luxuriae et in re venerea, et affert sententiam Sanchez eam invenientis in attrectanda manu vel pede feminae etc., eamque improbat; porro patet s. doctorem agere de casu, quo in his aliquis quaereret delectationem veneream, quamvis excludatur periculum pollutionis vel consensus in actum carnalem.

De morali specificatione tactuum.— 3913
Tactus ob delectationem veneream habitos contrahere malitiam specie diversam ab aliis actibus incompletis, ex. gr. aspectibus etc., et specifice etiam differre pro variis personarum circumstantiis plerique affirmant. Cfr. B. P. *II. 791 sqq.* At non improba-

bile videtur oppositum : nam huiusmodi actus, licet physice procedant a facultatibus realiter distinctis, et ad obiecta tendant realiter distincta, moraliter tamen inspecti non continent malitiam intrinsecam gravem; sed gravem, quam continent, malitiam a delectatione venerea habent, ad quam proxime disponunt, et quae eadem specie est pro omnibus huiusmodi actibus (cfr. S. Th. *2. 2. q. 154. a. 4*); hinc non improbabiliter, explicata in confessione venerea delectatione secuta, cui quis consensit, necesse non est explicare, an eam quis sibi procuraverit aspectu vel tactu suipsius etc. Turpiloquium cum alio, vel tactus alterius personae, explicandus esset ratione scandali vel cooperationis. Explicata item in confessione interiore voluntatis delectatione venerea, vel desiderio voluntatis venereae delectationis explicandum necessario non videtur, an desiderium illud ad aspectus vel tactus turpes immediate terminabatur. Billuart *Diss. 6 art. 15 sqq.*; Bucc. *I. 783*; Reuter *p. II. tr. 3. c. 3. q. 10*. Evidenter autem actus isti incompleti specie differunt ab actibus completis et consummatis pollutionis et copulae. B. P. *l. c. n. 19*.

3914 **De tactibus quoad coniuges.** — Quoad coniuges nota, principium generale esse, omnia iis licere hac in re, citra peccatum grave, quibus vel pollutio extra vas vel sodomia non admittitur; et si ad hos actus incompletos (etiam tactus simpliciter inhonestos) ponendos, etiam sine ordine ad copulam, causa quaedam iusta adsit, ut esset ratio fovendi mutuum amorem, vitandi zelotipiam in altera parte etc., nullum omnino peccatum admittunt (S. Alph. *VI. 933*), etsi ex his tactibus aliisque incompletis actibus exsurgat in ipsis commotio spirituum vel membrorum generationi inservientium, aut sequatur distillatio, dummodo non intendatur pollutio, nec adsit periculum consensus in eam. B. P. *VI. 375*.

Multo magis licent tactus inhonesti, quibus se excitant ad copulam, dummodo non ita protrahantur, ut pollutio per se sequatur ante copulam, vel si ea per accidens habeatur, dummodo absit consensus in delectationem. G. B. *II. 731 (11)*.

Uxori licet seipsam tactibus excitare post copulam, in qua solus vir seminavit. B. P. *VI. 374*.

In coniuge seipsum seorsim turpiter tangere (citra pollutionem, ut patet) an sit grave controvertitur; S. Alphonso (*VI. 936*) sententia affirmans videtur verior, et in praxi omnino suadenda; idest secundum s. doctorem retrahendi sunt coniuges ab his tactibus, non iis affirmandum esse mortale peccatum illud, quod certo tale non est. B. P. *VI. 377*. Vid. *Actus coniugalis*.

Tametsi. — Nomine capitis « *Tametsi* » venit decretum Concilii Tridentini (*sess. XXIV. c. 1 de ref. matr.*), quo praescribebatur ad valorem matrimonii in iis locis, in quibus decretum illud fuerat publicatum, certa quaedam forma servanda in eius celebratione. Omnia vide sub *Clandestinitas*. 3915

Tapetum. — Episcopus praecipere potest ut altaria, ad quae per duos 3916

aut plures gradus ascenditur, sint insuper ligneo suppedaneo instructa vel saltem tapeto cooperta, praesertim in diebus solemnioribus. *S. R. C. in Cuneen. 2 iun. 1883 ad 1* (*3576*).

3917 **Taurorum spectaculum.** — Quoad hoc habetur sequens decretum S. Poenitentiariae (*10 sept. 1893*): « Supposita consuetudine, quae in Hispania viget, tauros scilicet in circo agitandi, sciens orator aliquibus in locis sacerdotem in circum mitti, secum habentem s. oleum, ut si necessitas exposcat, extremam unctionem indigenti ministret, infrascriptus humiliter quaerit:

« 1° Potest praelatus consentire, quod sacerdos spectaculo assistat secum habens s. oleum?

« 2° Posito quod indecens appareat, in loco adeo profano rem tam sanctam haberi, posset in alio loco proximo s. oleum ad cautelam asservari?

« 3° Potest tolerari, quod sacerdos, vi etiam consuetudinis, circo adsit? ».

Resp. « Ad 1^{um} Negative; ad 2^{um} Tolerari posse, ut loco propinquo sacro, vel saltem honesto et decenti, s. oleum asservetur; cauto, ne ex s. olei praesentia ipse lusus approbari vel promoveri videatur, neque ex condicto fiat; ad 3^{um} Negative ».

3918 **Taxa Innocentiana.** — Innocentius XI (*8 oct. 1678*) decretum edidit, quo declarabatur, an et quale emolumentum exigi aut acceptari posset tum pro variis cancellariae episcopalis actibus et scripturis, tum pro aliis praestandis ecclesiasticis officiis. Ex scopo, ob quem editum est, et ex Summo Pontifice, qui illud edidit, vocari consuevit *Taxa Innocentiana*. Illud per extensum refert Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Taxa* », et in compendium Bouix *de Episc. II. p. 5. c. 30. § 1.* At nunc adiunctis temporum immutatis, visum est Sacrae Congregationi Concilii novum decretum de eadem re edere, quod hic transcribimus.

« Ut norma haberetur uniformis in exactionibus pro variis actibus iurisdictionis ecclesiasticae non contentiosae, ac immodicarum taxarum onus, pluriumque controversiarum occasio tolleretur, Innocentius PP. XI legem tulit, quae, Innocentiana vulgo appellata, huiusmodi exactionum rationem apte moderabatur.

« Sed quum haec lex italico idiomate esset exarata, et idcirco communiori doctorum sententia eam nonnisi Italiae et adiacentium insularum dioeceses proprie afficere traderetur, ceteris autem congruentem dumtaxat agendi regulam praebere; haud universim videbatur consultum incommodis, quibus amovendis lex illa prodierat.

« Praeterea post tria ferme secula a legis promulgatione, pecuniae valore et aestimatione mutatis, et in novis diversisque adiunctis societate versante, plena Innocentianae legis observantia in ipsis Italiae dioecesibus difficilis evasit et quandoque etiam incongrua: unde ordinarii maiori in dies numero postulare coeperunt, ut novae peculiaresque exactiones ab Innocentiana diversae, probarentur aut tolerarentur.

« His mature perpensis, et per officium s. C. Concilii archiepiscopis

nedum Italiae, sed et aliarum regionum, de sententia rogatis, SSmus D. N. Leo PP. XIII particularem commissionem penes sacram Concilii Congregationem constituit, eique in mandatis dedit, ut de hac re cognosceret suamque sententiam emitteret.

« Iamvero in conventibus semel atque iterum ab ea habitis, tria, quae sequuntur, dubia, quibus universa quaestio comprehendi visa est, ad examen revocata sunt, nimirum:

« 1° An, et quae taxae imponi possint iuxta prudentiae et iustitiae regulas in materia sacramentali, ac speciatim in matrimoniali, itemque in materia beneficiaria.

« 2° An generalibus quibusdam editis normis, specifica praefinitio taxarum in singulis dioecesibus ordinariorum arbitrio sit relinquenda: an potius praescribendum, ut hac de re agatur in synodis provincialibus, et quatenus synodi haberi nequeant, in conventibus episcoporum in singulis provinciis, et in Italia in singulis regionibus ad hunc effectum peculiariter habendis, sub lege nempe ut uniformis taxa in singulis provinciis seu regionibus, quoad fieri possit, statuatur, sacrae Concilii congregationi pro approbatione subiicienda.

« 3° An et quaenam provisiones hac de re sint adhibendae?

« Quibus emi Patres, praevio consultorum voto, respondendum censuerunt:

« Ad 1^um^. Affirmative; ita tamen, ut quoad actus, qui directe respiciunt sacramentorum administrationem, servetur dispositio cap. 42. Decret. *de simonia*, scilicet ut libere conferatur ecclesiae sacramenta, et piae consuetudines observentur.

« Quod vero ad reliquos actus, qui directe non respiciunt administrationem sacramentorum, uti sunt dispensatio a denunciationibus matrimonii, venia conferendi baptisma in privatis domibus, et cetera huiusmodi:

« 1° Servandas laudabiles consuetudines, et rationem prudenter habendam locorum, temporum ac personarum;

« 2° vere pauperes eximendos a quibusvis expensis;

« 3° taxas non adeo graves esse debere, ut arceant fideles a receptione sacramentorum;

« 4° quoad matrimonium in specie, remittendas ipsas taxas esse in casibus, in quibus adsit periculum, ne fideles in concubinatum proruant;

« 5° tandem quoad beneficia ecclesiastica, taxas esse non debere proportionaliter inadaequatas reditibus beneficiorum.

« Ad 2^um^. Negative ad primam partem; affirmative, ad secundam.

« 3^um^. Affirmative et taxarum descriptionem seu notulam, modo et normis superius expositis confectam, quamprimum transmittendam ad sac. Concilii congregationem pro approbatione; quae tantum concedenda erit ad instar experimenti, pro dioecesibus Europae ad quinquennium, pro reliquis vero ad decennium ».

« Facta exinde de his omnibus relatione ssmo Domino Nostro per infrascriptum S. C. Concilii praefectum, Sanctitas sua dignata est resolutionem emorum patrum plene approbare et confirmare; simulque mandavit, ut

ab omnibus, ad quos spectat, sedulo atque integre servetur, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

« Datum Romae ex aedibus S. C. Concilii die 10 iunii 1896 ».

Cfr. Gottlob Ad. *D. Servitientaxe im 13 Jahrh. Studie z. Gesch. des päpstl. Gebührenwesens.*

3919 **Telegramma.** — Non admittitur in curia romana seu in romanis congregationibus petitio dispensationum. gratiarum etc. per telegramma, uti constat ex declaratione secretariae status (*10 dec. 1891*); hoc autem in curiis episcopalibus non est prohibitum. Dispensatio matrimonialis ab ordinario exsecutioni mandata, habita notitia dispensationis concessae per telegraphum, antequam perveniret authenticum documentum, nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio auctoritate S. Sedis, est invalida. *S. U. I. 14 aug. 1892.*

Robert Des contrats par correspondance, messagers, lettres missives, télégrammes; *Rousseau R.* Traité théorique et pratique de la correspondance par lettres missives et télégrammes; *Gabba C. F.* Della responsabilità del danno arrecato da sbagli telegrafici *Manini P. S.* Della prova per telegrammi; *Sanlaville* De la responsabilité civile de l'Etat en matière de postes et de télégraphes; *Vidari E.* Ritardi ed errori telegrafici.

3920 **Telephonium.** — Ad dubium: utrum in casu extremae necessitatis dari possit absolutio per telephonium, S. Poenitentiaria (*1 iul. 1884*), respondit: nihil est respondendum.

Monialibus quibusdam cisterciensibus strictioris observatiae sub clausura degentibus, petente episcopo Canariensi concessus est usus telephonii ad hunc finem, ut confessarium, qui longius ab earum domo commorabatur, in casu necessatis advocare possent; praescriptis tamen ab episcopo debitis cautelis, ne aliquod inconveniens oriretur, ac praecipue, ut in actu eum advocandi duae adessent ex probis et senioribus monalibus, quae verba audirent. *S. C. EE. RR. 20 mart. 1895.*

Gabba C. F. Il telefono e la giurisprudenza *Vidal* Le téléphone au point de vue juridique; *Bianchi Ferd.* I contratti conclusi per telefono.

Temperantia. — Temperantia est 3921 virtus, qua concupiscentia refrenatur (S. Th. *2. 2. q. 141. a. 2*), et dividitur in abstinentiam, castitatem et modestiam, prout concupiscentiam refrenat circa cibum et potum, vel circa venerea, vel tandem circa ea, quae ad vitam recreandam sunt ordinata. S. Th. *2. 2. quaest. cit. et sqq.* Quum autem moderatio, quae in omni virtute requiritur, praecipue laudabilis sit in delectationibus tactus, circa quas est temperantia; tum quia tales delectationes sunt magis nobis naturales et ideo difficilius est ab eis abstinere et concupiscentias earum refrenare, tum etiam quia earum obiecta magis sunt necessaria praesenti vitae; ideo temporantia est virtus principalis seu cardinalis. S. Th. *2. 2. q. 141. a. 7.*

Templa. — Templa acatholicorum 3922 adire per se est actus indifferens, qui nonnisi a pravo fine vel a circumstantiis efficitur malus (*S. U. I. 14 ian. 1818*); quare si quis mera curiositate huiusmodi templa ingrediatur, nisi ex periculo vel ex scandalo aliud dicen-

dum sit, peccatum non admittit; si vero templa haec ingrediatur, ut ceremoniis acatholicis assistat eo consilio, ut ministro protestantico etc. se dedat, si forte ab eo persuadeatur, incurrit excommunicationem latae sententiae R. P. specialiter reservatam. *Const.* «Ap. Sedis» *ser. 1. n. 1.* Romae vero etiam assistens ex mera curiositate, et materialiter tantum, ceramoniis acatholicis graviter peccat ex prohibitione emi card. Urbis vicarii (*12 iul 1878*); alibi qui hoc admittit, saepius graviter quoque peccat ex periculo et scandalo, praesertim acatholicorum collationes auscultando. Cfr. *Instr. S. C. P. F. a. 1719.*

Vid *Ceremoniae acatholicae.*

Architecti, conductores, fabrorum magistri, qui propriam conferunt operam, atque laborant ad exstruendum aliquod acatholicorum templum, graviter peccant. Structores aliique operarii inferiores a peccato eximuntur, dummodo in eorum facto absit scandalum, neque opus fiat in religionis catholicae contemptum. *S. U. I. 14 ian. 1818, 7 iul. 1864.* Vid. *Cooperatio.*

Temporalis principatus R. P. — Vid. **Usurpantes.**

3923 **Tempus.** — Supputationes temporis, quae magis sunt in usu, hae sunt: annus, mensis, dies, hora.

De anno. — Annus constat diebus tercentis sexaginta quinque. *l. 4. §. 5. de statu liberis D.* (*XL. 7*); *l. 51. §. 2. ad legem Aquiliam D.* (*IX. 2*). Quum autem secundum romanos in anno bissextili posterior dies kalend. mart. intercalaretur, ac proinde illud biduum haberetur pro uno die, etiam annus bissextilis dicebatur constare tercentis sexaginta quinque diebus (*l. 3. §. 3 de minor. 25 ann. D.* [*IV. 4*]); at nostris moribus dies ille non intercalatur, hinc annus bissextilis constat tercentis sexaginta sex diebus. Cfr, *C. P. a. 30.*

Annus autem vel naturalis est vel civilis; alio autem modo naturaliter, alio civiliter numeratur. Numeratur naturaliter, quum a momento ad momentum eum computamus; civiliter, quum non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus. *l. 134. de verb. sign. D.* (*L. 16*).

Numerari autem de momento in momentum, seu ad momenta temporum tunc tempus dicitur, quum inter momentum, a quo supputatio incipitur et momentum, ad quod perducitur materialiter integrum omnino effluxerit spatium illud, quod supputatur ut ex. gr., si de anno agatur, integri effluxerint tercenti sexaginta quinque dies, nec unum horae momentum, seu una horae minuta pars ad eos desit. De die ad diem seu ad dies annus vel mensis computatur, quum ille, qui ad extremum anni vel mensis diem pervenerit, annum vel mensem absolvisse dicitur.

De mense. — Mensis, si non est 3924 definita dies, a qua computatio incipitur, secundum quosdam semper triginta diebus constat (et ita statutum est in Codice Italico *a. 2133.*, pro praescriptionibus); secundum alios (Cfr. Lugo *de iust. et iure disp. XXII. n. 314*), computari debet prout iacet in calendario (et ita statutum est in Cod. Comm. It. *a 285.*, pro computando tempore, ex quo peti potest so-

lutio alicuius syngraphae nummariae [*cambiale*]).

Si autem definita est dies, a qua computatio incipitur, tunc mensis perficitur eo die, qui in ordine dierum mensium correspondet diei, a quo incepta est numeratio; ita ut mensis incoeptus die 5 aprilis terminetur die 5 maii. Cfr. *l. 5 qui testamenta etc. D.* (*XXVIII. 1*); *Cod. Comm. It. a 285.*

3925 **De die.** — Dies constat viginti quatuor horis, et computatur vel civiliter (more romano et nostro a media nocte ad sequentis noctis mediam partem, *l. 8 de feriis etc. D.* [*II. 12*]. *c. 24 de off. et pot. iud. del. X.* [*I. 29*]); vel naturaliter, et tunc de momento in momentum numeratur.

Ecclesiastice (liturgice tamen, non vero iuridice) dies computatur a primis vesperis unius diei, usque ad integrum subsequentis diei vespertinum crepusculum (*Constit.* Ben. XIV « Peregrinantes » *5 maii 1749*), ut ad indulgentias.

Dies in iure sumitur etiam quandoque pro quovis tempore. Cfr. tit. *de in diem addictione D.* (*XVIII. 2*).

3926 **De hora.** — Hora iam transiisse intelligitur, quum primus auditur horologii ictus sequentem horam indicans. Schmalzgrueber *in tit. 5 lib. III Decr. n. 306*; D'Ann. *I. 39.*

3927 **De tempore continuo et de tempore utili.** — Tum anni, tum menses, tum dies, tum horae, idest tempus generatim in iure continuum est et utile.

Continuum illud appellatur, quod vulgo et naturaliter annus, mensis etc. dicitur, et in eo computatio fit de momento ad momentum. Cfr. *l. 31. §. 1 de usurpat. et usuc. D.* (*XLI. 3*).

Utile vero illud est, in quo quis agere potest, seu quibus alicui experiundi sui iuris potestas est. *l. 1 de diversis temporalibus praescrip. etc. D.* (*XLIV. 3*); *l. 11. §. 5 ad legem Iuliam de adult. etc. D.* (*XLVIII. 5*). Proinde tempus utile neque ignoranti neque agere non valenti currit.

De ratione accipiendi tempus, quando in legibus determinatur. — 3928 Si quando leges certum tempus statuunt, idest spatium quoddam temporis annis, mensibus etc. constans, annus, mensis etc. debet accipi plenus. Sed annus, mensis etc. estne plenus incoepta, quamvis non expleta, ultima die?

Et respondet Vinnius (*Comm. in Inst. Iust. lib. I. tit. 23*), ex Glossa, diem coeptum pro completo haberi, quoties id alicui utile est, aut alioqui favorabile, ut in usucapionibus (*l. 6 de usucapion.*), in testamenti factione (*l. 5 qui testam. facere*), in manumissionibus (*l. 1 de munumiss.*), quo etiam pertinet lex « *anniculus* » *124 de verb. signif.* In honoribus quoque favoris gratia constitutum est, ut annus inchoatus pro pleno habeatur (*l 8 de mun. et hon.*). Contra autem, ubi favorabile est, non numero dierum, sed momentis temporum annum dividi, tunc dies coeptus pro completo non habetur, ut in temporalium actionum praescriptione (*l. 6 de obl. et act.*), in vacatione tutelae (*l. 2 de excusat.*), etc. Hinc regula: *dies termini non computatur in termino* (Barbosa *axiom. 71. n. 5*) applicatur in favorabilibus (cfr. *l. 1 si quis cautionibus etc.*

D. [*II. 11*]; *l. 101 de divers. reg. iur. ant.* [*L. 17*]); non autem in odiosis - quare, ait D'Annibale (*I. 39*), si novitius professionem emiserit ultima decimisexti anni sui die, aut minor novissima vicesimi primi anni die obligationem contraxerit (*l. 3. §. 3 de min.*), nihil agunt. Similiter statim ac ultima dies termini advenerit, creditor petere a suo debitore debitum potest, sed debitor, nonnisi expleta ea die, reddere tenetur. Attamen lex, ut patet, potest etiam ultimam diem completam requirere; sic in iure italico, nonnisi exacta ultima die termini, praescribi potest (*C. C. a. 2134*), imo ipse creditor, nonnisi exacto termino, petere potest. *C. C. a. 1174.* Brevi, dies coepta pro completa habetur in favorabilibus, non autem in odiosis. Cfr. Reiffenstuel *in tit. 31 lib. III Decr. n. 95.*

3929 **De die certa et incerta.** — Dies praeterea alia dicitur certa, alia incerta. Certa ea dicitur, quae, quod exstitura sit et quando, praescitur (*dies 17 maii*); incerta ea, quae nescitur, an sit exstitura (*quo die nupseris*), vel quando (*quo die morieris*). Dies incerta, de qua ignoratur an sit exstitura, semper pro conditione habetur. *l. 30. §. 4 de legatis* (*I*) *D.* (*XXX*); *l. 11 de legatis* (*II*) *D.* (*XXXI*).

Dies certa, ex. gr. kalendis ianuariis, si multiplex possit esse, idest kal. ian. huius anni vel alterius, sumenda est pro ea, quae primum occurret, nisi ex eo, quod actum est, constet aliam remotiorem esse accipiendam. *l. 41 de verb. oblig. D.* (*XLV. 1*).

De variis locutionibus iuris, quae 3930
ad hoc spectant. — Iuvat hic quasdam iuris locutiones explicare. Dicitur *dies cedere*, quando incipit aliquid deberi; *venire diem* significat, eum diem venisse, quo pecunia peti potest. *l. 213 de verb. signif. D.* (*L. 16*). *In diem* significat usque in diem, sic in diem mortis, idest usque ad diem mortis (cfr. *leg. 92 de legatis* [*III*] *D.* [*XXXII*]); *ex die* significat aliquid ante illum diem non deberi, ita ut vis huius formulae haec sit, ut ante certum diem aliquid non exigatur. *l. 44 de oblig. et act. D.* (*XLIV. 7*).

Reusneri Nic. De obligatione ex die vel ad diem contracta; *Foenutii Laz.* Tract. de momento temporis; *Allatii Leon.* De mesura temporum antiquorum; *Bansii R.* Disp. de momento temporis; *Antonelli Io. Car.* De tempore legali tract. absolutissimus; *Soyeri Leonell.* Annus et dies iuridicus sive accurata resolutio quaestionum in hac materia iuridice occurrentium; *Ripa Pol.* Tract. de nocturno tempore; *Fritdlieb* Tract. de tempore; *Bechmanni I. W.* De eo quod iustum est circa dies; *Ruehle* De eo quod iustum est circa dies; *Rücker I. C.* Diss. de naturali et civili computatione temporis; *Haubold C. G.* De temporis continui et utilis commutatione; *Reinfelder F.* Der annus civilis des Röm.-Rechts; *Lenz* Lehre v. dies; *Ramponi Lamb.* La determinazione del tempo nei contratti; *Blandini G.* Il tempo nel diritto privato longobardo; *Durand* Etude sur le dies incertus; *Ennecerus* Rechtsgeschäft, Bedingung u. Anfangstermin; *Bazenet* Droit romain: du terme incertain; *Siméon.* Das Wesen d. befristeten Rechtsgeschäft; *Politi.* Le obbligazioni a termini nel diritto romano.

Tempus feriatum. — Tempus feria- 3931
tum enumeratur inter impedimenta

impedientia matrimonii. Currit a prima dominica Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria quarta cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive.

Impedimentum hoc, potius quam ipsam matrimonii celebrationem, respicit matrimonii solemnitates; scilicet voluit ecclesia, ut iis temporibus, quae poenitentiae et orationi magis addicta sunt, abstineant fideles ab agendis pompis et solemnitatibus, quae profanam laetitiam sapiunt.

Hinc tempore feriato possunt fieri sponsalia, proclamationes, potest consummari matrimonium iam contractum, possunt etiam matrimonia celebrari, seb absque solemnitatibus; imo ne privata quidem traductio sponsae, omissis specialibus laetitiae signis, neque simplex quoddam convivium prohibentur. Benedict. XIV *Inst. eccl. LXXX.*

Aliquibus in dioecesibus, vel positiva lege lata, vel consuetudine legitima, ipsa matrimonii celebratio interdicitur; tunc necessaria esset ad matrimonium contrahendum licentia ordinarii (Zitelli *App. iur. eccl. lib. II. c. 2. art. 7. §. 6*); et hunc casum videtur respexisse sacra Congregatio Rituum decreto *30 iun. 1896* (*3922*) dicens: « Temporibus vero prohibitis nuptiae quidem celebrari possunt de licentia episcopi, at sine solemnitate, ideoque privatim ».

Hoc tempore, si matrimonium contrahatur, abstinendum est a nuptiali benedictione et a dicenda missa *pro sponso et sponsa*, imo neque in missa currenti fieri potest commemoratio pro sponsis. *S. R. C. decr. cit. 30 iun. 1896.* Verum huiusmodi sponsi possunt hanc ipsam benedictionem postea obtinere extra tempus feriatum (*S. U. I. 31 aug. 1881*), et tunc est celebranda missa *pro sponso et sponsa*, quando a rubricis permittitur, quum benedictio nuptiarum in missali posita ab ipsa missa *pro sponso et sponsa* abstrahi numquam possit, sed infra eam omnino fieri debeat. *S. R. C. 30 iun. 1896.*

Nec solum, si quando matrimonium hoc tempore contrahatur, prohibita est benedictio nuptiarum etc., sed etiam vetitum est celebrare convivia nuptialia, sponsam solemni pompa domum traducere, et alia huiusmodi. Zitelli *loc. cit.*

Episcopus ab hoc impedimento dispensare nequit, si agatur de permittenda solemni traductione sponsae et aliis signis laetitiae, imo verius ne permittere quidem potest, quod sacerdos coniugibus impertiatur solemnem benedictionem, ut inter alia erui posse videtur ex decreto S. Congr. Rituum in una Montis Albani *14 aug. 1858.* (*3079*).

Sacerdos, qui tempore clauso sponsis impertiretur solemnem benedictionem nuptialem, et ipsi sponsi, qui eo tempore solemnitates nuptiarum celebrarent, puniendi essent arbitrio ordinarii.

Tit. de feriis X. (II. 9); Conc. Trid. sess. XXIV. c. 10 de ref. natr.; *Leistentritius* Constitutio veteris ecclesiae complectens gradus et totius anni tempora in quibus licet copulare; *Linck* De imp.. matr. impedient.; *Schott* Diss. sistens historiam legum eccl. de temporibus nuptiarum clausis. Praeterea omnes, qui de matrimonio tractatus scripserunt, quos vide sub *Matrimonium*.

3932 **Tentatio Dei.** — Tentatio Dei est dictum vel factum, quo quis explorat, an Deus sit potens, sapiens, etc. S. Th. *2. 2. q. 97. a. 1.* Procedit autem vel ex infidelitate, nempe ex dubio de aliqua Dei perfectione, vel saltem ex praesumptione. S. Th. *2. 2. q. 97. a. 2*; *a. 3. ad 2.* Illa formalis, haec interpretativa a quibusdam dicitur; quarum una ab alia differre videtur, non tantum quia haec materiae parvitatem admittit, illa vero non; sed etiam ipsa specie seu specifica sui malitia. B. P. *II. 371 sqq.*; *378*; *381.* Formalis igitur expressa, semper est mortale peccatum contra religionem; implicita venialis esse potest. B. P. *II. 375 sqq.* Hinc non licet innocentiam suam probare duello, igni, etc. B. P. *II. 381.* Per se autem venialiter peccat, qui ex negligentia imparatus accedit ad concionandum, sperans a Deo speciale auxilium. G. B. *I. 283.*

3933 **Terra Sancta.** — Constitutiones Summorum Pontificum contra occupantes et detinentes eleemosynas et bona ad loca Terrae Sanctae spectantia vigent adhuc, non tamen censurae latae sententiae, nisi eae, quae comprehenduntur in cap. 11 sess. XXII de ref. Conc. Trident. *S. U. I. 28 iun. 1876, 7 sept. 1898.* Cfr. etiam decr. S. C. P. F. *20 febr. 1891.*

3934 **Tertiarii. — De tertiariis et ascriptione in tertium quemdam ordinem.** — Tertiarii sunt illi Christifideles, qui canonice admissi sunt in tertio ordine quorumdam institutorum religiosorum, cuius regulam acceperunt. Insigniores sunt tertius ordo S. Francisci et S. Dominici; habetur tamen etiam tertius ordo Carmelitarum et Minimorum etc.

In his tertiis ordinibus habentur generatim socii, qui in seculo vivunt, et socii, qui vivunt collegialiter; hi pauciores, illi numerosiores omnino sunt.

Obligationes et privitegia horum tertiariorum definiendae sunt ex regulis a S. Sede approbatis.

Regulares sive ordinum religiosorum sive religiosarum congregationum, etiamsi in iis vota ad tempus emittantur, non possunt ascribi his tertiis ordinibus; hoc expresse declaratum est pro tertio ordine S. Francisci (*S. C. Ingulg. 16 iul. 1887*), sed et ad alios extendendum esse evidenter patet, et declaratum est in alio decreto S. Congr. Indulg. *31 ian. 1893.*

Imo etiam fideles, qui inter tertiarios unius ordinis fuerunt cooptati, cooptari nequeunt inter tertiarios alterius ordinis; qui antea pluribus tertiis ordinibus fuerant ascripti, possunt eligere unum prae altero ex illis tertiis ordinibus, quibus nomen dederant. *S. C. Indulg. 21 iun. 1893.* Quoad hoc unica habetur exceptio pro fidelibus Bononiae degentibus, qui ex recenti concessione, ob memoriam S. Dominici ibique demortui et sepulti, cooptari possunt in tertium ordinem secularem S. Dominici, quamvis iam alteri tertio ordini sint ascripti. *S. C. Indulg. 8 aug. 1899.*

Iuverit etiam hic referre sequentia dubia proposita ab episcopo Ratisbonensi cum suis responsionibus. Scilicet:

« 1°. Utrum Christifidelibus, qui fuerunt admissi ad novitiatum tertii

ordinis secularis S. Francisci in aliqua congregatione, quae subest iurisdictioni, puta FF. Capuccinorum, quique alio transmigrant, ubi exsistit congregatio subiecta FF. Minoritis aut FF. Conventualibus, inibi professionem valide emittere possint?

« 2°. Utrum parochus vel quilibet alius sacerdos, qui erat praeditus facultate, puta a FF. Minoribus, cooptandi Christifideles in tertium ordinem secularem S. Francisci, si in alium locum pergat, ubi exsistit congregatio subiecta FF. Capuccinis, denuo obtinere debeat facultatem ad praefatos actus exercendos, vel uti ea valeat, qua primum potiebatur? ».

Responsum est a S. Congregatione Indulgentiarum sequenti decreto:

« 1°. Ut novitii tertiarii seculares S. Francisci professionem emittere valeant in congregatione alterius obedientiae, seu diversae ab illa, in qua ad novitiatum fuerant admissi, si melius eorum commoditati provideatur.

« 2°. Ut professi eadem de causa transire possint ab una congregatione ad aliam diversae obedientiae.

« 3°. Ut parochus, vel quilibet sacerdos, alicuius congregationis tertiariorum moderator, si alio transferatur, ubi alia congregatio diversae obedientiae reperiatur, eamdem regere possit, quin indigeat nova approbatione: teneatur tamen hac de re certiorem facere visitatorem regularem, ut cum eodem negotia congregationis gerere valeat ». *S. C. Indulg 4 mart. 1903.*

Non abs re erit addere hic sequentia duo dubia s. Congr. Indulgentiarum proposita cum respectivis responsionibus:

« Minister provincialis ordinis Fratrum Minorum, in regulari provincia Immaculatae Conceptionis apud rempublicam Brasiliensem commorantium, praevio sacrorum pedum osculo, humillime Sanctitati Tuae exponit, apud unam eademque ecclesiam conventui Fratrum Minorum annexam, et maxime in dioecesi Curitybensi, exstare quatuor congregationes, vel plures paucioresve tertii ordinis secularis Sancti Francisci, propter diversas sodalium nationes, ita ut unaquaeque habeat suos ab invicem independentes officiales, proprios coetus sub proprio directore spirituali. Inde quaerit:

I. — Utrum liceat eiusmodi diversas congregationes in una eademque ecclesia, sive in iisdem sive in diversis ecclesiae cappellis, habere?

II. — Utrum sic indulgentias lucrari valeant confratres, qui ad diversas eiusmodi pertinent congregationes?

Et Deus etc.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declarat: Nihil obstare, quominus sodalium tertii ordinis secularis Sancti Francisci congregationes constituantur, prout exponitur, simulque gaudeant indulgentiis aliisque spiritualibus gratiis et privilegiis ipsis concessis » *S. C. Indulg. 8 mart. 1905.*

De generali absolutione tertiariis impertienda. — Sacerdotes tertiarii deputati ad moderandam aliquam ex congregationibus tertii ordinis secularis S. Francisci, qui legitime impediuntur, quominus, statutis diebus, 3935

recipere valeant ab alio sacerdote generalem absolutionem seu papalem benedictionem cum annexa plenaria indulgentia, lucrari eam possunt in ipso actu, quo tertiariis sibi subditis absolutionem aut benedictionem papalem impertiuntur, dummodo sint rite dispositi, eaque praestiterint pia opera, quae praescripta sunt. *S. C. Indulg. 14 iul. 1900.* Sacerdotes autem tertii ordinis secularis S. Francisci, qui suis muneribus sacerdotalibus impediti sunt, quominus assignatis diebus ecclesiam vel oratorium adire valeant ad recipiendam benedictionem papalem vel absolutiones generales cum annexa indulgentia plenaria, praefato tertio ordini concessas, easdem recipere possunt quocumque die inter festi octiduum occurrente. *S. C. Indulg. 11 febr. 1903.*

Superior regularis aut eius delegatus, quum absolutionem generalem propriae communitati impertitur, ipse quoque eam lucrari valet. *S. C. 1 febr. 1905.*

Sacerdos qui hanc generalem absolutionem impertitur, stola violacei coloris uti debet. *S. R. C. 22 dec. 1905.*

3936 **De tertiariorum iudulgentiis et de calendario ab eis adhibendo.** — Tertiarii seculares non admittuntur ad communicationem indulgentiarium et gratiarium, quibus fruntur regulares primi et secundi ordinis respectivi, sed pro iis vel confectus (cfr. Brev. « quia multa » *7 sept. 1901 pro tertiariis Franciscanis*; *decr. S. Congr. Indulg. 5 sept. 1903 pro tertiariis ordinis s. Augustini*; *decr. eiusd. s. Congr. 18 sept. 1903 pro tertiariis ord. Carmelitarum*; *decr. eiusd. s. Congr. 1 mart. 1904 pro tertiariis Praemonstratensibus*; *decr. eiusd. s. Congr. 28 iun. 1904 pro tertiariis ord. B. M. V. de Mercede*; *decr. eiusd. s. Congr. 25 sept. 1904 pro tertiariis ord. s. Trinitatis*; *decr. eiusd. s. Congr. 13 iun. 1906 pro tertiariis Dominicanis*) vel conficiendus est catalogus indulgentiarum et gratiarum. *S. C. Indulg. in Surrentina 18 iul. 1902.* Communicationes indulgentiarum cum primo et secundo ordine respectivo nec non cum aliis tertiariis et eorum ordinibus, etiam speciali indulto concessae, sublatae sunt. *S. C. Indulg. decr. nuper cit.*; cfr. etiam *decr. eiusd. s. Congr. 31 ian. 1893.*

Quoad tertiarios vero in commu- 3937
nitate viventes et vota simplicia emittentes s. Congr. Indulgentiarium et Reliquiarum huic proposito dubio : « An generali dispositione omnibus institutis tertiariorum in communitate degentium et vota simplicia emittentium ab Apostolica Sede sint concedendae indulgentiae primo et secundo ordini respective propriae » respondit : « affirmative ». *S. C. Indulg. 28 aug. 1903.* « Hoc emorum Patrum responsum Sanctitas Sua probavit et confirmavit, decrevitque : 1° ut instituta tertiariorum in communitate degentium et vota simplicia emittentium dummodo ordinibus, a quibus nomem et habitum mutuantur, legitime sint aggregata, participent omnes indulgentias a Romanis Pontificibus primis et secundis ordinibus directe tantum concessas ; 2° ut eorumdem ecclesiae eiusdem indulgentiis gau-

deant, quibus ecclesiae respectivi primi et secundi ordinis fruuntur; 3° ut aliae indulgentiae huiusmodi tertiis ordinibus antea concessae in posterum solis tertiariis in seculo viventibus sint propriae ». *S. C. Indulg. decr. super cit.* Occasione istius responsionis novum dubium exortum et eidem s. Congregationi propositum est, scilicet:

« Num quando agitur de lucrandis praefatis indulgentiis sub nomine *ecclesiae* tertiariorum veniant non solum oratoria publica, sed etiam semipublica, in quibus, ex decreto sacrae Rituum Congregationis, diei 23 ianuarii 1899, non modo qui sunt de communitate, sed alii etiam Christifideles satisfacere queunt diebus festis praecepto audiendi sacrum? »

Et sacra Congregatio, audito etiam consultorum voto, respondendum mandavit:

« Negative: et supplicandum Sanctissimo, ut benigne extendere dignetur etiam ad oratoria semipublica tertiariorum privilegium lucrandi indulgentias, de quibus in casu, sed favore tantum eorumdem tertiariorum ceterarumque personarum cum ipsis in communitate degentium ». Ss. Dnus et responsionem confirmavit et petitam extensionem concessit. *S. C. Indulg. 23 mart. 1905.*

Occasione decreti supra citati s. Congr. Iudulgentiarum diei 28 aug. 1903 sequentes preces s. Congr. Episcop. et regular. oblatae sunt:

« Infrascriptus Minister generalis ordinis FF. Minorum Capuccinorum, ad osculum s. pedis prostratus, humiiter exponit, quod ipsi interdum a congregationibus tertiariorum S. Francisci in communitate viventium et vota simplicia emittentium porriguntur preces eo tendentes, ut primo et secundo ordini ab ipso dependenti aggregentur, et sic vi decreti Apostolici sub die 28 augusti anni 1893 editi a S. C indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita, indulgentiarum et spiritualium gratiarum eiusdem primi et secundi ordinis, quantum concedere fas est, participes efficiantur. Porro inter has congregationes inveniuntur etiam tales, quae non dicti primi et secundi ordinis habitum, nec nomen Capuccinorum mutuantur, licet tamen, uti relatum fuit, ad magnam familiam Franciscanam pertineant. Quapropter idem Minister generalis, ad obsecundandum piis enuntiatarum congregationum votis, ad praecavendas invalidas tertiariorum regularium aggregationes, et etiam ad sui ordinis bonum spirituale promovendum, Sanctitati V. humiliter supplicatur pro gratia:

1ª Ut tam ipse quam sui successores, congregationes tertiarorum ac tertiariarum tertii ordinis S. Francisci regulam a Leone XIII approbatam quoad substantiam profitentium, in communitate viventium, et vota simplicia emittentium, sive primi et secundi ordinis habitum et nomen mutuentur, sive non, eidem primo et secundo ordini aggregare possint ac valeant.

2° Ut earumdem congregationum sodales, si id petant, ut quandoque evenit, participes reddere valeant omnium bonorum operum, quae in dicto primo et secundo ordine a sin-

gulis membris peraguntur, utque vicissim primi et secundi ordinis membra participare possint omnibus bonis operibus, quae a sodalibus congregationum ut supra aggregatarum perficiuntur.

Et Deus etc,

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, sacra Congregatio emorum et rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentis expositis, benigne annuit precibus P. Ministri generalis oratoris pro gratia, dummodo enuntiatae societates sint rite tertio ordini Franciscali addictae, nec alterius familae Franciscalis seu Fratrum Minorum vel Fratrum minorum Conventualium directioni subiaceant. Contrariis quibuscumque non obstantibus ». *S. C. EE. RR. 18 nov. 1905.*

Huic concessioni alia accessit ad instantiam procuratoris generalis. Is enim sequentes Bmo Patri porrexit preces :

3988 « Procurator generalis ordinis Minorum Capuccinorum, nomine Ministri generalis eiusdem ordinis, ad genua Sanctitatis Vestrae provulutus, humiliter supplicat pro gratia ut ad normas similis privilegii a Summo Pontifice Pio VI (Const. « Religiosos ordines » diei 6 septembris 1785) ordini Fratrum Minorum concessi, et declarationum a Sacrorum Rituum Congregatione sub die 8 augusti 1835 (Decret. authent. S. R. C. n. 2735 ad VI), et 15 aprilis 1904 editarum, non solum moniales Capuccinae secundi et tertii ordinis regularis, quae iam vigore privilegii sacrorum Rituum Congregationis die 24 ianuarii 1688 (Decret. authent. n, 1790 ad II), hanc gratiam consecutae sunt, sed etiam omnes utriusque sexus tertiarii in communitate viventes, et vota simplicia emittentes, qui sint instituti aliquam coniunctionem in sua origine aut progressu cum ordine Minorum Capuccinorum habentis, aut qui ad tramitem decreti sacrae Congregationis indulgentiarum diei 28 augusti 1903 et rescripti sacrae Congregationis episcoporum et regularium diei 18 novembris 1905, eidem aggregati fuerunt, aut in futuro aggregabuntur, licet etiam non divinum officium quotidie recitent, sed officium Deiparae parvum aliasque preces dumtaxat persolvant in suis ecclesiis et oratoriis, uti valeant kalendario, missali ac martyrologio ad usum Fratrum minorum Capuccinorum a Summo Pontifice Leone XIII, sub die 4 decembris 1894 approbatis, ita tamen ut si sint sacerdotes, ecclesiae sive simplici sive parochiali canonice mancipati, in festis patroni principalis tituli ac dedicationis ecclesiae tam propriae quam cathedralis, necnon quibus diebus missam applicare debent pro populo, teneantur in officio et missa sequi kalendarium dioecesis prouti Fratres primi ordinis, ac deinde recurrente iuxta kalendarium primi ordinis aliquo officio secundum ordinem dioecesanum iam recitato, prouti fit in eodem primo ordine, impeditorum festorum repositionem seu translationem disponere,

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctis-

simo Domino Nostro Pio Papa X tributis, attentis expositis, benique precibus annuit: exceptis tamen tertiariis Franciscalibus tam secularibus quam regularibus, qui kalendarium ordinis Fratrum Minorum seu Conventualium in horis canonicis persolvendis sacroque litando iam assumpserint. Contrariis non obstantibus quibuscumque ». *S. R. C. 22 ian. 1906.*

3939 Relate ad kalendarium a tertiariis adhibendum duo alia sequentia habentur responsa:

I. « Hodiernus rmus Procurator generalis ordinis Fratrum Minorum, annuente supremo eiusdem ordinis moderatore, ut omnis removeatur ambigendi causa, sacrorum Ritunm Congregationi sequentia dubia proposuit, nimirum:

1. Utrum facultas adhibendi kalendarium Romano-Seraphicum a Summo Pontifice Pio VI per Bullam « Religiosos ordines », sub die 6 septembris 1785, facta monialibus... tertii ordinis S. Francisci... aliisque... quae vel sint instituti connexionem aliquam seu coniunctionem in sui origine aut progressu cum ordine Minorum habentis... necnon personis tertii status, competat iam, non solum tertiariis utriusque sexus divinum quotidie recitantibus officium, sed etiam tertiariis officium Deiparae parvum aliasque preces dumtaxat persolventibus; atque in eorum ecclesiis atque oratoriis?

2. Utrum licentia adhibendi kalendarium Romano-Seraphicum, concessa per memoratam superius bullam ab eodem Pio VI « personis tertii status tertii Ordinis S. Francisci choro non obligatis » intellegenda sit dumtaxat de sacerdotibus in privato oratorio celebrantibus, vel nullius ecclesiae servitio canonice addictis: an etiam de sacerdotibus tertiariis alicui ecclesiae sive simplici, sive parochiali canonice mancipatis?

3. Et quatemus affirmative ad secundam praecedentis dubii partem: num iidem sacerdotes tertiarii alicui ecclesiae canonice adiuncti, in festis patroni principalis, tituli, ac dedicationis ecclesiae tam propriae quam cathedralis, necnon quibus diebus debent missam applicare pro populo, teneantur in officio et missa sequi kalendarium dioecesis, prouti Fratres primi ordinis: ac deinde recurrente iuxta calendarium Minoriticum aliquo officio secundum ordinem dioecesanum iam recitato, utrum se conformare possint calendario Romano-Seraphico, an vero habita ratione huiusmodi officiorum de praecepto debeant, prouti fit, in primo ordine, impeditorum festorum repositionem seu translationem disponere?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto commissionis liturgicae-omnibusque diligenter perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam quoad sacras functiones in ecclesia.

Ad 3. Ad primam partem, affirmative; ad secundam partem, negative quoad primam quaestionem et affirmative quoad secundam ». *S; R. C. 15 apr. 1904.*

II. « A sacrorum Rituum Congregatione nuper expostulatum est: 1. An sorores tertiariae ordinum regularium ordinariis locorum subiectae, quae in communitate vivunt, vota simplicia nuncupant et tantummodo officium parvum B. M. V. recitant, teneantur in propria ecclesia, seu oratorio, sequi kalendarium respectivi ordinis, relicto kalendario dioecesano, quo, annuente ac praecipiente loci ordinario, a diuturno tempore usque in praesens utuntur?

Et quatenus Negative, 2. An eaedem sorores praedictum kalendarium dioecesanum adhibentes participent omnes indulgentias, quae a Romanis Pontificibus directe concessae sunt tantum respectivis ordinibus eorumque ecclesiis?

Et sacra eadem Congregatio, ad retationem subscripti Secretarii, exquisito commissionis liturgicae suffragio, attentisque decretis sacrarum Congregationum Rituum et Indulgentiarum, ita respondendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative. Serventur autem decreta praesertim S. R. C. n. 3862 Urbis et Orbis 9 decembris 1895 et S. C. Indulg. et sacr. Reliq. " De indulgentiis tertiariorum „ 28 augusti 1903 ». *S. R. C. 10 maii 1907.*

3940 **Quaedam peculiaria de tertio ordine S. Francisci.** — Quoad tertium ordinem regularem S. Francisci haec praeterea annota ex decreto S. Congr. Indulgentiarum *31 ian. 1893.* Scilicet tertius ordo secularis S. Francisci non tenetur lege a Clemente VIII, constitutione sua « Quaecumque » (*7 dec. 1604*) statuta, qua praecipitur, unam tantum confraternitatem et congregationem eiusdem ordinis et instituti in singulis civitatibus et oppidis erigi posse ad erigendam congregationem tertii ordinis sive in ecclesiis regularium sive non regularium necessario requiritur consensus ordinarii loci; episcopus loci potest visitare tertiariorum congregationes, etiam in regularium ecclesiis, non tamen in his quae ad disciplinam et directionem internam spectant.

Advertendum est, nuper, quum compertum fuerit, plures vestitiones et professiones fratrum et sororum tertii,ordinis s. Francisci invalidas fuisse ex defectu solemnitatum essentialium, eas a s. congr. episcoporum et regularium ex speciali facultate a ss. Dno concesssas in radice sanatas et reva lidatas in omnibus fuisse. *S. C. EE. RR. 3 febr. 1904.* — Quaedam alia vide sub *Confraternitas*, *Praecedentia*. Cfr. etiam Mon. eccl. *vol. XVII pag. 86.*

Const. Nicol. IV « Supra montem » 17 aug. 1289; Const. Ben. XIII « Paterna » 10 dec. 1725; Const. Ben. XIV « Ad Romanum. » 15 mart 1751; Const. Leon. XIII « Auspicato » 17 sept. 1882; Const. Leon. XIII « Misericors » 30 maii 1883; *Léon* Les tiers ordres séraphiques d'après la constitution « Misericors »; *Tischler* Handweiser für den Klerus in Sachen des III. Ordens; *Tachy* Les tiers-ordres; *Goetz W.* Die Regel des Tertiarerordens; *Mandonnet Pierre* Les règles et le gouvermement de l'ordre de poenitentia au XIII s.; *Kar Müller* Zur Geschichte des Bussbruderordens; *Sabatier Paul.* Regula antiqua fratrum et sororum de poenitentia.

3941 **Testamentum.** — **De natura testamenti.** — Testamentum est legitima dispositio de iis, quae quis vult fieri de suis bonis post mortem suam cum directa heredis institutione. B. P. *III 966.* Et brevius a Modestino definitur: voluntatis nostrae iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit (scilicet circa res suas). *l. 1 qui testamenta facere possunt etc. D. (XXVIII. 1).*

Iure autem Gallico (*C. C. a 895*), et Italico (*C. C. a 759*), definitur: actus essentialiter revocabilis, quo testator secundum legum praescriptum de bonis suis disponit, pro tempore mortem eius subsecuturo, in favorem unius aut plurium personarum.

Dicitur autem essentialiter revocabilis, quia testamentum non est quoddam pactum; quare necessario debet testator liber manere ad immutandam suam voluntatem. Hinc iure Romano (*l. 22 de legatis III D.* [*XXXII*]), et iure Italico (*C. C. a. 916*), statutum est, ne quis quolibet modo renuntiare valeat libertati revocandi aut mutandi dispositiones testamentarias; et cavetur, ut quaelibet clausula aut conditio contraria careat effectu.

Quid si quis promisit se testamentum non revocaturum? Et si is revocat, certe valide agit; an et licite? et si iura civilia, ut apud nos, irritant promissionem non revocandi, et licite agit. B. P. *III. 967.*

Quid, si quis promissionem suam iuramento firmavit? Et si postea revocat, etiam tunc valide agit. Lugo *de iustitia et iure disp. XXIV. n. 27 sqq*; B. P. *III. 968 sqq*; D'Ann. *II. 360. 1.* Ratio est, quia iuramentum pactum hoc seu promissionem non firmavit, erat enim nulla; at ageret illicite et peccaret graviter (nisi aliae circumstantiae supervenirent, quae hanc ipsam mutationem licitam redderent); iuramentum enim, quamvis promissionem non firmaverit, ligavit tamen iurantem ad servandum id, quod iuravit, ob reverentiam Dei in testem vocati, quoties id, quod iuratum fuerat, non vergeret in aeternae salutis dispendium, nec redundaret in alterius detrimentum (*c. 2 de pactis* [*I. 18*] *in 6°*), ut esset in hoc casu. Lugo *l. c. n. 25 sqq.*; B. P. *l. c.* Attamen ex iuramento non exsurgeret nisi obligatio ex religione; quare posset quis iuramenti relaxationem petere ab ecclesiastica auctoritate, qua obtenta, ad nihil amplius teneretur, et posset pro lubitu testamentum immutare. B. P. *loc. cit.* Vid. *Iuramentum.*

Ex definitione testamenti data secundum codicem italicum et gallicum patet, recentioribus iuribus directam heredis institutionem ad testamentum non amplius postulari; quod confirmatur codice italico *a. 827:* « Testamentariae dispositiones fieri possunt sub titulo institutionis heredis, aut sub titulo legati, aut sub quavis alia denominatione idonea ad manifestandam suam voluntatem ». Vid. *Codicillus.* Haec et de iure Gallico (*C. C. a. 967*) valent.

De divisionibus testamenti. — Iure communi testamentum dividitur: 3942

a) in *solemne*, in quo omnes iuris solemnitates servatae sunt; et *privilegiatum*, in quo ex privilegio quaedam iuris solemnitates sunt omissae;

b) in *scriptum*, quod litteris; et *nuncupativum*, quod voce perficitur;

c) in *publicum*, quod auctoritate publica; et *privatum*, quod fide privatorum nititur;

d) in testamentum *ad causas pias*; et testamentum *ad causas profanas*. Bucc. *I. 1026. I. 814.*

Ex recentionibus iuribus testamenta dividuntur in *ordinaria* et *specialia*. Cfr. *C. Civ. Ital.*

Ordinaria, vel *holographa* sunt, vel fiunt *per actum notarii*. *C. C. a. 774*.

Haec dividuntur in *publica* et *secreta* (*C. C. a. 776*); publica debent recipi a notario coram quatuor testibus, vel a duobus notariis coram duobus testibus. *C. C. a. 777*. Testator debet voluntatem suam coram testibus notario significare; notarius autem hanc ipsam voluntatem in scriptis redigit, et coram testibus scriptum testamentum testatori legit; quarum formalitatum expressa mentio fieri debet. *C. C. a. 778*. Testator testamento subscribere debet; quod si nesciat vel nequeat, impedimentum dicere ipse, et huius declarationis mentionem notarius facere debet. *C. C. a. 779*. Notarius sive notarii (*C. C. a. 781*), et testes, subscribere et ipsi testamento debent. *C. C. a. 780*.

Testamentum secretum a testatore vel ab alio conscribi potest; sed si ab alio, vel totaliter vel ex parte, conscriptum fuerit, qualibet plagula debet testator illi subscribere, quod semper post omnes dispositiones debet facere. *C. C. 782*. Testamentum sic confectum debet a testatore tradi notario, ita clausum et obsignatum, ut aperiri nequeat, vel ab eodem testatore coram testibus notario claudendum tradi, significante eodem testatore, in iis foliis suum testamentum contineri; super his foliis clausis et obsignatis notarius plura debet scribere, quae indicantur in ipso codice *art. 783*. Testamentum nuncupativum abrogatum est, et qui nescit legere vel nequit, testari secreto non potest. *C. Ital. a 785*; *C. Gall. a 978*.

Holographa testamenta ea sunt, quae manu testatoris integre conscribuntur cum appositione diei, mensis et anni ab ipso testatore facta et subscriptione testatoris, quae apponenda est post omnes dispositiones. *C. C. a. 775*.

Specialis seu privilegiata ea sunt, quae fiunt in mari (*C. C. a. 791-798*), in bello (*C. C. aa. 799-803*), tempore pestis (*C. C. aa. 789-790*).

De valore testamenti formis legalibus destituti. — De testamentis ad causas profanas. — An testamenta ad causas profanas, formis legalibus destituta, in foro conscientiae valeant, controvertitur. Cfr. B. P. *III. 565, 983*. Tota quaestio ad hoc videtur reduci, an recentia iura irritent actum sine formalitatibus positum, ita ut actus ille nullo modo valeat ipso iure; an faciant solummodo irritabilem per sententiam iudicis (cfr. notam editoris ad B. P. *III. 572. a*). Et Ballerini-Palmieri (*loc. nuper cit.*) dicit, si recentiorum iurium interpretibus credimus, videri sibi hic esse sensus modernarum legum, ut nullitas actuum a lege decreta tunc solum adesse censeatur, quum postulata iudicis sententia eam declaravit. Attamen quamvis hoc verum forte sit quoad ius 3943

Austriacum (Cfr. Delama *intr. de iust. et iure n. 95*), quoad ius Italicum tamen non videtur verum. Certe Giorgi (*Teoria delle obbligazioni nel diritto moderno italiano, volume I. n. 297 sgg.*; *vol. VIII. n. 143 sgg.*) et Pacifici-Mazzoni (*Istituzioni di diritto civile ital. vol. II. n. 159 sgg.; n. 163 sgg.; vol. IV. n. 146 sgg.*) asserunt, in iure Italico probe distingui actus nullos et actus rescindibiles, et actus nullitatem haberi dicit Giorgi (*l. c. vol. I. n. 298*), quum legis dispositio firmatur verbis: *sub poena nullitatis*; quemadmodum est in casu nostro de testamentis in art. 804 codicis. Hanc eamdem nullitatem in testamentis asserit auctor alter citatus (*loc. cit. vol. II. n. 164*). Hoc idem discrimen inter rescindibilitatem et nullitatem actus agnoscit in codice Gallico Laurent *Principii di diritto civile volume XIII. n. 449 sgg.*

3944 **De testamentis ad causas pias.** — Quoad testamenta vero ad causas pias formis legalibus destituta, ea dicenda sunt valere, dummodo certa sit voluntas testatoris (Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 19. n. 4 sqq.*; B. P. *III. 983*; G. B. *I. 818* etc.; cfr. *S. C. EE. RR. in una S. Iacobi de Chile 16 mart. 1900*); ita ut, si uno tantum teste testatoris voluntas constaret, testamentum non valeret. Sanchez *Cons. mor. lib. IV. c. 1. dub. 14. n. 17* etc. Attamen d'Annibale (*II 339*) putat non esse inquietandos eos, qui extra ditionem pontificiam (ex epistola Alexandri III ad iudices Velitrenses = *c. 11 de testam. X.* [*III. 26*]), non praestant relicta ad causas pias in testamento irrito ex iure civili. Cfr. tamen Monit. eccl. *vol. XIII pag. 363*. Verumtamen notandum est, praxim s. Poenitentieriae in similibus casibus, quando scilicet agitur de testamentis informibus ex defectu formae legalis, esse, ut generatim legata pia habeantur ut valida et obligatoria in foro conscientiae; facile tamen admitti heredes ad compensationem cum ecclesia vel pia causa, cui legatum est. *S. Poen. 10 ian. 1901.*

Notandum autem hic est recens decretum S. C. C., quae ad dubium utrum sacerdotes vel laici possent, inscio ordinario, legata ad pias causas recipere eorumque administrationem gerere ac respective onera implere, respondit: « Omnes sive sacerdotes sive laicos, quorum fidei concredita sunt legata ad pias causas teneri de hoc quam primum certiorem reddere episcopum, qui ius habet vigilandi super administrationem et consulendi securitati eorumdem legatorum ». *S. C. in Bellovacen. 7 aug. 1909.* Cfr. Mon. eccl. *vot. XVIII pag. 181. 182.*

De iis, qui possunt testari. — 3945 Activam testamenti factionem habent, idest testari possunt, ii omnes, qui gaudent facultate disponendi de bonis suis (cfr. *l. 1 de sacros. eccl. C.* [*I. 2*]), nisi a iure prohibeantur. *C. C. a. 762.* Et prohibentur iure naturae infantes (Lugo *de iust. et iur. disp. XXIV num. 64*; cfr. *l. 5 qui testam. facere poss. etc. D.* [*XXVIII. 1*]), amentes (cfr. Lugo *loc. cit. n. 61 sqq.*), ebrii, qui nempe suae mentis non sunt (cfr. Inst. Iust. *lib. II tit. 12. § 1*); iure civili Italico, qui octodecim annos non expleverunt, qui ob mentis

infirmitatem sunt interdicti, vel etsi non interdicti fuerint, probari tamen de ipsis possit eos, quum testamentum condiderunt, mente sanos non fuisse (*C. C. a. 763*); quoad alia iura vide alios codices; iure canonico, etiam ad causas pias, usurarii manifesti, nisi de usuris satisfecerint aut de satisfaciendo idoneam cautionem praestiterint (*c. 2 de usuris* [*V. 5*] *in 6°*), excommunicati ob haeresim, eorumque fautores (*c. 13 de haereticis X.* [*V. 7*] § *5*), percussores Cardinalium S. R. E., iisque cooperantes (*c. 5 de poenis* [*V. 9*] *in 6°*), religiosi *professi* (*c. 7. C. XIX. q. 3; c. 2 de testam. etc. X.* [*III. 26*]), clerici beneficiati quoad bona superflua ex beneficio (*cc. 1. 9. 12 tit. cit. X.* [*III. 26*]; Vid. *Spolium*), nisi ex privilegio vel consuetudine id eis permittatur.

Quoad has inhabilitates a iure canonico in poenam criminis impositas notandum est id, quod tradit Santi (*in tit. 26 lib. III Decr. n. 29*): « Hae vero prohibitiones ex iure canonico hodie ob relationes immutatas inter ecclesiam et statum eo reducuntur, ut nempe ecclesia ab hisce publicis peccatoribus, nisi poenitentiam egerint vel dederint signa indubia resipiscentiae, donationes et pia relicta non acceptet, praesertim ab usurariis manifestis, ne videatur frui bonis pauperum et communicare cum alienis peccatis. Ceterum quoad praefatas personas validitas vel invaliditas testamenti ipsias in praxi hodierna iuri civili in regnis etiam catholicis determinanda relinquitur ».

3946 **De iis, in quorum favorem testari quis potest.** — Passivam vero testamenti factionem habent, seu heredes institui possunt ii omnes, etiam personae morales, qui non prohibeantur. Prohibentur autem iure ecclesiastico fere ii, qui activam testamenti factionem non habent, et iure civili Italico incapaces et indigni. *C. C. aa. 764-773*; Vide *Heres*.

Diximus, personas quoque morales heredes institui posse; at necesss est ut eae sint legitimae, idest iure coierint. Vid. *Persona*.

Attamen si non legitime coierint, et instituantur heredes vel aliquid eis legetur, haec valebunt, si ad hereditatem vocantur singuli vel singulis legetur; hi enim non quasi collegium, sed quasi certi homines admittuntur ad haereditatem vel ad legatum. *l. 20 de rebus dubiis D.* (*XXXIV. 5*).

Apud nos per iniuriam ecclesiae et loca pia, etsi non suppressa et legitime recognita, heredes institui nequeunt. *Leg. 19 iun. 1873. a. 27. 28.*

De resolutione testamenti. — Resolvitur testamentum aliquando ipsa iuris dispositione, aliquando voluntate testantis. 3947

Testamentum resolvitur, seu effectum non producit *ipso iure*, quum testamentum rumpitur per agnationem postumi, quando videlicet testatori, qui filios non habebat, filii nascuntur, vel prius habitos ipse legitimat, vel aliquem adoptat, nisi testator in testamento liberis forte exstantibus, quos non cognoscebat, vel futuris, si nempe superventuri erant, consuluerit (*C. C. a. 888*); sed, si filius, vivo testatore, obierit, convalescit testamentum, quod per eius nativitatem corruerat. *C. C. a. 889.*

Rumpitur etiam testamentum ipso iure ex deficientia heredis, vel quia praemortuus est, vel quia factus est indignus. Aliquando vero his liberi, si quos habent, succedunt. *C. C. a. 890*, ubi etiam huiusmodi casus numerantur.

Resolvitur etiam testamentum, ut diximus, per revocationem testatoris, quae tamen facienda est alio testamento iure facto (*C. C. a. 918*), vel per actum coram notario et quatuor testibus ab ipso testatore personaliter factum. *C. C. a. 917*. Hoc autem, etiamsi iuratus promiserit, se suam voluntatem non retractaturum. *C. C. a. 916*.

3948 **De iure accrescendi.** — Quod ius accrescendi haec nota ex iure Italico: Ius accrescendi locum habet inter coheredes, quando in eodem testamento una eademque dispositione fuerint coniunctim ad hereditatem vocati, quin testator inter eos partes distribuerit (*C. C. a. 880*); partium distributio tunc tantum facta intelligitur, quum testator expresse indicaverit *quotam* singulorum; si dictum tantummodo a testatore fuerit - *aequis partibus*, aut *aequalibus portionibus*, - non excluditur ius accrescendi (*C. C. 881*); coheredes, quibus in vim iuris accrescendi devolvitur portio heredis deficientis, succedunt illi in obligationibus et oneribus, quibus ille subiecisset (*C. C. a. 882*); quum ius accrescendi locum non habet, portio heredis deficientis devolvitur ad legitimos testatoris heredes; hi subeunt onera et obligationes, quibus suberat heres deficiens (*C. C. a. 883*); quum aliquis ex legatariis praemoriatur testatori, vel legato renuntiet, aut eiusdem sit incapax, vel deficiat conditio, sub qua ad legatum fuerat vocatus, locus est inter eosdem iuri accrescendi secundum articulos 880 et 881; item quum res eadem pluribus in eodem testamento legata est, etsi distincta dispositione. *C. C. a. 884*.

Iure nostro legi contraria est conditio de non contrahendis nuptiis sive primis sive ulterioribus (*C. C. a. 850*); nisi apposita fuerit a coniuge in quacumque testamentaria dispositione relate ad alium coniugem (*C. C. art. nuper cit.*): attamen legatarius alicuius usufructus aut usus, habitationis aut pensionis, vel alterius periodicae praestationis, in casu coelibatus aut viduitatis vel eo tempore durante, iis frui nequit, nisi coelibatu, vel viduitate durante. *C. C. art. nuper cit.*

Dispositio testamentaria, quae fit sub conditione suspensiva, vim non habet, si is, in cuius favorem facta est, moritur, antequam verificetur conditio. *C. C. a. 853*.

De interpretatione testamentorum. 3949 — Quoad interpretationem testamentorum haec nota ex D'Annibale (*II. 333*): « Demum voluntates defunctorum pluries interpretamur: non quidem semper, sed quum opus est, ne defuncti voluntas intereat. Hoc uno excepto, in omnibus sive inter vivos sive ultimae voluntatis actibus, ubi de obligando quaeritur, in dubiis propensiores ad negandum; contra, ubi de liberando, faciliores ad liberationem esse debemus; ideo in dubiis fere semper contra creditorem interpretamur, et ad extremum, quod minimum est, sequimur. In dubiis inquam,

nam si verba sint manifesta et forte generalia sint, generaliter sunt, etiam adversus debitorem, accipienda ». Cfr. *S. C. C. in Victorien. 18 iul. 1903; in Bergomen. 25 iun. 1904.*

De commutatione ultimarum voluntatum. — Quoad commutationem vero ultimarum voluntatum testatoris, haec habet Wernz (*Ius Decret. III. 283*): « Exsecutores non solum quoad tempus, sed etiam in reliquis quoad rem ipsam, modum et formam fideliter stare debent voluntati testatoris in testamento expressae; illam igitur nequaquam commutare possunt etiam in rem meliorem, nisi testator expresse huiusmodi potestatem commutandi concesserit exsecutoribus testamenti, vel pia voluntas testatoris ad litteram exsecutioni dari non possit; quo in casu approbante episcopo ita implenda est in alio pio opere, ut quam minime a defuncti testatoris voluntate recedatur. Quae potestas commutandi ultimas voluntates piorum testatorum indubitanter competit Romano Pontifici, dummodo iusta causa subsit, nam ex mero arbitrio et absque iusta causa nec licite nec valide exerceri potest. Etenim huiusmodi arbitraria potestas Romano Pontifici nullo modo est necessaria, nec continetur in primatu iurisdictionis. Nam supremus Princeps non potest de bonis subditorum disponere contra voluntatem domini, nisi quando id necessarium est ad bonum commune (vel potius dic: quia supposita lege de testamentis et supposito testamento iam facto ius est quaesitum heredi et legatariis ad ea, quae sibi relicta sunt). Iamvero testator est dominus suorum bonorum, de quibus pro suo dominio ad certum usum disposuit. Ergo Romanus Pontifex pro suo alto dominio, vel plenitudine potestatis nequit absque iusta causa dispositionem testatoris infirmare vel commutare. Idem efficitur ex verbis Concilii Tridentini (*sess. XXII. c. 6 de ref.*), quod tamquam certum supponit, ne Romanos quidem Pontifices absque iusta et necessaría causa posse commutare ultimas voluntates piorum testatorum. Quamvis autem Romanus Pontifex negotium illud commututionis episcopis tamquam delegatis Sedis Apostolicae committere soleat (cfr. *S. C. P. F. ad vic. ap. Cocincinae 25 ian. 1807*), tamen episcopi aliique praelati inferiores ex iure proprio et absque indulto apostolico pias dispositiones fidelium testatorum commutare omnino non possunt. Id quod post decretum Urbani VIII a. 1625 etiam valet de restringendo numero missarum, quae ex pia quadam fundatione dicendae sunt. Quare Schmalzgrueber (*in tit. 26 lib. III Decr. n. 214 sqq.*) Cardinalibus, episcopis aliisque praelatis perperam tribuit sine speciali indulto apostolico facultatem commutandi ultimas voluntates fidelium ». Cfr. quoad haec *S. C. C. in Ruben. 27 apr. 1901; in Mediolanen. 21 nov. 1903; in Tridentina 27 febr. 1904.*

Nota autem, quod potestas haec commutandi ex iusta causa ultimas voluntates, quae Romani Pontificis est, si agatur de causa pia, quando agitur de causa profana perlinet ad summum Principem in republica, scilicet, voluntates testatorum, ait

D'Annibale (*II. 365* [*3*]), instar legum sunt, queis derogare soli principi licet.

Varia (*remissive*). — De dispositionibus testamentariis, Vid. *Codicillus, Legatum;* de fideicommissis, Vid. *Fideicommissum;* de substitutione in testamentis, Vid. *Substitutio.*

Quid dicendum sit de testamenti exsecutore, Vid. *Exsecutor.*

Tit. de testamentis et ultimis voluntatibus X. (III. 26); idem tit. (III. 11) in 6°; idem tit. (III. 5) in Clem.; Const. Paul III « Romani » 3 ian. 1542; Const. Iul. III « Cupientes » VI id. mart. 1549; Const. Pii IV « In suprema » VII kal. dec. 1564; Const. Pii V « Quum ordini » 27 ian. 1571; Const. Greg. XIII « Officii nostri » 21 ian. 1577; *Rogerii Const.* De successionibus et substitutionibus; *Passagerii R.* Tract. de testamentis etc.; *De Casolis Ph.* Tr. de testamentis et successionibus; *Maurei Petr.* Decisiones quinque amplissimae (in quarum prima de testamento eius qui sibi mortem conscivit; in altera de clausula « aegro corpore sanaque mente »); *Picenardi Alex.* De testamentis ordinandis et de liberorum exheredatione; *Zuichemii V.* De testamentis; *Lana Lud.* Resp. in materia testamentorum; *Geilkirchen Io.* De testamento militari; *Vasquius Ferd.* De successionibus et ultimis voluntatibus; *Mantica Fr.* Tractatus de coniecturis ultimarum voluntatum; *Eponis Boet.* Comm. novem de testamentis; *Martini Frid.* De testamentis ordinandis; *De Pretis Sim.* De interpretatione ultimarum voluntatum tract. ampliss.; *Bemel Georg.* Von Testamenten; *De Embden L.* De successione proneptis in testamento proavi consilium; *Entzlini* De inofficioso testamento; *Franchi Ph.* Repetitio in rubr. de testamentis; *Rodriguez de Alvarado Did.* De coniecturata mente defuncti ad methodum redigenda; *Melandri Oth.* Consultatio testamentaria; *Sutorii Io.* Tr. quatuor analytici (quorum alter de inofficioso testamento); *Coppellii Leon.* Tractatus de testamentis; *Ricciardi Petr.* Comm. in materiam de testamentis ordinandis etc.; *Spino Did.* Speculum testamentorum; *Belloni Paul.* In titulum de testamentis ordinandis; *Mantua Fr.* De coniecturis ultimarum voluntatum; *Meyer Herm.* Tr. de testamentariis successionibus; *Comitolus Paul.* Responsa moralia (in libro 7° de testamentis); *Dauthii Io.* De testamentis doctrina methodica; *Stockii G. V.* Introductio testamentaria; *Cael Io.* Tract. novus et brevis de testamentis seu ultimis voluntatibus et iure codicillorum; *Harprecht Io.* Comm. novus de testamentis; *Ripoll Acaccii Ant.* De conditionibus et demonstrationibus, causis et modis eorum, quae in testamentis relinquuntur; *Maulii Th.* Tr. de ultimis voluntatibus; *Moneta Io. Petr.* Tract. de commutationibus ultimarum voluntatum; *Greiner Io. Phil.* De testamento imperfecto a parentibus inter liberos facto; *Farinaccius Prosp.* Repertorium de ultimis voluntatibus; *Salmasii Cl.* Tr. de subscribendis et signandis testamentis; *Richter Christ. Andr.* Tr. de testamentis; *Kohl Andr.* Tract. de pactis dotalibus et de successione coniugum et constitutione monarchica; *Beati G.* De testamentis et successionibus; *Lampadii Chr.* De testamentis minus solemnibus; *Furstenow Theoph.* Enucleatio hypothetica de mutuo coniugum testamento; *Gudelini Petr.* Comm. de testamentis; *Rubei Paul.* Resolutiones practicabiles circa testamenta; *Manzi Gasp.* Tractatus rationalis de legitima liberorum, parentum, fratrum et sororum et de legitima filii arrogati, patroni, et de legali portione coniugum; *Gerardi Andr.* De iure testamentorum; *Schattemanni Mart.* De successione coniugum; *Cirocchi V.* Disceptationes (ubi etiam de ultimis voluntatibus); *Molani Io.* Tr. de testamentis piis et quibuscumque aliis dispositionibus piis ultimae voluntatis; *Abruscii Nic. Io.* Tr. de

testamentis; *Weinreich Io. Goth.* Tr. de testamentis; *Gentilis Scip.* Tract. de erroribus testamentorum a testatoribus ipsis commissis etc.; *Ziegler G.* De testamentis; *De Barry Fr.* De successionibus testati ac intestati; *Carpius Fr.* Tract. de executoribus et commissariis testamentariis; *De Luca Io. B.* De testamentis, codicillis et ultimis voluntatibus; *Ottonis Io.* De testam. rusticorum; *Moser* De testamentis; *Noodt G.* De liberorum exheredatione et praeteritione; *Van de Poll L.* De exheredatione et praeteritione romana et hodierna; *Stryk Io. Sam.* De testamentis coniugum reciprocis; *Bersani Barth.* De ultimis voluntatibus, successionibus et variis contractibus; *De Rugerio A.* De testamento canonico; *Braschus Matth.* De pleno arbitrio humanae voluntatis in ultimis dispositionibus bonorum temporalium mutandis, condendis et retractandis; *Heineccii Io. Gottl.* Diss. de origine testamenti factionis et ritu testandi antiquo; *Stryk Sam.* De cautelis testamentorum; *Trekell A. D.* De origine atque progressu testamenti factionis; *Nettelbladt Dan.* De testamento nuncupativo in scripturam redacto; *Frick A. Ph.* Diss. de testamento parentum inter liberos privilegiato iure civili sine scriptura invalido; *Zepernick C. F.* Historia iuris civilis de legitima portione parentum; *Koehnen C. I.* De forma testamenti externa a coeco observanda; *Haubold* Diss. de differentiis inter testamentum nullum et inofficiosum; *Greve F.* Diss. de mutatione et revocatione testamenti tam quoad modum quam quoad effectum; *Westphal E. Ch.* Theorie des röm. Rechts von Testamenten u. s. w; *Frankenfeld I. H. A.* Diss. de discrimine nudae divisionis et testamenti parentum inter liberos; *Claproth Iust.* Abh. v. Testamenten, Codicillen, Vermächtnissen und Fideicommissen; *Heise* A. De successoribus necessariis; *Schrader Ed.* Commentar. de nexu successionis ab intestato et querelae inofficiosi testamenti; *Rodotz* Diss. de revocatione testamenti verbali; *Haenel G. F.* Diss. de testamento militari; *Schroeder H.* De privilegiatis parentum inter liberos dispositionibus; *Euler Matth. Ios.* Comm. de testamento et divisione parentum inter liberos; *Dernburg I. H.* Beiträge zur Geschichte der Röm. Testamente; *Fritz I. A.* Versuch einer hist. - dogm. Entwickelung der Lehre vom dem Testamente der Eltern unter ihren Kindern; *Coquette P. A.* Diss. de conditionibus quae in testamento scribuntur iure romano; *De la Couture I. B.* Diss. de privilegiariis testamentis apud Romanos; *Müller C. G.* Diss. de testamento parentum inter liberos privilegiato; *Deiters* De dispositionibus hereditariis simultaneis pactitiisque quaestiones tres; *Rosshirt C. F.* Das testamentarische Erbrecht bei den Römern und in der Anwendung auf unsere Zeit; *Lorenbeck* Ueber die canon. Bestimmungen für die Errichtung der Testamente der Geistlichen; *Sentis* De iure testament. a clericis ordinandorum; *Grouslé P. E.* Du partage des successions en droit romain et en droit français; *Hallay Maur.* De la liberté testamentaire en France; *Luparia Vinc.* Sulle disposizioni testamentarie a favore di corpi morali non ancora riconosciuti dallo Stato al tempo della morte del testatore; *Paoli Bald.* Le successioni testamentarie secondo il codice civ. ital.; *Demolombe Ch.* Traité des donations entre vifs et des testaments; *Manenti* I casi pratici delle successioni legittime; *Reverdy* Les testaments; *Lordi F.* I diritti che il codice civile in vigore accorda al coniuge superstite sui beni già appartenenti al suo coniuge defunto, studiati dal punto di vista di sapere se gli attribuiscono la qualità di erede, di legatario, di creditore, o qualche altra qualità; *Gianturco* Della fiducia nel diritto civ. italiano; *Todaro della Gallia Ant.* I diritti del coniuge superstite; *Polacco* Della divisione operata da ascendenti fra discendenti; *Lessona Carlo* Una questione sulla revoca del testamento; *Porrivecchi Ign.* Esposizione storica, filo-

sofica, critica delle successioni o eredità nel regno d'Italia; *Losana* Le disposizioni comuni alle successioni legittime e testam.; *Salvioli D.* Quali diritti competono al marito o suoi eredi nel caso di restituzione di dote inestimata costituita in fondi stabili per le spese su questa fatte dal marito, constante matrimonio?; *André* Traité et formulaire des testaments et des actes relatifs à leur exécution; *Dusi* La eredità giacente nel diritto romano e moderno; *Rivière* Donations et testaments; *Palumbo Luigi* Testamento romano-Testamento lombardo; *Lusignoli* Sul fondamento della collazione; *Ramponi Lamb.* Le condizioni di celibato e di vedovanza nei testamenti e nei contratti; *Coviello N.* Della successione nei debiti; *Coll* El testamento canónigo; *Fadda* Conc. fondamentale del diritto ereditario romano. I.; *Auffroy H.* L'évolution du testament en France dès origines au XIII^e^ siècle; *Oriol* El testamento ante el parroco; *Caillemer* Etud. sur les success. au moyen âge. I. Origines et developp. de l'exécution testament.; *Benettin* Sulle disposizioni di ultima volontà fatte sotto forma di esclus.

3951 **Testimoniales.** — **De litteris testimonialibus stricte dictis, seu ad ordines recipiendos.** — **Quaenam sint.** — Testimoniales litterae, seu commendatitiae (non confundendae cum iis, quae etiam aliquando dicuntur testimoniales, et quibus clericus e dioecesi discedens aliis commendatur et fides datur, eum clericum nullo excommunicationis irregularitatis etc. vinculo innodatum exsistere, (Lucidi *de visit. ss. lim. l. e. 2. n. 66*) eae dicuntur, quibus episcopus authenticam fidem facit, seu testatur de alicuius promovendi (ad ordines) qualitate, natalibus, aetate, vita, moribus, aliquando etiam ordinibus susceptis. Cfr. *Const.* Innoc. XII «Speculatores» *4 nov. 1694.*

3952 **Quandonam requirantur.** — Litterae huiusmodi pro ordinibus suscipiendis requiruntur generatim, quando ordinandus alibi, quam in dioecesi episcopi ordinantis, tanto tempore moratus sit, ut ibi impedimentum aliquod canonicum contrahere potuerit (*Const.* «Ap. Sedis» *susp. sub n. 3*); idest tunc requiruntur, quum quis, post septennium, alicubi ultra sex menses moratus fuerit, quae verior sententia est, ait D'Annibale *Comm. in const.* «*Ap. Sedis*» *n. 1.* Quare episcopus, qui debet ordinare suum subditum, quem ultra sex menses in seminario quodam extradioecesano retinuit, necesse habet obtinere litteras testimoniales ab episcopo loci, in quo est seminarium.

Quoad religiosos nota, eos, qui piis sodalitiis seu congregationibus ascripti sunt, ad tonsuram vel ordines promoveri non posse sine dimissoriis vel testimonialibus eius episcopi, in cuius dioecesi moram trahunt (*S. C. EE. RR. 6 mait 1864*); eos vero, qui regulares stricte sunt, non egere testimonialibus, nisi sui praelati regularis, excepto casu, quo militiam post ingressum in ordinem agere coacti sint. Vid. *Militia.*

Pro clericis, qui stipendia fecerunt, quique militaris servitii tempore hac illac vagari debuerunt, necessariae sunt litterae testimoniales, sub poena a const. «Ap. Sedis» comminata, quoties promovendus moratus fuerit in aliqua dioecesi saltem per trimestre (*S. C. C. 9 sept. 1893, 26 ian. 1895*, quod iampridem *27 nov. 1892*, pro

religiosis alumnis militiae addictis, qui ad familiam religiosam postea revertentes ordinari debebant, praescripserat sacra Congr. super disciplina regularium); et quatenus ordinarii litterae plenum testimonium non reddant, episcopus, obtenta ad hoc facultate ab Apostolica Sede (quae hanc facultatem concedere solet, ut factum est cuidam episcopo a S. U. I. *12 mart. 1896*), debet providere per iuramentum suppletorium. *S. C. C. 25 ian. 1895.*

Recenter s. Congregatio de Prop. Fide, litteris datis nomine Sanctitatis Suae, monuit Italiae episcopos, ne ad sacros ordines admitterent iuvenes exteros, Polonos praesertim, sine authenticis litteris testimonialibus proprii ordinarii, et multo minus eos commendarent episcopis Americae septemtrionalis absque praevia eiusdem s. Congregationis licentia. *S. C. P. F. 2 maii 1898.*

Nota autem hic, ordinarium non teneri ad testimoniales exquirendas, nisi agatur de trimestri (pro iis, qui, stipendia fecerunt), aut semestri *moraliter continuis,* salvo ipsius iure inquirendi super idoneitate promovendi et testimoniales exigendi pro minori vel discontinua commoratione, aut exigendi iuramentum suppletorium, si in Domino necessarium censuerit. *S. C. C. in Pragen. 25 iun. 1904.*

Testimoniales vero litterae de natalibus et aetate semper petendae sunt ab episcopo domicilii vel originis, sive diu sive brevi in eius dioecesi ordinandus manserit. *Constit. cit. Inn. XII. §. 7*; D'Ann. *l. c.* (*18*).

Litterae testimoniales ad ipsam primam tonsuram requiruntur. *S. C. C. 11 iun. 1881.*

Quae debent esse. — Litterae testimoniales, quae requiruntur pro ordinatione, debent praecise in finem habendae ordinationis dari; secus non sufficiunt. Gasparri *de sacra ordinat. II. 717.* Hinc sacra Congregatio Concilii respondit non sufficere testimoniales datas pro assecutione alicuius beneficii (*1 aug. 1750*), vel in commendationem clerici e dioecesi alio abeuntis (*8 aug. 1733*). Et dari possunt testimoniales vel ad omnes simul ordines suscipiendos, vel ad aliquos tantum; datae autem ad superiorem valent et pro inferiore; datae ad inferiorem non valent ad superiorem, nisi ageretur de ordinibus eiusdem speciei, idest nisi ageretur de acolytatu, si datae essent ad lectoratum ex. gr., vel de aliis ordinibus maioribus, si datae essent ad subdiaconatum. Gasparri *l. c. II. 718.* 3953

Litterae dimissoriae continent litteras testimoniales. Gasparri *loc. cit. n. 706.*

A quonam debeant dari. — Dari autem debent ab ordinario (vicarius generalis eas dare potest iis in casibus, in quibus et dimissorias potest concedere, Gasparri *l. c. II. 710*), vel eius nomine; quare vicarius capitularis eas dare potest etiam tunc, quum dimissorias dare nequit. B. P. *V. 921.* Ex dictis autem patet nullo modo sufficere testimonium de bona vita et bonis moribus datum a rectore seminarii ex. gr., vel a parocho. B. P. *loc. nuper cit.* 3954

Episcopus tamen non potest eas denegare, nisi vere adsit aliquod im-

pedimentum. *S. C. EE. RR. 13 mart. 1701*; *S. C. C. 21 apr. 1792, 16 iul. 1841.*

3955 **Ad quodnam tempus valeant.** — Videntur autem hae litterae testimoniales valere ad sex menses, quod Romae servari docet Honorante (*Praxis Secr. Trib. Card. Urbis Vic. cap. XIV. not. 3*), et post ipsum Gasparri (*l. c. II. 730*); attamen episcopus posset in casu etiam recentiores exigere.

3956 **Quomodo debeant dari.** — Litterae testimoniales per se debent gratis dari. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 1 de ref.* « Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem (idest iulium unum, quod aequat L. 0,58) accipere possunt dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo ». Concil. Trid. *loc. cit.* Idipsum confirmavit Innocentius XI in sua instructione (*Taxa Innocentiana, 8 oct. 1678*), prohibens etiam, ne plus quam iulium unum notarii isti acciperent, etiam pro illis litteris testimonialibus vel dimissorialibus, quae ad plures darentur ordines. Vid. tamen *Taxa Innocentiana*. Cfr. Leitner M. *Die litterae testimoniales f. d. Weihen nach d. neuesten KR.*

3957 **De poenis in ordinantes vel recipientes ordines sine litteris testimonialibus.** — Poenae pro iis, qui ordines conferunt vel recipiunt absque litteris testimonialibus, quando hae requiruntur, sunt sequentes:

1° « Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus ». Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 8 de ref.*

2° « Suspensionem l. s. per annum ab ordinum administratione, eamque R. P. reservatam, ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, absque ordinarii eius loci litteris testimonialibus ». *Const.* « Apost. Sedis » *susp. sub n. 3.*

3958 **De litteris testimonialibus requisitis pro ingressu in religionem** (*remissive*). — Ad hoc etiam, ut quis in religiosum institutum admittatur, requiruntur litterae testimoniales. Vid. *Novitiatus.*

3959 **De litteris testimonialibus ad celebrandam missam** (*remissive*). — Requiruntur praeterea litterae commendatitiae proprii ordinarii ad hoc, ut quis extra suam ecclesiam ad celebrandum sacr. missae sacrificium admittatur. Vid. *Celebratio Missae.*

3960 **Testis. — De eius natura.** — Testis est persona, quae ad fidem alicuius rei adstruendam adhibetur. Eius de-

positio, seu asseveratio super facto aliquo dicitur attestatio. *l. 1 de testibus D.* (*XXII. 5*); Reiffenstuel *in tit. 20 lib. II Decr. n. 2.*

Testis iudicialis (dantur etiam testes testamentarii, qui in testamento, et instrumentarii, qui in instrumentis adhibentur; de his hic non loquimur) est persona idonea et fide digna, quae, legitime vocata ad iudicium, fert testimonium in causa controversa. *c. 1 de testibus et attestationibus X.* (*II. 20*).

3961 **De divisione testium.** — Praecipuae testium divisiones sunt sequentes:

1° ex vario scientiae fonte, alii sunt *de scientia*, idest ii, qui factum ipsi cognoverunt mediante aliquo corporeo sensu, qui aptus sit ad percipiendam rectam facti notitiam;

alii *de credulitate,* qui ex coniecturis et praesumptionibus attestantur, se exstimare rem hoc vel illo modo se habere; aut etiam tantum modo se existimare eos, qui aliquid affirmant, dignos esse quibus praestetur fides;

alii *de auditu,* qui scilicet attestantur, se rem audivisse ab hominibus fide dignis;

alii *de fama*, qui deponunt de aliqua re opinionem in populo vigere.

2° ex concordantia vel discordantia attestationum, alii sunt testes *contestes*, qui concorditer deponunt super eodem facto;

alii sunt testes *singulares*, qui in testimonio non concordant.

Haec autem testium singularitas triplex distinguitur:

a) singularitas *obstativa* seu *adversativa*, quae tunc obtinet, quando dictum unius adversatur seu oppositum est dicto alterius;

b) singularitas *diversificativa*, quando testes attestantur fact a diversa, non tamen sibi contrariantia;

c) singularitas *adminiculativa*, seu *cumulativa,* quae tunc habetur, quando plures testes attestantur quidem diversos actus seu res diversas, sed eorum attestationes tales sunt, ut mutuo se adiuvent ad probationem rei controversae.

3° ex modo ferendi testimonium, alii sunt *vacillantes*, qui testimonium proferunt titubantes seu dubitantes;

alii *varii,* qui in diversis iudiciis vel in diversis instantiis eiusdem iudicii diversa proferunt, quae tamen inter se non pugnant;

alii *contrarii*, qui proferunt contraria et inter se pugnantia.

De obligatione testis sistendi se coram iudice et deponendi verum. — 3962
Testis legitime citatus debet coram iudice se sistere, et iudex potest eum ad hoc cogere (*cc. 1. 2. 3. 5. 6. 8. 9. 11 de testibus cogendis vel non X.* [*II. 21*]); et si agitur de foro ecclesiastico, possunt testes a iudice ecclesiastico compelli etiam per ecclesiasticas censuras. *c. 2 tit. cit. X.* (*II. 21*).

Testis, post citationem fugiens, peccat graviter in re gravi contra iustitiam legalem et obedientiam (S. Alph. *IV. 270*; G. B. *I. 980*); item, si dissimulet veritatem sine aliorum damno (G. B. *I. 980. 3*), quod si aliorum damnum adsit et positive in testificando mentiatur, violat etiam iustitiam commutativam (G. B. *loc. nuper cit.*; D'Ann. *II. 587* [*14*]); et si iuratus fal-

sum malitiose deponit, religionem quoque laedit. G. B. *I. 977.* Si non ex malitia, sed ex ignorantia invincibili id fecit, errorem detectum tenetur aperire, sed ad damnum inde secutum reparandum non astringitur (G. B. *I. 978*); attamen si impedire adhuc illud potest, ad impediendum tenetur, ut patet. G. B. *loc. nuper cit.* (*4*); Cfr. Mon. eccl. *vol. XVII pag. 226 sqq.*

3963 **De iis, qui excusantur vel excluduntur a testimonio ferendo.** — Testis excusatur a testimonio ferendo, si rem noverit sub secreto commisso (nisi ageretur de vitando gravissimo damno religionis seu reipublicae, Salmanticenses *Th. mor. tr. XXIX. c. 3. n. 68*), seu consilii; hinc advocati, procuratores, medici chirurgi et alii huiusmodi, qui aliquid secreti cognoverunt ratione muneris aut officii, de hoc testificari non possunt sub poena nullitatis. *Cod. proc. poen. a. 288.*

Praeterea ius italicum excludit a testimonio ferendo in iudicio omnes rei consanguineos et affines in linea recta, nec non coniugem quamvis separatum, exceptis quaestionibus ipsam separationem concernentibus (*Cod. proc. civ. a. 236*), et si agatur in iudicio criminali excludit etiam rei fratres aut sorores, patruos, avunculos, materteras, amitas, nepotes et affines in iisdem gradibus; et si quando plures de eodem crimine accusantur, consanguinei et affines alicuius ex ipsis in gradibus supra indicatis, sub poena nullitatis audiri nequeunt super eodem crimine. *Cod. proc. crim. a. 286.*

Iure italico excluduntur etiam minores annis quatuordecim, tum in iudicio criminali (*Cod. proc. crim. n. 285*), tum in iudicio civili, quamvis in hoc audiri possint ad causae dilucidationem, quin tamen eis deferatur iuramentum. *Cod. proc. civ. a. 236.*

De quonam testari debeat testis. — 3964 Testis testari debet ea, quae scit, idest ea, quae ipse suis sensibus percepit (D'Ann. *II. 587*), non ea, quae vera solummodo existimat, neque ea, quae ab aliis accepit (Salmanticenses *loc. cit. n. 69*), nisi in casu, quo expresse a iudice de his interrogaretur.

De vi probationis ex attestatione 3965 **testium.** — Quoad vim probationis, quae per testes fit, generatim dicitur in iure, eamdem vim obtinere depositiones testium ac fidem instrumentorum (*l. 15 de fide instrumentorum C.* [*IV. 21*]), imo aliquando maiorem; iudicis autem esse arbitrari de personis testium et dictis attestationum. *l. 3 de testibus D.* (*XXII. 5*).

Quoad testes singulares nota, testes singulares singularitate obstativa nihil probare; testes singulares singularitate diversificativa plene non probare, sed unumquemque in suo dicto probare semiplene (*c. 9 de probationibus X.* [*II. 19*]); testes singulares singularitate adminiculativa plene probare. Cfr. *l. 15 de probat. C.* (*IV. 19*).

Testes de auditu (vel testes ***de auditu auditus,*** ut etiam eos vocant ad hoc ut distinguantur a testibus de scientia, qui deponunt ex. gr. circa aliquod dictum alicuius) et testes de credulitate (qui ne dici quidem possunt veri et stricti testes) vel nihil probant, vel saltem non plene. Cfr. *c. 47 tit. cit. X.* (*II. 20*).

In conflictu plurium testium, ad multitudinem tantum respicere non oportet, sed ad testium qualitatem et ad ipsorum depositiones; in perfecta harum aequalitate pro reo sententia dicenda est, nisi causa, quam fovet actor, in iure favorabilis habeatur, puta matrimonium contractum, etc. *c. 26 de sent. et re iudic. X.* (*II. 27*); *c. 3 de probat. X.* (*II. 19*).

3966 **De numero testium requisito.** — Quando ad probandum in iudicio requiruntur testes non definito numero, duo testes de scientia contestes regulariter sufficiunt (*l. 12 tit. nuper cit. D.* [*XXII. 5*]), si sint omni exceptione maiores. Cfr. *c. 1 de consanguin. et affin. X.* (*IV. 14*).

Testimonium unius regulariter reiicitur (*cc. 5. 23 de testibus etc. X.* [*II. 20*]), etiamsi praeclarae Curiae honore praefulgeat. *l. 9 de testibus C.* (*IV. 20*). Censetur autem unus testis tum ille, qui dicit se aliquid a pluribus audivisse, tum illi, qui etsi plures, imo et plurimi, aliquid acceperunt omnes ab uno. Santi *in tit. 20 lib. II Decr. n. 31.*

Praeterea in testibus de auditu probe consideranda est persona, a qua illud acceperunt, quod testificantur, utrum nempe fuerit fide digna et omni exceptione maior; quum « satis videretur absurdum illos admitti, quorum repellerentur auctores ». *c. 47 tit. cit. X.* (*II. 20*).

In crimine sollicitationis cum testibus singularibus proceditur. Vid. *Sollicitatio.*

3967 **Quandonam recipiendi testes.** — Testes regulariter excipiendi sunt post litem contestatam, nisi in casibus exceptis a iure. *c. 5 ut lite non contestata etc. X.* (*II. 6*); *c. 34 tit. cit. X.* (*II. 20*).

Trina tantum testium productio admittitur (*c. 15 tit. cit. X.* [*II. 20*]); quarta nonnisi praevio iuramento, quod haec productio malitiose non non petatur. *cc. 15. 36. 55 tit. cit. X.* (*II. 20*).

De expensis in productione testium. — 3968 Si quando productio testium sine expensis fieri nequit, facienda est sumptibus partis producentis. Santi *l. c. n. 35.* Expensae autem huiusmodi refundendae sunt parti victrici. *l. 13. §. 6 de iudiciis C.* (*III. 1*).

De publicatione attestationum et de iis, quae eam consequuntur. — 3969 Post examinationem et depositionem testium, ait Zallinger (*in tit. 20 lib. II Decr. n. 235*), sequuntur haec; 1° petente parte alterutra, vel utraque, et ulteriori testium productioni renuntiante, attestationes clausae et apud iudicem depositae aperiuntur et publicantur, concessa partibus earum copia, scriptura originali manente apud iudicem vel notarium (*c. 11 de probation. X.* [*II. 19*]); 2° post publicationem iidem testes de novo interrogandi non sunt, nisi pars, quae id fieri postulat, forsan a principio illos interrogari super certis capitulis postulasset, idque malitiose aut negligenter fuerit praetermissum (*c. 48 tit. cit. X.* [*II. 20.*]), aut nisi super alio et novo articulo essent interrogandi (*c. 42 tit. cit. X.* [*II. 20*]) aut nisi priores testes, qui super aliud iuraverant, iurati deponerent illa eadem, quae primo dixerunt (*c. 44 tit. cit. X.* [*II. 20*]); 3° post publicatio-

nem, super dictis testium publice potest disputari (*c. 15 tit. cit. X.* [*II. 20*]); exceptiones autem contra testes fieri possunt contra personas, dicta et examen testium; 4° contra testes probatorios produci possunt testes reprobatorii (*c. 35 tit. cit. X.* [*II. 20*]); et contra hos alii reprobatorii sed non ultra (*c. 49. tit. cit. X.* [*II. 20*]); intelliguntur reprobatorii, qui deponunt contra personas testium productorum.

Tit. de testibus et attestationibus X. (II. 20); idem tit. (II. 10) in 6°; idem tit. (II. 8) in Clem.; tit. de testibus cogendis vel non X. (II. 21); *Ziletti I. B.* Tr. de testibus probandis vel reprobandis; *Reuberi Iust.* Tr. de testibus; *Vitalis Laur.* De reis et testibus monendis et cogendis; *Ryckeri Nic.* De commissarii ad examinandos testes officio; *Aemilii Hect.* Tr. de testibus; *Tyndari* Tr. de testibus variantibus; *Gymnici Io.* De testibus et testimoniorum materia; *Cavalcani Hort.* Practica et theorica de testibus; *Perenoti Nic.* Tract. practicarum quaestionum quae circa materiam testium in foro quotidie versantur; *Satleri Io. B.* De examine testium; *Hess R. V.* Practicarum conclusionum de testibus centuriae quinque; *Volkmanni Adam.* Pract. conclusiones de testibus centuriae tres; *Mecacci* Del reato di falsa testimonianza; *Lucchini L.* Del criterio per determinare la pena del falso testimonio in giudizio penale; *Mariani Mar.* Avvocati e procuratori testimoni in causa; *Mattei L.* Sul sistema probatorio testimoniale vigente; *Bianchedi A.* Due questioni intorno all'esame a futura memoria; *Guerra Matt.* Studi sulle proroghe dei termini per la ricezione delle prove testimoniali civili, e di un caso speciale; *Guerra Matt.* Studi sulle liste suppletive nella prova e riprova testimoniale in materia civile; *Franchini Gaet.* Dei fatti nuovi in ordine alla formazione della prova testimoniale; *De Santis Luigi* Del termine per la prova testimoniale.

Thesaurus. — Thesaurus iure ro- 3970
mano (*l. 31 de acquir. rerum domin. D.* [*XLI. 1*), est vetus quaedam depositio pecuniae, cuius non exstat memoria, ut iam dominum non habeat. Iure italico (*C. C. a. 714*), est quodlibet obiectum mobile pretiosum, quod occulto in loco iaceat, aut sub terra lateat, cuius se esse dominum nemo probare possit.

Repertus ab ipso fundi domino, totus cedit inventori (*l. un. de thesauris C.* [*X. 15*]; *C. C. a. 714*); repertus in alieno fundo de iure romano (*l. un. C.* [*X. 15*] *nuper cit.*; Inst. Iust. *lib. II tit. 1.* § *39*) et italico (*C. C. a. 714*), si non fortuito, sed ex industria, inscio fundi domino, fuerit repertus, totus cedit domino fundi; secus aeque dividendus est inter proprietarium fundi et inventorem. B. P. *III. 64.* Annotat autem Lugo (*de iust. et iure disp. VI. n. 112*), hanc legem, quae in casu recensito totum thesaurum domino fundi ascribit, videri sibi poenalem, ac proinde non obligantem ante condemnationem; quod tradit et Lessius (*de iust. et iure l. II. c. 5. n. 59*), allegans legem unicam Codicis citatam. Cfr. etiam B. P. *III. 63*; D'Ann. *II. 130* (*19*).

Si quis thesaurum invenerit in loco pertinente ad communitatem, ad civitatem, ad fiscum, ad ecclesiam, debet et ipse dividere thesaurum cum huiusmodi proprietariis (*l. 3. § 11 de iure fisci D.* [*XLIX. 14*]; D'Ann. *II. 130*); attamen dimidium obtinebit, etsi non fortuito, sed ex industria, et

inscio domino fundi, illum repererit. B. P. *III. 67.*

Si thesaurus inventus fuerit ab usufructuario, totus cedit domino fundi (*C. C. a. 494*), uti expresse cautum est quoad maritum invenientem thesaurum in fundo dotali. *l. 7 soluto matrim. dos etc. D.* (*XXIV. 3*). In fundo emphyteutico ex codice italico (*a. 1561*) non cedit domino directo, sed emphyteutae.

An liceat communi pretio emere agrum, in quo quis novit latere thesaurum, de hoc non praemonito fundi domino? Et dicunt verius positive respondendum. Lugo *loc. cit. n. 126* B. P. *III. 69 sqq.*

3971 **Thronus episcopalis.** — Thronus episcopalis est cathedra cum baldachino parata, et in cornu evangelii presbyterii collocatur. Potest episcopus dioecesanus (non tamen vicarius capitularis, *S. R. C. 4 nov. 1905*) concedere usum throni cum reverendissimorum canonicorum assistentia sibi debita alii episcopo loco sui in dioecesi pontificalia agenti, dummodo huiusmodi episcopus non sit ipsius dioecesani coadiutor aut auxiliaris aut vicarius generalis aut etiam dignitas seu canonicus in ecclesiis dioeceseos. Sicut autem cardinales episcopi suburbicarii aliique titulares ecclesiarum Urbis purpuratis tantum patribus thronum cedere possunt; ita decet ut praesules cardinales aliarum dioecesium suum thronum nonnisi aliis eadem cardinalitia dignitate ornatis cedant. *Decr. S. R. C. 9 maii 1899 confirm. et approb. a Leone XIII 12 iun. eiusd. anni* (*4023*). Vid. *Baldachinus.*

Thurificatio. — Vid. *Turificatio.*

Thus. — Vid. *Tus.*

Tiara. — Tiara est ex praecipuis 3972
insignibus romani Pontificis. Constat triplici corona, et est signum regalis sacerdotii, cuius plenitudo in romano Pontifice habetur. Vid. *Papa.*

Timor. — Vid. *Metus.*

Titularis. — Quinam dicatur et 3973
esse possit titularis. — Titularis seu etiam titulus ecclesiae ille est, sub cuius nomine ecclesia fundata est, et a quo appellatur. *S. R. C. in Briocen. 9 maii 1857* (*3048*). Titulus, si est persona creata, ut angelus aut homo, dicitur etiam patronus. Vid. *Patronus.*

Titulus ecclesiae potest esse:

a) SSma Trinitas aut aliqua eiusdem persona.

b) Christus Dnus aut eius nomen ssmum Iesus, aut aliquod factum seu mysterium suae vitae mortalis, ut Nativitas, Transfiguratio etc.

c) B. Virgo Maria aut aliqua eius praerogativa vel aliquod factum suae vitae mortalis, quod veneratione prosequi possimus, vel aliqua eius apparitio, ex. gr. Annuntiatio, Assumptio, Immaculata Conceptio, B. Virgo de Lourdes.

d) Angeli omnes, vel quidam angelorum coetus, ut angeli custodes vel aliquis angelus in particulari, cuius nomen cognoscimus: Gabriel, Michael, Raphael.

e) Sancti, nempe canonizati, quorum festum celebrari potest; vel aliqua horum praerogativa aut aliquod insigne et pium factum eorum vitae, ut patrocinium S. Ioseph, conversio S. Pauli, stigmata S. Francisci.

f) aliqua res pia et veneranda, quae

habeat relationem ad Christum Dominum, ut crux, lancea etc.

Prohibitum autem est ecclesias dedicare beatis, nisi speciale habeatur indultum apostolicum (Vid. *Beati*); multo magis venerabilibus, qui dicuntur. Imo nunc non permittitur amplius dedicare ecclesias sanctis veteris testamenti. *S. R. C. in Imolen. 3 aug. 1697 (1978)*.

3974 **De immutatione titularis.** — Titulus ecclesiae semel electus mutari non potest, nec potest titulari prius electo alius adiungi, aut e titularibus antiquioribus aliquis demi. *S. R. C. in Brugen. 18 febr. 1843 ad 1 (2853)*.

Imo sacra Congregatio Rituum, si quando concedit, ut ecclesia, quae iterum aedificata est, alium accipiat titularem, iniungit ut tamquam contitularis retineatur titularis antiquus. *S. R. C. in Isclana 16 ian. 1885 ad 1 (3625)*. Ex quo decreto patet etiam, plures posse esse titulares ecclesiae, ut ex. gr. S. Petrus et S. Paulus, S. Ioannes Bapt. et S. Ioannes Evangelista.

3975 **De festo titularis.** — Festum solemnius titularis ecclesiae celebrari debet ritu duplici primae classis cum octava ab iis omnibus e clero, quibus eadem ecclesia propria est, aut ratione beneficii, aut ratione subiectionis; adeo ut eodem sub ritu recolendus sit etiam titularis ecclesiae cathedralis ab universo clero totius ecclesiae, sine octava tamen a clero regulari. *S R. C. decr. gen. 9 iul. 1895 ad 2 (3863)*.

Quoad festum vero titularium in ecclesiis et oratoriis publicis celebrandum sacra Rituum Congregatio recenter hoc edidit decretum:

« Quum sacra Rituum Congregatio compererit nonnullos irrepsisse abusus circa titularium festa celebranda sicut in ecclesiis ita in oratoriis publicis, decreta hucusque evulgata in praesenti renovans et confirmans, declarat:

I. In quibusvis ecclesiis publicisque oratoriis, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum titularis festum quotannis esse recolendum sub ritu duplici primae classis cum octava.

II. Ecclesias autem omnes esse ab episcopo, nisi consecratae eae fuerint, saltem benedicendas, quemadmodum etiam oratoria publica, sub formula in rituali Romano praescripta.

III. Hinc pro ecclesiis et oratoriis publicis, ad effectum celebrandi titularium festa, illas sacras aedes esse intelligendas, quae pro missis celebrandis sacrisque aliis, etiam solemnioribus, functionibus peragendis ab ordinariis locorum destinatae, vel consecrantur vel solemniter benedicuntur, ut publico fidelium usui libere plus minusve deserviant.

IV. Relativi titularis festum a toto clero, si exstiterit, vel a sacerdote rectore ecclesiae aut publico oratorio addicto, per integrum officium celebrabitur: secus, in defectu cuiusvis cleri, per solas missas iuxta rubricas.

V. In oratoriis autem, quae exsistunt in aedibus episcopalibus, seminariis, hospitalibus domibusque regularium, relativum titularis festum non celebrabitur, nisi in casu, quo

aliqua ex iis consecrata vel benedicta solemniter fuerint.

VI. Denique sacra Rituum Congregatio mandat, ut nullum ex oratoriis privatis consecretur, aut benedictione donetur solemni, quae in rituali Romano legitur; sed ea tantum formula benedicatur, quae pro domo nova aut loco in eodem rituali habetur. Et ita declaravit ». *S. R. C. 5 iunii 1899* (*4025*).

Ecclesiae, quae habent titulum ss. Salvatoris, debent celebrare festum tituli die sacra Transfiguratioi Domini. *S. R. C. in Aquaependen. 23 maii 1835 ad 2* (*2721*). Ecclesiae vero, quae habent titulum B. M. Virg. absque adiuncta denominatione alicuius mysterii ipsius Beatae Virginis, ut quae dicatae sunt simpliciter B. Virgini aut B. Virgini Angelorum debent celebrare festum tituli die Assumptionis eiusdem B. Virginis. *S. R. C. in una ord. Min. reform. 10 mart. 1787 ad 2* (*2529*).

Quoad translationem solemnitatis externae festi sancti titularis notandum est, quod haec solemnitas translata in dominicam ipsum festum proxime sequentem non gaudet privilegio unicae missae propriae de eodem sancto titulari, nisi constet de expresso atque speciali indulto apostolico. *S. R. C. in Ogdensburgen. 22 febr. 1902.*

Quaesitum etiam est: « An omnia eiusdem religiosae familiae oratoria semipublica, solemniter saltem benedicta enumerata in decreto n. 4007 diei 23 ian. 1899 (Vid. quoad hoc decretum *Oratorium*) ius habeant ut illorum titularis festum celebretur sub ritu duplicis primae classis cum octava, it aut de eo agatur inter suffragia sanctorum et ut nominetur in oratione *A cunctis* ». Et responsum est. « Negative, sed tantum in oratorio principali, denciente ecclesia ». *S. R. C. in una ord. FF. Min. prov. Germ. inf. 10 nov. 1906.*

In ecclesiis monasterio cuidam incorporatis non est celebrandum festum, nec in suffragiis sanctorum commemorandum nomen titularis ecclesiae abbatialis, sed tantum ipsius ecclesiae parochialis *S. R. C. in una ord. s. Ben. 26 ian. 1905.* Religiosi dispersi, etsi degant in loco, ubi prius ecclesiam habebant, quae nunc confiscata est et clausa, vel etiam in profanos usus conversa, non tenentur celebrare festum titularis talis ecclesiae, sed tenentur tantum ad officium et suffragium de patrono seu titulari provinciae regularis, quatenus ex rubrica vel indulto apostolico habeatur. *S. R. C. in una ord. Min. Cap. in Gallia 9 sept. 1905.*

Titularis episcopus. — Episcopus titularis est praelatus charactere episcopali insignitus, qui tamen nullius dioecesis regimini praefectus est, sed habet titulum alicuius antiquioris dioecesis nunc in regione infidelium exsistentis. Prius huiusmodi episcopi dicebantur episcopi in partibus infidelium; sed haec denominatio abolita est ex decisione sacrae congregationis de Propag. Fide (*27 febr. 1882*) a Romano Pontifice approbata. 3976

Episcopus titularis, quum sit vere episcopus, valide exercet ea omnia, quae iure divino aut ecclesiastico annectuntur ordini episcopali, sed ad

liceitatem requiritur licentia ordinarii loci, in quo est. Ferraris *Prompta bibl. v.* « *Episcopus* » *art. 7. n. 27.* Neque potest episcopus titularis sine licentia ordinarii loci exercere pontificalia, ac proinde ne celebrare quidem valet missam et vesperas sedens in faldistorio et non utens baculo pastorali (*S. R. C. in Asculana 10 apr. 1728 ad 7 et 8* [*2233*], *4 dec. 1903*); imo hoc ipsum facere nequit etiam in ecclesia quadam exempta sine venia episcopi loci, in quo ecclesia illa sita est. Ferraris *l. c. n. 26.*

Episcopus titularis et nulla iurisdictione gaudens non potest solemniter assistere missae per alium decantandae, uti episcopo dioecesano ceremoniale permittit; neque eidem competit, quemadmodum episcopo dioecesano, benedictiones solemniter peragere candelarum, cinerum, palmarum et fontis in respectivis diebus fieri solitas, nec non absolutionem facere ad tumulum, quin ipse missam decantet. *S. R. C. in Romana 9 maii 1893 ad 1 et 2* (*3798*).

Ne in illa quidem ecclesia, cuius titulum habent, episcopi titulares iurisdictionem ullam exercere possunt sive licite sive valide. Zitelli *Appiuris eccl. lib. I tit. II. c. 2. n. 1.* Attamen confer constinutionem Ben. XIV « Quum a nobis » *4 aug. 1747*; Ferraris *l. c. n. 94*; Bouix *de episc. p. IV sect. 3. c. 1. n. III.*

Non tenentur episcopi titulares celebrare missam pro populo diebus festis, quamvis eos aliquoties sacrificium offerre pro ecclesia, quam habent in titulum, omnino deceat (*Const.* Leonis XIII « In suprema » *10 iun. 1882*); nec debent visitare limina apostolorum. Vid. *Limina Apostolorum.*

Controvertitur, utrum ad concilium generale vocandi sint; quibusdam affirmantibus (Ferraris *l. c. v.* « *Concilium* » *art. 1. n. 29*), quibusdam negantibus (Wernz *Ius. Decr. II. 846*); ad concilium Vaticanum vocati sunt et donati sunt voto decisivo. Cecconi *Storia del Conc. Vat. Vol. I. p. 113 sqq.*

Episcopus mere titularis in concilio provinciali non habet votum decisivum, nisi omnes et singuli episcopi consentiant (Werny *Ius. Dec. II. 855*); nec habet supra alios praecedentiam, sed post omnes alios episcopos sedet. *S. C. C. 24 aug. 1850.*

Nemo episcoporum, qui titulares vocantur, etiamsi in loco nullius dioecesis, etiam exempto, aut in aliquo monasterio cuiusvis ordinis resederit, vel moram traxerit, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum etiam praetextu familiaritatis, continuae commensalitatis suae, absque eius praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores ordines vel primam tonsuram promovere vel ordinare potest. Contra faciens ab exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exsecutione ordinum sic susceptorum, donec suo praelato videbitur, ipso iure sunt suspensi ex Tridentino (*sess. XIV. c. 2 de ref.*); quam suspensionem confirmavit Pius IX *Const.* « Apostolicae Sedis ».

Indulgentias etiam concedere non

potest episcopus titularis. *S. C. Indulg. 12 ian. 1878.*

Ob defectum autem actualis iurisdictionis episcopus titularis non tenetur lege residentiae. Zitelli *loc. cit. art. 3.*

Beneficia, quae tempore promotionis habet, per promotionem non vacant; nec ipse inhabilis fit ad alia beneficia obtinenda. Zitelli *loc. nuper citat.*

« Per Hungariam, ait Aichner (*Comp. iur. eccl.* § *124. 7*), plures exstant episcopi titulares, ab imperatore hoc titulo decorati (ex. gr. Tribunicensis, Noviensis, Basonensis, Dulmensis etc.), sed isti tum ordine tum iurisdictione carent, exceptis duobus (Belgradensi et Tiniensi), quos Papa in episcopos consecrari permittit ». Hi, ut patet, duobus ultimis exceptis, veris episcopis titularibus annumerandi non sunt, quippe qui nil commune habent cum veris episcopis titularibus, praeter nomen. Cfr. *Act. theol. Oenipont. tom. XV. p. 153 sqq. iunct. tom. XIX. p. 355 sqq. t. XX. p. 158 sqq. cit. apud Wernz Ius. Decr. II. 730 (16),*

Andreucci Andr. Hier. De episcopo titulari seu in partibus infidelium; *Dürr.* De suffraganeis sive vicariis in pontificalibus episcoporum Germaniae; *Caparros Io. Iul.* Diss. de chorepiscopis, eorum institutione et officiis; *Weizsäcker* Der Kampf gegen den Chorepiscopat des fränkischen Reichs; *Kohn* Die Weihbischöfe; *Parisot I.* Les chorévêques; *Bourain L.* Les chorévêques en Orient; *Gillmann F.* Das Institut d. Chorbischöfe in Orient; *Iugie M.* Les chorévêques en Orient; *Bergère A.* Etude hist. sur les chorévêques.

3977 **Titull.** — Ad complementum eorum, quae iam diximus sub *Actiones societatum*, et *Alienatio* placet hic referre pulcherrimam responsionem, quam P. Vermeersch cuidam sequens dubium proponenti dedit in suis Periodicis *II. p. 89 sqq.* Hanc clari auctoris commentationem integre hic refero:

« Die 17 febr. 1906, cum quaereretur utrum necne beneplacitum apostolicum necessarium esset, non tantum ad alienandos, sed etiam ad commutandos titulos anonymos, pertinentes ad patrimonia ecclesiastica, s. congregatio Concilii, audita relatione quae reperitur in *Analecta ecclesiastica*, febr. 1906, et cuius summa habetur in hoc periodico, supra p. 74, respondit ad utrumque, affirmative.

« Age porro, requiri beneplacitum apostolicum ad alienandos, quin commutentur cum aliis, titulos anonymos, pertinentes ad patrimonia ecclesiastica, id a nemine negari arbitror.

« Sed multi, iique eximii theologi nostri temporis, ut *Bucceroni*, *Noldin*, *Génicot*, quibus consentit ipse huius periodici auctor, existimant beneplacitum non requiri, ubi agitur de titulis commutandis cum aliis securioribus et melioribus.

« E contra, relator s. congregationis, ex eo quod beneplacitum requiratur ad alienationem, arguit inde consequi evidentem necessitatem beneplaciti ad meram titulorum commutationem.

« Ratio foret, quod canonistae uno ore declarant in const. *Ambitiosae cupiditati*, sub nomine alienationis venire etiam commutationem.

« Nos autem existimamus ecclesiam, quamvis exigat beneplacitum, ubi agi-

tur de commutandis bonis immobilibus, idem non exigere ubi agitur de commutandis titulis anonymis.

« Ratio est, quod ecclesia non potest velle aliquid rationi minus consentaneum, immo moraliter impossibile.

« Quo melius quis intellegat quantum id sit impossibile, iuvat notare administrationem scrinii seu arcae titulorum (*portefeuille*), praeter perceptionem redituum, consistere totam quantam in prudenti atque opportuna commutatione eorundem titulorum. Bonus enim administrator, commutatis nummis cum titulis varii nominis, ne, ut aiunt, omnia ova in eadem ponat canistra, constanter curare debet ut ii tituli commutentur qui periclitantur, vel cum multum probabili lucro et utilitate commutari possunt.

« Procul dubio, ii ab initio eligendi sunt tituli, qui minori aleae et variationi exponentur: sed quicumque eligantur, ut commutentur quandoque necesse erit, idque eo crebrius quod arca magis ampla et variis titulis est referta.

« Si ergo commutatio titulorum subiacet beneplacito apostolico, administratores bonorum ecclesiasticorum, iam non raro, ut hactenus, sed saepissime recurrere debebunt ad s. Sedem, immo habitualiter, pro omni gestione maximae partis bonorom ecclesiasticorum: bona enim ecclesiastica magis in dies formam induunt titulorum anonymorum.

« Quod autem centralis potestas sic quodammodo gerere conetur bona toto orbe terrarum diffusa, id sane parum rationi consentaneum esse et incommodis plenum nemo non videt.

« Prima difficultas inde exsurgeret, quod immensus esset numerus eorum qui, titulos commutandi causa, postulationes essent missuri. Hodie enim innumera sunt ecclesiastica patrimonia, quae ex toto vel ex parte conflantur titulis anonymis. Si ad quamlibet horum omnium commutationem faciendam apostolicum beneplacitum est exquirendum, tantus erit libellorum supplicum acervus, ut ne perlegere quidem eos s. Sedes possit.

« Praeterea, nisi inutilem afferre molestiam volueris, oporteret ut peritorum iudicio committeretur quaevis postulatio. Sed innumeri sunt tituli anonymi, quos acquirere possunt personae ecclesiasticae. In periodico *Le Moniteur des intérêts matériels*, qui non agit nisi de praecipuis Europae titulis, numerantur quavis hebdomada, plura millia titulorum diversae speciei. Argentarius quam maxime peritus, circa maiorem partem eorum titulorum sententiam qualemcumque aperire non posset.

« Sed, etiam si supplex libellus Romam missus a viro perito perlectus foret, saepissime accideret ut eiusdem responsio serius adveniret. Valor enim titulorum sequitur varias rerum politicarum et oeconomicarum fortunas, unde saepe fiet, ut opportuna commutandi occasio paucas post horas iam evanuerit. Ergo, ex eo quod ad S. Sedem recurrere debeant ii qui commutare titulos velint, damnum plus minusve grave inde patientur,

« Orietur etiam summa molestia et

fastidium. Etenim necessitas recurrendi ad aliquam Congregationem romanam ut obtineatur beneplacitum, personas ecclesiasticas cogeret manifestare paulatim officialibus, amanuensibus eiusdem Congregationis et "agentibus" intermediis, quales ac quot titulos contineat earum arca. Imno quis affirmare ausit fore ut in sinu Congregationis reconditum maneat secretum eorum negotiorum? Inter enim officiales inferiores s. Congregationis homines inveniuntur quandoque alterius secreti et linguae propriae minime tenaces, ne quid peius dicamus. Inde omnibus personis ecclesiasticis molestia et nonnullis damni periculum.

" Videtur ergo mens ecclesiae non potuisse esse ut beneplacitum requiratur ad commutandos titulos anonymos „.

« Rursus tamen responsio 17 februaris 1906 multo severior videtur. Quaeritur ergo, an prudens administrator debeat se considerare ut ligatum tali decreto tamquam lege sibi imposita?

Resp. Grave in pluribus ex his rationibus inesse pondus, non videtur negari posse.

Atque addas, ab ipsa s. Poenitentiaria benignius iam esse responsum Ad quaesita enim ill. episcopi Conversani, hoc modo respondit, 25 ianuarii 1888: " s. Poenitentiaria venerabili in Christo Patri episcopo oratori ad praemissa respondet: Attentis omnibus, tolerari, servatis de cetero servandis: id est:

1° Personae ecclesiasticae se abstineant a qualibet negotiatione praesertim ab omni contractu qui speciem habeat, ut vulgo dicitur, *di giuochi di Borsa.*

2° Administratores autem locorum piorum curent ut hi tituli in loco tuto caute custodiantur.

3° Ne commutentur in alios titulos absque gravi necessitate, et de consensu ordinarii, eiusque administratorum onerata conscientia.

4° Ne alienentur inconsulta sancta Sede, quando ad eam recurrendi tempus suppetat „.

Et re quidem vera, illud relatori causae libenter concedimus, titulos istos inter mobilia pretiosa esse numeranda, ita ut inconsulta s. Sede alienari prohibeantur. Sed istud venit in quaestionem, utrum necne conversio titulorum in alios titulos pro vera alienatione haberi debeat. Certe sacra Poenitentiaria alienationem a conversione apprime distinguebat. Et in ipso periodico *Monitore*, qui tamen in hac re partes sequitur severiores, alia alienationis, alia commutationis tradebatur definitio: " Alienantur, sic fere dictus libellus, quando tituli isti alii deputantur usui, ita ut hoc fonte redituum priveris; commutantur, quando pecunia alio modo fructuose collocatur „.

Verum quidem est, permutationes rerum ad alienationes ascribi. Sic omnes doctores. Non nimis absolute tamen est istud accipiendum. Sin minus, argenteam pecuniam pro aurea accipere vel pro schedis argentariis (*billets de banque*) non possis inconsulta s. Sede, in magna saltem quantitate: quod nemo sane contenderit. Attendendum itaque est ad possessionum genus, ad modum quo res

communiter habentur. Iam vero, cum agitur de titulis istis anonymis, id unum videtur esse substantiale, ut summa servetur intacta, et annuos afferat fructus. Nec iuvat, in hac causa, interrogare superioris aetatis doctores, quid senserint, v. g. de schedis montium pietatis. Tunc enim temporis, feneratio pecuniae per se prohibebatur, raro et modo magis stabili fiebant contractus census. Hodie contra, tituli indesinenter inter se commutantur.

Haec cum dicta sint, et cum resolutiones 17 februarii 1906 sint formae particularis, non videtur inquietandus esse qui ex principiis ab interrogante propositis conscientiam suam formarit, et actionem direxerit.

Neque ideo easdem resolutiones praecipuo suo defraudantur effectu. Supersunt enim haec duo summi momenti quae non uno responso sed perpetua iarisprudentia s. Sedis inculcantur:

a) Pecuniae ecclesiasticae modo tuto, et, quantum fieri potest, stabili, non nimis fluxo, sunt fructuose collocandae.

b) Pecunias quae capitale constituunt non licet, inconsulta s. Sede, convertere in aedificia vel alia bona immobilia non frugifera: tunc incidit casus verae alienationis, quae simul, ut recte fiat, praeter causam necessitatis vel evidentis utilitatis, postulat, ubi res non est mediocris valoris, beneplacitum apostolicum ».

3978 **Titulus. — Titulus quid, et quaenam eius divisiones.** — Titulus in iure causam significat. Cfr. *l. 13 de petit. hered. D.* (*V. 3*); *l. 54 de donat. inter vir. et uxor. D.* (*XXIV. 1*), etc.; Pacifici-Mazzoni *Istit. di dir. civ. ital. lib. III. n. 10.* Quare titulus non est confundendus cum documento, quod illum continet. Mattirolo *Tratt. di dir. giudiziale civile vol. 1. n. 220.*

Dividitur autem in verum, coloratum, existimatum seu putativum et praesumptum.

Verus ille dicitur, qui omnia habet necessaria et sufficientia ad transferendum ius, de quo agitur.

Coloratus autem est ille, qui specie tenus haec omnia habet, sed de facto iis caret propter occultum aliquod vitium, quod ipsi inest; adeoque ius, de quo agitur, transferre nequit.

Putativus seu *existimatus* ille est, qui falso existimatur adesse.

Hinc, ait D'Annibale (*I. 79* [*72*]), si praedium emerim a domino suae aetatis, suaeque mentis, *verus*; si a non domino (*l. 27 de contr. empt. etc. D.* [*XVIII. 1*]), vel non suae aetatis aut mentis (*l. 16. § 2 pro emptore D.* [*XLI. 4*]), *coloratus*; si demum procurator meus falso mihi persuaserit illud emisse, et tradiderit (*l. 11 tit. nuper cit.*), *putativus* titulus erit. Item, si quis ab ordinario paroeciam rite obtinuit, *verus*; sin simoniace, *coloratus*; si nullimode obtinuit, sed aliis falso persuasit sibi collatam fuisse, *putativus* titulus erit.

Praesumptus autem titulus tunc haberi dicitur, quum ius praesumit titulum intervenisse, quando forte non intervenit, nec potest a possessore in specie allegari qualis fuerit. Talis est, ait B. P. (*III. 163*), si iudi-

cetur hunc fundum esse Pauli, utpote quem is longo tempore possedit, etsi revera fuerit Petri.

3979 **De titulo ad quaedam requisito.** — Ad acquirendam rem alterius debet quis habere titulum ad transferendum dominium habilem; ut sunt hereditas, legatum et quidam contractus, ut emptio-venditio, donatio, datio in solutum, etc. De his autem titulis in particulari vide suis locis.

Quoad titulum ad praescriptionem, Vid. *Praescriptio*; ad auctarium in mutuo, Vid. *Usura*.

3980 **Quid sit habere beneficium in titulum.** — Habere autem aliquis beneficium in titulum tunc dicitur, quum quis illud inamovibiliter et per modum iuris perpetui et fixi, non vero amovibiliter et per modum iuris precarii habet. Cfr. Reiffentsuel *in tit. 5 lib. III Decr. n. 83*.

Undenam autem haec denominatio ad hoc significandum fuerit desumpta, non convenit inter doctores. Probabiliter ideo dicitur beneficium dari in titulum, quando inamovibiliter conceditur, quia haec collatio beneficiorum successit assignationi et ascriptioni, quae de clerico ordinando fiebat certae ecclesiae, cui servire debebat et a qua sumebat alimenta; in qua ecclesia dicebatur clericus titulatus seu intitulatus (*c. 2. dist. LXX*). Cuius postremae denominationis ratio ea fuit, quia ecclesiae ipsi nomen erat tituli, vel propter hoc, quod ecclesiae per crucis appositionem et signum sacrae fiebant, quemadmodum signorum quorumdam appositione (quae tituli vocabantur) fiscus proprietatem locorum sibi vindicare solebat; vel propter hoc, quod ecclesiae martyrum nomini inscribebantur seu intitulabantur; vel ex ipsis titulis seu sepulcris martyrum, qui in sacris aedibus recondebantur. Cfr. Vicat *Voc. iuris utriusq. v.* « Titulus ». Immutata disciplina, quum clerici iam ecclesiae alicui certae non intitularentur, et bona ecclesiae in communi iam non administrarentur, ut omnium clericorum eius servitio addictorum sustentationi inservirent; sed haec bona in partes divisa fuerint, et unicuique clerico pars quaedam fuerit assignata pro sua sustentatione, factum videtur ut haec bonorum pars, seu hoc beneficium, quod in perpetuum assignabatur clerico in perpetuum obligato ad inserviendum illi ecclesiae, dictum fuerit dari in titulum. Hinc etiam desumenda est denominatio tituli, quae fit ecclesiis cardinalium presbyterorum.

De titulo quoad ordinationem 3981 (*plura remissive*). — Etiam ad ordinationem in maioribus ordinibus requiritur titulus, nempe certa cautio congruae sustentationis *c. 4 de praebendis etc. X.* (*III. 5*); Conc. Trid. *sess. XXI. c. 2 de ref.*

Titulus proprius et ordinarius pro clericis secularibus est titulus beneficii ecclesiastici (Vid. *Beneficium*): tituli vero subsidiarii sunt titulus patrimonii (Vid. *Patrimonium*), titulus pensionis (Vid. *Pensio*); extraordinarii sunt: titulus servitii ecclesiae (Vid. *Servitium ecclesiae*), titulus missionis (Vid. *Missionis titulus*). Pro regularibus ordinarius est titulus paupertatis (Vid. *Paupertas*), extraordinarius titulus mensae communis (Vid. *Mensa communis*).

Nota, suspensionem R. P. reservatam per triennium a collatione ordinum ipso iure incurrere aliquem ordinantes, absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. *Constit* « Ap. Sedis » *susp. sub n. 2.* Praeterea episcopus, qui aliquem sine titulo ordinavit, tenetur ipsi tamdiu necessaria ad vitam subministrare, donec ei beneficium contulerit, nisi ordinatus de sua vel paterna hereditate necessaria vitae habeat (*c. 4 de praebendis etc. X.* [*III. 5*]); quod onus ad successorem quoque episcopum transit. *c. 16 tit. cit. X.* (*III. 5*).

De titulo requisito ad hoc ut Ecclesia suppleat iurisdictionem (*remissive*). — Quando, et quonam intercedente titulo, ecclesia suppleat iurisdictionem, vide sub *Iurisditio.*

Decr. Grat. D. LXX; c. 4. de praebendis etc. X. (III. 5; Conc. Trid. sess. XXI. c. 2; sess. XXIII c. 16 de ref.; Const. Pii V « Rom. Pontifex » 14 oct. 1568; Const. Pii V « Quum onus » 19 ian. 1569; Const, Sixti V « Sanctum » 5 ian. 1589; Const. Clem. VIII « Rom. Pontificem » 28 febr 1596; Const. Urb. VIII « Ad uberes » 18 maii 1638; Const. Pii IX « Ap. Sedis »; *Steck I. Ch.* De ordinatione ad titulum patrimoni et paupertatis commentatio; *Andreucci* De patrimonii hypothecae generali subiecti ad titulum ss. ordinum idoneitate *Mejer O.* De titulo missionis apud catholicos; *Meyer I.* Ursprung u. Entwick. d. Tischtitels n. gem. u. bayr. Rechte; *Nacke I.* Der Tischtitel; *Narni* Il tit. patrim.; *Laurentius I.* Z. Entwicklung u. z. heutigen Bestanded. titulus missionis; *Scaduto* Competenza vescovile o civile per la decadenza del titulus patrimonii; *Santachiara* Il titulus patrimonii nella storia e nel diritto.

Tobalea. — Vid. *Mappa.*

Toleratus. — Toleratus est ille excommunicatus, quem fideles non tenentur vitare. Sunt autem omnes, quos nominatim et publice iudex competens non excommunicaverit. Vid. *Excommunicatio.* 3982

Attamen nota, percussores clericorum notorios, de quibus constet non solum clericum percussisse, sed etiam in censuram incidisse, et quidem ita ut nequeat factum celari nec aliquo suffragio excusari, esse vitandos. S. Alph. *VII. 144.* Ut autem factum non possit aliquo suffragio excusari, necessarium generatim est, ut excommunicatio denuncietur. B. P. *VII. 214.*

Tonsura. — Tonsura non est ordo, sed ritus quidam sacer, quo laicus clero ascribitur. 3983

Primae tonsurae initiari non debent, qui sacramentum confirmationis non susceperunt, et fidei rudimenta non sunt edocti, et de quibus probabilis coniectura non est, eos non secularis iudicii fugiendi causa, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse. Pont. rom. *tit. de ordinibus conferendis.*

Prima tonsura quocumque die, hora et loco conferri potest. Pont. rom. *tit. nuper cit., et tit. de clerico faciendo.*

Confertur autem tonsione capillorum (Pont. rom. *tit. cit. de cleric. faciendo*), et si quis deferat comam ascititiam, probabiliter ipsius comae ascititiae tonsione. *S. R. C. in Romana 25 sept. 1846* (*2919*).

Ea quoque conferri debet ab episcopo proprio; abbates regulares possunt eam conferre suis subditis regularibus. Vide *Abbas.*

Tonsuram, seu tonsionem capillorum per gyrum in vertice capitis, more nunc usitato, deferre debent clerici saltem maiorum ordinum et beneficiati. Cfr. *Const.* Sixti V «Quum sacrosanctum» *9 ian. 1589.* At haec obligatio nunquam videtur urgere sub gravi (B. P. *IV. 445*), et poenae, quae latae sunt in non deferentes habitum et tonsuram, non videntur tenere eos, qui tonsuram tantum non gerunt. Schmalzgrueber *in tit. 1 lib. III Decr. n. 36.* Hi tamen puniri possunt arbitrio iudicis, et ab episcopo vel vicario generali ad ferendam tonsuram adigi possunt omnino. Ben. XIV *de Syn. lib. XI. c. 9. n. 4;* Acta sanctae Sedis *vol. XVI. p. 341. seqq.*

Tonsura in sensu iuris decretalium est vera tonsio capillorum, et prohibentur clerici, ne comam laxent aut nimium curent. *cc. 4. 5. 7 de vita et honestate cler. X. (III. 1);* Ben. XIV *loc. cit.* Vid. *Habitus clericalis.*

Cucquius Henr. De renovando usu pristinae rasurae clericalis; *Vibaldi M. A.* Ad Sixti V const. de clericis male promotis... de habitu et tonsura; *Stellartii Prosp.* De coronis et tonsuris paganorum, iudaeorum et christianorum; *Hurtado Th.* De coronis et tonsuris gentilitatis, synagogae et christianismi; *Chamillard Gast.* De corona, tonsura et habitu clericorum; *Sarnelli Pompeius* Lettera della canonica chericale corona; *Larroquanus Matth.* Adversaria sacra (ubi etiam de tonsura clericorum); *Zieglerus Gasp.* De tonsura clericorum.

3984 **Torus.** — Coniuges putativi, qui aliquod detegunt impedimentum dirimens suo matrimonio subesse, debent omnino separari a toro, quousque matrimonium revalidetur. Et si impedimentum factum est publicum et notorium, separatio etiam a cohabitatione facienda est. Quum unus tantum coniux impedimentum cognoscit, nec potest illud alteri parti revelare, prudentia maxima adhibenda est, et consiliis prudentis confessarii utendum, sed certe copula admitti nequit. Cfr. Feije *de imp. et disp. matr. n. 577.* Vid. *Divortium, Separatio sponsorum.*

Cosci Chr. De separatione thori coniugalis; *Cremer* Diss. de divortio a thoro et mensa; *Dworzack K.* Die Wiederherstellung d. ehel. Gemeinschaft zw. abgesondert lebenden Ehegatten; *Holtzendorff F.* Situation d'une femme judiciairement separée de corps en France, puis naturalisée et remariée en Allemagne du vivant de son premier époux. (La princesse Georges Bibesco contre le prince de Bauffremont); *Le Senne* Traité de la séparation de corps; *Ricci F.* Se nelle cause per separazione personale di coniugi occorrono le conclusioni del pubblico ministero; *Combier* Essai sur le divorce et la séparation de corps; *Depeyre* Le divorce et la séparation de corps dans l'histoire et dans la loi; *Marenghi Luigi* Il diritto degli alimenti fra i coniugi e la separazione consensuale; *Salomon* De la conversion de la séparation de corps en divorce; *Poulle* Du nom de la femme divorcée ou séparée de corps; *Vraye-Gode* Le divorce et la séparation de corps; *Losana C.* Studi sulla separazione dei matrimoni; *Varcasia I.* Su talune cause di separazione personale; *Masselin* Mariage, divorce, séparation de corps et de biens; *Morael* Traité hist. et prat. de la conversion de la séparation de corps en divorce; *Greco Umb.* Del volontario abbandono quale causa di separazione fra coniugi; *Charpentier* Divorce et séparation de corps; *Coulon* Le divorce et la séparation de corps;

Diena Marco Dei figli di donna legalmente separata dal marito ; *Curet* Code du divorce et de la séparation de corps ; *Santerne* De la situation de la femme séparée de corps depuis la loi du 6 fevr. 1893 ; *De Gouttes J.* Etude hist., critique et comparative des rapports du divorce et de la séparation de corps ; *Lehr E.* Le mariage, le divorce et la séparation de corps dans les principaux pays civilisés ; *Regnault* Le mariage ..., la séparation de corps et le divorce ; *Zarcycki* Le divorce et la séparation de corps comparés dans leur cause ; *Berturat* Des effets de la séparation de corps sur la capacité civile de la femme mariée ; *Gabriel* Manuel du divorce et de la séparation de corps ; *Bosco* Divorzi e separazioni ; *Schmid F.* Die Ehescheidung w. Geisteskrankeit ; *Anzilotti* Il riconoscimento delle sentenze straniere di divorzio in ordine alla seconda convenzione dell'Aia 12 giugno 1902 ; *Hauser E.* Die Haager Uebereinkunft v. 12 Juni 1902 betr. Ehescheidung und Trennung von Tisch u. Bett in ihren Einwirkungen auf das schweizerische Recht ; *Hess O.* Das internat. Uebereinkommen z. Regelung d. Geltungsbereichs d. Ges. aus d. Geb. d. Ehescheidg. u. d. Tr. v. Tisch u. Bett v. 12 Juni 1902 ; *Sauer K.* Das Eheschliessungs- u. Ehescheidungsrecht mit Berücksichtigung der Haager intern. Privatrechtsabkommen v. 12 Juni 1902 ; *Traverz P.* La convention de la Haye relative au divorce et à la séparation de corps. Fontes et reliquam bibliographiam quaere sub *Divortium*, *Matrimonium*

3985 **Traditio.** — Iure romano contractus emptionis et venditionis, simul ac de pretio convenisset inter partes, perficiebatur (Inst. Iust. *de empt. et vendit.* [*III. 23*] ; *l. 15 de contr. emption. et vendit. C.* [*IV. 38*]), iis emptionibus exceptis, ad quas ex legibus vel ex conventione scriptura requirebatur (Inst. Iust. *loc. nuper. cit.*) ; et perfecto sic contractu, statim periculum rei et commodum ad emptorem spectabat (excepto quoad periculum casu, quo culpa venditoris res perierit vel res vendita fuerit determinata non in individuo, sed tantum quoad genus), non autem ad venditorem (*l. 8 de periculo et commodo rei venditae D.* [*XVIII. 6*] ; Inst. Iust. *loc. c.* § *3*), quamvis penes venditorem dominium rei maneret usque ad perfectam traditionem (Inst. Iust. *loc. nuper. cit.*), imo quousque non solum emptori res fuerit tradita, sed et emptor venditori pretium tradiderit, aut venditore consentiente de tradendo pretio ei fidem fecerit. Inst. Iust. *de rerum divis. et qualit.* (*II. 1*) § *41*.

Iure vero tum Gallico (*C. C. a. 1583*), tum Italico (*C. C. aa. 1447. 1448*), non solum obligatione suscepta ex una parte tradendae rei, ex altera dandi pretii, contractus perficitur, sed et dominium rei in emptorem transfertur, quin ulla requiratur rei traditio. Excipiuntur res, quae ad mensuram, pondus vel numerum venduntur ; hae enim, ut perficiatur venditio, debent fuisse mensuratae. *C. It. a. 1450 ; C. G. a. 1585.* Quum igitur generatim dominium rei venditae, statim ac contractus perficitur, ad emptorem transit, pericula et commoda rei venditae, quae supervenerint, ad emptorem spectant. *C. It. a. 1125.* Hoc non solum valet relate ad ipsos contrahentes, sed etiam relate ad tertios ; quare, si una eademque res duobus vel pluribus vendita fuerit, primo emptori adiudicatur, quamvis alicui ex posterioribus fuerit tradita. Pacifici Mazzoni *Ist. di dir. civ. it. vol. IV. n. 66*

Hoc tamen quasdam patitur exceptiones; nam si res, ad quam quis duobus tradendam successivis contractibus se obligavit, est res natura sua mobilis vel titulus quidam liber (*un titolo al portatore*), ille ex his, cui possessio fuerit tradita, alteri praefertur, etsi eius titulus tempore posterior sit, dummodo bonae fidei possessio fuerit. *C. It. a. 1126.* Cessionarius seu emptor alicuius crediti, iuris aut actionis, nullum ius habet quoad tertios, nisi denunciatione debitori facta secutae cessionis, vel cessionis acceptatione per authenticum actum a debitore facta. *C. It. a. 1539.* In alienatione rerum immobilium sententiae et acta secundum leges transcriptioni subiectae vim nullam quoad tertios habent, quousque transcriptio locum non habuit. *C. It. a. 1942.* Vid. *Emptio-Venditio.*

Wrede De traditione ficta; *Schultz Bern.* De traditione ficta; *Redecker H. R.* De traditionibus.

3986 **Transactio.** — Transactio, si late sumatur, dicit quemcumque modum, quo negotium inter partes componitur; si sumatur stricte, dicit pactionem non gratuitam, qua partes terminum liti vel rei dubiae imponunt. Pichler *in tit. 36 lib. 1 Decr. n. 1.* Necesse autem est ad transactionem, ut aliquid detur et aliquid retineatur; nam transactio, nullo dato vel retento seu promisso, minime procedit, *l. 38 de transactionibus C.* (*II. 4*).

Transigere possunt omnes et soli, qui possunt pacisci et liberam habent administrationem rerum suarum. *l. 27 tit. cit. C.* (*II. 4*).

Transigi autem potest super omni et sola re dubia et litigiosa, si specialis non obstet prohibitio iuris. *l. 1 de transactionibus D.* (*II. 15*).

Prohibetur autem transactio de beneficiis ecclesiasticis et rebus spiritualibus, si pro eis detur temporale, quia hoc esset simoniacum; imo transactio quoque de beneficiis sine auctoritate ecclesiastica, dando spirituale pro spirituali retento (*c. 4 de transactionibus X.* [*I. 36*]); de dissolvendo matrimonio valide contracto, quod esset contra ius divinum; de futuris alimentis alicui per testamentum relictis (*l. 8 tit. cit. D.* [*II. 15*]); super causis criminalibus, excepto forte crimine falsi, et excepto crimine capitali (nisi agatur de adulterio) certe de iure romano (*l. 18 tit. cit. C.* [*II. 4*]) et probabiliter etiam de iure canonico. Santi *in tit. 36 lib. I Decr. n. 12.*

Transactio legitime inita, h. e. sine dolo, metu gravi iniuste incusso, errore substantiali ac sine falsis instrumentis, tantae vis est, ut, altera parte invita, rescindi aut revocari numquam possit, quia habet vim rei iudicatae. *l. 20 tit. cit. C.* (*II. 4*). Si agatur de laesione enormissima rescindi potest, quia tunc praesumitur dolus. Pichler *l. c. n. 6.*

Tit. de transactionibus X. (I. 36); *Isambert An.* Tract. de transactionibus; *A Thoartio A. L.* Tr. de transactionibus; *Donelli H.* Comm. ad tit. C. de pactis et transactionibus; *De Leon Coronel Ant.* De pactis et transactionibus; *Klockii H* Comm. in l. Transigere 18 Cod. de transact.; *Borcholten Io.* Tract. de transactionibus; *Hotomani Fr.* Comm. in duos titulos Digestorum de pactis et transactionibus; *Geilkirchen*

Disp. de praecipuis remediis, quibus lites ac controversiae ex praescripto iuris dirimuntur; *Loriotti Paul.* De transactionibus, pactis, etc.; *Meier Iust.* De transactionibus; *Schneider Andr.* Repetitio in l. Transigere 18 C. de transactionibus; *Carray Iul. Frid.* Tyrocinium legale de transactionibus; *Amorini* De pactis et transactionibus; *Hunnii H. U.* Liber de transactionibus; *Bechtoldus* De transactionibus; *Mehlbaum Io.* Disp. de transactionibus; *Valeron E. R.* Tr. de transactionibus; *Richter Chr. Andr.* Tr. de transactionibus et de errore calculi et de rei vindicatione; *Valleronius* De transactionibus; *Urceolus Ios.* Tr. de transactionibus; *Rusignoli Georg.* Novissima praxis theologico-legalis (in tertio tomo de transactionibus); *Bachius* De iure transactionis; *Vinnius Arn.* Tract. quinque nempe de pactis iurisdictione, collationibus, transactionibus et quaestionibus iuris selectis; *Breuning* De transactionibus; *Renthe L. A.* Versuch einer systematischen Erläuterung der Lehre von den Transacten; *De Lutzenberger* Diss. exhibens transactionis notionen eamque ineundi modos ex iur. Rom. principiis; *Colins H. I.* Diss. de transactionibus; *Reditich G. B.* Comm. de transactionibus; *Van Reysinger T. I.* De transactionibus ex iure romano; *Marbeau* Traité des transactions; *Troplong R. Th.* Du mandat, du cautionnement et des transactions; *Risch* Der Vergleich nach gemeinem Recht; *Pierron* Des transactions en droit romain et en droit français; *Accarias* Etude sur la transaction; *Vaugeois* De la preuve en matière de transaction; *Viardot* De la transaction en droit romain; *Sturm* Lehre v. Vergleich; *Neppi Modona* La transazione in diritto romano; *Gianturco E.* Studi e ricerche sulla transazione e sul diritto ipotecario; *Guillonard L.* Traité du cautionnement et des transactions; *Bertolini* La transazione in diritto romano.

3987 **Transcriptio.** — Transcriptio ex nostris legibus in sequentibus actibus requiritur:

1° in actibus inter vivos, gratuitis sive onerosis, proprietatem transferentibus immobilium vel aliorum bonorum aut iurium, quibus hypotheca imponatur, idoneorum, reditibus super statum exceptis;

2° in actibus inter vivos praediales servitutes, iura utendi aut habitandi constituentibus aut immutantibus, aut iuris usufruendi exercitium transferentibus;

3° in actibus inter vivos, quibus quis iura duobus praecedentibus numeris enunciata renuntiat;

4° in sententiis venditionis sub hasta iuris proprietatis immobilium aut aliorum bonorum seu iurium, quibus hypotheca imponatur, idoneorum, excepto casu venditionis, quae locum habuit in iudicio purgationis in favorem tertii possessoris, qui iudicium instituit, et exceptis adiudicationibus, quae inter condividentes in auctionibus locum habuerunt;

5° in contractibus locationis immobilium novem annos excedentibus;

6° in contractibus societatis, quorum obiectum est ius fruendi bonis immobilibus, quum societatis duratio vel novem annos excedit vel est indeterminata;

7° in actibus et sententiis, ex quibus liberatio provenit aut cessio locationis mercedum (*pigioni*) aut pensionum (*fitti*), pro quibus solvendis nondum dies venit, ad spatium temporis tribus annis maius;

8° in sententiis declarantibus exsistentiam alicuius oralis conventionis, quae naturam habeat earum, quae in praecedentibus numeris enunciatae sunt. *C. C. a. 1932.*

Transcribenda etiam sunt pro specialibus effectibus a lege statutis:

1° praeceptum in iudiciis exsecutoriis relate ad bona immobilia;

2° declaratio voluntatis adeundae hereditatis *cum beneficio inventarii*, ut dicitur;

3° petitiones quaedam revocationis, rescissionis et resolutionis in codice statutae. *C. C. a. 1933.*

Valette De l'effet de la transcription relativement au priv. du vend.; *Allard* Exposé des mesures administratives à prendre pour assurer l'efficacité de la loi sur la transcription; *Mourlon* Traité théorique et pratique de la transcription; *Duverger* De l'effet de la transcription relativement aux droits du vendeur; *Berger* Transcription; *Luzzatti Isr.* Della trascrizione; *Beauvallet* Des états sur transcription; *Mirabelli Gius.* Dei principi fondamentali dell'istituto della trascrizione secondo il codice civile.

3988 **Transformatio beneficii.** — Transformatio beneficii est mutatio specifica beneficii primitus erecti. Quare transformatio beneficii complectitur suppressionem, saltem aequivalentem, antiqui beneficii et erectionem novi. Hinc ii omnes et soli possunt transformare beneficia ecclesiastica, qui eadem possunt supprimere et erigere. Attamen notanda quaedam sunt ex Concilio Tridentino. Scilicet (*sess. XXV. c. 16 de ref.*) « statuit Sancta Synodus, ut ecclesiastica beneficia secularia, quocumque nomine appellentur, quae curam animarum ex primaeva eorum institutione aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignata vicario perpetuo congrua portione, non convertantur ». Quare episcopi ab hac transformatione omnino prohibentur. Pariter prohibentur episcopi convertere ecclesiam regularem etiam inferiorem in secularem, vel secularem in regularem, aut regularem unius ordinis in regularem alterius ordinis. Cfr. *c. 5 de praeb. et dignit. (III. 4) in 6°*; Wernz *Ius Decr. II. 260.*

In iis autem, quae episcopus potest quoad transformationem beneficiorum, necesse est, ut servet ea, quae in suppressione beneficiorum, et multo magis in erectione, servanda sunt. Quare, nisi agatur de transformatione ab ipso iure praescripta (cfr. Conc. Trid. *sess. V. c. 1 de ref.*), necessarius est consensus capituli, etc. Wernz *loc. cit. n. 261.*

Transiens. — Quando transiens ante altare, ubi asservatur ss. Sacramentum, genuflectere debeat, etc., vid. *Genuflexio.*

Transitus. — Transitus ad religionem strictiorem (quaenam sit strictior religio non ex primitiva institutione, sed ex praesenti observantia deducendum est, Zitelli *App. iur. eccl. l. I. c. 7. a. 3*), petita tantum, quamvis non obtenta, licentia sui praelati (immediati scilicet, non autem praelati simul et capituli, Bouix *de reg. II. p. 6. c. 5. q. 1. n. 5*), regulari permittitur a iure (*c. 18 de regularibus etc. X.* [*III. 31*]); praelato tamen constare debet, aliam religionem paratam esse transeuntem recipere. *Decr.* Urbani VIII « Sacra » *21 sept. 1624.* Nunc in praxi exquiritur semper venia a sancta Sede. De Angelis *in tit. 31 lib. III Decr. n. 14.* 3989

Transitus ad religionem laxiorem,

quamvis a Concilio Tridentino (*sess. XXV. c. 19 de reg. et mon.*) prohibitus, ob graves causas tamen, a cardinali maiori poenitentiario approbandas, audito prius superiore ordinis a quo, et cum consensu superioris ordinis ad quem fit transitus, permissus est a Benedicto XIV (*Const.* « Pastor bonus » *13 apr. 1744*), dummodo in ordine, ad quem fit transitus, vigeat regularis observantia.

Religiosus solemniter professus in ordine suo, transiens ad alium ordinem, potest statim post novitiatum solemnem professionem emittere, quin praemittat novum triennium professionis votorum simplicium. *S. C. EE. RR. 25 ian. 1884.*

990 **Translatio. — De translatione proprie dicta. — Quid sit.** — Translatio est assumptio personae ecclesiasticae ab una ecclesia, cui praeerat, ad aliam, canonice facta. Reiffenstuel *in tit. 7. lib. I. Decr. n. 2.*

991 **De translatione episcoporum.** — Ad transferendum episcopum de una sede in aliam necessaria est auctoritas Sedis Apostolicae (*c. 1. de cler. non resid. etc. X.* [*III. 4*]; *c. 2 de transl. ep. X.* [*1. 7*]; Wernz *Ius. decr. II. 518*); nec non iusta causa requiritur. Cfr. *c. 34. C. VII. q. 1.* Haec autem est necessitas (ut hostilis prosecutio in episcopum, odium malae plebis, adversa valetudo ex aeris rigore, his similia, Reiffenstuel *l. c. n. 11*), vel utilitas (ut spes maioris boni spiritualis pro universali vel particulari ecclesia. Reiffenstuel *l. c. n. 10*). *cc. 34. 35. C. VII. q. 1.*

Invitus per se transferri potest (Vernz *l. c. II. 526*); potest enim romanus Pontifex episcopum aliquem obligare, ut, una ecclesia relicta, aliam assumat. Reiffenstuel *loc. cit. n. 28.* Si episcopus obstinate recusaverit, potest illum inobedientiae causa sua ecclesia privare, non tamen ad aliam assumere. Glossa *in can. 37. C. VII. q. 1*; Reiffenstuel *loc. cit. n. 30.*

In translazione ordinarie servatur ordo, ita ut translatio fiat a minore ad maiorem sedem (*c. 1 tit. cit. X.* [*I. 7*], nisi legitime concurrente ratione et praesertim necessitate. *arg. c. 42. C. VII. q. 1*; *c. 9 de renunciat. X.* (*I. 9*).

Effectus translationis est, ut solvatur prius vinculum (*c. 4 de postul. prael. X.* [*I. 5*]), et proinde amittat episcopus omnia iura in antiqua dioecesi, sive quoad iurisdictionem spiritualem (*c. 3. C. XXI. q. 2*), sive quoad perceptionem fructuum (Ben. XIV *de Syn. lib. XIII. c. 16. n. 13*); et contrahatur novum vinculum cum nova ecclesia. *cc. 2. 4. tit. cit. X.* (*I. 7*).

Solutio prioris vinculi et novi contractio tunc habetur, quum publicatur in consistorio assumptio episcopi ad novam sedem, et ex tunc prior sedes incipit vacare, licet nondum fuerint expeditae litterae apostolicae (*S. C. EE. RR. 14 dec. 1624; Brev. Urb. VIII. 20 mart. 1625*); quare iurisdictio transit statim in capitulum. Riganti *in reg. Canc. Apostolicae reg. 2.* § *3. nn. 59 sqq. 108;* Ben. XIV. *l. c. n. 7.*

Pro Italia vero nota sequens decretum s. congregationis rituum; « SSmus Dnus noster Leo papa XIII, attentis peculiaribus adiunctis, de speciali gratia ad beneplacitum s. Sedis

valitura, benigne indulsit, ut rmi episcopi Italicae regionis, qui, dimissa propria dioecesi, ad aliam sive residentialem sive titularem transferuntur, atque apostolicam administrationem temporaneam prioris dioeceseos retinent, ibidem, durante tantum eiusmodi administratione, omnibus honorificentiis, privilegiis, indultis ac facultatibus frui valeant, quae iisdem, uti propriis episcopis ordinariis, competebant. Contrariis non obstantibus quibuscumque ». *S. R. C. 25 iun. 1897* (*3958*). Cfr. Ober Leo *Die Translation der Bischöfe im Altertum.*

De translatione parochorum (*remissive*). — Quoad parochos, vid. *Amovibilitas.*

3992 **De translatione minorum beneficiatorum.** — Quoad minores beneficiatos nota, eos invitos non posse ab episcopis generatim loquendo, in aliud officium, etsi aequale aut maius, transferre, nisi uno excepto casu, quo intercedat causa necessitatis aut magnae utilitatis ecclesiae. Ratio autem est, quia coarctata translatio aequivalet privationi prioris beneficii, ad quam episcopus devenire non potest, nisi propter causas in iure expressas et canonica forma servata. Wernz *Ius. decr. II. 526.*

Attamen, si non est quaestio de veris beneficiatis, sed de vicariis ex. gr. ad nutum amovibilibus etc., ad translationem etiam de invito licite faciendam sufficit gravis et iusta causa, qua deficiente, translatio erit valida, sed illicita. Haec autem translatio longe differt a simplici remotione vicarii etiam ad nutum amovibilis a suo officio; nam haec rationem habet gravissimae poenae, illa potest esse actus providae administrationis. Wernz *l. c.*

Translatio vero non definitiva, sed ad breve tempus, potest sine dubio ob ecclesiae necessitatem arbitrio episcopi fieri. *S. C. C. in Brixien. 28 mart. 1903.*

De translatione minus proprie dicta. — Translatio dici etiam potest de ipso officio ecclesiastico. In hoc sensu illi possunt officia transferre, qui erigere possunt. Quare episcopus non potest transferre titulum ecclesiae cathedralis in aliam ecclesiam, etsi dioecesis suae; potest autem transferre beneficia simplicia seu parochialia, servatis servandis, idest ex iusta causa, eisque solemnitatibus et conditionibus servatis, quae ad erectionem illius officii ecclesiastici requiruntur. Cfr. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 7 de ref.*; *S. C. C. in Tridentina 12 aug. 1741*; Wernz *loc. cit. II. 255 sqq.* 3993

Translatio benedictionis. — Benedictio et distributio candelarum et processio in festo Purificationis B. M. V. fieri debent ipsa die 2 februarii, nec possunt transferri in dominicam sequentem, etiamsi de iis locis ageretur, in quibus festum Purificationis ex indulto non servabatur de praecepto. *S. R. C. in Rhemen. 7 febr. 1874* (*3321*); *in Agennen. 27 ian. 1899* (*4010*). 3994

Translatio officii. — In orationibus tum missae cum officii, quando sive accidentaliter sive perpetuo transfertur officium, verba *hunc diem, hodiernum diem, praesentem diem* non sunt immutanda, inconsulta s. Con- 3995

gregatione. *S. R. C. in Tuden. 7 sept. 1816 ad 10* (*2572*).

Attendendum etiam est quoad hoc sequens generale decretum s. Rituum Congregationis, scilicet:

« Sacra Rituum Congregatio declarat:

I. Festa duplicia 2 classis diebus suis impedita, si dies liberi pro iis reponendis in decursu anni non suppetant, licite posse reponi ac debere in aliis diebus proximioribus, quamvis in his festa semiduplicia, aut, in horum defectu, duplicia minora (non tamen doctorum ecclesiae) occurrant, quae pro eo anno commemoranda erunt iuxta rubricas.

II. In praedictis vero rerum adiunctis, ut praestantiora officia aliis praeferantur, in proximioribus diebus ea esse reponenda, quamvis in his duplicia aut semiduplicia occurrant, haud obstantibus diebus liberis postea subsequentibus, in quibus alia officia minus solemnia reponentur, communibus ceterum translationis regulis servatis: si nihilominus semiduplicia vel etiam duplicia ad libitum in calendariis habeantur, haec prae aliis de praecepto pro repositione seligantur.

III. Quocumque autem casu, ita calendariorum ordinatores se gerere debere ut, in unoquoque mense, nonnullos dies liberos, quantum fieri possit, relinquant pro missis de requie celebrandis ». *S. R. C. 2 dec. 1891* (*3756*).

3996 **Transmissio.** — Quoad transmissionem documentorum ad s. Sedem, maximi momenti sunt sequentes litterae s. Congregationis s. Officii ad ordinarios: « Haud raro accidit, ut ad ss. Romanas Congregationes, ac suprema s. Offici non excepta, a rr. curiarum episcopalium negotiorum Romae procuratoribus (italice: *Agenti ecclesiastici*) documenta de rebus etiam gravissimis et maxima observatione dignis, plane resignata atque omnium oculis patentia exhibeantur; eadem vero nonnumquam adeo parvulis atque exiguis chartulis neglectaque forma exarata sunt, ut et erga s. Sedem non parum indecentia, atque ad positiones, quas vocant, efformandas minus apta inveniantur.

Haec omnia iure merito lamentantes emi dni Cardinales una mecum inquisitores generales, in congregatione generali habita feria IV die 24 aprilis anni currentis, omnibus episcopalibus curiis significandum mandarunt, ut in posterum huiusmodi documenta in folio communis Romae dimensionis conscripta vel directim per publica epistolarum dirhibitoria, vel, si quidem rationabili ex causa procuratorum opera uti velint, ita clausa et sigillo munita transmittant, ut nullus ex parte ipsorum procuratorum clandestinae aperitioni locus esse queat. *Datum Romae ex s. Off. die 23 aug. 1901* ».

Tribuna. — Tribunis gentilitiis (*coretti*) in ecclesiis, ubicumque commode et sine scandalo fieri potest, crates sunt apponendae. *S. R. C. in Policastren. 4 sept. 1875 ad 2* (*3376*). 3997

Monialibus vero nullo modo permittitur, ut tribunas habeant, quae prospiciant ecclesias secularium; et episcopus, si quae haberentur, deberet

illas omnino destruere. *S. C. EE. RR. in una Civitatis Castelli 22 aug. 1815.*

An liceat generatim aperire huiusmodi tribunas seu fenestellas, quae de domibus secularium ecclesias prospiciant, vide sub *Aedificatio.*

3998 **Tribunal.** — Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura ecclesiae, incurrunt excommunicationem l. s. R. P. specialiter reservatam, *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 7.*

Nota caput « Cogentes » loqui de illis, qui *praeter canonicas dispositiones* cogunt iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas; porro si quis eos ad laicum tribunal traheret in loco, ubi id liceret per concordata inter statum et ecclesiam inita, hoc non faceret praeter canonicas dispositiones. Cfr. Bucc. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 20.* Vid. *Fori privilegium.*

Novissime ss. Dnus Pius X novam legem de hoc tulit antiquam confirmans et extendens. Motu proprio, quem hic integrum damus.

« Quantavis diligentia adhibeatur in condendis legibus saepe non licet dubitationem praecaveri omnem, quae deinceps ex earum callida interpretatione queat exsistere. Aliquando autem iurisperitorum qui ad rimandam naturam vimque legis accesserint, tam diversae inter se sunt sententiae ut quid sit lege constitutum, non aliter constare, nisi per authenticam declarationem, possit.

Id quod videmus contigisse, postquam constitutio *Apostolicae Sedis* promulgata est, qua censurae latae sententiae limitantur. Etenim inter scriptores qui in eam constitutionem commentaria confecerunt, magna orta est de ipsius capite VII controversia; utrum verbo *Cogentes* legislatores personaeque publicae tantummodo, an etiam homines privati significentur, qui iudicem laicum, ad eum provocando actionemve instituendo, cogant, ut ad suum tribunal clericum trahat.

Quid valeret quidem hoc caput, semel atque iterum Congegatio Sancti Offici declaravit. Nunc vero in hac temporum iniquitate, cum ecclesiasticae immunitatis adeo nulla solet haberi ratio, ut non modo clerici et presbyteri, sed episcopi etiam ipsique S. R. E. Cardinales in iudicium laicorum deducantur, omnino res postulat a Nobis, ut quos a tam sacrilego facinore non deterret culpae gravitas. eosdem poenae severitate in officio contineamus. Itaque hoc Nos Motu Proprio statuimus atque edicimus: quicumque privatorum, laici sacrive ordinis, mares feminaeve, personas quasvis ecclesiasticas, sive in criminali causa sive in civili, nullo potestatis ecclesiasticae permissu, ad tribunal laicorum vocent, ibique adesse publice compellant, eos etiam omnes in excommunicationem latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatam incurrere.

Quod autem his litteris sancitum est, firmum ratumque esse volumus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum,

die IX mensis Octobris MCMXI, Pontificatus nostri anno nono ».

3999 **Tributum.** — Suprema auctoritas in republica potest imponere tributa. Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 33. n. 9.* Debent tamen tributa requiri a necessitate vel utilitate communitatis (Lessius *loc. cit. n. 41 ;* Lugo *de iust. et iur. disp. XXXVI. n. 20*), servata aequalitate inter subditos, habita ratione facultatum, quas possident. Lugo *loc. cit. n. 23.*

In praxi semper adhortandi sunt fideles, ut tributa solvant, damnandi si iusta non solvant (G. B. *I. 738*); ceterum ad restitutionem non videntur adigendi. Lugo *loc. cit. n. 43*; G. B. *I. 740 sqq.* Cfr. Mon. eccl. *vol. VII. p. 2. pag. 80 sqq.*

Illi, qui ad tributa exigenda praepositi sunt, si ea non exigant, peccant contra iustitiam, et ad restitutionem tenentur erga statum. G. B. *I. 745.* Vid. *Fraudatio.*

Etiam ecclesia ius habet imponendi tributa, si quando iis indigeat ad finem suum consequendum (Cavagnis *Inst. iuris publ. eccl. part. II lib. II. n. 396*); quod ius praecipue est in Romano Pontifice, qui eo uti potest, non tantum ordinarie (ut facit per impositionem solutionis annatae vel dimidiae annatae beneficiatis factam, etc.), sed extraordinarie pro modo necessitatis suae. Cavagnis *loc cit. n. 409 sqq.* Attamen sperandum est, ut fideles numquam expectaturi sint, ut Pontifex hoc iure utatur, et si quando eum, respectu habito ad summam eius dignitatem, in necessitate versantem viderint, sponte et libenti animo ipsi plura, quam quae oportet, tradituri sint.

Bertachini Io. De gabellis, tributis et vectigalibus ; *Gutierrez Io.* Tr. de gabellis ; *Bulengeri Iul. Caes.* Tr. de tributis et vectigalibus populi romani ; *Ferrari Lucas* Quaestiones canonicae de tributis quibus causae ad iustitiam tributorum requisitae, tum exemptiones ecclesiasticorum tum laicorum obligationes easdem solvendi explicantur ; *Pruner* Kath. Moralth. I. 318 ; *Soedler P.* Die Steuerpflicht. Omnes theologi morales.

Trinare. — In disciplina vigente non 4000
permittitur sacerdoti, excepta de iure communi una die Nativitatis Domini, pluries in die sacrificium offerre. Attamen ex necessitate non raro diebus festis permittitur bis celebrare. Vid. *Binare.* Rarius, imo rarissime, conceditur etiam facultas trinandi. Attamen haec facultas nonnisi ex specialissimo indulto et tantum ad tempus a S. Sede conceditur. Huiusmodi indultum concessum fuit archiepiscopo Mexicano petenti, per sequens rescriptum : « Pro gratia ad quinquennium, facto verbo cum SSmo, et ad mentem. Mens est, ut ultra tertiam missam numquam nullaque de causa iterationem permittas ; nec non ut, concessionis tempore durante, ea, qua praestas, prudentia ac solertia res componere satagas ad tramites disciplinae vigentis, qua scilicet plebis necessitati audiendi sacrum satis consulatur per binationem » *S. C. C. 30 dec. 1879.* Haec facultas prorogata est ad quinquennium eidem archiepiscopo Mexicano *28 mart. 1896*, et ad quinquennium etiam concessa episcopo de Tulancingo *9 sept. 1899*,

cuius petitioni responsum est: « Detur rescriptum uti in Mexicana diei 30 decembris 1879 ». Cfr. Mon. eccl. *vol. XVII pag. 327. n. 67.*

4001 **Tristitia.** — Tristitia est de malo praesenti (S. Th. *1. 2. q. 25. a. 4*) et proprio. S. Th. *2. 2. q. 36. a. 1.* Quum autem alienum bonum possit aliquando esse vel apprehendi tamquam malum proprium, etiam de alieno bono potest esse tristitia.

Tristari autem de bono alterius potest quis dupliciter: uno modo, quum quis tristatur de bono alterius, in quantum ex hoc alicuius momenti periculum sibi imminet (S. Th. *loc. cit. q. 36. a. 1*), et talis tristitia non est invidia, et potest esse sine peccato S. Th. (*loc. cit. a. 2*); alio modo, quum quis bonum alterius existimat ut malum proprium, in quantum est diminutivum propriae gloriae vel excellentiae, et talis tristitia est proprie invidia (S. Th. *loc. cit. a. 1*), quae ex genere suo est peccatum mortale (S. Th. *loc. cit. a. 3*), et est vitium capitale. S. Th. *loc. cit. a. 4.*

Tumulus. — Vid. *Feretrum.*

4002 **Turificatio.** — Secundum ceremoniale episcoporum inter vesperas solemniores potest turificari, praeter altare ss. Sacramenti, etiam altare dicatum sancto, cuius festum agitur. Porro haec turificatio potest fieri turificando altare, vel etiam a suppedaneo altaris turificando tantummodo ipsius sancti imaginem, turificatione altaris omissa. Attamen in singulis locis servanda est consuetudo ibidem vigens. *S. R. C. in Sanctorien. 4 maii 1882* (*3547*). Turificatio autem imaginis sancti facienda est a sacerdote, non a diacono, et consuetudo contraria esset abolenda. *S. R. C. in Luganen. 28 nov. 1902.*

Turificatio ss. Sacramenti facienda est duplici ictu in triplici ductu, etiam intra missam solemnem ante introitum et ad offertorium. *S. R. C. in una S. Marci 22 mart. 1862 ad 20* (*3110*), *in Minoricen. 24 nov. 1899 ad 9* (*4048*).

In missis, quae cantantur sine ministris, tolerari nequit usus incensi seu turificationis, etiamsi ex penuria sacerdotum non possint cantari missae solemnes cum ministris, et etiamsi adesset consuetudo, nisi habeatur speciale indultum apostolicum. *S. R. C. in Caurien. 9 iun. 1884 ad 6* (*3611*).

Turpiloquium. — Vid. *Sermones pravi.*

Tus. — Non licet turi adhibendo in sacris functionibus alias materias immiscere, etsi suavioris odoris. *S. R. C. in Parisien. 7 aug. 1875* (*3363*).

Tutiorismus. — Alius est *absolutus*, seu rigorismus, secundum quem pars tutior semper sequenda est; alius *mitigatus*, secundum quem licet tantum sequi probabilissimam partem libertati faventem. D'Ann. *I. 256 sqq.*; G. B. *I. 53.* Cfr. Arendt *Crisis.* Vid. *Laxismus.*

Tutor. — Tutor iure italico ille dicitur, qui datur pupillo et minori non emancipato (*C. It. a. 277*, cui consonat ius gallicum, *C. G. a. 450*). et distinguitur a curatore, qui datur minori emancipato. *C. It. a. 314.*

Tutela et cura sunt publicum munus, a quo nemo potest se eximere, nisi a lege ipsa eximatur, vel nisi, iusta causa assignata, dispensetur a

Consilio familiae. C. It. aa. 272 sqq.; C. G. aa. 427 sqq.

Iure nostro feminae a tutela arcentur, excepta matre et aliis ascendentibus feminis aut sororibus germanis innuptis. *C. It. a. 268.* Mater, quum exercere iure possit patriam potestatem, vi legum est tutrix minorum nondum emancipatorum; hinc non aperitur tutela, nisi uterque parens mortuus sit vel declaratus absens, aut nisi incurrerit amissionem patriae potestatis ob sententiam poenalem eum condemnantem. *C. It. a. 241.* Deficientibus parentibus et non nominato ab eis tutore, tutela ex iure ipso ad avum paternum, vel, eo deficiente, ad maternum spectat. *C. It. a. 244.* Ius nominandi tutorem sive cognatum sive extraneum spectat ad parentem, qui postremus moritur, quique hoc praestare potest sive publico instrumento, sive testamento ipso. *C. It. a. 242.* Etiam *Consilium familiae,* quando minor orbatus est parentibus, nec habet tutorem ab ipsis nominatum vel designatum a lege, vel si quando huiusmodi tutorem habet, tutor tamen vel necessarias et legitimas dotes non habet, vel legitime fuerit a munere excusatus, potest et debet tutorem nominare. *C. It. a. 245.*

Praeter tutorem requiritur etiam pro-tutor, qui ab iisdem illis eligitur, quibus ius est eligendi tutorem. *C. It. a. 264.* Nec potes tutor tutelam exercere, nisi electus fuerit pro-tutor (*C. It. a. 265*), cuius est tueri iura minoris, eumque repraesentare, quum eius bonum tutoris bono opponitur. *C. It. a. 266.* Si quando tutor ab officio cessat, cessat et pro-tutor. *C. It. a. 267.*

Tutor tenetur curare personam et bona minorum, ipsum in civilibus actibus repraesentare, eiusque bona administrare. *C. It. a. 277.* Diligentia autem, qua minoris bona administrare debet, ea est, quam bonus pater familias in suis bonis custodiendis adhiberet; qua omissa, in foro conscientiae tenetur erga pupillum de damnis. B. P. *III. 958.*

Tenetur tutor ab initio sui muneris inventarium conficere bonorum minoris (*C. It. a. 281*); et hoc inventarium deponi debet apud praetorem, tutore et pro-tutore iurantibus de eiusdem inventarii sinceritate. *C. It. a. 282.* Antequam ad inventarium procedatur, tutor, qui minoris creditor sit, debet, interpellante notario aut praetore, suum creditum declarare (*C. It. a. 285*); nisi fecerit, ab omni iure erga minorem decidit. *C. It. a. 286.* — Debet praeterea tutor, qui non sit avus paternus aut maternus, praestare cautionem in ea quantitate, quae a *Consilio familiae* determinatur (*C. It. a. 292*), nisi ab ea praestanda ab eodem *Consilio familiae*, liberetur, approbante tribunali. *C. It. art. nuper cit.*

Quamvis tutor pupillum suum repraesentet, eiusque bona administret, nequit tamen, absque permissione *Consilii familiae* (quae non debet esse generalis, sed specialis pro singulis actibus et contractibus, *C. It. a. 297*), minoris capitalia exigere vel collocare, pecuniam mutuari, pignore aut hypothecas concedere, bona mobilia vel immobilia alienare, fructibus

exceptis et iis rebus, quae facili deteriorationi subiacent, cedere aut transferre crediti aut creditorum syngraphas, bona immobilia vel mobilia acquirere, iis exceptis, quae necessaria sunt ad domesticam oeconomiam aut ad patrimonii administrationem, contractus locationis novennium excedentes inire, hereditates adire vel eis renuntiare, donationes vel legata, quae oneribus subiacent, vel quae sub conditione dantur, accipere, ad divisiones procedere vel eas iudicialiter provocare. Nequit pariter, quin a *Consilio familiae* facultas ei fiat, compromittere aut transigere, actiones movere in iudicio, nisi quum de actionibus possessoriis agitur aut de quaestionibus, quae referuntur ad redituum assecutionem, exceptis casibus urgentioribus. *C. It. a. 296.* — Tutor et pro-tutor non possunt bona minoris emere, aut cessionem accipere alicuius iuris aut crediti erga ipsum; nec licet ipsis eius bona locare absque permissione *Consilii familiae. C. It. a. 300.*

Peracta administratione, tutor tenetur admnistrationis rationes reddere (*C. It. a. 302*), sive illi ipsi, cuius administrationem gessit, quum administratio cessat, quia minor maior evasit vel emancipatus, sive tutori suffecto, sive heredibus, minore mortuo. *C. It. a. 306.*

Imo tutor, nisi fuerit avus paternus vel maternus, tenetur quotannis *Consilio familiae* statum suae administrationis exhibere. *C. It. a. 303;* cfr. *C. G. aa. 469. 470.*

Quae de tutore dicta sunt, eadem fere de curatore sunt dicenda.

Camusi Car. De iis, quae ad tutorum excusationes pertinent; *Piaggii Ant.* Tr. de curatore et tutore; *Buserent Io.* De tutelis; *Cavalcani* Tr. de tutore et curatore; *Teophili Nic.* Disp. de tutela; *Montani Paul. Hor.* Tr. de iure tutelarum et curationum; *Galganetti Leandr.* Tr. absolutissimus de tutela et cura, tutoribus et curatoribus; *Plumii Cl.* De tutelis et tutoribus; *Mancini Vinc.* De tutelis et curis; *Manzi Gasp.* Tract. de tutelis et curis; *Wisius* De iure tutelarum; *Beckmanni I. W.* Tutor testamentarius; *Vollenhove* De suspecto tutore et curatore; *Jenichen G. A.* Diss. de excusationibus tutorum et curatorum; *Seger Io. Theoph.* Hist. iur. rom. de tutelis et curationibus; *Minguet Fel.* Hist. iur. rom. de tutelis; *De Buchholtz* De confirmandis tutoribus; *Marchant* Code de la minorité et de la tutelles; *Tunk* De actionibus, quibus antiquo iure romano dolus malus tutoris vindicatus est; *Magnin* Traité des minorités, tutelle et curatelles; *Fréminville* Traité de la minorité et de la tutelle; *Le Fort* Essai historique de la tutèle en droit romain; *Dufour* Traité complet de la tutelle et de l'administration légale; *Cavagnari C.* Nuovi orizzonti del diritto civile in rapporto alle istit. pupillari; *Schüler* Ueber die Bedeutung des Satzes: tutor personae, non rei vel causae datur; *Coillaud* Des garanties accordées aux pupilles contre la gestion des tuteurs; *Roberti* Ricerche intorno alla tutela dei minorenni.

U

4006 **Unio. — De natura et divisionibus unionis quoad beneficia.** — Unio *realis* beneficiorum est perpetua coniunctio plurium beneficiorum legitime peracta. Unio *personalis* beneficiorum tunc habetur, quum plura beneficia licet divisa, uni personae conferuntur.

Triplex distinguitur unio realis, idest:

a) unio *aeque principalis*, quae tunc habetur, quum statuitur a legitima auctoritate, ut plura beneficia, quae divisa manent, unicum in perpetuum debeant habere beneficiatum (cfr. *c. 1 ne sede vacante etc. X.* [*III. 9*]);

b) unio *subiectiva vel accessoria*, quae tunc habetur, quum plura beneficia ita uniuntur, ut unum sit pars alterius. et tamquam minus dignum subiiciatur digniori; sic aliquando parochia accessorie unitur abbatiae, etc. (cfr. *cap. 11 de maior. et obed. X.* [*I. 33*]);

c) unio *exstinctiva tituli*, quum ex duobus beneficiis unum solummodo efformatur, prioribus fere in unum commixtis. Reiffenstuel *in tit. 12 lib. III Decr. n. 39 sqq.*

4007 **De iis, qui possunt ad unionem beneficiorum devenire.** — Ad legitimam unionem beneficiorum requiritur legitima auctoritas, et est:

a) Summus Pontifex quoad omnia beneficia (*arg. cap. 2 de praeb. etc.* [*III. 4*] *in 6°; cap. 1 ut lite pendente etc.* [*III. 5*] *in Clem.*), et exclusivo iure quoad cathedrales ecclesias et omnia alia beneficia, quae dicuntur concistorialia (*cap. 8 de excess. prael. etc. X.* [*V. 31*]; Conc. Trid. *sess. XXIV. cap. 13 de ref.*).

b) Episcopus relate ad omnia beneficia suae dioecesis (*c. 8 nuper cit. X.* [*V. 31*]; cfr. Conc. Trid. *loc. nuper cit.*), quae non sint exempta, vel sedi apostolicae in perpetuum reservata (*Reg. 4. 13. 22 canc. apostolicae*); vel quorum unio peculiari lege eidem non sit vetita. Cfr. Conc. Trid. *l. nup. cit.* cfr. *S. C. C. in Urgellen 2 apr. 1887.* Nequit enim unire beneficia quaecumque massae capitulari (nisi in ea praebendae simul cum distributionibus quotidianis adeo tenues sint, ut sustinendo decenti canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 15 de ref.*), vel mensae suae (*c. 2 de rebus eccl. etc.* [*III. 4*] *in Clem.*); similiter prohibitum ei est, beneficia, liberae collationis beneficiis patronatis (Conc. Trid. *sess. XXV cap. 9 de ref.*), curata non curatis accessorie unire (cfr. Conc. Trid. *loc. cit.*). Hanc auctoritatem non habet vicarius generalis, nisi ad hoc habeat speciale mandatum. *arg. c. 3. de off. vic.* (*I. 13*) *in 6°;* Reiffenstuel *loc. cit. n. 65.*

c) Vicarius capitularis sede vacante. Reiffenstuel *l. c. n. 64.*

d) Legatus a latere in sua provincia. Reiffenstuel *l. c. n. 63.*

De requisitis ad legitimam unio.

nem beneficiorum. — Requiruntur praeterea ad unionem legitimae et rationabiles causae, quae sunt necessitas vel utilitas ecclesiae. *c. 33 de praeb. et dign. X. (III. 5)*; Conc. Trid. *sess. VII. c. 6. de ref.*

Necessario praeterea servandus est in unione modus praescriptus a iure, idest debent audiri ii, quorum interest, ut collatores, patroni, etc. (*arg. c. 7 de donationib. X.* [*III. 24*]; Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 15 de ref.*), non autem actualis rector beneficii (Reiffenstuel *loc. cit. n. 79* — ratio est, quia unio effectum non sortitur, nisi post mortem vel amotionem illius rectoris); debet pro episcopo seu vicario capitulari haberi consensus capituli cathedralis ecclesiae (*c. 7. tit. cit. X.* [*III. 24*]), quamvis, si iniuste a capitulo recusetur, suppleri possit apostolica auctoritate (Reiffenstuel *l. c. n. 78*), imo non requiritur, si episcopus agat ut delegatus sedis apostolicae, vel adsit contraria consuetudo.

Unio alicuius beneficii, multo magis alicuius parochiae, non sortitur suum effectum, nisi post mortem aut resignationem praesentis beneficiati; et non requiritur consensus plebis parochiae uniendae, quae tamen audienda est, si iustas causas contra unionem allegat. Reiffenstuel *loc. cit. n. 76.*

Bibliographiam quaere sub *Beneficium.*

4008 **Uniones piae.** — Iuverit referre sequentia dubia cum responsionibus, quas iisdem dedit s. Congr. indulgentiarum circa pias uniones seu sodalitates. Sunt autem sequentia:

« 1° An piae uniones seu societates, quae sub confraternitatum et congregationum nomine minime veniunt, comprehendantur sub sanctionibus constitutionis Clementis VIII, quae incipit « Quaecumque ».

« 2° An ad erectionem confraternitatum, puta sanctissimae Trinitatis, sanctissimi Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo, vel a Virgine perdolente, aliarumve huiusmodi, quae a religiosis ordinibus in suis respectivis ecclesiis eriguntur, necessarius sit ordinarii consensus? » His responsum est:

« Ad 1um. Affirmative quoad erectionem seu institutionem, quoad approbationem statutorum, quoad aggregationem et quoad publicationem indulgentiarum;

Ad 2.um Si agatur de confraternitatibus proprie dictis, idest ad modum organici corporis et cum sacco constitutis, affirmative; si de confraternitatibus late acceptis, satis provisum per consensum praestitum ab ordinario pro erectione conventus ordinis in dioecesi ». *S. C. Indulg. 25 aug. 1897.*

Quoad has pias uniones nota etiam decretum sequens s. Congr. s. Officii: « An stante decreto s. rom. et un. inquisitionis diei 6 decembris 1876 et resolutione huius s. congregationis sub die 14 augusti 1889 sustineri valeant ascriptiones defunctorum piis unionibus piisque operibus? » — Resp. « Negative ». *S. U. I. 26 aug. 1897.* Circa quod decretum confer, sis, Monitore eccl. *vol. X. part. I pag. 279.*

Caccialupus I. B. De unionibus ecclesiarum; *De Murga Petr.* Quaestiones pasto-

rales seu de iure et potestate parochi unitarum ecclesiarum; *Thilen Nic.* Disp. inaugur. de unionibus ecclesiarum atque beneficiorum eccl.; *Turricellius I. B.* De beneficiorum unione ex sent. S. Rom. Rotae; *Slevogt* De unione ecclesiarum et beneficiorum; *Rosa Th.* De beneficiorum unione; *Riess* De ecclesiis filiabus; *Baumgärtner* De ecclesia matre; *Schloer* Diss. de ecclesiarum parochialium secularitate earumque unione subiectiva monasteriis facta; *Van Espen* Diss. can. de pristinis altarium et ecclesiarum incorporationibus; *Laubry Maur.* Traité des unions des bénéfices; *Schwabe* De unione et dissolutione ecclesiarum; *Foesser Just. Rich.* De unione et speciatim de incorporatione beneficiorum; *De Kujawa G. M.* De incorporatione beneficiorum diss. inaugural. *Schneller* Die Inkorporation v. K. Aemtern mit besond. Berücksichtigung v. Oesterr.

Universalis Inquisitio. — Vid. *Sanctum Officium.*

Universitates studiorum. — Vid. *Scholae.*

4009 **Universitates regiae.** — Ad praecavenda pericula, quae clerici seu religiosi subire possunt frequentantes regias studiorum universitates, quae in Italia a salutari ecclesiae influxu subtrahuntur omnino, paucis abhinc annis s. Congregatio episcoporum et regularium litteris datis ad universos episcopos et superiores ordinum religiosorum et religiosarum congregationum in Italia haec statuit:

1° Quum ad universitates ii etiam alumni admittantur, qui idoneitatem non in lycaeis status assecuti sunt, episcopi et superiores ordinum et congregationum ad hoc, ut ad universitates frequentandas se praeparent, non mittant subditos suos ad huiusmodi lycaea, sed potius ad instituta ecclesiastica vel scholas aut collegia, quorum optima et catholica docendi ratio perspecta sit. Quod si, deficientibus catholicis institutis, scholis aut collegiis, aut ob alias graves circumstantias, necesse sit, ut iidem ad regia lycaea mittantur, oportebit accurate servare normas, quas hic pro iis, qui universitates frequentant, assignabimus.

2° Nemo e seculari clero regias universitates frequentet absque expressa venia sui episcopi, qui in ea concedenda id tantum prae oculis habeat, quod dioecesis necessitas exigit ut in institutis ad docendum destinatis, quae vel erecta vel erigenda sunt, habeantur magistri idonei et laurea praediti.

3° Ordines et congregationes, quae docendi munus non exercent, suos alumnos ad regias universitates non mittant. Novitii autem eorum ordinum et congregationum, quae docendi munus exercent, numquam ad universitates mittantur; nec eas professi frequentent, quin prius expressam praepositi generalis licentiam habuerint, qui eam iis tantum concedet, qui ipsorum collegiis et scholis necessarii et sufficientes sunt.

4° Alumni cleri secularis et regularis in universitatibus eos tantum studiorum cursus frequentent, qui ad lauream vel titulos academicos consequendos, quorum egent, necessarii sunt.

5° Magni momenti est accurate seligere eos, qui universitates frequentent. Haec licentia iuvenibus non concedatur, qui prius cum laude non

expleverint cursum philosophicum et theologicum praescriptum a constitutionibus dioecesanis pro clero seculari et a constitutionibus ordinis vel congregationis pro religiosis.

6° Quum ad universitates iuvenes mittendi sint, attendenda etiam est perspicacia et vis eorum mentis, constantia in studiis, ingenium, quod debet esse bene informatum, firmum et constans in bonis propositis. Prae omnibus autem in iis, qui eliguntur, facienda est animi bonitas et morum integritas. Sint iuvenes, qui magnam foveant aestimationem doni fidei et vocationis, qua Deus illos ad suum sacerdotium vocavit; iuvenes, qui ardenter ament catholicam ecclesiam; qui mente, verbis, operibus venerationem et reverentiam erga sedem apostolicam profiteantur; iuvenes, qui principiis nostrae sanctae religionis imbuti et pietatis exercitiis dediti, morum integritate et vita vere ecclesiastica fulgeant. Ii tandem eligantur, qui solidam spem faciant, fore ut ecclesiastico statui decus afferant ob eminentiam in scientiis, et venerationem sibi acquirant ob meritum optimarum actionum.

7° Ad tutius removenda pericula, episcopi curent, ut iuvenes ecclesiastici sibi subditi, dum universitates adeunt, morentur in seminario; hoc deficiente, in aliqua religiosa domo, vel saltem apud aliquem sacerdotem secularem aetate provectum, excepto casu, quo ipsis ibidem consanguinei sint, apud quos habitent. Laude et aestimatione digni essent ii solertes sacerdotes vel pii seculares, qui, permittentibus adiunctis, pro iuvenibus ecclesiasticis, qui studiis dant operam, instituerent aliquod hospitium, ubi ii modico sumptu habitationem invenirent tutam et ad studiorum quietem ac pietatis exercitiis idoneam.

8° Si universitas extra dioecesim sit, ordinarii iuvenes suos commendent episcopo loci, cui iuvenes, vix ac pervenerint, se sistere debebunt et reverentiam exhibere, quousque ibi manserint. Ordinarius et episcopus loci mutuo consensu alumnos tradant curae et vigilantiae alicuius sacerdotis virtute ac scientia praestantis et adolescentium mores callentis, qui eos dirigat, et saepius ordinarium de eorum agendi ratione certiorem faciat. Exigat praeterea episcopus a suis alumnis frequentes litteras, ipseque hac quoque epistolarum mutua permutatione utatur, ut eis consilia praebeat, eos moneat, excitet, et in sanctis propositis confirmet.

9° Superiores ordinum et congregationum praeferant semper universitates eorum locorum, in quibus ordinis aut congregationis domus exsistant, et studientibus praecipiant, ut in illis habitent. Si in universitatis sede domum propriam non habent, quacumque possunt ratione curent, ut alumni in aliqua religiosa domo aut in episcopali seminario aut in alio ecclesiastico instituto recipiantur. Quum conventus aut domus propria deest, ad frequentandam universitatem non unum, sed duos aut plures e suis subditis mittant ut mutuo se custodiant, se iuvent, seque excitent ad implendas suae vocationis obligationes. Praecipiant superiori domus vicinioris aut alteri religioso virtute,

sapientia et solertia praedito, hos iuvenes saepe visitare, ut eorum agendi rationem et in studiis assiduitatem observet, et de iis rationem reddat, ut generalis praepositus possit iuxta opportunitatem providere opportunis consiliis. Curet praeterea generalis praepositus, ut saepe ad eum litteras mittant, ipseque vicissim acceptis litteris respondeat, ut eorum unionem cum ordinis et congregationis capite firmam conservet, et paternis instructionibus et monitis in obedientiae et observantiae spiritu instituat.

10° Permittitur prudenti zelo episcoporum et superiorum curae eligere inter universitates eam, in qua minora dignoscantur pericula, et ex adiunctis appareat faciliorem futurum usum consiliorum, quibus consulatur paci, bonis moribus et progressui iuvenum. Si casu accidat, magistrum aliquem lectiones habere ex professo contra religionem aut bonos mores, curet episcopus aut generalis praepositus, ut alumni aliam universitatem frequentent, aut huiusmodi lectionibus non assistant; scilicet lege utentes, quae exigit inscriptionem cursui universitario, non vero assiduitatem omnibus lectionibus Ceterum, hoc casu excepto, ecclesiastici alumni lectionibus diligent intersint, ut in scientiis proficiant et sociis diligentiae exemplum, magistris obsequii testimonium praebeant.

11° Quod attinet ad libros et lectionum compendia, in quibus forte aliquid contra religionem aut bonos mores, historiae ecclesiasticae veritatem, ecclesiae catholicae aut romani Pontificis iura occurrat, quum horum librorum aut compendiorum usus vitari nequeat, episcopi et superiores huic casui iuxta necessitatem provideant; praeterea curent remedium veneno apponere optimis libris, consiliis sacerdotum sapientia, pietate et experientia insignium, qui iuvenibus adiumento erunt ad cognoscenda sophismata, ad confutandos errores, quibus forte inquinantur libri scholastici aut lectionum compendia. Insuper omni studio suos iuvenes deterreant a legendis illis diariis iisque ephemeridibus, quae falsis et periculosis doctrinis, narrationibus et blanditiis fallunt, et sensim sine sensu tollunt et pervertunt rectum cogitandi et agendi modum.

12° Episcopi et superiores religiosi hortentur iuvenes, ut sese exhibeant cum dignitate obsequentes superioribus et magistris universitatis, ut cum sociis comiter agant, cum nemine tamen familiariter. Prohibeant severe, ne circulis aut cuicumque politicae aut turbidae societati nomen dent; numquam illis comitiis intersint, quae tendunt ad querelas aut protestationes faciendas contra superiores.

13° Episcopi, qui resident in civitatibus, in quibus universitates exsistunt, curent favere circulis et societatibus studentium ecclesiasticorum, si quando exsistunt, vel eos instituere, si quando desunt. Utantur ad hoc opera sacerdotum secularium aut regularium maxime idoneorum, committentes saltem uni munus assistentis ecclesiastici. Ipsius erit studentium conventus statuere, iisque praesidere. In his ecclesiastici studentes, remotis

politicis quaestionibus et quarumcumque partium amore, conversentur, disputent aut legant de quaestionibus litterariis, historicis, philosophicis. Nec omittant simul preces fundere et pietatis exercitia statis diebus peragenda instituere; ita ut in his societatibus locum habeant sanctae concertationes, fraterna caritas et christiana pietas. His circulis ecclesiasticis admitti etiam poterunt, caute tamen et cum venia assistentis ecclesiastici, studentes seculares, sed ii tantum, qui rectae cogitandi et agendi rationis sint, et religione ac pietate et integris moribus commendabiles.

14° Episcopi et superiores hortentur vehementer suos subditos, ut constanter in spiritu vocationis perseverent. In hunc finem omnibus efficacioribus mediis utantur; oratione videlicet, sacramentorum frequentia, piis exercitationibus, vanitatum despectu, malorum et negligentium fuga. Religiosis praesertim commendanda est fidelitas in iis adimplendis, quae conditioni suae conveniunt, oratione mentali quotidiana, conscientiae discussione, lectura spirituali, silentio et recollectione. Vacationum tempore religiosi studentes ad conventum seu ad religiosam sui instituti domum redeant, ibique cum religiosa communitate diligenti suarum regularum observantiae incumbant. Studentes omnes, tum secularis tum regularis cleri, vacationum tempore exercitiis spiritualibus dent operam.

15° Quod si, cautelis et diligentiis hucusque enumeratis, aliisque, quas pastoralis et paterna sollicitudo suggeret, non obstantibus, episcopi aut superiores religiosi deprehenderint aliquem e suis subditis a recto veritatis et virtutis tramite declinasse, eum ab universitate illico revocent; melius enim est eius studiorum cursum interrumpere, quam eius animae detrimentum permittere.

Romae ex secretaria dictae Congregationis episcoporum et regularium *12 iul. 1896* ».

Hac litterae per encyclicam *Pascendi* ad universam ecclesiam extensae sunt.

Recentius etiam emus Card. a se- 4010
cretis status has litteras dedit rectori instituti catholici Andegavensis, quas ex gallico in latinum idioma versas heic damus:

« Proposuisti recenter S. Sedi sequentes quaestiones solvendas:

1° Estne contrarium encyclicae *Pascendi*, clericos, sacerdotes et religiosos facultatibus catholicis litterarum et scientiarum civiles facultates praeferre, iis nomen dare earumque cursus sequi, quum nulla vera exsistit necessitas, quemadmodum probant exitus seu successus, quos habent facultates catholicae?

2° Clerici et sacerdotes professores aut praefecti morum (*surveillants*) in collegiis civitatis, in quibus civiles tantum facultates habentur, inveniunturne in casu necessitatis, de quo agunt litterae episcopis directae (n. 26051)? Possuntne ipsi nomen dare talibus facultatibus, earumque cursus sequi?

3° Potestne haberi tamquam rarissima exceptio (litt. ad epos n. 26051) casus, in quo collegium aliquod inter suos professores et praefectos mo-

rum sex aut septem clericos vel sacerdotes numerat, qui suum nomen dant facultatibus civilibus earumque cursus sequuntur?

Porro de mandato Sanctitatis Suae supradictis quaestionibus responsiones tecum communico:

Ad 1° *Affirmative.*

Ad 2° *Negative*, nisi raribus in casibus occurrant rationes gravissimae et speciales, quarum approbatio episcopo reservatur.

Ad 3° *Negative*». — *Romae, 5 novembris 1907.*

Holzammer J. B. Die Bildung d. Klerus in kirchl. Sem. oder an Staatsuniversitäten; *v. Hammerstein L.* Gedauken üb. d. Vorbildung d. Priest. in Sem. u. auf Universitäten; *Besson Jul.* La fréquentation des universités civiles par les clercs.

4011 **Urceoli.** — Toleranda est consuetudo adhibendi urceolos seu ampullas auro vel argento elaboratas in sacrificio missae. *S. R. C. in una s. Iacobi de Chile 28 apr. 1866 (3149).*

Usucapio. — Vid. *Praescriptio.*

4012 **Usura. — De natura et illicitate usurae.** — Usura est lucrum immediate proveniens ex mutuo, seu praecise vi mutui absque alio iusto titulo. Est prorsus illicita (cfr. *prop. 42 damn. ab Alex. VII decr. diei 18 mart. 1666; prop. 41. 42 damn. ab Innoc. XI decr. diei 2 mart. 1679; Constit.* Ben. XIV. «Vix pervenit» *1 nov. 1745*), et contra iustitiam commutativam; hinc usurarii ad restitutionem tenentur. G. B. *I. 853.* Ratio huius est, quia obiectum mutui sunt res primo usu consumptibiles, quarum dominium statim transit in accipientem, qui tenetur rem similem reddere in eadem specie et bonitate. Vid. *Mutuum.* Porro iustitia alicuius contractus in eo est, quod aequalitas servetur inter id quod datur, et id quod accipitur; ergo tunc contractus mutui iustus erit, quum id, quod datur, aequabit id, quod accipitur. Datur autem res, quae primo usu consumitur (ex. gr. cadus olei); ergo ad aequalitatem nonnisi eadem res debet accipi, quae primo quoque usu consumatur (idest alius cadus olei). Et re quidem vera mutuatarius restituens post annum cadum olei reddit mihi oleum, quod dedi, et usum olei, quem ipse a me habuit ante annum, et qui eiusdem valoris est nunc, ac fuerat anno ante. Palmieri *Comm. alla Divina Commedia di Dante Alighieri, Inferno, Osserv. al canto XI.*

De circumstantiis excusantibus eum, qui minus dedit, ad plus accipiendum. — Dari tamen possunt extrinsecae circumstantiae, quae afferant aliquam cessationem lucri in mutuante vel aliquod damnum emergens; tunc patet, non praecise vi mutui, sed ex alio capite aliquid ultra sortem accipere licitum esse. Et hi tituli, quibus licet aliquid accipere ultra sortem, sunt: 4013

1°. *Damnum emergens;* seu detrimentum, quod patitur mutuans, occasione mutui proximo praestiti. S. Th. *2. 2. q. 78. a. 2. ad 1um.*

2°. *Lucrum cessans*; seu id, quod mutuans, servata re vel pecunia sua, lucratus fuisset, si eam in alio contractu licito adhibuisset, in quem rem adhibere amplius non potest (Lugo *de iust. et iure disp. XXV. n. 84 sqq.*); — conditiones utriusque tituli

sunt, ut mutuum sit causa damni, ut nihil praeter compensationem exigatur, ut auctarium ab initio in pactum deducatur. Lugo *l. c. n. 88 sqq.*

3°. *Periculum sortis* ; seu timor prudens, ne sors recuperari nequeat; hoc tamen debet esse periculum quoddam peculiare, quod scilicet resultat ex conditione speciali mutuatarii. Lugo *l. c. n. 81 sqq.*; Lessius *de iust. et iure lib. II. c. 20. n. 111 sqq.*

Addunt alii alium titulum, nempe *poenam conventionalem*; et vere licet semper poenam stipulari, si debitor suo tempore non solverit; debitor enim, qui est in mora, peccat contra iustitiam retinendo alienum, ac proinde dignus est poena, quae illi ex conventione partium constitui potest, sicut illi solet poena imponi, qui a contractu resilierit. Lessius *loc. cit. n. 128.* Debet tamen mora esse notabilis (Lessius *l. c. n. 134*), et poena culpae proportionata, seu moderata secundum mensuram culpae. Lessius *loc. cit. n. 133.* Verum haec poena conventionalis non adeo propria est mutui ut non etiam in aliis contractibus apponatur.

Praeterea mutuo dare est aliquod beneficium conferre; illi enim datur, qui mutuum accipit in suum commodum et utilitatem; quamvis, supposito quod usuras exigere liceat, et mutuanti ex dato mutuo commodum possit provenire. Porro beneficium, quod alicui praestatur, cui quis illud praestare non tenetur, aliquid est pretio aestimabile; quare beneficium hoc iustus est titulus aliquid exigendi supra sortem. D'Ann. *II. 534.* Hinc lex civilis quasdam statuit legitimas usuras, quas accipere et exigere licitum est; quae exactio, a lege permissa, multis aliis rationibus cohonestatur, quae publicum bonum respiciunt, et reducuntur praesertim ad vitandas lites, ad facilitatem obtinendi mutuum, ad subsidium viduarum, pupillorum etc., et praeterea accedit praesumptio generalis iusti alicuius tituli, qua stante, potest lex civilis hanc consuetudinem exigendi modicas quasdam usuras auctoritate sua sancire. Pichler *in tit. 19. lib. V Decr. n. 9 sqq.*; B. P. *III. 699 sqq.* Et in hoc casu veri nominis usura non habetur, quia non praecise vi mutui, sed occasione mutui aliquid plus exigitur. B. P. *III. 704. sqq.*

Praeterea animadvertendum est, quod, quum lex civilis speciatim de usuris exigendis ex pecunia mutuo data agat, aliam potuit rationem habere ad has usuras legitimandas. Nam in commercio id, quod mutuo datur, potius quam aurum vel argentum vel pecunia in genere, est pecuniae valor. Porro pecuniae valor non primo usu consumitur, sed res est permanens, quae fructum praestare valet. Quare, si quis se ad aliquod tempus pecuniae valore privat, is aliquid deperdit, quod ipsi non redditur a mutuatario, quum, transacto mutui tempore, pecunia ei redditur, quam ipse commodaverat. Hinc patet iure is aliquid exigere ultra sortem, quum per hoc aequalitas contractus, et proinde iustitia non laedatur. Forte minus bene huic contractui nomen simplicis mutui datur, quum mutuum, ut vidimus, habeat pro obiecto res primo usu consumptibiles; et melius diceretur valoris mutuatio. Palmieri *loc. cit.*

4014 **De vitanda immodicitate usurae.** — Usurae tamen, quae exiguntur, quocumque ex capite licitae sint, debent esse modicae, non immodicae. Et plerumque documenta ecclesiastica, quae usuras prohibent, immodicas intelligunt. Cfr. D'Ann. *II. 533.* Et D'Annibale (*II. 534*), modicas dicit usuras legitimas, seu eas, quae lege determinantur, et, si legitimae non existunt, quincunces (5 %). Imo, si de pecunia sermo sit, ait ipse, regulariter non immodicas esse septunces (7 %), immodicas supra decunces (10 %) ex responsione s. Officis (*13 ian. 1870*) et s. Poenitentiariae (*18 apr. 1889*). Et certe s. Officium (*28 febr. 1872*), teste eodem D'Annibale (*II. 535.[24]*), respondit non esse inquietandos laicos, clericos, regulares, qui usuras semisses (6 %) stipulantur, dummodo parati sint parere mandatis s. Sedis.

Hinc multo magis iure responsum est quoad aliquem Montem Pietatis qui usuras duorum pro centum accipiebat, administratores posse acquiescere, modo parati essent stare mandatis ecclesiae. *S. U. I. 26 iul. 1899.*

Tit. de usuris X. (V. 19); idem tit. (V. 5) in 6°, idem tit. (V. 5) in Clem.; Constitut. Leon. X « Inter multiplices » 4 maii 1515; Const. Pii V « In eam » 28 ian. 1571; Const. Ben. XIV « Vix pervenit » 1 nov. 1741; *Medius* De foenvee iudaeorum; *Pauli Conr.* Tr. de usuris; *Villagut Alph.* De usuris; *Zecchii Lael.* Tr. de usuris; *Ugolini Barth.* Tract. de usuris; *Binsfeldii Petr.* De usuris; *De Salas Io.* Tr. quinque de emptione et venditione, de usuris etc.; *Lupi I. B.* Tr. de usuris et commerciis licitis et illicitis; *De Gregori Petr.* Tract. de usuris et censibus; *Molinaei Car.* Tract. commerciorum, contractuum et usurarum; *Gerardi Iac.* Quaest. quodlibeticae de usuris et praescriptionibus; *von Hagen Christ.* Tr. de usu usurarum et redituum annuorum etc.; *Salmasii Cl* Tr. de usuris; *Salmasii Cl.* Tr. de modo usurarum; *Hahn Henr.* De sorte, usuris et pensionibus solvendis; *Giballini Ios.* Tr. de usuris, commerciis et reditibus ac de fructibus et de aequitate circa hanc materiam, de eo, quod interest, de annuis reditibus, de cambiis, de societatibus et quibuscumque contractibus et de hypothecis; *De Luca Io. B.* De usuris et interesse *Maignan E.* De usu licito peunicae; *Maignan E.* De usuraria trium contractuum pravitate; *Rusignoli Georg.* Novissima praxis theologico-legalis tomi quinque (in primo etiam de usuris); *Leotardus* Lider singularis de usuris et contractibus usurariis coercendis; *Thomassin Lud.* Traité de l'usure; *Broedersen* usuris licitis et illicitis; *Baronnat* Le prétendu mystère de l'usure dévoilé; *Mastrofini* Le usure; *Bolgeni G. V.* Dissertazione sopra l'impiego del danaro e l'usura; *Baronnat* Histoire du prêt de commerce; *Vignon* Du prêt à intérêt; *Funk F. X.* Zins u. Wucher in christlichen Altertum; *Randa* Lehre v. d. Zinsen; *Funk F.* X. Geschichte d. kirchlichen Zinsverbotes; *Fadda G.* Le usurae quae officio iudicis praestantur *Gobbi U.* Come l'usura diventi interesse *Bangas* Du prêt à intérêt; *Main* La storia dell'usura nel mondo pagano e nel cristianesimo; *Koch* Zins u. Wucher; *Stelzner* Die Grundzinsgemeinschaft. Einehist. Uebersicht; *Guillouard* Traité du prêt, du dépôt et du séquestre; *Dehon Ch.* L'usure au temps présent; *Vidari E.* Un progetto di legge contro l'usura; *Gaggia* Le usure nello fonti del diritto canonico; *Biederlack* Der Darlehenzins; *Billeter* Gesch. d. Zinsfusses im griechisch.-röm. Altertum bis auf Iustinian; *Aubéry* Etude sur le taux de l'intérêt et les dommages et intérêts dans les creances de sommes d'argent; *Funk F.* X. Zur Geschichte d. Wucherstreites; *Walter F.* Wucher u. Zins; *Lanna D.* Delle usure; *Van*

Roey De iusto auctario et de contractu crediti. Dissert. historicomoralis; *Hay* De mu- et usura.

4015 **Usurpantes.** — Usurpantes vel sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum (non igitur cappellaniarum laicalium, Bucc. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 29*) pertinentes, excommunicationem l. s. R. P. specialiter reservatam incurrunt. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 1. n. 11.*

Porro usurpare est potestate dominandi et quasi iure proprio aliquid occupare (cfr. Suarez *de censuris disp. XXI sect. 2. n. 96;* D'Ann. *Comm. in const. « Ap. Sedis » n. 91*); attamen ad usurpationem habendam non requiritur, ut ea fiat publica auctoritate, sed et privata persona potest aliquid usurpare (B. P. *VII. 287*). Hinc patet, fures et latrones non esse usurpantes (*S. U. I. 9. mart. 1870*); nec usurpantes esse, qui rem usurpatam ab usurpatore acceptam retinent, vel qui rem usurpatam ab usurpatore emunt, vel alio modo acquirunt, etiam per hereditatem (*S. U. I. 8. iul. 1874*), vel qui sata seu domum incendunt, arbores caedunt, etc. (B. P. *loc. cit.;* D'Ann. *loc. cit.*), vel qui aliqua usurpant, ut se occulte compensent. D'Ann. *l. c.*

Sequestrare est rei controversae, sive mobilis sive immobilis, penes tertium depositio (*l. 109 de verb. sign. D.* [*L. 16*]), ut lite finita victori restituatur. D'Ann. *loc. cit. n. 92.* Absque mandato iudicis non concipitur sequestrum. B. P. *loc. cit.* Hinc sequestrantes sunt certe iudices; apparitores certe sequestrantes non sunt. D'Ann. *loc. cit.* An sequestrantes sunt, qui rem in vim sequestri detinent? et Bucceroni (*l. c.*) affirmat; sed detinens, quamvis sit sequester, non est sequestrans. An etiam actor, qui nempe instat apud iudicem secularem, ut sibi sequestratio fructuum ecclesiasticorum concedatur? Et Ballerini Palmieri (*loc. cit.*) ac Bucceroni (*loc. cit.*) aliique communiter affirmant, quia is communi iuris usu dicitur sequestrare; Bonacina (*de censuris bullae Coenae p. III disp. XVIII. n. 10*), absque ulla dubitatione cum aliis negat, quos D'Ann. non reprehendit.

Usurpantes *quaecumque* bona ecclesiastica, sive piorum locorum, sive beneficiorum, sive ecclesiarum, sive montium pietatis aliorumque piorum locorum, sive bona, sive iurisdictiones, census, fructus, emolumenta etc., iura etiam feudalia vel emphyteutica, incurrunt excommunicationem l. s. simpliciter R. P. reservatam ex Tridentino (*sess. XXII. c. 11. de ref.*) quod Tridentinum decretum respicit non quascumque usurpationes, sed usurpationes auctoritativas et potentiales. Bucc. *loc. cit. n. 73.* Nota autem, eos, qui excommunicationem supra recensitam specialiter R. P. reservatam incurrunt, hanc aliam excommunicationem non incurrere. *S. U. I. 8. iul. 1874.*

Alienantes vero et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam extravag. « Ambitiosae » *de reb. eccl. non alienandis* (Vid. *Alienatio*), incurrunt excommunicationem l. s. nemini reservatam. *Constitut.* « Ap.

Sedis» *ser. 4. n. 3.* Hoc autem locum habet universim quidem de accipientibus (quos tamen excusat ignorantia, etsi crassa et supina [D'Ann. *loc. cit. n. 177*], dicitur enim *recipere praesumentes*); de alienantibus vero secundum quosdam tunc solummodo, quum fuerint earum administratores, abbati vel episcopo inferiores; quae tamen limitatio iure displicet claro D'Annibale (*loc. cit. n. 177.*) [*53*]; imo ipse Bucceroni, qui in editione tertia sui commentarii n. 83. hanc limitatione amplexus fuerat, in quarta editione de ea silet omnino. Cfr. etiam. *S. U. I. 22. dec. 1880.* (*Coll. P. F. n. 1633*).

Cfr. litteras s. Poenitentiariae ad ordinarios Galliarum de compositionibus quoad bona ecclesiastica *16 ian. 1909.*

4016 **Usus.** — **De eius natura.** — Usus est ius utendi re aliena, salva eius substantia. Vinnius *Comm. in Instit. Iust. lib. II tit. 5 ab init.*

Usus igitur est ius sicut et ususfructus, sed ab eo in pluribus differt, quum sit ius utendi, non vero etiam fruendi (*l. 2 de usu et habit. D.* [*VII. 8*]); nam fructui quidem et usus inest, usui fructus deest. *l. 14. § 1 tit. cit. D.* (*VII. 8*). — Quare minus iuris seu emolumenti in usu est, quam in usufructu (Inst. Iust. *tit. de usu et habitat.* [*II. 5*]); scilicet, ait Vinnius (*loc. cit.*) usus cuiuscumque rei non plus commoditatis aut utilitatis tribuit, quam quantum usuario necessarium est, eique sufficit ad usum et consumptionem quotidianam; ususfructus autem extra hanc sufficientiam et consumptionem progreditur, omnemque utilitatem, commodum omne, quod quavis ratione ex re percipi potest, sine exceptione continet. Haec autem sufficientia aestimanda est ex persona et dignitate seu conditione utentis. *C. It. a. 524.* Fundi autem usu legato licet usuario et ex penu (idest ut Vinnius *loc. cit.*, interpretatur, quod ad penum pertinet), quod in annum dumtaxat sufficiat, capere, etsi mediocris praedii eo modo fructus consumantur. *l. 15 tit. cit. D.* (*VII. 8*).

De constitutione et cessatione usus. — 4017 Tum ex iure romano (Inst. Iust. *loc. cit. prooem.*), tum ex italico (*C. C. a. 529*), tum ex gallico (*C. C. a. 625*), quibus modis usufructus acquiritur et cessat, iisdem constituitus et finitur usus.

De iuribus et obligationibus usuarii. — 4018 Usuarius non potest ius suum alteri vendere, locare, etc. (*l. 8 tit. cit. D.* [*VII. 8*]; Inst. Iust. *loc. cit. § 2*; *C. It. a. 528; C. G. a. 634*); quod iure romano (*l. 4. tit. cit. D.* [*VII 8*]) non ita intelligebatur, ut, qui usum aedium haberet, non posset partem aedium, quam ipse non occupabat, quia ex gr. nimis erant spatiosae, dummodo tamen ibidem habitaret, alteri locare et pensionem percipere. An idem valeat recentioribus iuribus fateor me nescire, sed, ni fallor, negandum videtur. Attamen tum iure romano (*ll. 2. 6 tit. cit. D.* [*VII 8*]; Inst. Iust. *loc. cit. §. 2*), tum italico (*C. C. a. 522*), qui habet usum aedium, potest in his habitare cum coniuge et sua familia, qua et filii comprehenduntur nati post coeptum usum; etsi usus ei relictus fuerit a defuncto coniuge, et familia nunc novo coniuge et filiis ab eo sus-

ceptis constituatur. Pacifici Mazzoni *Ist. di dir. civ. ital. lib. III. n. 202.* Filiorum autem nomine veniunt non solum filii legitimi, sed et filii rescripto Principis legitimati, vel filii naturales agniti, aut filii adoptivi. Pacifici Mazzoni *loc. cit.*

Iure italico (*C. C. a. 521*), usuarius, qui habet usum fundi, nequit colligere fructus, nisi quatenus opus est subveniendis necessitatibus suis suaeque familiae.

Praeterea iure nostro (*C. C. a. 525*) usus aut habitationis ius exerceri nequit, nisi prius inventarium rerum mobilium fiat, et immobilium conditio describatur, nec non cautionem usuarius praestiterit, excepto casu, quo ab ipso titulo vel ab auctoritate iudiciaria ab his dispensetur. *C. C. aa. 497. 525.*

Debet insuper usuarius re uti tamquam bonus paterfamilias (*C. C. a. 526*), idest rei substantiam et quoad materiam et quoad formam servare, eaque uti secundum destinationem, quam a proprietario habet. Pacifici Mazzoni *l. c. n. 205*; B. P. *III. 230.*

Usuarius, si ex re, quam in usu habet, omnes ipse colligit fructus, expensas omnes; si fructuum partem tantum colligit, horum fructuum proportione habita, expensarum partem subire debet. *C. C. a. 527.*

Bibliographiam quaere sub *Habitatio.*

4019 **Usufructus.** — **De natura usufructus.** — Usufructus est ius alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia (*l. 1 de usufructu etc. D.* [*VII. 1*]), idest est ius utendi rebus alienis et simul percipiendi fructum ex eis, salva earum substantia tam quoad materiam quam quoad formam. *Cod. It. a. 477.*

Patet igitur, usufructuarium nullum ius habere in ipsam rem praeter fruitionem et usum; quare nequit rem fructuariam alienare (*l. 9 de usufructu etc. C.* [*III 33*]), proprietatem oppignorare (*l. 9 tit cit. C.* [*III. 33*]), vel alia huiusmodi facere.

Hinc usufructus ab emphyteusi distinguitur, quia usufructuarius utitur fruitur re tamquam aliena; emphyteuta ipsius rei dominium habet utile, quare ea utitur, fruitur tamquam sua. Praeterea emphyteuta fundum emphyteuticum potest redimere, usufructuarius non potest. Pacifici Mazzoni *Ist. di dir. civ. it. III. n. 169.*

De modis acquirendi usumfructum. — 4020 Usufructus acquiritur ex lege aliquando, aliquando vero ex humana voluntate, videlicet ex testamento, ex conventione seu ex contractu (cfr. Inst. Iust. *de usufructu* [*II. 4*]; *C. Ital. a. 478*); sic ex lege pater habet usumfructum in bonis adventitiis filii (*l. 6 de bonis, quae etc. C.* [*VI. 61*]; *C. It. a. 228*); ex humana voluntate constitui potest ab iis omnibus, qui capaces sunt testandi et alienandi sive titulo oneroso sive titulo gratuito (Pacifici Mazzoni *loc. cit n. 170*), et in favorem eorum omnium, qui capaces sunt acquirendi. Cfr. *C. It. a. 1053.* Praeterea etiam praescriptione acquiritur. D'Ann. *II. 157*; Pacifici Mazzoni *l. c. n. 170.*

De modis constituendi usumfructum. — 4021 Usufructus constitui potest vel pure et simpliciter, vel sub conditione suspensiva et resolutiva, vel etiam in diem.

Constitui autem potest in omnibus bonis mobilibus et immobilibus, corporalibus et incorporalibus, dummodo in commercium veniant (*C. It. a. 478*); nec obstat si eae res sint, quae usu consumuntur (Inst. Iust. *loc. cit.* [*II. 4*]; *l. 1 de usufructu earum rerum etc. D.* [*VII. 5*]); attamen « si vini, olei, frumenti ususfructus legatus erit, proprietas ad legatarium transferri debet, et ab eo cautio desideranda est, ut quandoque is mortuus aut capite deminutus sit, eiusdem qualitatis res restituatur, aut aestimatis rebus certae pecuniae nomine cavendum est; quod et commodius est. Idem scilicet de ceteris quoque rebus, quae usu continentur, intelligemus ». *l. 7 tit cit D.* (*VII. 5*).

Quae dispositio antiqui iuris et in recentiora translata est. *C. It. a. 483*, in quo praeterea statuitur, ut ipso usufructus initio rerum aestimatio fiat, et secundum eam, cessante usufructu, teneatur usufructuarius rei valorem proprietario solvere; quod si aestimatio haec facta non fuerit, cessante usufructu, poterit usufructuarius, pro arbitrio, vel proprietario res quantitate ac qualitate iis, quas habuit, aequales reddere, vel ei solvere earumdem rerum pretium, quod tunc temporis illis iisdem rebus fit.

4022 **De iuribus usufructuarii** — Usufructuarius ante omnia ius habet, ut sibi tradatur ipsa res, cuius usumfructum habet; at iure nostro huic traditioni ius non habet priusquam rerum mobilium inventarium suis impensis fecerit et quoad immobilia descripserit, quo in statu ea sint (*C. It. a. 496*), nec non sufficientem cautionem dederit, nisi a cautione danda ex ipso titulo liber sit vel ex lege; sic pater et mater, qui de suorum filiorum bonis legalem usumfructum habent, vel venditor aut donans sub conditione retinendi rei usumfructum, a cautione praestanda liberantur. *C. It. a. 497*. Usufructuarius debet rem accipere eo in statu, in quo tunc invenitur (*C. It. a. 496*), ac proinde ius non habet ut res prius a proprietario in eum statum reducatur, ut eius usui inserviat; imo tenetur etiam contractibus, qui circa eas res habentur et subsistunt; quare ex. gr. si agatur de aliqua domo, contractibus locationis exsistentibus tenetur. Pacifici Mazzoni *loc. cit. n. 172*.

Habet praeterea ius utendi re ipsa eaque fruendi, idest habet plenum usum ac fructus omnes rei. *C. It. aa. 477. 479*. Quare frui potest omnibus iuribus servitutis, quae fundo alicui inhaerent; imo fodinis quoque, lapidicinis, arenifodinis, quae, quum usufructus initium habet, in usu et exercitio sunt, non autem illis, quae institutae seu in usum deductae nondum sunt (quamvis iure romano [*l. 13 tit. cit. D. - VII. 1* - §. *5*]. et huiusmodi fodinas instituere posset, seu primum in usum deducere); nec ius ullum habet tamquam usufructuarius in thesauro, qui durante usufructu detegeretur in fundo usufructuario. *C. It. n. 494*. Fructus naturales pendentes in ipso initio usufructus usufructuario, in termine usufructus proprietario cedunt, quin aliqua ab alterutro debeat alteri dari compensatio pro operibus in ipsam rem factis. *C. It. a. 480*. Fructus civiles acqui-

runtur ab ususfructuario de die in diem. *C. It. a. 481.* Potest ususfructuarius res fructuarias locare vel commodare (*l. 12* §. *2 it. cit. D.* [*VII. 1.*]), et alii fruendas concedere (*l. 12 nuper cit.*); imo et ius suum vendere, locare, donare etc. (*C. It. a. 492*), imo et hypothecae generatim supponere. *C. It. a. 1967; C. G. a. 2118.* Cfr. *S. C. C. in Melevitana per summ. precum 9 aug. 1890.*

4023 **De obligationibus ususfructuarii** — Ususfructuarius simul cum iuribus supradictis quasdam habet obligationes.

Praecipua est ea, quae ex ipsa definitione ususfructus eruitur, utendi nempe re fructuaria, *salva eius substantia*; quare nec ipsam rem sive quoad materiam sive quoad formam (*l. 13.* §. *7 tit. cit. D.* [*VII. 1*]; *C. It. a. 477*), nec eius destinationem immutare potest. *leg. nuper cit.* §. *8.*

Debet praeterea re fructuaria uti tamquam bonus patertamilias (*l. 65 tit. cit. D.* [*VII. 1*]; *C. It. a. 497*); quare culpa etiam levi tenetur, non tamen casu fortuito (Pacifici Mazzoni *l. c. n. 183*); hinc etiam debet rem fructuariam domino servare et vigilare, ne eius iura laedantur; quod si ab aliquo factum fuerit, debet idipsum domino renunciare (*C. It. a. 511*); secus tenetur omnibus damnis exinde domino provenientibus.

Praeterea ususfructuarius tenetur ad refectiones ordinarias, non ad extraordinarias, nisi his causam dederit negligentia circa priores. *C. C. It. a. 501.* Extraordinariae refectiones censentur refectio parietum principalium et camerarum seu fornicum, substitutio tignorum, restitutio integra aut ex parte notabili tecti, solarii, aggeris, aquaeductus, muri fulcientis aut cingentis; ceterae sunt ordinariae. *C. It. a. 504.*

Tenetur etiam ususfructuarius tributis, canonibus et aliis oneribus, quae, secundum consuetudinem, propter fructus debentur (*C. It. a. 506*); quae vero proprietati imposita sunt, solvere debet proprietarius; sed ususfructuarius pecuniae impensae interesse retribuere ei tenetur. *C. It. a. 507.*

Item expensae litis, quae fructus ususfructuarium, quae proprietatem et usumfructum spectant, aequis et proportionatis partibus ususfructuarium et dominum respiciunt *C. It. a. 515*: *C. G. a. 617.*

De cessatione ususfructus. — Ususfructus cessat morte ususfructuarii (Inst. Ius *l. c.*; *C. It. a. 515.*) tempore statuto (*C. It. art. cit.*); interitu totius rei (*C. It. art. cit.*), sed si pars rei perit, partis indemnis ususfructus manet (*C. It. a. 519*); consolidatione, idest, si ususfructuarius fit dominus rei (Inst. Iust. *loc. cit.*; *C. It. a. 515*); non usu per triginta annos protracto. *C. It. a. 515.* Etiam ususfructus corpori seu enti morali concessus post triginta annos exspirat iure nostro (*C. C. a. 518*); iure romano centum annos durabat. *l. 56 tit. cit. D.* (*VII. 1*). 4024

Notandum. — Quaedam specialia in iure nostro constituta sunt quoad usumfructum, in quo continentur arbores vel animalia. Ea vide in codice civili *aa. 485-491*; *512-514.* 4025

Cavalcani. Tr. de usufructu mulieri relicto; *Ludenii Matth.* De usufructu, usu et habitatione; *Hotomani Fr.* Tr. de usufructu;

Ricciardi Petr. Comm. in materia de usufructu et usucapionibus etc.; *Hunnii H. N.* Tr. de usufructu; *Sousa Ant.* Tr. de usufructu et habitatione etc; *Manzi Gasp.* Tract. de servitutibus personalibus et de usufructu, habitatione et operis servorum; *Matthaei* De usu et habitatione; *Galvani.* De usufructu; *Lochner Io. Car.* Diss. de usufructu pecuniae; *Castendyk Ger.* Diss. de iuribus et obligationibus usufructuarii circa refectionem aedificiorum; *Hofstede W. H.* De cautione usufructuaria a testatore non remittenda; *Sierstema L. H.* De effectu cessionis usufructus factae extraneo; *von der Becke* Observationes de iuribus et obligationibus usufructuarii usumfructum derelinquentis etc.; *Proudhon* Traité des droits d'usufruit, d'usage, d'abitation et de superficie; *Held Ph.* Die Lebre von dem usufructus earum rerum, quae usu consumuntur aut minuuntur; *Genty.* Traité de l'usufruit, de l'usage et de l'habitation; *Pacifici-Mazzoni Em.* Tr. della distinzione dei beni, della proprietà e della servitù personale, usufrutto, uso e abitazione; *Clément H.* tude prat. sur l'usufruit; *Veneziani G.* Dell'usufrutto, dell'uso e della abitazione; *Rousset A.* Du droit et de la jouissance de l'usufruitier sur les végétaux ligneux isolés ou en massifs.

Usus pontificalium. — Vid. *Pontificalia; Suspensio.*

4026 **Utensilia.** — Capitulo ecclesiae cathedralis post mortem episcopi ex constitutione Pii V «Romani Pontificis» (*III. Kal. sepl. 1567*), debentur plura utensilia ex iis, quae eidem episcopo pertinuerant, quaeque legitime non constat comparata fuisse bonis ad ecclesiam non pertinentibus, et ecclesiae non fuisse donata.

Haec sacra utensilia declaravit et iussit Pius IX sequentia esse: mitras, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicae; item calices, patenas, pixides, ostensoria, turibula, vas aquae benedictae cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo; palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu; baculum pastoralem, faldistorium aliasque res sacras, sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quae sint, etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata, exceptis anulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis (Vid. tamen *Crux*), et iis omnibus utensilibus cuiusvis generis, quae legitime probentur ab episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad ecclesiam non pertinentibus, neque constet ecclesiae fuisse donata. *Const.* Pii IX «Quum illud plurimi» *1 iun. 1847.*

Hac lege tenentur etiam cardinales episcopi, exceptis tamen episcopis suburbicariis, nec non cardinalibus abbatibus nullius, qui in romana curia morantur (*Const. cit. Pii IX*), quorum sacra utensilia, attenta constitutione «Aequum est» Urbani VIII (*24 iul.*) *1642.* ad pontificium sacrarium spectant, nulla habita ratione qualitatis et naturae redituum, quibus comparata fuerunt.

Quando episcopus duas vel plures dioeceses rexit, vel constat ex cuius ecclesiae sumptibus utensilia sacra fuerint comparata, et tunc illi eccle-

siae exclusive cedunt; vel hoc non constat, et tunc dividenda sunt inter cathedrales ecclesias, habita ratione fructuum ac temporis, nisi huiusmodi ecclesiae in perpetuum unitae reditus habeant non divisos, et unam episcopalem mensam constituentes, quia in hoc casu divisio facienda est aequis partibus singulis ecclesiis cathedalibus. *Const. cit. Pii IX.*

Ut haec facilius serventur, iniunctum etiam est episcopis, ut conficiant in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quae ex ecclesiae reditibus et proventibus sibi compararunt, secus reditibus ecclesiae ea fuisse comparata praesumendum est. *Const. cit. Pii IX.*

4027 **Uxor.** — Eius bona sunt: dotalia, paraphernalia, communia. Bonorum primi generis habet dominium directum, sed mariti est usufructus et administratio; alterius generis, tum dominium perfectum tum administrationem habet; tertii generis, tum proprietas tum utilitas ad eam simul et ad maritum spectant, administratio huic tantum. Vid. *Bona, Communio bonorum.*

Ex bonis communibus vel ex fructibus suae dotis eleemosynas secundum consuetudinem, quae honesta sit et generali quadam tacita permissione a maritis probata (B. P. *III. 324. a*), facere potest (Lugo *de iust. et iure disp. XVI. n. 64*); ac proinde, si paraphernalia non habeat, et parentes vel filii ex alio matrimonio in necessitate sint, potest aliquid ex bonis communibus vel ex fructibus dotis accipere ad horum egestatem sublevandam (Lugo *loc. cit. n. 72*; S. Alph. *III. 542*), imo his plus dare potest, quam aliis pauperibus posset elargiri, sed tunc debet ab aliis eleemosynis faciendis abstinere. B. P. *III. 327.* Id autem, quod ad hunc finem sumpsit, numquam tenetur posteà reddere, etiamsi possit. Lugo *loc. nuper cit.*; Ball. *in Gury I. 557 (12).*

Quoad contractus ex iure italico generatim uxor contrahere (idest donare, alienare bona immobilia, hypothecae ea subiicere, mutuum contrahere, capitali summa sese abdicare vel eam exigere, spondere pro aliquo, de his omnibus transigere vel pro his in iudicio stare) non potest sine speciali consensu mariti; et maritus potest uxori suae per actum publicum hanc facere auctoritatem vel ad omnes contractus vel ad certos aliquos ineundos, eamque auctoritatem revocare pro arbitrio potest. *C. C. a. 134.* Hoc mariti consensu uxor non eget, quum vir sit interdictus, absens aut ad carcerem per temporis spatium anno longius damnatus, dum poenam luit; quum ipsa mulier a marito ob eius culpam legaliter est separata; quum uxor commercium agit. *C. C. a. 135.* Si maritus hanc potestatem uxori facere recuset, aut agatur de actu, in quo bonum viri et mulieris in conflictum veniant, aut mulier legaliter a marito suo sit separata, sive ob suam culpam, sive ob culpam sibi et marito communem, vel mutuo consensu, necesse habet mulier, ut ab ipso iudice potestas contrahendi ei fiat; quam potestatem iudex mulieri facere nequit, nisi prius

maritum audiat, vel ad se sistendum in actu consilii (*in camera di consiglio*) vocet, exceptis casibus urgentioribus. *C. C. a. 136.* Nullitas, quae ex defectu consensus provenit, opponi nequit, nisi a marito, vel ab uxore, vel ab eius heredibus, aut ab habentibus causam cum ipsa. *C. C. a. 137.*

Uxor debet viro suo subiecta esse in iis, quae pertinent ad regimen domus (*Ad Eph. V. 22*), eumque sequi in domicilii habitationisque mutatione (*C. C. a. 131*); imo ex ipso iure uxor habet domicilium mariti, quod et vidua retinet, quousque aliud acquisiverit. *C. C. a. 18.*

Quoad obligationes uxoris, Vide *Coniuges.*

Uxor virum suum voto castitatis obstrictum et debitum petentem debet per se a proposito avocare, quia quisque debet proximum avocare a peccato; quod si nequeat, debet reddere; attamen uxor in hoc casu posset votum mariti irritare, si nempe votum post matrimonium fuerit factum, vel, si agatur de voto emisso ante matrimonium, posset eius obligationem suspendere. B. P. *II. 285.* Vid. *Actus coniugalis.*

An uxor possit ieiunium omittere, quum ex ieiunio servato gravem timeat viri indignationem, Vid. *Ieiunium.*

Rebhan Jo. Quae uxor mercatrix; *Barbari Fr.* De re uxoria; *Grupen* Tract. de uxore romana; *Van Maanen* De muliere in manu et in tutela secundum Gaii instit. principia; *Cubain* Traité des droits des femmes en matières civile et commerciale; *Hase* De manu iuris rom. antiquioris; *Jousselin* Des prélèvements et reprises de la femme mariée; *Denis* De la manus et des incapacités spéciales aux femmes mariées; *Salivas* De la manus; *Valentini G.* Dell'opposizione di interessi tra marito e moglie ossia dell'autorizzazione giudiziale necessaria alla moglie; *Donati M.* Autorizzazione maritale; *Bolaffio L.* La moglie minorenne non può esercitare il commercio col solo consenso del marito; *Mancini P. S.* L'autorizzazione maritale e suoi limiti; *Vascia Aniello* Se l'autorizzazione maritale sia necessaria alla moglie, il cui marito sia inabilitato; *Bressolles* La femme du commerçant; *Scevola A.* L'autorizzazione maritale ed il mandato conferito dalla moglie al marito; *Supino D.* Capacità cambiaria della moglie non commerciante; *Muratori* La condizione civile delle donne: la manus nel dir. rom.; *Bertolini C.* L'obbligazione della donna maritata in una cambiale; *Perenzoni A.* Le obbligazioni cambiarie della donna maritata; *De Rossi V.* Ancora sull'obbligazione cambiaria della donna maritata; *Bianchi Emil.* La inabilitazione e l'assenza del marito in materia di autorizzazione maritale. Osservazioni sull'art. 135, n. 1 del codice civile italiano; *Cattaneo C.* L'autorizzazione maritale e il codice penale; *Boggio Gius.* Sulla capacità commerciale della donna maritata in caso di opposizione d'interesse col marito; *Bonelli Gust.* Sulla opposizione di interessi fra coniugi, specialmente nella cambiale. Reliquam, bibliographiam quaere sub *Dos Matrimonium, Mulier.*

Uxoratus. — Uxoratus nunc in ecclesia latina ne prima quidem tonsura insigniri potest, nisi velit religionem intrare aut ad sacros ordines secundum canones promoveri. *c. 4 de temp. ordin. etc.* (*I. 9*) *in 6°.* 4043

Canones vero statuunt, nullum coniugatum ad sacros ordines esse promovendum, uxore sua libere non consentiente (*c. 6 de convers. coniug. X.*

[*III. 32*]), sive matrimonium fuerit consummatum sive ratum tantummodo manserit, dummodo mulier non fuerit adultera et viro suo non reconciliata, quia, quum in hoc casu ius petendi debitum amiserit, poterit vir sacros ordines suscipere, ipsa etiam renuente. Sed uxoris consensus non sufficit, ut vir possit ad tonsuram seu ad ordines promoveri; necessarium etiam est, ut uxor continentiam profiteatur. *c. 5 tit. cit. X.* (*III. 32*). Quae professio continentiae fieri potest vel in aliquo ordine regulari vel in quadam religiosa congregatione vel etiam in seculo. B. P. *VI. 516*; Wernz *Ius Decr. II. 127. II.* Attamen in praxi, si uxor sit iuvenis vel de incontinentia suspecta, requiritur, quod religionem solemniter profiteatur, antequam vir eius ordinetur. *S. C. C. 18 dec. 1728*; Wernz *loc. cit.* Quod semper exigitur, etsi uxor fuerit senex et de incontinentia non suspecta, quum agitur de promovendo viro ad episcopatum. *c. 6 tit. cit. X.* (*III. 32*).

Haec, quae de uxorato promovendo ad ordines diximus, dicenda fere sunt de uxorato, qui velit religionem ingredi; et in hoc casu, si uxor non sit senex et non suspecta, expresse in iure cautum est, ut vir ad religionem non admittatur, nisi ipsa non solum castitatem promittat (quod semper faciendum est), sed etiam ad religionem migret. *c. 4 tit. cit. X.* (*III. 32*). – Plura vide sub *Divortium*.

V

4029 **Vacabilia.** — Quum saepe Pontifices ad defensionem ecclesiae et christianitatis plures sibi assumere debuerint expeditiones faciendas et bella gerenda, saepius factum est, ut pontificium aerarium adeo exhaustum evaserit, ut impar esset expensis sustinendis non solum pro prosecutione incoeptorum ob bonum christianitatis, sed etiam pro ipsa re publica gerenda in statibus ecclesiae. Hinc Pontifices in eam necessitatem adducti sunt, ut plura curiae officia venalia redderent, et ea maius pretium offerenti adiudicarent. At probe nota, non administrationem officii vendi consuevisse, sed ipsius reditus, eos nempe reditus praecipue, qui ex taxis impositis pro gratiis, quae ab eo officio concedebantur, resultabant. Cfr. Lega *de iudiciis ecclesiasticis lib. I. p. 2. n. 239.*

Quaedam autem ex his officiis ita venalia fuerunt, ut semel empta etiam ad heredes emptoris transirent; quaedam autem (et ea omnia fuerunt, quae administrationem continebant alicuius gravissimi muneris, quod proinde nonnisi prudenti et docto viro credi poterat) sub hac conditione emebántur, ut si quando ea concessionarius amitteret, idest vacarent per mortem ex. gr., resignationem etc., ad curiam redirent. Hinc nomen *Vacabilium*. Scilicet contractus perficiebatur cen-

sus consignativi; isque aleatorius erat, quum incertum esset lucrum, quod quaerebatur, et dependeret a longiore vel breviore vita emptoris, pretium autem, quod solvebatur, non modicum esset, imo pro pinguioribus officiis saepe ingens. Notandum vero est, quod alea ista non necessario ponenda erat in vita ipsius emptoris, sed ille, qui aliquod officium vacabile emebat, poterat vitae periculum vel in seipso constituere, vel in tertia quadam designata persona. In hoc casu emptor dicebatur proprietarius, alter intestatarius vacabilis. Proprietarii erant omnes reditus vacabilis, illis exceptis, qui proveniebant ex quodam exercitio forte vacabili annexo, quique intestatario cedebent. Proprietarius poterat officium vacabile alteri vendere (cui venditioni resignationis nomen erat), vel vitae periculum in alium transferre, quoties sibi liberet, dummodo hoc faceret quadraginda diebus ante mortem illius, cui prius officium erat inscriptum, idest intestatarii, sive is fuisset ipse proprietarius, sive alter.

Pius VII vacabilistis concessit indultum: *quod tempus et tempora non currant;* quo fiebat ut officium, indulto permanente et temporibus non currentibus, vacabile de facto non esset amplius. Cfr. Moroni *Dizionario v.* « *Vacabili* ».

Nunc officia haec vacabilia abolita sunt motu proprio Leonis XIII. *4 iul. 1898,* quem latine redditum hic sub. iicimus:

« Studium, quo incessanter movemur ad curandum, ut, in hodiernis praesertim adiunctis, dispositiones et concessiones nostrae moram non patiantur, cum detrimento spiritualis praesertim animarum boni, attentionem nostram revocavit ad praesentem officiorum vacabilium conditionem; quorum institutio, si aliis aetatibus emolumento fuit, hac nostra aetate utilis profecto non est. Quare, audita sententia commissionis cardinalitiae a Nobis pro datariae nostrae instauratione constitutae, consilium cepimus decernendi, quemadmodum de facto decernimus, suppressionem vacabilium cuiuscumque naturae, ea redimendo, quatenus opus sit, et eorum titularibus datariam nostram sufficiendo. Confirmamus praeterea in omnibus et singulis suis partibus et in suam pristinam vim revocamus, decernentes ipsi, quatenus opus sit, ea omnia, quae a praedecessore nostro Pio VII felic. record., in audientia Alexandro Mattei cardinali pro-datario die 1 octobris 1814 concessa, sancita sunt; et volumus, ut posthac non concedantur vacabilistis indulta resignationum translationum, indulta vulgo " di sopravvivenza, " indulta electionum ad cappellanias et officia, irritam et nullam decernentes exceptionem quamcumque, quae in contrarium adduci posset, quum in sua forma et substantia rata et firma retinenda semper sint ea, quae in hoc Nostro motu proprio sancita sunt ».

Cfr. etiam *Chyrographum Leonis XIII. 11 iun. 1901.*

De societate, quae ad emendum aliquod vacabile iniri solebat inter plures, vid. Lugo *de iust. et iure disp. 30 sect. 5.*

Vacantia bona. — Vid. *Bona.*

Vacatio beneficii. — Quomodo be- 4030

neficium vacare potest. — Vacare beneficium tripliciter regulariter loquendo intelligi potest. Vel enim vacat de facto tantum, vel de iure tantum, vel de facto et de iure simul. Schmalzgrueber *in tit. 8 lib. III Decr. n. 1*; Reiffenstuel *in eumd. tit. n. 2.*

De facto tantum vacat beneficium, quum quis titulum et ius seu proprietatem beneficii habet, sed illius possessione caret, vel quia eam nondum obtinuit, vel quia, etsi eam obtinuerit, ea iniuste privatus est. *De iure* tantum vacat beneficium, quum aliquis beneficium possidet, sed iniuste; ut si quando beneficiatus ob crimen amisit ius et titulum beneficii, sed eius possessionem retinet adhuc. *De iure et de facto* simul vacat beneficium, quum nec beneficii possessio, nec beneficii titulus et ius apud aliquem est. Schmalzgrueber *loc. cit. n. 2*; Reiffenstuel *loc. cit. n. 3. sqq.*

Vacatio beneficiorum contingit praesertim per mortem naturalem beneficiati (*c. 6 de rescriptis* [*I. 3*] *in 6°*); per renuntiationem (vid. *Renuntiatio, Resignatio*); per pacificam adeptionem alterius beneficii incompatibilis (vid. *Pluralitas beneficiorum*); per ingressum religionis professione secuta (*c. 4 de regularibus etc.* [*III. 14*] *in 6°*); per non promotionem ad sacerdotium intra annum, si agatur de ecclesia parochiali (*c. 14 de electione etc.* [*I. 6*] *in 6°*); per privationem (vid. *Privatio*) aut depositionem (vid. *Depositio*) aut degradationem (vid. *Degradatio*) in poenam criminis; per translationem episcopi ad aliam ecclesiam (vid. *Translatio*).

De collatione beneficii vacantis. 4081
— Beneficium, quod *de facto* tantum vacat, a collatore Papa inferiore conferri alteri nequit (Reiffenstuel *loc. cit. n. 10*); et, si quis scienter reciperet beneficium alteri iniuste ablatum, esset excommunicandus (*c. 7. C. II. q. 1*; *c. 1 de concessione praeb. etc. X.* [*III. 8*]), et deponendus (*c. 1 nuper cit.*), nec posset illud idem beneficium, etsi postea vacaret, obtinere, nisi ex apostolica dispensatione. *c. 7 tit. cit. X.* (*III. 8*); Schmalzgrueber *loc. cit. n. 17.*

Beneficium, quod *de iure* tantum vacat, conferri alteri potest et debet intra tempus a iure statutum (Reiffenstuel *loc. cit. n. 9*); attamen si ille, qui eius possessionem retinet, habeat titulum coloratum ad illud (vid. *Titulus*), ut beneficium ita vacans impetrari et conferri possit, necesse est ut in rescripto impetrationis et provisionis fiat mentio possessionis coloratae, nec non prius citetur possessor et post summariam causae cognitionem possessionis color cassetur. Reiffenstuel *loc. cit. n. 11. sqq.*; Schmalzgrueber *loc. cit. n. 13 sqq.*

Beneficium, quod *de iure et de facto* vacat, conferri potest et debet alteri intra tempus a iure statutum, quod, si de inferioribus beneficiis sermo sit, est semestre (*c. 2 tit. cit. X.* [*III. 8*]) computandum a die notitiae habitae vacationis. *c. 5 tit. cit. X.* (*III. 8*); *c. 3 de supplenda negl. prael. X.* (*I. 10*). Cfr. Mon. eccl. *vol. VII. p. 2 pag. 84 sqq.*

Quoad beneficia non vacantia notandum est, non solum eorum concessionem esse prohibitam, sed etiam

interdictum esse, ne ea promittantur conferenda quando vacaverint, sive de certo aliquo beneficio particulari quaestio sit, sive in genere de aliquo vacaturo (*c. 2 tit. cit. X.* [*III. 8*]; Conc. Trid. *sess. XXV. c. 7 de ref.*); quae promissio esse omnino irrita et nulla. *c. 2 de concessione praeb. etc.* (*III. 7*). *in 6°* Vid. *Coadiutor.*

4032 **De fructibus beneficii vacantis.** — Fructus beneficii vacantis ex iure decretalium pertinent aut ad ecclesias, in quarum utilitatem sunt expendendi, aut ad futuros successores, quibus fideliter debent reservari, subtracta iusta portione danda oeconomo, si qui fuerit. *c. 4 de off. iud. ordin. X.* (*I. 31*); *c. 9 de off. ord.* (*I. 16*) *in 6°*; *c. 40 de elect. etc.* (*I. 6*) *in 6°*; *c. 7 de elect. etc.* (*I. 3*) *in Clem.* Hoc ius secundum Wernz (*Ius decr. III. 189*) est adhuc vigens; verum secundum Aichner (*Comp. iur. eccl.* § *97*) ex iure recentiore, idest vi constitutionum Pii IV, Sixti V, Gregorii XIII etc., fructus omnium beneficiorum vacantium pertinent ad s. Sedem seu ad cameram spoliorum, quae per constitutos collectores colligit eosdem fructus, ut erogentur in necessitatibus missionum pro fidei propagatione. *Act. s. Sedis vol. III pag. 146.* Attamen, ut annotat ipse Aichner, hae leges extra Italiam haud receptae esse videntur; hinc omnia fere pendent a consuetudine et iure particulari. Vi particularis istius consuetudinis hi fructus generatim applicantur vel in subsidium ecclesiae cathedralis aut beneficialis, vel fundis intercalaribus aut emeritorum sacerdotum, vel ipsi beneficio, vel etiam, ex parte saltem, heredibus demortui beneficiati. Wernz *loc. cit.*; Aichner *loc. cit.*

De cessatione vacationis beneficii. — Quando beneficii vacatio cesset, vide sub *Sede vacante.*

Lopez Io. De beneficiis in curia vacantibus; *De Nigris Ant.* De vacatione beneficiorum et pensionum ecclesiasticarum; *Reclusius F. A.* Tract. de concursibus, collationibus et vacationibus parochiarum; Reliquam bibliographiam quaere sub *Beneficium* etc.

Vacatio legis. — Vacatio legis in- 4033
hoc consistit, quod lex aliqua promulgetur certa quadam die, sed simul in lege statuatur, eius obligationem incipere aliquot diebus vel mensibus post promulgationem. Exemplum celeberrimum habetur in capite « Tametsi » concilii tridentini quoad formam substantialem servandam in contrahendo matrimonio, quae lex ex ipso tridentino vacabat per triginta dies a facta publicatione in unaquaque parochia; nec nov in decreto « Ne temere » 9 aug. 1907, in const. « Divino affilatu » kal. nov. 1911 quoad novam ordinationem breviarii romani.

Si nullum tempus pro vacatione assignetur, lex postridie obligat communitatem, quamvis singuli in foro interno ignorantia excusentur. Cfr. *resp. s. Poen. 8 nov. 1821.*

Vagus. — Vagus ille dicitur, qui 4034
nullibi fixum domicilium habet, ut is qui domicilio relicto navigat aut iter facit, quaerens quo se conferat aut ubi consistat. *l. 27.* § *2 ad municipalem etc. D.* (*L. 1*). Imo etiamsi iam statuerit ubinam consistat, antequam vere ibi domicilium vel quasi domicilium fixerit, vagus est. Sanchez *de*

matr. lib. III disp. 25. n. 3; D'Ann. *I. 85 (27)*.

Domicilium autem iure canonico constituitur habitatione in aliqua parochia, non in dioecesi. D'Ann. *I. 83 (8)*. Quare qui nondum domicilium fixerit in aliqua parochia, etsi in dioecesim venerit inde non discessurus, is vagus est.

Vagus tenetur ad leges speciales loci, in quo est, quoad contractus et quoad necessaria ad bonum commune (B. P. *I. 361 sqq.*); quoad alia controvertitur, sed melius negatur. Vid. *Peregrinus*.

Quoad matrimonia vagorum, Vid. *Clandestinitas n. 1120 sqq.*

4035 **Vanagloria.** — Potest gloria dici vana tripliciter: uno modo ex parte rei, de qua quis gloriam quaerit, puta quum quis gloriam quaerit, de eo quod non est, vel de eo quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili et caduca; alio modo ex parte eius, a quo quis gloriam quaerit, puta hominis, cuius iudicium non est certum; tertio modo ex parte ipsius, qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriae non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei vel proximi salutem. S. Th. *2. 2. q. 132. a. 1.*

Per se vanagloria est peccatum veniale (B. P. *I. 702*); potest tamen identidem fieri mortale per accidens, ut si quis intentionem suam referret ad gloriam tamquam ultimum finem etc. S. Th. *l. c. a. 3.*

4036 **Vana observantia.** — Vana observantia est superstitio, quae media nec proportionata nec a Deo instituta adhibet, ad certum effectum obtinendum. B. P. *II. 354 sqq.*

Est triplicis generis: ars notoria, qua quis vanis mediis nititur scientiam acquirere sine labore; ars sanitatum, qua quis nititur sanitatem sibi acquirere vel alteri reddere certis quibusdam formulis aut signis, ut ex. gr. certo numero crucium, etc.; observantia eventuum, qua ex considera tione alicuius fortuiti eventus coniicit quis tamquam certum quid faustum vel infaustum futurum sit. G. B. *I. 264.*

Vana observantia per se est peccatum grave, aliquando tamen est veniale ex imperfectione actus, ex ignorantia, etc. B. P. *II, 359. sqq.*

In dubio num effectus proveniant a causa naturali an a daemone, tribui possunt viribus naturae, et proinde licitum est illos procurare; consulto tamen praemittitur protestatio contra daemonis interventum. G. B. *loc. cit.*

Vana usurpatio Nominis Dei. — Ea 4037
tunc habetur, quum sine rationabili causa aut sine debita reverentia Nomen Dei assumitur. B. P. *II. 531.* For. mulae *per Deum; per Christum*, si per modum formalis contemptus in Deum proferantur, blasphemae sunt, et proinde grave peccatum; si vero dicantur ad modum cuiusdam intercalaris, etiamsi proferantur in ira, veniale peccatum non excedunt, B. P. *II. 525.* Idem dicas de omni alia vana usurpatione Nominis Dei. Quod autem dicitur de SS. Dei Nomine, dicendum etiam est, servata proportione, de nominibus sanctorum. G. B. *I. 298.*

Vasa sacra. — **A quibus tangi possint vasa sacra ss. Sacramentum continentia.** — 4038
Vasa sacra, quae actu continent san-

ctissimum Sacramentum, non posse ab aliis tangi, quam a sacerdote vel a diacono, extra casum necessitatis aut periculum profanationis, sententia est communis et certa. Cfr. *c. 26 dist. XXIII*, quo canone id facere prohibentur subdiaconi. Nec tantum nuda manu, sed ne mediante quidem aliquo instrumento ea tangere aliis licet; et, si tangant, graviter peccant. S. Alph. *VI. 382.*

4039 **A quibus possint tangi vasa sacra, quae ss. Sacramentum non continent.** — Vasa sacra, quae actu ss. Sacramentum non continent, etiamsi ex iis sint, quae inunctione chrismatis consecrantur, etsi consecrationem receperint, tangi possunt non solum a sacerdotibus et diaconis, sed etiam a subdiaconis et acolythis extra ministerium altaris. quum sacra vasa ad sacrificium prae parare debent (*c. 32 dist. XXIII*), imo ex rationabili causa omnibus clericis minorum ordinum, nec non ipsis tonsuratis ex inducta consuetudine (S. Alph. *VI. 382*; *S. R. C. 23 nov. 1906 ad 1*) laicis autem hoc sub levi est interdictum (*c. 41 dist. I de cons.*), nisi in casu necessitatis, vel ex indulto habito, aut mediante velo. De Herdt *Sacrae liturgiae praxis I. 175.*

Haec dicenda etiam sunt de illis sacris vasibus, quae nec consecrantur nec benedicuntur, sed immediate attingunt ss. Sacramentum, ut lunula remonstrantiae (De Herdt *loc. nuper cit.*); imo et de corporalibus aut purificatoriis post usum, antequam abluantur. S. Alph. *VI. 382.* Vid. *Calix*, *Consecratio*, etc.

4040 **Vasectomia.** — Quid proprie sit vasectomia difficile admodum est dicere, nam adeo multa et implexa et sibi contraria sunt, quae de hac recentissima operatione dicuntur in pluribus scientificis ephemeridibus et a diversis auctoribus, ut ei qui in re medica et physiologica non sit omnino versatus impossibile sit certam de ea ideam concipere. Certum autem est eam operationem directe tendere ad impediendam possibilitatem generationis. Quocumque igitur modo ea tandem fiat, secando canale deferens sive longitudinaliter, sive transversaliter, consistit in impediendo ut spermatozoa a testibus seu testiculis, a quibus elaborantur, ad membrum virile pertingant, a quo in vaginam mulieris immittantur. Qui vasectomiam passi sunt emittunt proinde humorem quemdam spermatozois carentem, qui alias quidem physiologicas functiones peragere valet, sed caret vi fecundanti.

His stabilitis magna nunc fervet quaestio inter doctores an operatio haec licita sit, nonnullis affirmantibus, plerisque negantibus. Occasionem huic quaestioni maxime dedit lex in quibusdam Statibus ex confoederatis Americae septentrionalis lata, qua ad hanc operationem subeundam obligantur quidam variis ex causis, ut phtisi laborantes, alcoolici etc. Ita ex. gr. factum est in statu Indiana, Connecticut etc.

Qui affirmant liceitatem huius operationis arguunt ex eo quod societas in hoc praescribendo suam suscipit defensionem eamque intra limites purae necessitatis coarctat. Maximi enim ex una parte interest societatis ut inutilibus et noxiis sociis non gra-

vetur; ex altera vero parte his omnibus, qui ad vasectomiam subeundam adiguntur, nil aliud imponit nisi illud quod ad bonum societatis stricte requiritur, ut scilicet procreare non possint, relicta tamen eisdem facultate matrimonium contrahendi et in eo voluptati indulgendi. Porro si societas propter bonum commune potest sociis poenam quoque mortis infligere, multo magis poterit eos privare iure quod habent ad posteritatem habendam. Ceterum in conflictu boni publici et boni privati huic illud praevalere iuxta omnes debet.

Qui liceitatem negant, et eorum sententiam sine ulla cunctatione et dubitatione amplectimur, ex aliis arguunt principiis. Afferemus hic ea tantum argumenta, quae eam nobis magis suadent, ut brevitati etiam consulamus, quae a natura huius nostri operis exigitur.

Illiceitas igitur vasectomiae deducitur evidenter tum si eam consideremus in relatione ad individuum eam sponte patiens, tum si eam consideremus in relatione ad societatem eam praescribentem.

Et re quidem vera quoad primum nemo potest renuntiare iuri quod sibi a natura datum est principaliter in bonum humani generis. Potestas autem procreandi ius est quod individuis a natura datur non quidem principaliter in bonum sui, sed in bonum generis. Quare privare se hac facultate crimen est in Deum auctorem naturae et in ipsum genus humanum. — Aliud quidem est aliquo ex huiusmodi iuribus non uti, neque enim semper iuris exercitium praescriptum est; aliud vero omnino ipso iure seu ipsa facultate se spoliare. Illud saepe licitum et ex virtute est, istud illicitum. — Neque exinde consequitur ne in casu quidem morbi hoc esse licitum. Neque enim censeri potest natura ita urgere in individuo conservationem facultatum, quas in bonum generis ei concessit, ut eam velit usque ad destructionem individui; tunc enim ex alio capite deperderetur illud, ad quod non perdendum permittenda esset destructio subiecti. Quare uti vasectomia ad tuendam vitam et sanitatem, quae secus probabile et grave periculum subiret, certo est licitum.

Quoad secundum vero, societas non potest socios suos illis iuribus privare, quae a natura habent. Finis enim societatis non est nisi perficere individuum illudque tueri contra quos cumque inimicos sui boni et illud adiuvare in consecutione naturalis sui finis. Porro non in privatione naturalium iurium perfectio consistit aut adiumentum quod societas individuis debet.

Et quamvis verum sit bonum commune privato bono praevalere debere, hoc tamen non urget quando exinde socio innocenti naturalia iura essent auferenda. Certo nemo ab ea societate, ad quam naturaliter pertinet, posset vita privari, quia morbo laborat qui contagio suo alios potest inficere. Neque dicas posse societatem aliquam, ut antiquiores docent, innocentem ad eam confugientem inimicis tradere insequentibus, qui secus obsessionem et destructionem

civitatis minantur. Nam in hoc casu innocentem non privat directe iure, quod a natura habet; unum facit, scilicet ei denegat auxilium, quod ad ius naturale retinendum necessarium esset. Sed longe diversum est alicui denegare auxilium ad sua iura retinenda, vel eidem directe haec eadem iura auferre.

Praeterea quum adversarii arguunt ex bono communi aequivocationem admittunt. Bonum enim commune illud dicunt, quod tale est in relatione ad aliquam societatem civilem. At prae hoc aliud est bonum, quod huic praevalet, scilicet bonum ipsius humani generis. Nam quaelibet societas particularis, etsi perfecta, ut est societas civilis, relate ad ipsum humanum genus minor est. Non potest ergo aliquem privare facultatibus, quas ab ipso naturae auctore ei datae sunt in bonum praecise ipsius generis.

Accedit quod facultas procreandi, si spectetur iuxta recta rationis principia, data est homini ab auctore naturae ut exinde procreentur ii qui Dei adoratores in hoc mundo exsistant et postea Deo ipso fruantur. Hunc finem, ad quem non est necessaria constitutio sana, assequi omnes possunt; quare societas quaecumque non potest hominem innocentem facultate privare generandi filios, qui finem hunc nobilissimum assequantur.

Quare videtur mihi, liceitas vasectomiae defendi non posse nisi in suppositione veritatis illius theoriae, quam nemo christianus, imo ne aliquis quidem sua ratione recte utens admittet, scilicet Statolatriae, quam dixerunt.

Hinc omnibus pensatis illicitam omnino esse vasectomiam tum societati ipsi civili, tum individuo, quemadmodum illicita est ovariotomia certissimum mihi est.

Quoad consectaria vasectomiae relate ad matrimonium nihil hic addendum puto iis, quae scripsi sub *Impotentia*. Et certe si haec operatio inducit defectum ad generationem non reparabilem, quemadmodum videntur nunc plures docere, eam constituere verum impotentiae impedimentum negari non potest. Neque dicendum cum Gemelli eos, qui vasectomiam passi sunt, emittere verum semen, quemadmodum senes verum semen emittunt. Nam hi humorem emittunt spermatozois carentem; senes vero semen non carens spermatozois, quae tamen eam mobilitatem non habent, quae ad uterum attingendum necessaria esset.

Perplex The question of grave Mutilation; *Donovan M.* De liceitate vasectomiae; *De Baker* The casus de liceitate vasectomiae; *Labouré Th.* De vasectomia; *Righy T.* De liceitate vasectomiae ad prolis defectivae generationem impediendam patratae; *Anonimus* Sur la vasectomie; *Neo-scholasticus* De liceitate cuiusdam operationis; *De Smet* Art. in Collationes Brugenses; *Ferreres I. B.* De vasectomia duplici noviter inventa; *Wouters* De vasectomia; *Schmitt* Vasectomie. Eine neue Operation und ihre Erlaubtheit; *Anonimus* The morality and the Lawfulness of Vasectomy; *Donovan M.* The Morality of the Operation of Vasectomie; *Labouré Th.* Is Vasectomy then unlawful; *Schmitt A.* Vasectomia illicita; *Malley* Vasectomy

in Defectives; *Anonimus* The Morality and the Lawfulness of Vasectomie; *Labouré Th.* Quod ex discussione de vasectomia instituta resultat; *Eschbach* De chirurgica operatione vasectomiae, disquisitio physiologico-theologica; *Schmitt A.* Zur Kontroversie über die Vasectomie; *Labouré Th.* De aliquibus vasectomiae liceitatem consequentibus; *Philokanon* The question of Vasotomy; *Gemelli Aug.* De liceitate Vasectomiae; *Stucchi Art.* De Vasectomia; *Luchini* La sterilizzazione dei delinquenti in America; *P. C.* De vasectomia; *Eschbah Alph.* De vasectomia. Breves animadversiones in disputationem R. P. A. Gemelli.

Vectigal. — Vid. *Tributum.*

Velocipede. — Vid. *Rota.*

4041 **Velum. — De velo a mulieribus in ecclesiis adhibendo.** — Mulieres velare debent caput in ecclesiis. *I. Cor. XI. 5 sqq.* Haec praxis introducenda est, quantum fieri potest, etiam in illis locis, in quibus ob inveteratam contrariam consuetudinem mulieres ab ea abhorrent. Hic. s. Congregatio de Prop. Fide in instructione ad vicarios apost. Sinenses (*18 oct. 1883*) ait: «Quum conventus Pekinensis et Hongkongensis renovandas existimaverint pro sua regione praescriptiones antiquae synodi Sutchuensis, quarum vi mulieres tenentur caput velare, quum ad poenitentiae vel s. eucharistiae sacramenta accedunt, emis. Patribus visum est opportunum, ut alii quoque vicarii apostolici huiusmodi praxim sensim sine sensu introducere procurent».

4042 **De licita appositione veli transparentis ad albas etc.** — Permittitur, ut in tobaleis altarium, in albis et in superpelliceis habeantur vela transparentia, quae repraesentent cruces, ostensoria, calices cum hostia, figuras angelorum et alia huiusmodi sacra. *S. R. C. in Siren. 5 dec. 1868* (*3191*).

De velo in nuptiis adhibendo vel non. — 4043 Alicubi mos est ut in nuptiis velum, super coniuges extendatur. Circa hanc consuetudinem duas habemus responsiones s. Congregationis Rituum, scilicet ad dubium: «Num consuetudo sponsi scapulas sponsaeque caput velandi in benedictione nuptiarum retinendus sit» responsus est: «Affirmative» (*S. R. C. in una. de Guayana 15 sept. 1881* [*3531*] *ad 6*) et ad aliud dubium: «Num usus veli, quod adhiberi solet penes ecclesias Mexicanae regionis in ritu sacramenti matrimonii licitus sit» responsum est: «Quum s. Rituum Congregati in iis locis, ubi hic vetustissimus usus viget (prout in Galliarum dioecesibus) eiusmodi ritum haudquaquam vetuerit, archiepiscopus Mexicanus illum in sibi credita archidioecesi servari permittat, contrariis non obstantibus quibuscumque». *S. R. C. in Mexicana 27 febr. 1866* (*3656*). Ex quibus responsionibus Gasparri (*de matr. II. 1228*) concludit hunc morem retinendum ubi viget, ubi vero non viget, non introducendum, inconsulta s. Congregatione.

Venatio. — Venatio clamorosa seu 4044 saltuosa, quae cum strepitu et magno apparatu canum etc. fit (*c. 1. dist. XXXIV; cc. 1. 2 de cleric. venat. X.* [*V. 24*]; *c. 1 ne clerici vel monachi etc. X.* [*III. 50*]), non autem quieta (*arg. c. 1. §§ 3. 4 de statu monach. etc.* (*III. 10*) *int. Clem.; arg. ex Conc. Trid. sess. XXIV. c. 12 de ref.*), cle-

rlcis interdicitur. Quieta autem venatio ea dicitur, quae sine strepitu fit, et vel sine armis vel cum moderato armorum usu. Santi *in tit. 24 lib. V Decr. n. 2.*

Venationem clamorosam *frequenter* agere clericis grave est. Lugo *de iust. et iure disp. VI. n. 51*; S. Alph. *III. 606.*

Poenae graviores, ferendae tamen sententiae, latae fuerunt antiquitus contra clericos venatores (cfr. *c. 1. tit. cit. X.* [*V. 24*]); nunc poenae omnes relictae sunt arbitrio episcopi (Ben. XIV *de syn. lib. XI. c. 10. n. 9 sqq.*) qui tamen abstinere debet a nimio rigore, nec posset propter hoc statuere excommunicationem latae sententiae, aut privationem clericaliam privilegiorum. *S. C. C. 16 ian. 1596, 16 mart. 1622, apud Ferraris Prompta bibl. v. « Clericus » art. 6. n. 35;*

Quoad dominium ex venatione acquirendum, vid. *Animalia.*

Venditio. — Vid. *Emptio-Venditio.*

4045 **Venditio sub hasta.** — Venditio sub hasta ea est, quae fit per praeconem, et in qua ultimae licitationi res ascribitur. G. B. *I. 907.* Licita est secundum omnes. Venditor, etiamsi incoepta licitatione minus iusto pretium offeratur, non potest rem suam retrahere (G. B. *I. 908*), nisi contraria consuetudo adsit (B. P. *III. 772*); at potest mittere suo nomine licitatores, ut pretium rei crescat, nempe si vere velit rem in casu manere in suo dominio. B. P. *loc. nuper cit.*

Emptor potest pacisci cnm aliis, ne licitent aut ne plus offerant (B. P. *III. 775 sqq.*; D'Ann. *II. 468*), multo magis eos rogare potest, ne licitent. S. Alph. *III. 808 dub. I.*

Proprium autem est huius contractus, ut res aliqua et emi licite possit sub infimo iusto pretio, et vendi ultra summum. Illud enim licitum est, quia merces ultroneae vilescunt (dummodo tamen in subhastationibus praesertim, quae coacte a venditore fiunt, pretium non sit inferius eo quoque, quod ratione habita subhastationis, prudentes viri taxabunt); istud licitum fit maiore numero ementium, raritate mercis seu desiderio illam emendi, spontanea oblatione et lege id approbante. B. P. *III. 769;* D'Ann. *loc. cit.*

Nota tamen, nostris legibus eum, qui vi aut minis, donis, promissionibus, collusione aut aliis mediis fraudulentis impedit aut turbat contentionem in publicis hastis aut in privatis licitationibus damno vel emolumento publicae cuiusdam administrationis factis, vel offerentes ab eis dimovet, puniri reclusione a tribus ad duodecim menses extendenda et mulcta centum libellis maiore; si vero reus sit aliquis a lege aut ab auctoritate huiusmodi subhastis et licitationibus praepositus, reclusionem sese extendere ab anno ad quinque annos, mulctam vero quingentis libellis esse maiorem; illum autem, qui ductus pecunia aut alia utilitate sibi vel aliis praestita aut promissa, a concurrendo his subhastis aut licitationibus abstinet, puniri reclusione ad sex usque menses protrahenda et mulcta centum libellis non inferiore, duobus milibus non maiore. *C. Poen. a. 299.*

Venditio fieri etiam potest per proxenetas. Vid. *Proxeneta*.

Forsteri V. G. Tr. de subhastationibus; *Glusiani Iul. Caes.* Tr. de bonis in solutum dandis et de bonis ad hastam vendendis; *Mangili Io. Ant.* Tract. absolutissimus de subhastationibus et licitationibus; *Schöne Arn.* Diss. de subhastationibus; *Philippi Io.* Tr. de subhastationibus; *Schneider Hier.* Disp. de licitationibus sub hasta; *Posti Lud.* Tract. de subhastatione.

4046 **Venenum.** — Veneum vendere non licet, nisi moraliter certo constet, emptorem illo bene esse usurum. G. B. *I. 254.*

4047 **Venerabiles.** — Publicum cultum deferre iis, qui cum fama quidem sanctitatis decesserunt, vel ad quorum beatificationem processus instituitur, sed nondum rite beatificati vel canonizati sunt, stricte vetitum est. B. P. *II. 324.* Privatum vero aut secretum cultum deferre eis licet. B. P. *loc. cit.*

Horum imagines nequeunt aureolis aut radiis seu splendoribus decorari, et sic decoratas exponere, ne in locis quidem privatis. *Const.* Urb. VIII. «Sanctissimus» *13 mart. 1625.*

Neque ad eorum sepulcrum in significationem cultus lumina accendere aut tabellas appendere licet. *Const. cit. Urbani VIII.*

Quoad haec notandum est recens decretum sacrae rituum congregationis *14 aug. 1894* (*3835*), quo statutum est: «imagines virorum ac mulierum, qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum beatificationis aut canonizationis honores consecuti sunt, neque altaribus utcumque imponi posse, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve sanctitatis signis; posse tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus ecclesiae seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quidquid profani aut ab ecclesiae consuetudine alieni».

Veni Creator. — Conclusio istius 4048
hymni haec esse debet: «Deo Patri sit gloria, et Filio, qui a mortuis, surrexit ac Paraclito, in seculorum secula. Amen». Eaque numquam quovis anni tempore vel quocumque festo occurrente varianda est. *S. R. C. 20 iun. 1899* (*4036*).

Usque ad huius hymni primam stropham integre recitatam omnes genuflexi manere debent, *S. R. C in Bituntina 14 nov. 1676. ad 7* (*1583*).

Venire diem. — Venire diem quid significet, Vid. *Tempus.*

Versiones. — Vid. *Sacra Scriptura* 4049

Vesperae. — His interesse diebus dominicis et festis nemo tenetur, ne sub levi quidem. G. B, *I. 340*,

Vesperas in sabbato sancto omittere pro obligatis ad horas non est mortale. s. Alph. *IV. 147.*

Nuperrime quaesitum est ex s. Congregatione rituum, liceretne canere, vesperas secunda vel prima hora noctis, atque in illis sanctissimum Sacramentum exponere; et s. Congregatio respondit: «Pro prudenti ordinarii placito». *S. R. C. in Colimen. 12 iul. 1901 ad 9.*

Vestes sacrae. — Vid. *Paramenta sacra, Color.*

Vestes. — **An liceat aliquando uti ve-** 4050
stibus propriis falsae sectae. — Uti ve-

stibus vere protestativis falsae religionis, numquam licet, quia numquam licet falsam religionem profiteri.

In praxi difficultas est, quoad aliquas vestes, in determinando an vere protestativae sint religionis falsae. Porro certum est non repugnare, ut ex imperio principis vel propter receptam consuetudinem vestis quaedam habeat determinatam significationem professionis verae vel falsae religionis. Attamen notandum est, quod etiam harum vestium significatio potest ex circumstantiis variare; neque enim putandum est, has vestes necessario eam significationem habere. Igitur vestes, quae in aliquo casu particulari determinatam habent significationem protestationis falsae religionis, quae ex circumstantiis nullo modo perit et evanescit, videntur adhiberi a christianis nullo modo posse propter rationem superius allatam, quia scilicet usurpatio harum vestium in casu esset protestatio falsae religionis. At si circumstantiae tales sint, ut ea significatio possit ab iis vestibus removeri, ut puta si tempore persecutionis christianus eas vestes induat, usus harum vestium videtur licitus, nisi ex alio capite, quam ex ratione fidei, illicitus evadat. Scilicet in eo casu pronum est omnibus iudicare, christianum eas vestes induisse ad persecutionem fugiendam seu ad se redimendum ab iniusta et gravi vexa, non ad fidem negandam. Verum si scandalum adesset, ut si ex. gr. episcopus aut sacerdos has vestes indueret, et exinde christiani possent dubitare de eorum defectione atque periculum insurgeret defectionis plurium christianorum, illicitus esset usus harum vestium ex capite gravissimi scandali. Quare optime Lugo (*de fide disp. XIV. n. 82*) ait: « Quoties usus vestium talis fuerit, ut qui personam utentem noverint, eum omnino iudicent fidem negare et falsam religionem amplecti, usus ille nullo casu licitus erit; quando vero qui personam norunt, poterunt dubitare, an ob alium finem diversum vestis usurpetur, poterit aliquando usus licitus esse ex gravi causa, quae eo gravior debet esse, quo ex circumstantiis vestis illa magis accedat ad significandam negationem verae fidei, quamvis non omnino determinate eam significet ».

Quare annotant doctores discrimen inter voces et alia signa. « Nam, ait idem Lugo (*l. c. n. 73*), voces ex sua natura institutae sunt ad significandam mentem; et licet ad placitum applicentur ad hoc vel illud in particulari significandum, datae tamen sunt homini a natura ipsa, ut suos conceptus manifestet, et ut iis non utatur nisi iuxta significationem semel impositam. Vestes autem et alia similia habent alios fines diversos, neque est obligatio iis non utendi nisi ad significandum. Hinc ergo est, ut, licet non possimus dicere: ego non sum christianus, absque fidei negatione; possimus tamen uti veste, qua iudaei dignosci solent (tempore Lugonis iudaei Romae iubebantur gestare galerum flavi coloris) absque fidei negatione, quia possumus veste illa uti, non ut signo, sed ut veste solum et ad finem tegendi caput, ad quem potissimum finem vestes intro-

ductae sunt ». Cfr. etiam Laymann *Th. mor. lib. II. c. 11. n. 4.*

Et exinde Lugo (*l. c. n. 82*) argumentum deducit ad probandam regulam, quam ipse ponit et nos ex eodem superius dedimus: « Sensus et veritas huius regulae probari et explicari potest per analogiam vel comparationem ad voces, quas diximus nullo casu fideli licere, quia ex natura sua habent, quod proferri debeant ad significandam mentem et non ob alios fines. Si ergo esset vestis, quae propter circumstantias vel institutionem ita esset determinata ad significandam negationem fidei, sicut sunt verba vel voces ex natura sua ad significandam mentem, idem omnino dicendum esset de veste illa, quod de vocibus dicitur, atque adeo sicut nullo casu fideli licet proferre voces, quibus significetur ipsum esse alterius sectae, ita numquam licebit ei usus talis vestis habentis aeque determinatam significationem ac habent voces... — Quare totum iudicium de hoc puncto reducendum est ad determinationem significationis, quae optime colligitur a posteriori, si videntes signum illud et cognoscentes personam, quae antea fidelis et christiana erat, inducuntur tamen omnino et determinate ad iudicandum, quod priorem fidem reliquerit; tunc enim vestis illa in talibus circumstantiis habebit se sicut voces, quum non possit a tali significatione determinata separari. E contra vero contingit frequenter, ut vestis aliqua consuetudine vel etiam ex institutione principis destinata sit ad significandam professionem falsae sectae; et tamen quando christianus eam usurparet ad se occultandum et vitandum vitae periculum, ii, qui hominem antea agnoscerent et viderent in ea veste, non ideo iudicarent eum negasse fidem, sed vel dubitarent, vel fortasse putarent, non ad id significandum, sed potius ad se occultandum et vitandum vitae periculum assumptam fuisse vestem illam; quo casu ex gravi vel saltem gravissima causa licite assumeretur, quum vestis illa non esset sicut voces, sed posset ab ea significatione separari et assumi ad alios fines, vel tegendi corpus, vel ad ornatum et elegantiam, vel ad aliquid aliud. Quare procederet tunc ratio, propter quam diximus cum communi sententia, licite usurpari posse ex gravi causa a christiano galerum flavum, quia potest separari a significatione, quam ex publica institutione habet, ut dignoscantur iudaei a christianis. Nam licet vestes, de quibus nunc loquimur, non solum sint signa politica ad cognoscendos infideles, sed etiam ad significandam professionem falsae sectae, vel ad eam tacite profitendam, et ideo gravior causa requiratur ad harum vestium, quam ad illarum usum licitum; adhuc tamen utraque vestis convenit in hoc, quod ex natura sua non sit ita alligata, etiam in his circumstantiis, ad talem significationem, ut non possit ab ea praescindere et usurpari sine animo talis significationis ».

Circa hanc quaestionem plurimum disputarunt theologi. Confer, sis, Lugo *loc. cit. sect. V anum. 70 ad 97;* Suarez *de fide disp. XIV;* Laymann *Th. mor. lib. II. tr. 1. c. 11. n. 4;* Sanchez *in decalog. lib. II. c. 4;* Ca-

stropalao *tom. I. tr. 4 disp. 1 punct. 17*; B. P. *II. 55 sqq.*

Patet autem ex dictis communissimam esse sententiam, licitum esse uti vestibus infidelium, quando hae nullo modo sunt protestativae falsae religionis; idque facili ratione constare.

De ornatu quoad vestes (*remissive*). — Quoad vestes vide etiam *Ornatus*.

4051 **Vetitum ecclesiae.** — Vetitum ecclesiae est impedimentum impediens matrimonii, et consistit in prohibitione, quam aliquis superior ecclesiasticus speciali de causa duobus sponsis facit, ne matrimonium contrahant, saltem ad aliquod tempus.

Hanc prohibitionem facere potest quibuscum quefidelibus romanus Pontifex (Feije *de imp. et disp. matr. n. 549*), eamque etiam clausula irritante munire (hoc autem ipse unus potest facere), qua apposita matrimonium postea contractum esset nullum. B. P. *VI. 535.*

Episcopus etiam hanc prohibitionem facere potest suis subditis (*S. C. C. 10 febr. 1629*), quando fundata suspicio est aliquod impedimentum illi matrimonio obstare, seu multum timetur, ne nuptiae magnis litibus vel scandalis aut aliis malis ansam praebeant.

Parochus etiam, gravibus huiusmodi exstantibus causis, matrimonium interdicere potest, sed ad tempus (B. P. *loc. cit.*), ut si desint documenta lege ecclesiastica requisita, donec habeantur; in gravioribus casibus interdicit matrimonium, donec episcopus provideat, ad quem omnia quam cito referre debet.

Fideles violantes hanc prohibitionem et, ea non obstante, matrimonium celebrantes, graviter peccant (B. P. *VI. 537*), nisi levi de causa prohibitio facta fuerit, aut sponsis constet, rationem, cur prohibitio facta est, non subsistere (Sanchez *de matr. lib. VII disp. 17. n. 1*; s. Alph. *VI. 982*); tunc enim nonnisi venialiter peccant. B. P. *loc. nuper cit.*

Vexilla. — In ecclesia occasione ex- 4052
sequiarum aut quorumdam festorum, quibus laicae sodalitates intersunt, nonnisi vexilla religiosa, et pro quibus habeatur formula benedictionis in rituali romano, licet admittere. *S. R. C. in Patavina 14 iul. 1887. ad 1* (*3679*). Quod et ipsum s. Officium statuit, sanciens in ecclesiam introducenda non esse nisi vexilla confraternitatum, et ea, quae benedicta fuerint; benedicenda autem non esse, nisi vexilla earum societatum, quarum statuta ab auctoritate ecclesiastica approbata fuerint, ab eaque aliquo modo dependeant, et aliquod religionis signum, nullum autem emblema reprobandum praeseferant. *S. U. I. 3 oct. 1887.* Si autem occasione festorum etc., non obstante praevia monitione parochi, laicae huiusmodi societates cum prohibitis vexillis ecclesiam iugrediantur, parochus a functionibus debet abstinere. *S. R. C. decr. cit. 14 iul. 1887 ad 3 et 4.*

Praeterea notandum est id, quod s. Oficium, decreto supra cit. (*3. oct. 1887*), insuper statuit: « Quatenus agatur de vexillis, quae praeseferunt emblemata manifeste impia vel per versa, si ea extollantur in pompa funebri, clerus inde recedat; si in ec-

clesiam per vim inducantur, tunc si missa nondum inchoata fuerit, clerus recedat; si inchoata, post eam absolutam auctoritas ecclesiastica solemnem protestasionem emittat de violata templi et sacrarum functionum sanctitate. Quatenus agatur de vexillis ita dictis nationalibus, nullum emblema de se vetitum praeseferentibus, in funebri pompa tolerari posse, dummodo feretrum sequantur; in ecclesia vero non esse toleranda ». Idipsum statuerat s. Poenitentiaria (*3 apr. 1887 in Apuana*), ubi post ea omnia, quae superius relata sunt in decreto s. Officii; quaeque ad verbum ex hac responsione s. Poenitentiariae desumpta sunt, additum est: « nisi secus turbae aut pericula timeantur ». Et s Officium episcopo petenti, quomodo se gereret in huiusmodi casibus, respondit (*die 24 nov. 1897*): « Detur decretum s. Poenitentiariae sub die 4 aprilis 1887 ».

In associationibus cadaverum societates catholicae in habitu laicali cum vexillis benedictis nequeunt praecedere clerum cum cruce, sed debent sequi feretrum. *S. R. C. 14 mart. 1903.*

Iuverit hic quaedam pro Italia annotare ex civili iure, quo regimur. Porro articulus centesimus quadragesimus codicis poenalis haec sancit: « Quicumque, ad offendendum aliquem e cultibus a statu permissis, impedit aut turbat exercitium functionum aut ceremoniarum religiosarum, punitur detentione, quae ad tres usque menses protrahi potest, et mulcta, quae nec quinquaginta libellis minor, nec quingentis maior erit ». Dicasterium vero Florentinum sententiis definitive probandis vel improbandis (*die 30 iul. 1881*) decrevit, reatum praevisum in secunda paragrapho articuli quinquagesimi regularum ad sociales mores dirigendos (*regolamento di polizia*) pro Hetruria (cui nunc pro tota Italia articulus centesimus quadragesimus codicis poenalis Zanardelliani supra citatus successit) eum incurrere, qui, non obstante parochi prohibitione, cum aliis et cum vexillis ecclesiam ingreditur, et causa est cur sacerdotales functiones interrumpantur. *Annali di giurispr. ital. 1881. p. 1. § 2.* Item dicasterium appellationum Lucense (*anno 1881*) statuit, parocho ius esse exigendi, ut vexilla ab ecclesiis extrahantur, tum ut exsecutioni mandet speciales superioris ordinationes, tum ut ipse ecclesiae suae disciplinae consulat; ipsumque facultatem habere prohibendi ea omnia, quae regulis ecclesiasticis non apprime conformia existimaret. Et ratio est, quia « in re spirituali et disciplinari non admittitur actio vel appellatio contra actus ecclesiasticarum auctoritatum » (*art. 17 legis 3 maii 1871*); et quia « auctoritas ecclesiastica domi suae domina est; intra sanctuarii limites plena et absoluta libertas iubendi aut vitandi quidquid ipsi locum sacrum decere aut decedere videtur, concedenda ei est; observantia aut transgressio religiosorum rituum aut sacrorum canonum in politicae auctoritatis dominium induci non potest, quin ecclesiasticae disciplinae ordinationes evertantur ». *Dic. Rom. sent. def. prob. vel impr. 30 ian. 1877 5 maii 1882.* Cfr. Mon. eccl. *vol. III*

pag. 86; Brandi *Le bandiere in chiesa; studio giuridico.*

4053 **Via crucis.** — **Quinam possunt erigere viam crucis.** — Eam erigere possunt tantummodo sacerdotes regulares, qui subsunt magistro generali ordinis fratrum minorum, et ab ipso eiusmodi facultatem obtinuerunt (*Brev.* Clem. XII. *16 ian. 1731, et Brev.* Ben. XIV. *30 aug. 1741 cum explanat. S. C. Indulg. 3 apr, 1731 et 10 maii 1742*), quae in scriptis danda est ad validitatem (*S. C. Indulg. 3 aug. 1748*); et hanc facultatem habent privative quoad alios quoscumque. *Brevib. cit.; S. C. Indulg. 25 apr. 1735, 1 oct. 1735.* Attamen magister generalis potest concedere hanc facultatem etiam aliis sacerdotibus secularibus vel regularibus (cfr. P. Bernardin. a Portu Romatino *Instructio de stationibus s. viae Crucis erigendis visitandisque*; quae instructio approbata est a s. congregatione indulgentiarum). Praepositi provinciales eiusdem ordinis possunt hanc facultatem tribuere solummodo suis subditis concionatoribus vel confessariis approbatis. Beringer *Les indulgences I. p. II sect. 2. A. n. 15 § 1.*

4054 **Ubinam erigi potest.** — Possunt autem eam erigere in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis vel etiam in aliis publicis locis, imo etiam in privatis oratoriis, vel in alio decenti loco domuum religiosarum, hospitalium, collegiorum etc., non autem in privatis, in quibus missa nequit celebrari, nisi habeatur speciale indultum s. Sedis. Beringer *loc. cit.*; cfr. *decr. S. C. Indulg. 4 aug. 1767.*

Patres Capucini possunt eas erigere solummodo in suis ecclesiis et oratoriis adiacentibus. *Rescr. Pii IX. 5 mart. 1874.*

De requisitis ad erectionem viae crucis. — Illi, qui viam crucis erigunt, nisi sint fratres minores (Beringer *loc. cit.*) debent facultatem, quam habent, antequam ea utantur, ostendere ordinario, etiamsi eam habeant ab ipsa s. Sede, et de hoc nulla mentio facta sit in rescripto concessionis. *S. C. Indulg. 5 febr. 1841.* 4055

Praeterea necesse est ad validitatem ante erectionem obtinere in scriptis auctorizationem episcopi aut ordinarii pro singulis casibus (*S. C. Indulg. 21 iun. 1879*), imo etiam parochi nec non superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis vel loci pii, ubi eiusmodi erectio fieri contingit (*S. C. Indulg. 3 aug. 1748*), quamvis si agatur de hospitalibus, ecclesiis, cappellis ac domibus de iure haud exemptis a parochiali iurisdictione, sed de facto administratis independenter a parocho per cappellanum nominatum ab episcopo, consensus parochi in scriptis datus non est necessarius. *S. C. Indulg. 21 iun. 1879.*

Si quando autem ob crucium vetustatem vel ob aliam iustam causam renovari debeant stationes viae crucis in eadem ecclesia sive oratorio, in quo rite cum omnibus documentis a s. Sede praescriptis erectae reperiebantur, praefata documenta non sunt denuo expostulanda, sed sufficit tantummodo novarum erectionum benedictio a sacerdote legitime ad id deputato. *S. C. Indulg. 11 ian. 1896.*

Si destructa veteri ecclesia nova

aedificetur fere in eo loco, ubi vetus exsistebat et sub eodem titulo, indulgentiae non cessant. *S. C. Indulg. 9 aug. 1843.* Eodem modo in casu ecclesiae ex toto reaedificatae fere in eodem loco et sub eodem titulo praeexistens, privilegium viae crucis non cessat, si via crucis, quae in veteri ecclesia destructa legitime exstabat, salva substantia, in ecclesiam reaedificatam transferatur. *S. C. Indulg. 7 iun. 1905.*

4056 **De modo erigendi viam crucis.** — Quoad modum erigendi viam crucis notandum est, requiri ad validitatem quatuordecim cruces (*Brevib. supra cit.*; *S. C. Indulg. 20 iun. 1838*) ligneas (*S. C. Indulg. 23 nov. 1878*), quibus tantum adnectuntur indulgentiae (*S. C. Indulg. 30 ian. 1839*), easque oportere esse benedictas. *S. C. Indulg. 30 ian. 1839.* Debent praeterea hae cruces affigi sive muro, sive etiam scamnis aut stallis, etc., quae tamen inamovibilia sint. *S. C. Indulg. in una Venetiarum 14 sept. 1904.* Haec benedictio fieri potest, tum antequam in muro collocentur, tum postquam fuerint collocatae (*S. C. Indulg. 21 iun. 1879*), sed debent benedici ab eo, qui facultatem habet erigendi viam crucis, nec privatim (Beringer *loc. cit. §. 2*), sed tunc quum muro apponuntur, quamvis eas in muro collocare possit alius quicumque. *S. C. Indulg. 22 aug. 1842.*

Quamvis laudabilis sit consuetudo praeter cruces muro apponendi tabulas quoque pictas, quae memoriam passionis Domini in fidelium animis excitent, hoc tamen non est necessarium (*S. C. Indulg. 18 nov. 1837*). et, si apponantur, cruces benedictae possunt vel supra huiusmodi tabulas vel subter eas collocari, etiam quin eas tangant. *S. C. Indulg. 15 nov. 1845.*

Quoad hoc expositum est sacrae Congregationi indulgentiarum, morem in Gallia a pluribus annis invaluisse « erigendi stationes viae crucis cum crucibus ligneis, supra quas in coniunctione brachiorum tabellae depictae mysteria consueta repraesentantes applicantur, ita ut tantummodo extremitates brachiorum crucis appareant. Addendum autem est, quod in ipso actu erectionis istarum stationum viae crucis, iam tabellae crucibus adhaerebant ». Quaesitum autem est, an huiusmodi erectiones validae et licitae essent? sacra Congregatio respondit: «Affirmative, prout exponitur. Verumtamen, quum iuxta decreta (30 ian. 1839. 23 nov. 1878) indulgentiae huius sacro sancti exercitii crucibus tantum sint annexae, S. C. vehementer inculcat, ut nihil innovetur, sed antiqua et ubique recepta praxis servetur, quae est ut cruces supra depictas tabellas integre conspicueque emineant ». *S. C. Indulg. 27 mart. 1901.*

4057 **De requisitis ad lucrandas indulgentias.** — Ad lucrandas indulgentias nihil aliud requiritur, quam meditando (quantumvis breviter, *S. C. Indulg. 3 apr. 1731*) passionem Domini Nostri Iesu Christi (quare non est necesse recitare aliquot Pater et Ave, vel alias quascumque orationes [*S. C. Indulg. 2 iun. 1838*], nec meditare varia mysteria passionis stationibus respondentia [Beringer *loc. cit.* §. 3]),

ex una ad aliam stationem se conferre (*S. C. Indulg. 3 apr. 1731*), quantum hoc permittit multitudo fidelium et angustia loci. *S. C. Indulg. 26 februari 1841.*

Quando autem haec translatio de uno loco in alium confusionem gigneret ob magnum fidelium numerum, tunc sufficit, ut unusquisque semper suo loco maneat, sacerdote cum duobus clericis de una in aliam stationem se conferente. *S. C. Indulg. 23 iul. 1757.*

Hoc fieri etiam potest in sacellis communitatum religiosarum ob loci angustiam, nec necesse est ut sacerdos sit, qui de una in aliam stationem se conferat, sed potest esse etiam alius, ex. gr. frater laicus illius communitatis religiosae laicorum, quae devotionem peragit viae crucis. *S. C. Indulg. 27 febr. 1901.*

Visitatio autem stationum debet fieri sine notabili interruptione (*S. C. Indulg. 22 ian. 1858*); at illi, qui exercitium viae crucis peragunt, et illud ad modicum tempus interrumpunt, puta ad audiendum sacrum, ad sumendam eucharistiam, ad confessionem faciendam etc., indulgentias lucrantur, si illud prosequuntur, nec ad indulgentiae acquisitionem necesse est in his casibus illud ab initio reassumere. *S. C. Indulg. 16 dec. 1760.*

Inter unam et aliam stationem viae crucis requiritur aliqua distantia (*S. C. Indulg. 28 aug. 1752*), sed non distantia aequalis viae crucis Hierosolymitanae, nec determinata. *S. C. Indulg. 3 dec. 1736.*

Manent indulgentiae, etiamsi tabellae stationum et cruces e pristino loco amoveantur, et postea in alium locum, dummodo in eadem ecclesia, restituantur. *S. C. Indulg. 22 aug. 1842, 20 aug. 1844.* Si cruces viae crucis penitus tolluntur ex aliqua causa et ad tempus tantum, ut denuo eidem loco restituantur, nec nova erectione nec nova benedictione opus est ad lucrandas indulgentias (*S. C. Indulg. 30 ian. 1839*); imo indulgentiae non amittuntur, si ad parietes ecclesiae dealbandas una vel altera crux removeretur, et possent interim fideles modo solito lucrari indulgentias; sed si simul omnes cruces removerentur, ut postea iterum in eadem ecclesia collocarentur, fideles eo tempore indulgentias lucrari non possent, etsi in aliam ecclesiam vel oratorium cruces sine apostolica facultate translatae essent. *S. C. Indulg. 20 iun. 1836.* Si cruces primitus benedictae omnino pereant, iterum nova erectio et benedictio requiritur ad lucrandas indulgentias; si vero pereant ex minori parte, licet alias illis substituere absque ulla nova erectione et benedictione. *S. C. Indulg. 13 nov. 1837, 20 sept. 1839.* Et possunt cruces in meliorem modum disponi, quin pereant indulgentiae. *S. C. Indulg. 20 sept. 1839.*

De indulgentiis visitantibus viam crucis concessis. — Indulgentiae, quae acquiruntur ab iis, qui viae crucis exercitium peragunt, sunt indulgentiae omnes, quae annexae sunt locis sanctis Hierosolymitanis (Beringer *loc. cit.* § 4); attamen prohibitum est in concionibus vel alio quocumque modo determinare, quaenam et quot sint huiusmodi indulgentiae. *S. C.* 4058

Indulg. 3 apr. 1731. Ratio est, quia, quum difficile sit eas determinare, sic praecavetur periculum, ne indulgentiarum veritas sive ex inadvertentia aut aequivocatione, sive ex devotionis impetu alteretur ac confundatur. *S. C. Indulg. decr. nuper cit.*

Omnes autem indulgentiae adnexae exercitio viae crucis possunt applicari animabus purgatorii. Beringer *loc. cit.* § *4.* Et acquiri possunt semper, diu nempe noctuque. *S. C. Indulg. 1 mart. 1819.* Attamen non est certum, quod omnes indulgentias huic exercitio annexas lucrari quis possit toties quoties in die illud peragit, et probabiliter qui bis vel ter etc. illud perageret, secunda, tertia etc. vice eas tantum indulgentias partiales lucraretur, quae huic exercitio annexae sunt, non item etiam plenarias (Beringer *loc. cit.*), quum a sacra Congregatione indulgentiarum declaratum fuerit (*7 mart. 1678*), plenariam indulgentiam aliquod pium opus peragentibus concessam nonnisi semel in die acquiri posse.

4059 **De convalidatione erectionum invalide factarum.** — Notandum tandem est sacr. Congregationem indulgentiarum decreto *31 iul. 1883* (apud Beringer *loc. cit.* § *2*) convalidasse omnes erectiones ante illud tempus factas, quae quocumque ex defectu fuissent nullae; attamen si quid esset, quod suppleri posset, supplendum esset, ut, si cruces appositae essent ferreae, deberent commutari in alias ligneas, quin tamen necesse esset eas benedicere.

Hanc convalidationem erectionum invalide factarum renovanit eadem s. Congregatio decreto *7 apr. 1894,* et postea alio decreto *27 maii 1902.* Cfr. etiam decretum eiusdem s. congregationis *in una Venetiarum 14 sept. 1904.*

Viaticum. — **De obligatione dandi** 4060
et recipiendi viaticum. — Viaticum moribundis deferre parochus tenetur, illudque sumere, instante mortis periculo, quisque debet (Ben. XIV *de syn. lib. VII. c. 12. n. 3*), nisi forte paucis ante diebus ex devotione communicaverit (Lugo *de euchar. disp. XVI. n. 36 sq.*; s. Alph. *VI. 291*); potest vero, etiamsi communicaverit mane ex devotione. Ben. XIV *de syns. lib. VII. c. 11. n. 2*; B. P. *IV. 955*; Ball. *in Gury II. 130* (*3*).

Debet parochus infirmos hortari, ut sacram communionem sumant, etiamsi graviter non aegrotent aut mortis periculum non immineat (Rit. rom. *loc. cit. 2*); sed illis, qui ob devotionem tantummodo in aegritudine communicant, debet eam dare ieiunis (Rit. rom. *loc. cit. n. 4*); si autem probabile adsit mortis periculum, etiam non ieiunis dari potest (Conc. Constant. *sess. XIII*; Ball. *in Gury II. 146* [*13*]), nec in hac periculi probabilitate aestimanda scrupolose est procedendum. s. Alph. *VI. 285 dub. 3° in fin.*

Sacram eucharistiam non posse in navibus deferri, ne nautae sine viatico decedant, declaravit s. Officium *13 iul. 1660,* teste Zitelli *App. iur. ant. lib. II. c. 2. a 3.* § *6.*

Quoties dari possit infirmis. — Dari 4061
autem potest non tantum una vice, sed pluries (s. Alph. *VI. 285*), etiam frequenter ac frequentissime, idest

singulis etiam diebus (s. Alph. *VI. 185. Hom. Ap. tr. XV. n. 47;* B. P. *IV. 941;* Ball. *in Gury II. 147* [*15*]); et non solum si recurrat novum mortis periculum, sed etiam si idem perduret. Ben. XIV *de Syn. lib. VII. c. 12. n. 4.*

4062 **Quibus dari possit, vel non.** — Infirmo ad mortem, qui absolutione peccatorum dignus habitus fuerit, viaticum quoque concedendum est. *S. C. P. F. 26 iul. 1845.*

Non est administrandum viaticum iis, qui non discernant cibum spirituale a corporali, seu non cognoscant et credant in parva hostia praesentiam Christi Domini. *S. U. I. 10 apr. 1861.*

Cavendum etiam est, ne iis viaticum tribuatur, a quibus ob phrenesim vel *assiduam* tussim (quando nempe tussis assiduitas impediret, quominus hostia in stomachum transmitti posset, s. Alph. *VI. 292*) aliumve similem morbum (ex. gr. ob vomitum), aliqua indecentia, cum iniuria tanti sacramenti, timeri potest. Rit. Rom. *loc. cit. n. 4.*

4063 **De delatione viatici ad infirmos.** — Viaticum ad infirmos deferri potest quavis die, non excepta feria VI. in parasceve; attamen preces et psalmi privatim et submissa voce, nec non sine *Gloria* in fine, ea die essent recitandi, et in reditu ad ecclesiam populus non esset pyxide benedicendus. Zitelli *App. iur. ecc. lib. II. c. 2. a. 3. § 3.*

Nota etiam, probabiliter posse sacerdotem, ne infirmus perturbetur, ubi opus sit, in dando viatico omittere verba « Accipe, frater, viaticum etc. » et uti consueta formula communionis. s. Alph. *VI. 285 dub. 4°;* B. P. *loc. cit.*

Quoad modum deferendi viaticum ad infirmos, Vid. *Eucharistia.*

De iis, quibus ius est viaticum deferre. — Pertinet ad parochum exclusivum ius deferendi viaticum ad infirmos (Lehmkuhl *Th. mor. II. 136*); imo etiamsi ageretur de communione administranda non per modum viatici, si ea deferri publice deberet ad domum infirmi, hoc exclusive ad parochum spectaret. s. Alph. *VI. 240. 7.* 4064

Parochus autem est parochus proprius infirmi, quare, si de peregrinis ageretur, hoc ius spectaret ad proprium parochum peregrini; quod, si is advocari commode non posset, ius istud spectaret exclusive ad parochum loci, in quo degit infirmus. *S. C. C. 19 sept. 1637 apud Bargilliat Prael. iur. can. II. 826.*

Episcopo morituro viaticum defert prima dignitas ecclesiae cathedralis. *Cer. ep. lib. II. c. 38.*

An laicus possit viaticum administrare, deficiente sacerdote. Vid. *Eucharistia n. 2055.*

De excommunicatione in religiosos illegitime ministrantes viaticum. — Religiosi praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia (etiam mere praesumpta, D'Annibale *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 145*) incurrunt excommunicationem l. s. romano Pontifici simpliciter reservatam. *Const.* « Ap. Sedis » *ser. 2. n. 14.* 4065

Quoad hanc excommunicationem, quae respicit administrationem tum

viatici tum extremae unctionis, Vid. *Extrema Unctio.* - Vide etiam *Capite damnati, Eucharistia.*

De Gama Ant. De sacram. praestandis ultimo supplicio damnatis et de testamentis nec non de sepultura eorumdem; *Chlifethii Io.* Tract. de sacr. euchar. non denegando ultimo supplicio affectis; *Melata B.* An liceat ss. euch. viaticum moribundo in lupanari degenti administrare; *Caruana* Se si debba amministrare il s. viatico agli ammalati che attualmente sono privi dell'uso della ragione; *St. Lebherz* Die Spendung d. heil. Sterbsakramente f. lebensgefährlich erkrankte Kinder vom zurückgelegten sechsten Lebensjahr.

4066 **Vicarius. — De natura vicarii et de duplici eius specie.** — Vicarius vi vocis ille est, qui alterius vices gerit. Leurenius. *De episcop. vicariis quaest. II. n. 2.*

In iure ecclesiastico alius est vicarius *in divinis,* seu ille, qui alterius officium exercet in actibus ministerii sacri, et in iis, quae ad forum internum pertinent; alius vicarius *iurisdictionis*, qui scilicet directe destinatur ad curam externi regiminis, et cuius proinde potestas directe explicatur in foro externo. Leurenius. *l. c. q. IV.*

4067 **De vicario in divinis. — Quomodo constituatur.** — Vicarius in divinis aliquando ad tempus, aliquando in perpetuum constituitur; perpetuus tunc constituitur, quando cura animarum residet apud corpus morale ut capitulum, vel quum rector principalis non facile potest officium suum exercere et munia parochialia obire, ut quum ille, cui ex consuetudine demandatur parochia, est abbas seu superior alicuius monasterii etc., vel cuum erigitur ecclesia filialis in casu parochiae numerosioris. Santi *in tit. 28 lib. I Decr. n. 4.*

De vicario perpetuo. — Vicarius per- 4068
petuus censetur in iure ut verus parochus (cfr. *c. 27 de rescriptis X.* [*I. 3*]); habet proinde omnia onera veri parochi (*cc. 2. 6 de off. vicar. X.* [*I. 28*]; *c. un. eiusd. tit.* [*I. 7*] *in Clem.*; cfr. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 1 de ref.*; *S. C. C. 11 maii 1594*) et etiam iura fere omnia. Santi *l. c. n. 7.*

Differentia inter ipsum et parochum titularem est duplex:

a) Vicarius non habet ius ad omnes fructus, sed ad congruam portionem; beneficium enim proprie competit rectori principali seu parocho habituali (cfr. Wernz *Ius. Decr. II. n. 840. III. d*);

b) non habet ius ad ea, quae respiciunt externam defensionem ecclesiae, nec onus eam conservandi, reparandi, etc. Santi *loc. cit. n. 7.*

Vicarius perpetuus non potest iudicialiter removeri, nisi fiat reus criminis, quod secum ferat vel depositionem vel privationem beneficii. *c. 3. de off. vicar. X.* (*I. 28*). Administrativo autem modo removeri potest ad normam decreti « Maxima cura » Vid *Parochus.*

De vicario temporaneo. — Vicarius 4069
temporaneus constituitur vacante parochia, donec novus parochus instituatur, ob infirmitatem vel longam absentiam parochi, donec parochus non est idoneus ad munus suum, etc. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 1 de ref.*; Wernz *loc. cit. n. 840. II.*

Quousque est vicarius habet eadem onera ac vicarius perpetuus (Santi

loc. cit. n. 9.), sed non eadem iura, quia est amovibilis ad nutum, ac proinde non solum titulum beneficii non possidet, sed ne titulum quidem habet in beneficio. Santi *loc. cit. n. 11.*

Quum sit amovibilis ad nutum, ut amoveatur, non requiritur causa canonica vel canonica forma, sed requiritur et sufficit causa rationabilis, non autem levis, ut pluries a ss. Congregationibus resolutum est. Vicario temporaneo remoto ob causam levem praesto est remedium recursus ad s. Sedem. Episcopus potest etiam proceden ad normam decreti « Maxima cura ».

4070 **De stipendio vicarii.** — Taxationem stipendii pro vicario etiam perpetuo Tridentinum (*sess. XXIII. c. 1 de ref.*) remisit episcopis; Pius V (*Const.* « Ad exsequendum » *kal. nov. ann. 1567*) voluit, ut stipendium non esset minus 50 scut., non maius 100, computatis adventitiis plus minusve certis. Benedictus XIV (*Const.* « Quum semper oblatas » *19 aug. 1744*) pro Italia rediit ad ius tridentinum. Romae vero ex Leone XII. *Const.* « Super universum » *1 nov. 1824*) dividendi sunt proventus in duas partes, alteram pro capitulo, alteram pro parocho. Vid. *Coadiutor.*

Vicario etiam temporaneo potest episcopus et debet congruum stipendium constituere. Vid. *Census*,

4071 **De vicariis iurisdictionis.** — (*remissive*). — Vicarii iurisdictionis sunt vicarius generalis, vicárius foraneus, vicarius apostolicus, vicarius capitularis, quos vide.

Tit. de off. vicarii X. (I. 28); idem tit. I. 13) in 6°: idem tit. (I. 7) in Clem.; *Narbona Nic.* De appellatione vicarii ad episcopum; *Stipper* De eo quod iustum est circa ministrorum ecclesiae substitutos; *Ferri Mich.* Quaestiones morales et vicariales; *Altessera Ant.* Diss. de adiutoribus episcoporum; *Laurentii Petri S. I.* De Episcoporum vicariis eorumdemque coadiutoribus etc.; *Pellegrini C.* Praxis vicariorum; *Dürr* De suffraganeis sive vicariis in pontificialibus; *Andreucci* De vicariis basilicarum Urbis.

Vicarius apostolicus. — **Quinam sit.** 4072 — Vicarius apostolicus est episcopus titularis, a Sede apostolica deputatus ad exercendum regimen vel in aliqua regione, ubi nondum hierarchia ecclesiastica constituta est, nomine Romani Pontificis, non suo; vel, quod rarius accidit, in aliqua dioecesi ordinaria, quando episcopus adhuc vivens impeditur ob aliquam gravem causam, quominus dioecesim administret, aut etiam quando, sede vacante, gravis aliqua causa temperamentum hoc s. Sedi suadet. Cfr. Ben. XIV *de Syn. lib.II. c. 10. n. 2;* Zitelli *App. iur. eccl. lib. I. c. 4. a. 2.*

Quaenam eius iura et facultates. — Eius 4073 iurisdictio tota pendet a delegatione Summi Pontificis (*S. C. P. F. 22 mart. 13 aug. 1669;* Zitelli *l. c.* § *1*); quare ipsi standum est quoad ambitum iurisdictionis apostolicis litteris, decretis sacr. Congregation., et peculiaribus rescriptis.

Attamen quoad dispensationes matrimoniales. quae nunc committuntur *oratorum ordinario* vel *ordinario loci*, ipse venit nomine ordinarii. Vid. *Ordinarius.*

Vicarius apostolicus, quum non sit

episcopus ordinarius, nec habeat iura et facultates, quae competunt episcopis dioecesanis, non potest uti throno (*S. C. P. F. 24 aug. 1852*), nec eius nomen recitandum est in canone (*S. C. P. F. 11 iun. 1853*), nec die anniversaria suae electionis aut consecrationis addi potest in missa collecta pro ipso (*S. C. P. F. 11 iun. 1853*); non valet concedere indulgentias (*S. C. P. F. 21 sept. 1943*) etc.; sed non tenetur missam pro populo applicare diebus festis, quamvis hoc deceat ex caritate. *S. C. P. F. 16 ian. 1803, 18 aug. 1866.*

Vicarius apostolicus episcopus non potest missam cantare, nisi pontificaliter; quare si ea omnia non habet, quae ad missam pontificalem necessaria omnino sunt, debet contentus esse, missam legere privatam. *S. C. P. F. ad vic. ap. Patnae 25 sept. 1860.*

4074 **Quaenam eius obligationes.** — Vicarius apostolicus ratione sui muneris tenetur ad praedicationem (Zitelli *loc. cit.* § *2*); ad residentiam intra terminos vicariatus (*S. C. P. F. 24 apr. 1861*), ubi maluerit (*S. C. P. F. 9 oct. 1723*); ad visitationem vicariatus (*Const.* Clem. IX « Speculatores » *13 sept. 1669*); ad visitationem etiam sacrorum liminum, non quidem vi constitutionis Sixti V, sed officii sui ratione, eamque saltem per procuratorem peragere debet, et sufficit, si sic eam peragat (*S. C. P. F. 3 maii 1828*); ad relationem s. Sedi faciendam de statu sui vicariatus. *S. C. P. F. 24 apr. 1861.*

2875 **Quinam vicario apostolico mortuo succedat.** — Mortuo vicario apostolico in regionibus in quibus nondum est hierarchia, seu quae more missionum reguntur, vel adest coadiutor cum iure successionis, et tunc ipse succedit; vel coadiutor non habetur, et tunc vicarius generalis, quem abilem et idoneum eligere apostolici vicarii *tenentur* (*Const.* Bened. XIV « Ex sublimi », *26 ian. 1753*; *Const eiusd. Pont.* « Quam ex sublimi » *8 aug. 1755*) debet obire regimem vicariatus, quousque novus vicarius ipsius possessionem ceperit, aut sancta Sedes alio modo providerit. *Constit. citatis Bened. XIV.*

Talis vicarius acquirit tunc omnes facultates, quae vicariis capitularibus sede vacante competunt; potest praeterea uti omnibus iis facultatibus, quibus utebatur, dum viveret, defunctus vicarius apostolicus, exceptis iis, quae requirunt characterem episcopalem, vel exerceri debent cum sacris oleis. *Constit. citatis Ben. XIV;* Bargilliat *Prael. iur. can. I. 512.*

Nota vicarios apostolicos posse etiam duos vicarios pro casu mortis aut discessus nominare, ut uno forte mortuo, alter succedat. Si autem accidit unum tantum pro-vicarium fuisse constitutum, iste pro vicarius moriens potest alterum in suum locum substituere, dummodo s. Sedis ad novi vicarii apostolici deputationem nondum devenerit. *S. C. P. F; ad vic. ap. Tunk. orient. 20 mai 1786.* Cfr. etiam decreta S. C. P. F. *19 sept. 1787, ad vic. ap. Sutch. 9 dec. 1822, 22 sept. 1827, ad vic. ap. Cocinc. 29 sept. 1827.*

De praefecto apostolico (*remissive*). — 4076
Dantur etiam vicarii apostolici, qui episcopali charactere non sunt insigniti; hi proprie praefecti apostolici

nominantur. Vid. *Praefectus apostolicus.*

Quoad praecedentiam vicariorum Vid. *Praecedentia.*

Bassi Jean. Tractatus de sodalitiis seu confraternitatibus ecclesiasticis et laicalibus; cum additione opusculi de vicario apostolico, *Andreucci Andr.* De vicario apostolico dissertatio canonico-theologica.

4077 **Vicarius capitularis. — Quinam debeant vicarium capitularem deputare.** — Vicarius capitularis qui sede vacante regat dioecesim, donec a s. Sede de alio pastore provisa fuerit, deputari debet a capitulo ecclesiae cathedralis infra octo dies a die acceptae notitiae vacationis. Concil. Trid. *sess. XXIV c. 16 de ref.*

Si capitulum fuerit negligens, deputatio vicarii capitularis devolvitur ad metropolitanum, vel si sedes fuerit exempta, ad episcopum viciniorem, vel, si fuerit sedes metropolitana, ad antiquorem ex suffraganeis. Conc. Trid. *loc. cit.* Quando ecclesia suffraganea caret capitulo, electio vicarii capitularis pertinet ad metropolitanum, et si metropolitana quoque sit suo episcopo viduata, ad illius vicarium capitularem seu ad illius capitulum, non vero ad antiquiorem suffraganeum. *S. C. C. 28 aug. 1683, 14 apr. 1685 apud Richter Conc. Trid. pag. 375. n. 24*; Bened. XIV *de Syn. l. II. c. 9. n. 2.*

Pro aliquibus autem locis, in quibus consuetudo vigebat, ut, capitulo non extante, vicarius capitularis eligeretur vel a solis parochis vel a parochis una cum aliis ecclesiasticis viris, Benedictus XIV hanc ipsam consuetudinem approbavit et ratam habuit *Const.* «Quam in sublimi» *8 aug. 1755.*

Si, vivente episcopo, s. Sedes ipsa deputaverit vicarium generalem, vel assignaverit administratorem dioecesis, iste munus suum retinet, et capitulum non potest procedere ad electionem vicarii capitularis. Santi *in tit. 28 lib. 1 Decr. n. 43*; Bargilliat *Prael. iur. can. I. 509. 802;* Wernz *Ius Decr. II. 795. II. a.*

Pro locis missionum, Vid. *Vicarius apostolicus.*

Redacto capitulo ad unum tantum membrum, is potest, sede vacante, per se solum deputare vicarium capitularem non tamen seipsum. *S. C. C. 12 mart. 1692.*

De deputatione vicarii capitularis sede non vacante, sed impedita. — Aliquando, etiam sede impedita etsi non vacante, idest quum episcopus ligatus adhuc est sedi, sed a suo munere exercendo vi externa impeditur, potest et debet vicarius capitularis constitui. 4078

Attamen capitulum non adeo properanter debet etiam tunc vicarium capitularem deputare; sed hoc debet facere solummodo in casu, quo episcopus a paganis seu schismaticis aut haereticis captus sit et detineatur, nisi adhuc episcopus regere possit dioecesim saltem per litteras agendo cum suis (*S. C. C. in una Hiberniae 7 aug. 1683*), aut episcopus ipse reliquerit vicarium generalem, qui interim dioecesim administret. Semper tamen in hoc casu capitulum certiorem reddere debet romanum Pontificem de captura episcopi et de nominatione vicarii interim facta, ut s. Sedes provideat. Cfr. *c. 3 de suppl.*

neglig. praelat. (*I. 8*) *in 6°; S. C. EE. RR. 3 maii 1862;* Aichner *Comp. iur. eccl.* §. *123.*

Eodem modo a s. Sede provisio esset postulanda et exspectanda, si episcopus fieret publice excommunicatus vel suspensus, aut si, episcopo in remotis agente, moreretur aut a principe civili in exilium pelleretur vicarius ab episcopo relictus. Aichner *loc. cit.*

4079 **Quomodo facienda deputatio vicarii capitularis.** — Deputatio vicarii capitularis facienda est per actum capitularem, seu collegialiter (Santi *l. c. n. 52;* Wernz *loc. cit. litt. C*), et non est necessario servanda consueta forma electionis, quae in iure praescribitur, quamvis convenientius servatur etiam in hac deputatione forma scrutinii per secreta suffragia. *S. C. C. 23 nov. 1698.* Ut quis censeatur electus, requiruutur suffragia maioris partis capituli. Leurenius *de episcoporum vicariis quaest. 551.*

Capitulum debet in vicarium electum transferre, imo per ipsam electionem transfert, omnes suam iurisditionem, quam vicarius exercet exclusive et non cumulative cum capitulo. Cfr. *resp. S. C. C. 21 dec. 1691 apud Richter Conc. Trid. pag. 374. n. 10.*

De iure communi, exclusa legitima consuetudine, unus tantum vicarius eligendus est. *S. C. C. 4 sept. 1871.*

Si adsit consuetudo eligendi plures vicarios capitulares, a s. Sede toleratur (*S. C. C. 21 apr. 1592; mart. 1863*), quamvis haec semper curet, ut si fieri potest, cesset (De Angelis *in tit. 28 lib. I Decr. n. 18*); hi tamen vicarii delegari debent in solidum, non autem ut collegialiter agant. Bargilliat *l. c. n. 817.*

De dotibus requisitis in deputando. 4080 — Vicarius capitularis debet esse 25 annorum incoeptorum (Leurenius *l. c. q. 559*), doctor vel licentiatus in iure canonico, vel alias quantum fieri potest idoneus (Concil. Trid. *loc. cit.*); si adsunt doctores vel licentiati in iure canonico hi sunt praeferendi, nec potest generatim loquendo, iis omissis, alius eligi nec doctor nec licentiatus, sed alias idoneus. *S. C. C. pluries.*

Si adsit capitularis idoneus, non est deputandus alius extra capitulum. *S. C. C. 24 iul. 1643.*

De potestate et privilegiis, quae 4081 **vicario capitulari competunt, vel non.** — Ad vicarium capitularem transit tota potestas seu ordinaria iurisdictio episcopi, sive voluntaria, sive contentiosa, exceptis iis, quae a iure communi reperiuntur excepta. *Const.* Pii IX «Rom. Pontifex» *28 aug. 1873.* Hinc vicario capitulari, non autem capitulo, etiamsi capitulum hoc sibi reservaverit (quum nihil possit sibi reservare) competit deputatio vicarii monialium (*S. C. EE. RR. in Nucerina paganorum mart. 1809*); sed vicarius capitularis non succedit episcopo in iis, quae episcopus peragere poterat tamquam delegatus Sedis apostolicae, ex speciali delegatione, intuitu dignitatis vel industriae personae facta. Wernz *l. c. III. a.*

An transeant ea, quae episcopus ex iure communi, ut ex tridentino, potest tamquam delegatus Sedis apostolicae, controvertitur a doctoribus.

Certe autem nunc ad vicarium ca-

pitularem transeunt eae omnes facultates delegatae, quae a s. Sede conceduntur vel in casibus particularibus vel ad plures annos, ad quinquennium ex. gr., *ordinario loci*. Vide *Ordinarius*. Et re quidem vera, primum quoad dispensationes matrimoniales, sacra congregatio Sancti Officii de mandato ssmi. Domini (*20 febr. 1888*). sancivit, dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel *oratorum ordinario* vel *ordinario loci*; appellatione ordinarii venire etiam vicarium capitularem, illumque eas quoque dispensationes apostolicas exsequi posse, quae remissae fuerint episcopo aut vicario eius generali vel officiali, nondum exsecutioni mandatas, sive hi illas exsequi coeperint sive non; et vicissim sede deinde provisa, posse episcopum vel eius vicarium in spiritualibus generalem seu officialem, exsequi dispensationes, quae vicario capitulari exsequendae remissae fuerant, seu hic illas exsequi coeperit seu minus. Postea quoad alias facultates, sacra congregatio Sancti Officii statuit, facultates omnes speciales habitualiter a s. Sede episcopis aliorumque locorum ordinariis concessas non suspendi ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores ordinarios transire ad formam et in terminis decreti eiusdem sacrae congregationis 20 februar. 1888 quoad dispensationes matrimoniales. *S. U. I. 24 novembris 1897*. Cfr. quoad hoc etiam decretum eiusdem s. congregationis *20 apr. 1898*. Porro sub illis verbis « facultates omnes speciales habitualiter a s. Sede episcopis aliorumque locorum ordinariis concessas » veniunt tum facultates omnes speciales a s. Sede ordinariis concessae, quibus utuntur quoties voluerint, licet ad praefinitum tempus, cuiusmodi sunt facultates Poenitentiariae, reductionis missarum etc.; tum facultas benedicendi et delegandi ad sacra paramenta benedicenda (etsi vicarius capitularis non habeat characterem episcopalem), tum facultates, quibus ordinarii uti valent tantum pro determinato numero casuum, ut sunt ex. gr. facultates dispensandi a tituto sacrae ordinationis etc. *S. U. I. 3. maii 1899*.

Privilegiis, quae episcopis conceduntur, non potest frui vicarius capitularis, etc. Bargilliat *loc. cit. I. 825*.

Ab indulgentiis etiam elargiendis abstinere debet. *S. C. C. 13 nov. 1688*.

Nec potest conferre beneficia liberae collationis (*c. 2 ne sede vacante etc. X.* [*III. 9*]; *c. 1 de institut.* [*III. 6*] *in 6°*; *c. un.* § *1 ne sede vacante etc.* [*III. 8*] *in 6°*); haec enim sede vacante reservantur s. Sedi. *Constit.* Pii V « Sanctionis » *9 martii 1568; reg. 2 Canc. Apostolicae*. Potest tamen intimare concursum pro parochia (Leurenius *l. c. q. 606*), dare institutionem clericis praesentatis a patronis (Leurenius *loc. cit. q. 603*), conferre cum capitulo ea beneficia, quae ad episcopum simul et capitulum conferre pertineret (*c. un. tit. cit.* [*III. 8*] *in 6° proem.*), non tamen si pertineret ad episcopum ea conferre de consensu vel de consilio capituli. *c. un.* § *1 tit. cit.* (*III. 8*) *in 6°*.

Non potest vicarius capitularis alienare bona ecclesiae vel sedis episco-

palis (*S. C. EE. RR. 14 iun. 1788*; Leurenius *loc. cit. q. 493*), nec dimissorias infra annum nisi arctatis vel ad primam tonsuram concedere (Vid. *Dimissoriae*), nec clericos excardinare (Vid. *Excardinatio*), nec dioecesim visitare aut synodum dioecesanam (nam concilium provinciale, ne post annum quidem, indicere potest, Santi *loc. cit. n. 64*) congregare, nisi post annum ab ultima visitatione vel synodo. Ben. XIV *de Syn. lib. II. c. 9. n. 6; S. C. C. 28 iul. 1708, 13 sept. 1721.*

Nec potest vicarius iterum examinare regulares simpliciter approbatos ad audiendas confessiones secularium, vel facultates, quas a defuncto episcopo habuerunt, revocare, et, si ex hoc sequeretur grave aliquod inconveniens, ad s. congr. religiosorum deberet vicarius recurrere. *S. C. EE. RR. 19 iunii 1866.*

Praeterea, ut patet, quamvis vicarius capitularis possit dare facultatem alicui episcopo, ut actus ordinis episcopalis et pontificalia in dioecesi exerceat (*c. 3 de temp. ordin. etc.* [*I. 9*] *in 6°*), non potest ipse per se hoc facere, nisi sit episcopus; sed etiam in hoc casu non potest uti throno. Santi *loc. cit. n. 62.*

Vicario capitulari neque extra neque intra cathedralem competunt distinctiones et praeeminentiae, quae competunt vicario generali; nec ipse potest peragere functiones, quae dicuntur episcopales, seu quae ad episcopum in cathedrali pertinent. Cfr. *decr. S. R. C. in Faventina 22 apr. 1871* (*3247*). Vid. *Functiones episcopales.*

Vicarius capitularis, durante munere, est protonotarius apostolicus titularis. *Mot. propr.* Pii X « Inter multiplices » *21 febr. 1905.*

De reddenda ratione sui officii novo episcopo. — Sede provisa debet vicarius capitularis (quemadmodum omnes officiales seu administratores sede vacante à capitulo deputati) rationem reddere officii sui novo episcopo, si ab eo requiratur, non vero capitulo. Cfr. Conc. Trid. *sess. XXIV c. 16. de ref.* Imo sunt qui affirmant episcopum ad hanc rationem requirendam teneri gravi obligatione, quum concilium Tridentinum verbis utatur non hortatoriis sed imperativis. Mühlbauer *Th. ses. S. C. C. v.* « *Administratio* » *n. 4.* 4082

An ad concilium provinciale vocandus sit, Vid. *Concilium provinciale.*

De applicatione missae pro populo (*remissive*). — An teneatur missam pro populo applicare diebus festis, Vid. *Applicatio missae.* 4083

De cessatione officii vicarii capitularis. — Eius officium exspirat, quando cessat vacatio sedis (Vid. *Sede vacante*), vel per renunciationem rite factam (quae non est necessario acceptanda a capitulo), vel per remotionem statutam a sacra congreg. Concilii; in hoc ultimo casu capitulum potest procedere ad deputationem novi vicarii. Bargilliat *loc. cit. I. 833;* Wernz *loc. cit. IV.* Vid. etiam *Sede vacante.*

De remotione vicarii capitularis. — Vicarius capitularis semel constitutus, non potest a capitulo removeri, 4084

nisi ex causa probanda et recognoscenda a s. c. Concilii *Const.* Pii IX. «Rom. Pontifex» *28 ang. 1873.*

Doncheri Io. Henr. De officio et potestate capituli, sede vacante; *Ritter* Der Capitularvikar; *Hermes* De capitulo, sede vacante; *Korn H.* Die rechtl. Stellung d. Kapitularvikars; *Boudinhon* Chanoines prébendés et élection du vicaire capitulaire. Reliquam bibliographiam quaere sub *Canonici.*

4085 **Vicarius foraneus.** — Vicarius foraneus est aliquis sacerdos extra civitatem episcopalem constitutus, qui episcopum adiuvat in regimine dioecesis. Cfr. Ben. XIV *de Syn. lib. III. c. 3. n. 5.*

Eius potestas tanta est, quantam ipsi episcopus delegaverit. Leurenius de *Vicariis episcopi quaest. 7:* Bargilliat *Prael. iur. can. I. num. 795.*

Eius officium in praesenti disciplina est praesertim invigilare, ne aliquod malum in sua regione irrepat, quod episcopus non cognoscat, et cui proinde remedia non possit adhibere. Invigilare etiam debet mores clericorum sibi subiectorum, eosque in levioribus fraterne admonere, et in gravioribus episcopo denunciare, ut ipse provideat. Cfr. Ben. XIV *loc. cit. lib. IV. c. 3. n. 8;* Mon. eccl. *vol. XVII pag. 543.*

Ad synodum dioecesanam vocandus est. Vid. *Synodus dioecesana.*

4086 **Vicarius generalis. — Quinam sit et de eius deputatione.** — Vicarius generalis ille est, qui ex episcopi mandato et deputatione exercet iurisdictionem in tota dioecesi (Santi *in tit. 28. lib. I. Decr. n. 17*); quare vicarius generalis constituitur et removetur ab episcopo. Leurenius *de episcoporum vicariis qq. 20. 292.*

Si episcopus valet omnia per se expedire, non tenetur eum constituere, sed si postea sine ipso administrationi dioecesis episcopus satis non facit, datur locus supplendae negligentiae per superiorem (Leurenius *loc. cit. q, 27;* Bargilliat *Prael. iur. can. I. n. 774*), et aliquando ipsa s. Sedes vicarium constituit, qui tunc vere est vicarius apostolicus, et ab episcopo removeri nequit. Leurenius *loc. cit.*; Santi *loc. cit. n. 19;* Wernz *Ius Decr. II. 804.*

De deputatione plurium vicariorum generalium. — 4087 Quoad deputationem plurium vicariorum generalium haec notanda sunt:

a) vel episcopus duos deputat, ita ut unum constituat pro iurisdictione voluntaria, alterum pro contentiosa (*officialis* dicitur), et id expresse non reprobatur (Cfr. Ben. XIV *de Syn. lib. III. c. 3. n. 2*);

b) vel constituit plures in solidum, et id, ubi est consuetudo, permittitur (*S. C. C. 23 mart. 1599*); ubi non est, non admittitur (De Angelis *in tit. 28. lib. I. Decr. n. 9; S. C. C. 29 apr. 1893*);

c) vel constituit eos collegialiter, et hoc reprobatur. Santi *loc. cit. n. 25.*

Si episcopus duas regat dioeceses aeque principaliter unitas, potest, et aliquando debet, duos vicarios generales constituere, nempe pro unaquaque suum. *S. C. EE. RR. 7 iun. 1594*; *S. C. C. 2 oct. 1706.*

De dotibus requisitis in eo, qui deputandus est vicarius generalis. — 4088 Vicarius generalis debet esse cle-

ricus (Leurenius *loc. cit. q. 37*), 24 annorum expletorum (*c. 7. § 2 de electione etc. X* [*I. 6*]; Conc. Trid. *sess. XXIV. 12 de ref.*; Leurenius *loc. cit. q. 43.* — agitur enim de iurisdictione exercenda cum cura animarum), non bigamus (*c. un. de bigamis* [*I. 12*] *in 6°*; Leurenius *loc. cit. q. 38*), nec coniugatus (Leurenius *loc. cit. q. 39*), doctor vel licentiatus in iure canonico aut alias idoneus (Leurenius *loc. cit. q. 48. 49*; Wernz *loc. cit. II. 804. II. l.*), ex legitimis natus parentibus. Leurenius *loc. cit. q. 44.*

Regulares (Fratres Minores Sancti Francisci [*c. 1 de verb. signif. — V. 11 — in Clem.*] et mendicantes, qui etiam legitime ad ordinem non mendicantium transierunt [*c. 2. de regularibus etc. — III. 9. — in Clem.*] ex iure; alii saltem ex praxi [Santi *loc. cit. n. 27*]) ab hoc officio excluduntur; item habentes curam animarum. *S. C. C. 3 febr. 1685*; Leurenius *loc. cit. q. 54.*

De iure potest esse dioecesanus, quamvis ex consuetudine generatim est extraneus, quod plerumque magis decet. Santi *loc. cit. n. 29*; Wernz *loc. cit. II. 804. II. i.*

4089 **De potestate vicarii generalis.** — Potestas vicarii generalis induit naturam iurisdictionis ordinariae (Santi *loc. cit. n. 30*; Wernz *loc. cit. II. 805. II*), et complectitur exercitium potestatis iurisdictionis, non ordinis, idque etiamsi vicarius esset episcopus titularis; est enim vicarius iurisdictionis, non vero in divinis.

Quamvis autem potestas vicarii generalis distincta omnino sit et alia a iurisdictione episcopi, quum innitatur diverso titulo, sub aliquo respectu dici tamen potest eadem cum iurisdictione episcopi, quia tribunal vicarii generalis idem est ac tribunal episcopi.

Hinc est, quod a iudicio seu sententia vicarii generalis appellari nequit ad episcopum, sed appellatio facienda est apud superiorem episcopi. Cfr. Wernz *loc. cit. n. 805. IV.*

De eius potestate ex mandato generali. — 4090 Vi *generalis mandati*, seu ipsius deputationis ad hoc munus, potest vicarius ea omnia negotia exsequi, quae ex ordinaria potestate episcopus potest, nisi a iure aut ab episcopo excipiantur expresse, vel adeo gravia existimentur, ut praesumatur episcopus noluisse ea peragi absque sua scientia et iudicio (Santi *loc. cit. n. 31*; Wernz *loc. cit. II. 805. III*); hinc excipiuntur causae criminales (*c. 2 de off. vicar.* [*I. 13*] *in 6°*) et matrimoniales (Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 20 de ref.*), collatio beneficiorum (*c. 3 tit. cit.* [*I. 13*] *in 6°*), visitatio dioecesis (*arg. cap. 6 de off. ord.* [*I. 16*] *in 6°*; Leurenius *loc. cit. q. 166*; Santi *loc. cit. n. 32*), convocatio synodi (Leurenius *loc. cit. q. 168*), concessio litterarum dimissorialium, nisi episcopus in remotis agat (*c. 3 de temp. ordin. etc.* [*I. 9*] *in 6°*), absolutio a casibus reservatis episcopo (Santi *loc. cit. n. 32*), erectio confraternitatum earumque canonica aggregatio, aut earum statutorum approbatio (*S. C. Indulg. 17 aug. 1868*), exploratio voluntatis puellae, quae debet habitum regularem suscipere vel professionem emittere, nisi episcopus sit absens aut legitime impeditus (Conc.

Trid. *sess. XXV. c. 17 de reg.*), dispensatio in votis, iuramentis aut legibus, in quibus episcopus dispensare potest (Bargilliat *loc. cit. I. 786. g.*), concessio indulgentiarum (Leurenius *loc. cit. q. 139*), concessio aedificandi nova monasteria vel conventus in dioecesi (Bargilliat *loc. cit. k.*), suppressio aut unio beneficiorum. Benedict. XIV *de Syn. lib. II. c. 8. n. 2*), etc.

4091 **De eius potestate ex mandato speciali.** — *Mandatum speciale* potest esse duplex (Leurenius *loc. cit. q. 102*; Santi *loc. cit. n. 33*); aliud episcopus vicario tribuit, data occasione, ad aliquod speciale negotium peragendum; aliud est permanens, et hoc nec potest dari ad omnia omnino negotia, quia haec clausula est nimis generalis, nec debet esse huiusmodi, quod nimis coarctet mandatum generale. Wernz *loc. cit. 805. III. c.*

4092 **De cessatione potestatis vicarii generalis.** — Potestas vicarii generalis, quum ipse habeat eamdem iurisdictionem episcopi, cum quo unum efficit tribunal, suspenditur vel cessat, suspensa vel cessante iurisdictione episcopi, nempe per episcopi mortem, renuntiationem, excommunicationem, etc. *c. 1 de off. vic.* (*I. 13*) *in 6°*; Leurenius *loc. cit. q. 293.*

Cessat etiam per revocationem mandati ab episcopo factam (Leurenius *loc. cit. q. 292. n. 1*), quae tamen fieri debet ex rationabili causa (*S. C. EE. RR. 3 iul. 1601, 8 oct. 1649*) et ipsi vicario intimari (Leurenius *loc. cit. q. 292. n. 2*); et si sine rationabili causa fiat ab episcopo revocatio mandati, potest vicarius generalis recurrere ad sacram congregationem Concilii vel ad sacram congregationem de Propaganda Fide, si ab ipsa dependeat. Wernz *loc. cit. n. 806. I. b.*

De iure vicarii generalis ad stipendium et ad praecedentiam. — 4093 Habet praeterea vicarius generalis ius ad congruum stipendium pro sua sustentatione, quod illi tribuere debet episcopus, nisi aliunde huiusmodi retributio, ex. gr. a Gubernio, vicario adveniat. Leurenius *loc. cit. q. 284.*

Quoad praeeminentiam honoris vicarii generalis tamquam principium habetur, vicario generali, etiam praesente episcopo, competere praecedentiam publice et privatim in omnibus actibus, ac locum eminentiorem super quibuslibet dignitatibus et canonicis. Santi *loc. cit. n. 36*; Wernz *l. c. II. 805. VI.* Vid. *Praecedentia.*

Vicarius generalis, durante munere, est protonotarius apostolicus titularis. *Mot. propr.* Pii X. «Inter multiplicis» *21. febr. 1905,*

Sbrozzi Iac. Tract. de officio et potestate vicarii episcopi; *Leurenius Petr.* Vicarius episcopalis; *Matthaeucci Aug.* Officialis curiae ecclesiasticae ad praxim pro foro ecclesiastico tum seculari tum regulari utilitater aptatus; *Kress.* Erläuterung des Archidiaconalwesens; *Pertsch* Von dem Ursprunge der Archidiakonen Offizialê und Vicare; *Spitz* De archidiaconatibus in Germania ac ecclesia Coloniensi; *Kober* Ueber den Ursprung u. die rechtliche Stellung der General-Vikare; *Schmalz C.* De instituto officialis sive vicarii generalis episcopi.

Vicarius parochialis. — De vicario seu cooperatore parochiali. — 4094 Vicarius parochialis seu cooperator parochialis, ille est, qui parocho auxiliatur in cura parochiae. Vicarios eligere,

ex Tridentino (*sess. XXI. c. 4 de ref.*) et ex constitutione Inn. XIII « Apostolici ministerii » (*13 maii 1723*) nec non ex constitutione Bened. XIII. « In supremo » *23 septem. 1724* ipsius parochi est (*S. C. EE. RR. in Theatin, seu Vasten. 5 iun 1885*) quamvis episcopus ius habet et determinandi numerum vicariorum, quos parochi assumere debent, et eos examinandi et approbandi, nec non iis concedendi necessarias facultates. In praesenti tamen, pluribus in locis, ipsa electio vicariorum ad episcopum ex legitima consuetudine spectat. Wernz *Ius. Decr. II. n. 838. II.* Nunquam vero ad deputationem vicariorum necessarius est consensus aliorum vicariorum aut cappellanorum coadiutorum, si qui forte sunt. *S. C. C. in Brixien. 28. mart. 1903.*

Horum vicariorum potestas, quum sit mere delegata, pendet ex limite concessionis et delegationis factae, sed generatim loquendo sunt delegati ad universalitatem causarum. Bargilliat *Prael. iur. can. II. n. 1026.* An possit ratione muneris sui assistere matrimoniis parochianorum, vide sub *Clandestinitas.*

Congrua designanda huiusmodi vicariis determinanda est ab episcopo, ratione habita redituum et emolumentorum ecclesiae parochialis, in qua deputati fuerunt, nec non inspectis conditionibus loci, numero animarum, qualitate laboris et quantitate expensarum, quas commissi officii necessitas postulaverit. *Const. cit. Inn. XIII.* Iura stolae per se parocho cedunt, attamen peculiares dioecesis consuetudines aliquam horum partem vicario saepe attribuunt pro iis functionibus, quas vicarius ipse peragit. Cfr. *S. C. C. in Lucana 17 dec. 1904.*

Vicarius parochialis debet residere in parochia. *c. 6 de off. vic. X. (1. 28); S. C. C. 13 iul. 1743.*

Vicarii parochiales, ob iustam causam, per se ab ipsis parochis removeri possunt, nisi eos episcopus nominaverit ex legitima consuetudine. Multo magis ex iusta causa, non ex arbitrio, hoc possunt semper episcopi. Attamen si quis vicarius iniuste a parocho vel ab episcopo removeretur, posset apud superiorem recursum interponere. Bargilliat *loc. cit. n. 1023. sq.*

Quoad calendarium, quod in recitatione divini officii debet sequi vicarius parochialis, Vid. *Calendarium.*

De vicario parochiali seu curato. — Vicarius parochialis, seu vicarius curatus, ille etiam dicitur, apud quem est cura actualis alicuius parochiae, cuius cura habitualis apud alium residet, generatim apud *corpus morale*, ex. gr. apud aliquod capitulum canonicorum, vel monasterium etc. Cfr. Conc. Trid. *sess. VII. c. 7. de ref.* Huiusmodi vicarius totam exercet curam parochialem, et rector principalis non potest se huic curae intromittere. Cfr. Bargilliat *loc. cit. n. 1032. sq.*

De vicario tempore vacationis parochiae constituendo. — Vacante parochia, episcopus debet constituere, si opus fuerit, idoneum vicarium, qui eam tempore vacationis regat, cum congrua assignatione alicuius partis fructuum ad arbitrium ipsius episcopi. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 18 de ref.*

Vicarius huiusmodi debet onera parochiae sustinere. (Conc. Trid. *loc. cit.*), et tenetur ad applicationem missae pro populo. *S. C. C. 23 aug. 1888.* Potest etiam, nisi obstet voluntas ordinarii, alium sacerdotem delegare ad omnia officia in parochia peragenda. *S. C. C. 12 septemb. 1874.*

4097 **De vicario relinquendo in parochia a parocho absente.** — Parochus, quando a parochia abesse debet, constituere debet vicarium idoneum cum debita mercedis assignatione. Electio huius vicarii pertinet ad parochum, sed necessaria est approbatio episcopi. Conc. Trid. *sess. XXIII. c. 1 de ref.* Vid. *Parochus.*.

4098 **De vicario seu coadiutori parochis imperitis, infirmis etc. dando** (*remissive*). — De coadiutore seu vicario parochis ab episcopo assignando ob imperitiam, senium, suspensionem ipsis inflictam etc. Vid. *Coadiutor n. 1223.*

De Leon Alph. De officio cappellani; *Sohm I. B.* Ueber Notwendigkeit u. d. Recht Hilfspriester a. e. Pfarrei auzunehmen; *Bouix* Tr. de parocho; *Denembourg* Etude canonique sur les vicaires paroissiaux; *Bachem* Die Amtsgewalt d. Kapläne nach d. Tode ihrers Pfarrers; *Koha Th.* De cooperatoribus; *Fedon H.* Code pratique des vicaires; *Freisen I.* Die Rechte d. Pfarrers üb. d. sog. Hilfsgeistlichen. Reliquam bibliographiam quaere sub *Parochus.*

4099 **Vidua.** — Ex iure italico coniugi superstiti reservatur ius alicuius usus fructus, magis vel minus, ratione habita aliorum, qui concurrunt. Vid. *Heres, Successio ab intestato.*

Spadazo Carol. Theatrum viduile; *Rengers* De luctu imprimis viduarum apud Romanos; *Fiore P.* Osservazioni sull'articolo 131 del codice civile, se cioè la donna maritata, restando vedova, abbia o no il diritto di seguitare a portare il cognome del defunto marito; *Scialoja V.* I diritti della vedova durante l'anno del lutto; *Scialoja A.* I diritti della vedova durante l'anno di lutto; *Marucchi C.* Della condizione di vedovanza apposta in un testamento; *Sraffa Aug.* Gli alimenti alla vedova indotata durante l'anno del lutto; *Diena Giulio* Condizione giuridica della vedova; *Ramponi Lamb.* Le condizioni di celibato e di vedovanza nei testamenti e nei contratti; *Révész G. D.* Trauerjahr d. Witwe; *Siciliano-Villanueva* Le seconde nozze della vedova « intra tempus luctus ».

Vinculata bona. — Vid. *Redemptio.* 4100

Vinum. — Vinum, etiam ad famem sedandam haustum, ieiunium non frangit. S. Alphons. *III. 1022.* Vid. *Ieiunium.*

Vinum de vite est materia remota sacramenti eucharistiae. Plura quoad vinum, prout est materia eucharistiae, habes sub *Eucharistia.*

Violatio. — Quoad violationem ecclesiae, Vid. *Ecclesia.* Quoad violationem mulieris, Vid. *Oppressio, Stuprum.*

Virga divinatoria. — Eius usus est 4101 certo illicitus, quum adhibetur ad inquirendas res morales, qua morales sunt, ut furem, vel quum eius motus pendet a sola intentione et voluntate utentis ipsa. An sit etiam illicitus in rebus physicis inquirendis et sine ullo morali influxu, controvertitur. G. B. *I. 270. 3°.* Vid. *Divinatio.*

Virginitas. — Secundum S. Tho- 4102 mam et eius commentatores virginitas dicit florem seu fastigium castitatis, et requirit propositum perpetuo

abstinendi a quacumque venerea delectatione in eo, qui veneream hanc delectationem numquam voluntarie expertus est. « Quia ergo, ait S. Thomas, virginitas dicitur per remotionem praedictae corruptionis, consequens est, quod integritas membri corporalis per accidens se habet ad virginitatem; ipsa autem immunitas a delectatione, quae consistit in seminis resolutione, se habet materialiter: ipsum autem propositum perpetuo abstinendi a tali delectatione se habet formaliter et completive in virginitate ». S. Th. *2. 2. q. 152. c.*

Si virginitatem in hoc sensu sumamus, virginitas omnibus illis modis amittitur, quibus amittitur castitas, et proinde non solum copula, sed etiam pollutione voluntaria, turpibus desideriis, morosa delectatione, etc. (Lessius *de iust. et iure lib. IV. c. 2. n. 112*), nec non per propositum contrahendi et consummandi matrimonium. Noldin *Th. mor. de sexto praecepto n. 4.* Attamen non omnibus his modis irreparabiliter amittitur, sed aliquando ita amittitur, ut recuperari non possit; aliquando ita, ut possit recuperari. Scilicet irreparabiliter amittitur, quoties corporis integritas laeditur, ac proinde non solum per copulam, sed etiam per voluntariam pollutionem in utroque sexu (S. Th. *2. 2. q. 152. a. 1. ad 4*), aut quemcumque actum luxuriae consummatae (Noldin *loc. cit.*), imo etiam per tactus impudicos, qui illius naturae sint, ut in natura sana pollutionem excitarent. Lessius *l c. n. 121.* Reparabiliter autem amittitur per propositum nubendi aut per quemcumque actum luxuriae non consummatae.

Ex dictis autem patet, virginitatem non amitti, nisi per aliquod peccatum contra castitatem. Hinc puella vi oppressa et invita non amittit virginitatem, et castitas illi duplicatur ad coronam, si hoc in odium fidei ipsa patiatur. S. Th. *Suppl. q. 96. a. 5. ad 4.*

Haec quidem verissime dicuntur, 4109
si virginitatem concipiamus veluti castitatis florem. Verum quod hic sit sensus Patrum fundatus in iis, quae de virginibus et de speciali praemio virginum in scripturis innuuntur, et non potius significet propositum abstinendi omnino a copula in eo, qui ipsam numquam voluntarie admisit, et, si agitur de muliere, propositum servandi materialem carnis integritatem in ea, quae ipsam non amisit, evidenter non probatur. Quare quod ii tantum cantaturi sint canticum illud novum, secuturi agnum quocumque ierit, habituri aureolam virginitatis, qui perfectam istam castitatem semper et perpetuo coluerint certum omnino non est. Et forte contrarium innuitur ex numero praegrandi horum quem refert Apocalypsis (*XIV. 4*), idest centum quadraginta quatuor millium, qui est numerus signatorum ex omni tribu filiorum Israel (*Ap. VII. 4*), ubi certe maximam quamdam multitudinem significare dicendus est.

Ceterum speciale virginitatis praemium non probatur esse quid in indivisibili sumendum; hinc forte pro iis, qui perfectam servarunt castitatem, aureola erit perfectissima, pro

aliis, qui integritatem carnis, sensu supradicto, servarunt, deficientior quidem erit, sed erit.

Certe secundum sensum ecclesiasticum illa puella dicitur virgo, quae claustrum virginitatis servavit, quidquid sit an perfectam servaverit castitatem; et istud sufficit ad hoc, ut puella solemniter virgo consecretur. Cfr. Pontificale rom. *de benedictione et consecr. virginum*; Lessius *loc. cit. n. 115 sqq.* Noldin *loc. cit. n. 4.* An autem ea, quae involuntarie oppressa est, virgo adhuc in sensu ecclesiastico haberi debeat, non una sententia est. Alii affirmant (Lessius *loc. cit. n. 115* et alii, et huic sententiae videtur inclinare S. Th. *2. 2. q. 152. a. 1 ad 3*; cfr. etiam *can. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. C. XXXII. q. 5.*); alii negant. Cfr. Eschbach *Disputationes phys.-theol. Romae, Desclée. 1901, disp. V. c. 2. a. 2*; Noldin *loc. cit.* Locus autem iuris, qui ab aliquibus auctoribus pro hac sententia negante citatur, idest canon 14 causae et quaestionis citatae, non videtur hoc certo probare.

4104 Ea, quae de virginitate dicit, concludit Noldin (*loc. cit.*) monito ad praxim valde utili, scilicet: si poenitens, qui contra castitatem peccavit, interrogat confessarium, num virginitatem amiserit, praestat, si eam amisit, id aperte non affirmare, sed dissimulare prudenter, dicendo ex. gr. omnia peccata reparabilia esse, ne poenitens spe deiectus ipsam castitatis curam negligat, et animum omnino despondeat.

4105 **Virgo.** — Quid dicendum sit de violatione virginis ex parte viri, vide sub *Stuprum.* — Quid autem de exsequiis virginum notandum sit, vide sub *Feretrum*; et hic nota, quod etsi prohibitum sit, quemadmodum ibi dicebamus, feretrum puellae innuptae cooperire panno ex lana alba contexto, episcopo tamen Albensi, qui exponebat, hunc morem non facile in sua dioecesi immutari posse, imo perturbationes ac tumultus fore timendos, si praeciperetur reditus ad communem usum, s. congregatio rituum respondit, *in casu, attentis expositis*, tolerari posse, ut fascia nigri coloris, non tamen in modum crucis, superponeretur panno albo, ita tamen ut in quatuor lateribus appareret, quo fideles agnoscerent defunctam egere suffragiis. *S. R. C. in Alben. 31 aug. 1872* (*3263*).

Virtus. — Virtus est habitus agendi 4106
honeste. Virtutes aliae sunt naturales, aliae supernaturales; aliae infusae, aliae acquisitae; aliae theologicae, aliae morales.

Recenter invecta est a quibusdam alia virtutum divisio in activas et passivas. Verum quam male et quam absurde nemo non videt. Nam « virtus nominat quamdam potentiae perfectionem; uniuscuiusque enim perfectio praecipue consideratur in ordine ad suum finem; finis autem potentiae actus est » (S. Th. *1. 2. q. 55. a. 1*) et « nihil est aliud actus virtutis, quam bonus usus liberi arbitrii » (S. Th. *loc. cit. ad 1um*); quod, si quaestio est de virtutibus supernaturalibus, adiuvari debet gratia Dei. Cfr. quoad haec omnia theologos dogmaticos, et quoad ultimum praesertim consule sapientissimas litteras Leonis XIII « Te-

stem benevolentiae» ad eum card. Iacobum Gibbons archiepiscopum Baltimorensem *22 ian. 1899.* Vid. *Fides, Spes, Caritas.*

4107 **Vis.** — Vis physica est coactio quae a causa extrinseca et libera alicui infertur, repugnante eius voluntate, seu est maioris rei impetus, qui repelli nequit. *l. 2 quod metus causa etc. D. (IV. 2).*

Nonnulli dividunt vim in vim absolutam, quae repelli nequit, quocumque conatu adhibito; et in vim secundum quid, quae, contumaci opposita resistentia, aut frangi aut certe debilitari potest. B. P. *l. 67.* Porro vis secundum quid non est vera vis, et nonnisi analogice vis dici potest. Absurda autem est alia divisio vis, quae aliquando fit in perfectam, cui resisti nequit et in imperfectam, cui potest resisti.

Vis non potest cadere in actus elicitos voluntatis, quum actus voluntatis sit inclinatio in aliquid procedens ab interiore principio cognoscente; coactum vero est ab exteriore principio. S. T. *1. 2. q. 6. a. 4.* In actus vero a voluntate imperatos et mediante alia potentia exercitos vis cadere potest (S. Th. *loc. cit.*); et hoc, si quaestio sit de moralitate actus, accidere potest etiam relate ad potentias internas, ita ut daemon ex. gr. possit phantasiae eas imaginationes proponere, quas voluntas phantasiae obiici nollet; actus phantasiae considerantis eas imaginationes relate ad ipsam phantasiam non est coactus, sed relate ad voluntatem et sub respectu morali coactus est. B. P. *I. 69.*

Quoad vim moralem, quae est metus, Vid. *Metus.*

Visitatio. — **De visitatione quoad regulares.** — Visitatio, si agatur de praelatis regularibus, est generalis et paterna inquisitio de subditorum vita et moribus ad disciplinam servandam et finem instituti per praescripta media acquirendum, hortando segniores ut currant, et currentes laudando et remunerando, ne in cursu desistant. 4108

Superiores regulares tenentur visitationem suorum instituere non solum de iure ecclesiastico, sed etiam de iure naturali. Reiffenstuel *intit. 1. lib. IV Decr. n. 271.*

In visitatione superior procedere debet ut pater, non ut iudex (Reiffenst. *loc. cit. n. 285*), nec potest delicta occulta per visitationem paternam cognita, ac proinde etiam si cognoverit ab aliis et non solum ab ipso delinquente, aliis manifestare, nisi uni vel alteri viro prudenti ad consilium exquirendum, si quando opus est. Reiffenstuel *loc. cit. n. 301*; Bouix *de iur. reg. II. p. 6. s. 2. c. 3. q. 10.* Imo superior neminem potest iudicialiter tractare, condemnare aut punire ob peccata per solam visitationem ordinariam cognita (Reiffenstuel *.loc. cit. n. 304*), nisi vel delictum iam fuerit notorium, vel denuntians illud iudicialiter expresse denuntiare voluerit, vel agatur de delicto excepto, ut de haeresi, simonia, assassinio, etc, Reiffenstuel *loc. cit. n. 305 sqq.*; Bouix *loc. cit. q. 12.*

Praelati regulares tenentur suae congregationis monasteria frequenter

(idest saltem semel in anno) visitare. Conc. Trid. *sess. XXV. c. 8 de reg. et Mon.*

Moniales, etiam exemptae ac s. Sedi immediate subiectae, visitantur ab episcopo loci saltem tamquam Sedis apostolicae delegato; si tamen moniales sint exemptae et subiectae alicui praelato regulari, visitantur ab episcopo quoad observantiam clausurae, sed quoad reliqua omnia a solo praelato regulari. *c. 2 de statu monach. etc. (III. 10) in Clem.*; Bouix *loc. cit. p. V. s. 5. 1. q. 2.* Quoad modum huius visitationis faciendae, Vid. *Clausura n. 1174 sqq.*

Quoad congregationes religiosas, tum virorum, tum mulierum, per se competit episcopo loci ordinario ius visitationis intra terminos suae iurisdictionis. Cfr. *decr. S. C. EE. RR. 27 febr. 1863.*

4109 **De visitatione dioecesis.** — Episcopus debet visitationem suae dioecesis instituere, ut sanam et orthodoxam doctrinam inducat, errores depellat, bonos mores tueatur, pravos corrigat, etc Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 3 de ref.*

Episcopi omnes debent dioecesim suam visitare quotannis, vel totaliter, vel saltem per maiorem partem, ita ut saltem intra biennium totam visitent, et quidem per se nisi fuerint impediti, quo in casu hoc debent praestare per vicarium generalem aut alium visitatorem. Conc. Trid. *loc. cit.*

Episcopus non solum debet inquirere de vita et moribus personarum earumque officiis, sed etiam de administratione, custodia, statu ecclesiarum et rerum ad ecclesias ipsas pertinentium; quare visitare etiam debet archivum ecclesiae cathedralis et collegiatae, etc. *Const.* Ben. XIII «Maxima vigilantia» *VIII kal. iul. 1727.*

Sede vacante, vicarius capitularis non potest dioecesim visitare, nisi post annum a die ultimae visitationis a praemortuo episcopo factae. Benedic. XIV *de Syn. lib. II. c. 9. n. 6*; *S. C. C. 28 iul. 1708. 13 sept. 1721.*

Vicarius generalis sine mandato speciali visitationem peragere non potest. *arg. c. 6 de off. ord. (I. 16) in 6°*; Santi *in tit. 28 lib. I. Decr. n. 32.*

Metropolitanus tantummodo ex causa in concilio provinciali cognita potest dioecesim alicuius suffraganei visitare, dummodo tamen suam plene visitaverit. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 3 de ref.*

Episcopus ea omnia, quae manifeste a sua iurisdictione non sunt exempta, ecclesias nempe, loca pia, capitula, personas, etc. iure proprio visitat; in dubio exemptionis standum est pro iurisdictione episcopi. *S. C. C. 9 sept. 1882.*

Visitat vero tamquam delegatus Sedis apostolicae omnia loca pia, ecclesias, etc. exemptas (Conc. Trid. *sess. VII. c. 8 de ref.*; *sess. XXIV. c. 9 de ref.*), exceptis hospitalibus etc., quae sub regum immediata protectione sunt, nisi ab his regibus licentiam obtinuerit (Conc. Trid. *sess. XXII c. 8. de ref.*), et exceptis regularibus exemptis ratione regularis et domesticae disciplinae, nisi frustra superiores regulares monuerit, ut debitam vivendi rationem et ipsi observarent

et a subditis observare facerent. Conc. Trid. *sess. XXI. c. 8 de ref.*

Quoad visitationem ab episcopo faciendam, ecclesiarum parochialium, quae a regularibus administrantur, confer constitutionem Benedicti XIV « Firmandis » *8 id. nov. 1744.* Ea generatim ad hoc reducitur, ut has ecclesias visitare episcopus iure ordinario possit in iis, quae animarum curam et sacramentorum administrationem respiciunt. Cfr. *S. C. C. in Palentina 18 febr. 1765*; *S. C. EE. RR. 11 maii 1904*; Reclusius *de re paroch. p. 2 tit. 5. n. 35.*

4110 Circa haec iuverit sequentia referre ex citata constitutione Ben. XIV « Firmandis »,

« Sed et in ipso visitationis cursu, atque etiam extra illam, aliqui regulares de suorum privilegiorum et exemptionum indemnitate plus nimio solliciti, hanc episcopis controversiam moverunt, utrum iis liceret, in ipsorum regularium ecclesiis, sive parochialibus, sive non parochialibus, sacramentum confirmationis administrare; quae quidem controversia in congregatione Concilii, partibus plenissime auditis, pro episcopis decisa fuit, quemadmodum et nos generaliter et sine exceptione eamdem definimus.

« In exsequenda vero pastorali visitatione ecclesiarum parochialium, quae a regularibus administrantur, minime quidem licet episcopo omnia ecclesiarum huiusmodi altaria visitare, sed illud dumtaxat, in quo sanctissimum eucharistiae sacramentum asservatur, et consequenter sacrum ipsum tabernaculum: fontem quoque baptisterii si adsit; item confessionale, in quo parochus ad audiendas confessiones residere solet; pulpitum ecclesiae, e quo parochus ius habet, verbi Dei, iuxta praecipuum ministerii sui munus, annunciandi; sacrarium pariter ecclesiae, ad inspicendum locum, in quo asservatur sacra suppellex, pro sacramentis tam intra ecclesiam, quam extra illam decenter administrandis: sepulchrum excipiendis subditorum parochiae corporibus additum; coemeterium parochianorum humandis cadaveribus destinatum; turrim campanariam, dummodo in ea sint campanae ad parochiam proprie spectantes; ac demum, praeter res supra enunciatas, omnia sacra vasa, quibus vel particulae consecratae servantur, vel sacra olea sive in baptismo sive in extrema unctione adhibenda, vel aqua baptisterii, vel alia rite benedicta, quae pro ingredientium aspersione ad ecclesiae fores poni consuevit.

« Visitationi locali proxima est ea, quae personam respicit parochi; cuius quidem, si regularis sit, agendi rationem, in iis, quae spectant ad observationem proprii ipsius regularis instituti, non est episcopi inquirere, quum ad ipsius superiorem regularem privative id pertineat. Licet tamen episcopo, vel potius ipsi specialiter incumbit, ipsius parochi seu curati, etiam regularis, vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quae extra claustrum prodierunt, rectoris animarum exempla plurimum conferre ad populi aedificationem, vel contra eidem obesse maxime possunt, quemadmodum alias eadem Concilii Tridentini congregatio sapienter decrevit,

et nos etiam earumdem praesentium tenore decernimus, et statuimus.

« Ad personalem quoque parochi visitationem, proindeque ad episcopi ius et officium pertinet ea occasione examinare, an titulo legitimo parochus etiam regularis animarum curam exerceat, an residentiae lex ab eo observata fuerit atque observetur; an ad synodum vocatus; iverit, an congregationes seu conferentias super casibus conscientiae haberi solitas frequentet; an onera, quae secum fert animarum cura, adimpleverit; ac inter alia, an missam pro populo applicaverit diebus festis de praecepto, an iisdem festis diebus omnia praestiterit, quae a Sacro Tridentino Concilio praescripta sunt, populum verbi Dei praedicatione, et pueros in fidei rudimentis christianaeque doctrinae praeceptis instruendo; an statis diebus, excipiendis fidelium confessionibus vacet; an aegrotantibus et in extremo vitae agone laborantibus debita spiritualia subsidia sedulo praestet, et sacramenta ecclesiae tempestive conferat; an pueros et puellas ante susceptionem sacramenti confirmationis, tum etiam ante primam eorum communionem, opportunis instructionibus erudierit; an priusquam fideles ad matrimonia in faciem ecclesiae celebranda admittat: debitas inquisitiones adhibuerit, atque adhibeat, quibus tuto deprehendere possit, nullum inter contrahentes impedimentum exsistere, eosdemque libere matrimonio consentire, ac demum in doctrina christiana, maxime vero in praecipuis religionis nostrae mysteriis, illos instructos esse; denique an parochus apud se recte ordinatos retineat libros tum baptizatorum, ubi fons baptismalis adsit in ipsius ecclesia, tum sacro chrismate confirmatorum, libros etiam matrimoniorum, et status animarum.

« Uno verbo quidquid episcopus a parocho seculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, regulari observantia unice excepta, a parocho regulari exquirere, et exigere potest: atque ubi hunc muneri suo defecisse compererit, opportuna decreta condere et pronunciare, ac meritas in eumdem poenas statuere; in quo nihilominus episcopi facultates minime privativae sunt, sed praesul regularis ius cumulativum cum ipso habet; ita tamen ut si aliter a superiore regulari, aliter ab episcopo decerni contingat, huius, non vero illius, decretis sit standum; prout alias a Congregatione Tridentini Concilii interprete iudicatum fuit, Nosque auctoritate apostolica probamus, confirmamus atque decernimus. Privativum tamem episcopi ius est in parochianorum mores inquirere, ac si quae inter ipsos scandala oborta fuerint, auditis proborum ac prudentium virorum sinceris relationibus, de iis cognoscere eaque opportunis remediis resecare et reformare: nec enim superioribus regularibus in huiusmodi seculares parochiae subditos ulla competit iurisdictio ».

Visitatio fieri debet sine strepitu 4111
et forma indicii, sed per modum correctionis; ab his vero quae sic ab episcopo in visitatione statuta sunt, non datur regulariter appellatio cum effectu suspensivo, sed tantum cum

devolutivo. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 10 de ref.*; *Const.* Ben. XIV « Ad militantis » *3. kal. apr. a. 1740.*

4112 Episcopo in visitatione debetur procuratio seu portio canonica, idest suppeditatio sumptuum pro sua et sociorum honesta et frugali sustentatione tempore visitationis. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 3 de ref.* Praeter hoc nihil aliud episcopo debetur, imo ne hoc quidem, ubi contraria consuetudo viget. Conc. Trid. *loc. nuper cit.* Episcopus vero, qui iustas etiam ob causas visitationem in eodem anno iterum instituerat, non posset percipere procurationem aut victualia, quae ei nonnisi semel in anno debentur. *S. C. C. 19 sept. 1682; 16 ian. 1723, apud Richter Conc. Trid. p. 332.* Cfr. quoad haec omnia Lucidi *de visit. sacr. lim. tom. 1 cap. 2.*; *§ 2; tom. II. c. 7. § 3.*; Conc. Trid. *ed. Richter adnot. ad sess. XXII. c. 9 de ref.* Episcopus, qui simul esset canonicus, dum abest a choro ex causa visitationis suae dioecesis, distributiones quotidianas non lucratur. Ferraris *Prompta bibl. v. « Distributiones » art. 2. n. 7.* Cfr. etiam *S. C. C. in Caiacen. 27 febr. 1904.* — Vid. *Convisitatores.*

Tit. de censibus, ex actionibus et procurationibus X. (III. 39); idem tit. (III. 20) in 6°; idem tit. (III. 13) in Clem.; idem tit. (III. 20) in Xvag. comm.; *Timothei Mich.* De sacrosanctis Dei ecclesiis visitandis compendiosa institutio; *F. Feliciani Episc. Comensis* Manuale visitatorum; *Salodii P.* Praxis compendiosa de visitatione ecclesiastica; *Fuschi P.* De visitatione et regimine ecclesiarum; *Ianuari Nicolai* De visitatione ac synodis dioecesana et provinciali, canonicae conclusiones; *De Dominicis Dominic.* Praxis visitationis episcopalis; *Gavanti Barth.* Enchiridium seu manuale episcopalis visitationis, id est de decretis in iis de quacumque re condendis; *Nicolai Fr.* Dissertatio historico-canonica de episcopo visitatore, seu de antiquo regimine Ecclesiae vacantis; *De Janua Gaudent.* De visitatione cuinscumque praelati ecclesiastici et simul de iurisdictione eiusdem extra actum visitandi; *Minocki F.* Quaestio iuridica de visitat. eccles.; *Auerbach F.* De visitatione ecl.progressu a primis temporibus usque ad ad Conc. Trid.; *Rampf M.* Die bischöfl. Visitationen; *Crispino G.* Tratt. della visita pastorale; *Melchers Paul.* De canonica dioecesium visitatione; *Simeone Ian.* Tr. de canonica dioecesium visitatione.

Visitatio ecclesiae. — Quoad tem 4113
pus intra quoad visitatio perficienda est alicuius ecclesiae praescripta pro acquisitione indulgentiae novissime sequens prodiit decretum s. Officii:

« SSmus Dnus noster Pius Divina Providentia Pp, X, in audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, ut dubiis, difficultatibus et controversiis occurratur, quae saepe exorta sunt, ac forsitan et deinceps oriri possent, circa temporis determinationem, quo ecclesiae vel oratorii visitatio institui valet, quum haec requiritur ad indulgentias lucrandas alicui diei annexas, benigne concessit, ut utile ad id tempus habeatur et sit, non a media ad mediam noctem constituti diei, verum etiam a meridie diei praecedentis. Hoc autem declaravit fore valiturum, tam pro indulgentiis plenariis quam pro partialibus, semel in die aut toties quoties acquirendis, usque ad hunc diem concessis vel in posterum concedendis, quacumque demum sub locutione tempus sive

dies designetur. Sartis tectis manentibus de cetero clausulis et conditionibus, in singulis quibuslibet concessionibus appositis. Contrariis quibuscumque, etiam specialissima et singulari mentione dignis, non obstantibus.

Die 26 ianuarii 1911 ».

Visitatio ss. liminum. — Quoad eam, Vid. *Limina Apostolorum.*

Vitalitium. — Quoad vitalitium seu censum vitalitium, Vid. *Census.*

4114 **Vitandus.** — Vitandus est excommunicatus, quem fideles vitare debent. Ad hoc autem, ut quis sit vitandus, in praesenti ecclesiae disciplina requiritur, ut sit nominatim et publice excommunicatus, vel fuerit violentus et notorius percussor clerici, cuius crimen nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari. *Const.* Martini V « A d e v i t a n d a » *a 1418* : *S. U. I. 9 ian. 1884.*

Qui communicat cum excommunicato vitando nunc non incurrit excommunicationem maiorem (*S. U. I. 9 ian. 1884*), praeter casus comprehensos in constitutione « A p o s t o l i c a e S e d i s », idest praeter casum communicationis cum excommunicato nominatim a Papa (non ab alio, imo neque a iure etsi pontificio, D'Ann. *Comm. in const.* « *Ap. Sedis* » *n. 151*) in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium et favorem; et praeter casum clerici scienter et sponte communicantis in divinis cum personis a romano Pontifice excommunicatis et ipsos in officiis recipientes; pro his enim casibus lata est excommunicatio maior romano Pontifici simpliciter reservata (*Const.* « A p. S e d i s » *ser, 2 nn 16. 17*); imo neque minorem excommunicationem contrahit, quia haec per constitutionem « A p o s t o l i c a e S e d i s » abolita est *S. U. I. 5 dec, 1883*); sed is violat ecclesiae prohibitionem, quae adhuc viget et obligat fideles, ne cum excommunicatis vitandis communicent. (*S. U. I. 2 aug. 1893.* Utrum is, qui hanc prohibitionem violat, graviter peccet an leviter, videtur ex circumstantiis diiudicandum.

Vitandus multis bonis privatur; praeter alia, privatur etiam facultate concionandi, legendi theologiam, interpretandi publice ius canonicum. Schmalzgrueber *in tit. 39 lib. V Decr. n. 132.* Multa quoad hoc vide sub *Excommunicatio.*

Vitium. — Vitia rei substantialia 4115
tum in se, tum relate ad finem emptoris, tenetur venditor manifestare, imo interrogatus etiam omnia vitia occulta, non autem accidentalia, nisi emptor sit valde rudis; secus tenetur de omnibus damnis praevisis ex vitio rei venditae sequentibus.

Sponsus sponsae et vicissim, ante sponsalia, vel, iis contractis, ante matrimonium, defectus alteri iniuriosos (v. g. si puella sit gravida, si sponsus morbo venereo laboret, etc.), detegere tenetur, alios vero non. Vid. *Defectus*

Voluntarium. — Voluntarium, seu 4116
actus voluntarius ille est, qui a voluntate procedit cum intellectuali finis cognitione, sive libere sive non libere. S. Th. *1. 2. q. 6. a. 1.*

Nota tamen, theologos morales voluntarii nomine plerumque actum liberum intelligere, in quo perfecta invenitur voluntarii ratio, quum in eo

habeatur cognitio finis, prout finis est. S. Th. *loc. cit. aa. 1. 2*; B. P. *I. 12. sqq.* Hinc voluntarium differt a volito et a spontaneo; a volito quidem, quia volitum obiectum quidem, in quod tendit voluntas, non actum voluntatis significat (B. P. *l. c.*; D'Ann. *I. 134*); a spontaneo vero, quia spontaneum non exigit intellectualem cognitionem. B. P. *loc. cit.*

4117 Voluntarium multipliciter distinguitur:

a) in *perfectum* et *imperfectum*, prout ex plena aut semiplena deliberatione procedit;

b) in voluntarium *simpliciter* et voluntarium *secundum quid*, secundum quod motus voluntatis fertur in aliquid propter seipsum (ut quum quis pauperi pecuniam tribuit ad eleemosynam erogandam), vel propter aliud ut propter finem (ut quum quis latroni pecuniam tribuit, ut suam vitam servet, S. Th. *1. 2. q. 6. a. 6 ad 1.um*);

c) in *directum* et *indirectum*, prout aliquid procedit a voluntate in quantum est agens (ut quum pater puerulum filium instigat ad aliquod malum faciendum), vel in quantum est non agens, idest in quantum agere omittit, quum agere posset ac deberet (ut quum pater praevidens puerulum filium aliquod malum alteri illaturum, eum a malo inferendo non impedit, S. Th. *1. 2. q. 6. a. 3*);

d) in *positivum* et *negativum*; prout voluntas aliquid agit, vel aliquid omittit. Cave tamen ne in illud absurdum incidas, ut intelligas voluntarium haberi ibi, ubi nullus est actus voluntatis; haec enim implicant. Quare, quum dicitur voluntarium negativum haberi, quum voluntas aliquid cere omittit, intelligitur voluntarium esse ipsum actum voluntatis, quo voluntas eligit et vult non velle vel non agere, cfr. S. Th. *1. 2. q. 71. a. 5. c. et ad 2.um*);

e) in *expressum* et *tacitum*, prout verbis aut signis manifestatur, vel cognoscitur adesse ex aliquo facto aut omissione aliqua (G. B. *I 5. 6°*);

f) in voluntarium *actuale*, *virtuale*, *habituale*, *interpretativum*, prout voluntas vel actu nunc aliquid vult, vel non quidem nunc actu, sed vi alicuius actus prius positi et in agentem adhuc influentis, vel vi actus prius positi et non retractati quamvis hic et nunc in voluntatem non influentis, vel vi alicuius dispositionis voluntatis, qua aliquis prudenter praesumitur aliquid voliturus, si de eo cogitaret, quod non vult, quia de eo non cogitat. G. B. *I. 5. 7°*.

Voluntarium vero in *causa* illud dicitur, quod voluntas non directe in se intendit, sed intendit aliquid aliud, ex quo illud consequitur et consequi praevidetur. Quare in hoc casu voluntas, quamvis non velit directe ipsum effectum, vult tamen causam ex qua effectus procedit. Ut autem hoc voluntarium in causa agenti imputetur coram Deo, requiritur, ut agens effectum tamquam probabiliter secuturum praeviderit ex causa, quae graviter in effectum influat, quaeque in eodem genere peccati sit cum effectu, et pariter ac effectus graviter prohibeatur; et debuerit ac potuerit effectum illum praecavere. B. P. *I. 27 sqq.* Hinc qui noctu polluitur ex nimia ebrietate, etsi eam pollutionem secu-

turam ex ebrietate praeviderit, non est reus pollutionis (S. Alph. *III. 484*; D'Ann. *I. 157.* [*15*]; Vid. *Pollutio*); similiter reus pollutionis non est, qui ex equitando pollutionem patitur, etc. (B. P. *I. 29. 4*); contra qui lectione graviter inhonesta illicite habita pollutionem causat, quamvis eam non intenderit, dummodo praeviderit, reus est pollutionis.

4118 *Non voluntarium* vero dicitur per solam remotionem actus voluntatis (S. Th. *QQ. DD. de malo q. III. a. 8*); quare illud, prout distinguitur ab involuntario, dicitur id, quod quis fecit ignorans, eodem modo facturus si scivisset, sicut, ait S. Thomas (*loc. nuper cit.*), si quis accederet ad non suam putans esse suam, qui etiamsi suam non esse cognosceret, eodem modo ad eam vellet accedere, huic adulterium esset non voluntarium. Similiter non voluntaria est venatori occisio hominis inimici, contra quem explosit putans esse feram, contra eum aeque explosurus, si hominem et inimicum cognovisset.

4119 *Involuntarium* illud dicitur, quod factum quidem est, sed est tale, cui voluntas contrariatur (S. Th. *loc. nuper cit.*); quare ex ignorantia factum est, et agens illud non fecisset, si scivisset. Hinc involuntaria esset venatori occisio hominis, contra quem glandem proiecit, feram eum putans, nullo modo contra eum explosurus, si hominem novisset.

4120 **Votiva missa — Quaenam dicatur missa votiva.** — Missa votiva stricte ea dicitur, quae extra ordinem officii de aliquo mysterio vel sancto celebratur, ratione alicuius necessitatis vel pietatis, quin praescribatur a rubricis (*Rubr. gen. miss. in princ.*), et sic dicta est a voto seu desiderio celebrantis aut petentis. De Herdt *Sacrae lit. praxis I. 26.*

De duplici genere missae votivae. 4121 — Missa votiva stricte dicta duplicis est generis: solemnis et privata. — Solemnis ea est, quae interveniente magistratu aut saltem clero et populo *a*) cum solemnitate cantatur *b*) pro re gravi seu publica ecclesiae causa *c*) et ex praescripto vel saltem licentia ordinarii aut romani Pontificis; quae tria cumulative requiruntur ad eius essentiam, Cfr. *decr. gen. S. R. C.* — Privata ea est, quae ex causa privata, rationabili tamen, utputa ex privata celebrantis vel stipendium offerentis devotione, dicitur, sive solemniter cantetur, sive legatur tantum privatim. De Herdt *loc. cit.*

Quandonam cantari potest votiva 4122 **solemnis.** — Solemnis cantari potest omnibus diebus per annum, exceptis duplicibus primae classis, dominicis primae classis (seu prima dominica Adventus, prima dominica Quadragesimae, dominicis Passionis, Palmarum, in Albis, Trinitatis), feriis cinerum et maioris hebdomadae, vigiliis Nat. Dni. et Pentecostes; quibus diebus, si votiva solemniter celebranda sit, cantatur missa diei, eiusque primae orationi adiungitur sub unica conclusione oratio missae votivae, et reliquae orationes seu commemorationes, si quae sunt, sub diversa conclusione dicuntur. *S. R. C. in una ord. Carmelit. excalc. 27 mart. 1773. ad 4* (*2494*); *decr. gen. cit. 30 iun. 1896.*

In ecclesiis, quae ad missam conventualem tenentur, non vero in aliis, votiva solemnis de re gravi non debet celebrari, nisi prius celebrata fuerit missa conventualis de officio occurrente. *Decr. gen. cit. S. R. C. 30 iun. 1896.*

Huiusmodi missa votiva desumenda est ex iis, quae uti votivae in missali designantur. Quod si, occurrente aliqua gravi et urgente necessitate, missa specialis in missali deficiat, dicenda est missa *pro quacumque necessitate,* et huius orationi sub unica conclusione addenda est collecta, si quae sit, necessitati relativae propria. *Decret. gen. cit. S. R. C. 30 iun. 1896.*

Si quando habeatur extraordinarius concursus fidelium ad celebrandum festum eo die occurrens, quod tamen secundum rubricas transferri debet, exceptis dominica prima Adventus, feria quarta Cinerum, dominica prima, Quadragesimae, dominica Palmarum cum tota hebdomada maiori, dominica Resurrectionis et dominica Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis et festo Corporis Christi (quibus diebus ne adiungere quidem licet missae diei commemorationem festi, quod transfertur, *S. R. C. in una ord. Min. 16 apr. 1853 ad 2* [*3009*]), celebrari potest ad instar missae votivae missa solemnis festi transferendi, cantata tamen missa de die, si sermo sit de illis ecclesiis, in quibus urget obligatio cantandi missam quotidie. *Rubr. gen. miss. tit. VI; S. R. C. in Bergomen. 17 aug. 1709 ad 1* (*2198*); *in una Massae 3 sept. 1746 ad 1* (*2392*).

Quandonam dici potest votiva privata. — Privata dici potest omnibus diebus per annum, exceptis (etsi dici vellet pro aliqua causa gravi) duplicibus minoribus et maioribus etiam translatis et non de praecepto, dominicis per annum, octavis privilegiatis (Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et Corporis Christi), feriis privilegiatis (seu vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniae et Pentecostes, feria quarta Cinerum, feria secunda, tertia et quarta maioris hebdomadae), et excepto die commemorationis omnium fidelium defunctorum. *Rubr. gen. miss. tit. IV. n. 3*; *S. R. C. in Vercellen. 28 sept. 1675* (*1549*); *decr. gen. 29 sept. 1714*; (*2228*); *decr. gen. cit. 30 iun. 1896.* 4123

De introitu aliquando in votivis variando, de Sequentia, Gloria, Credo omittendis, vel non. — In missis votivis tum solemnibus tum privatis, quando habetur *introitus* « Gaudeamus », eius loco sumitur de communi. Sic in missa s. Agathae introitus erit « Loquebar »; in missa s. Annae « Cognovit »; in missa omnium sanctorum « Sapientiam », etc. De Herdt *loc. cit. n. 36.* Similiter quando in missa propria aliquid deest, vel tempori non convenit, de communi sumitur; et verba « annua », « hodie », si quando occurrunt, omittuntur, verba autem « natalitia », « solemnitas », « festivitas » mutantur in alia « commemoratio », « memoria ». *S. R. C. decr. gen. cit. 30 iunii 1896.* 4124

In omnibus missis votivis *Sequentia*, si quae fuerit, omittitur. *S. R. C. in Corduben. 16 sept. 1673 ad 2* (*1490*); *in Conimbricen. 21 mart.*

1795 ad 2 (*2550*); *decr. gen. cit. 30 iun. 1896.*

In votiva solemni semper cantatur *Gloria* et *Credo* (exceptis missis, quae dicuntur in colore violaceo; nisi dicantur in dominicis, quia tunc omittitur *Gloria*, sed cantatur *Credo*, *Rubr. gen. miss. tit. XVIII. n. 5.*; *S. R. C. in Placentina 19 mai 1607 ad 12* [*235*]; *dec. gen. cit. 30 iun. 1896*), etiamsi dicatur de sancto, cuius missa in ipso eius die festo *Credo* non habet. *S. R. C. decr. gen. cit. 30 iun. 1896.*

In votiva privata semper omittitur *Credo*, etiamsi sit de patrono vel titulari, vel per speciale indultum fiat in die dominica aut in festis duplicibus vel etiam infra octavas, nisi sit de die infra ipsam octavam, quo in casu celebranda esset ut in festo, idest cum *Gloria* et *Credo*. *S. R. C. in Panormitana 2 sept. 1690 ad 1* (*1843*); *decr. cit. 21 mart. 1795 ad 1*; *decr. gen. cit. 30 iun. 1896*; *24 apr. 1899* (*4020*).

In votiva privata etiam *Gloria* fere semper omittitur (*S. R. C. in una Congr. Can. reg. Lat. 2 dec. 1684 ad 6* [*1743.*]; *in Cracovien. 22 aug. 1744 ad 7* [*2378*]; *decr. gen. cit. 30 iun. 1896* — exceptis nempe votiva de Beata Maria in sabbato [*S. R. C. in una Ord. Capucc. 30 iul. 1689 1814* ; *decr. gen. cit. 30 iun. 1896*], votiva angelorum, votiva de sancto in eiusdem die festo, missa de octava, quae infra octavam sed more votivo seu extra ordinem officii celebratur, *S. R. C. decr. cit. 24 apr. 1899*).

De orationibus dicendis in votivis. — In missis votivis solemnibus pro re gravi unica dicenda est oratio, etsi una tantum cantetur missa, uti accidit in ecclesiis, ubi onus missae conventualis non exsistit. *Rubr. gen. miss. tit. IX. n. 14.*; *S. R. C. decr. gen. cit. 30 iun. 1896.*

In votivis privatis dicuntur saltem tres orationes, scilicet prima votivae propria, secunda diei, tertia vel simplicis, octavae, feriae, aut vigiliae si occurrant, vel « A cunctis », vel alia B. M. V. pro tempore respectivo; si vero duae vel plures commemorationes speciales faciendae essent in missa diei, hae omnes, omissa tertia oratione, de qua supra dictum est, dici debent in votiva eodem ordine. De Herdt *loc. cit n. 44.* Post orationes praeceptas celebrans alias orationes votivas addere non tenetur, sed potest ad libitum (*Rubr. gen. miss. tit. IX. nn. 12. 14*), etiamsi esset oratio pro defuncto vel pro pluribus aut omnibus fidelibus defunctis, quae tamen ponenda esset penultimo loco. Quoad orationes, et etiam *Gloria* et *Credo*, dicendas vel non in missis votivis cfr. decr. S. R. C. *in una ord. FF. Min. 12 maii 1905, et 10 nov. 1906.*

De praefatione in votivis — Praefatio missae votivae, si missa votiva habeat praefationem propriam, recitanda semper est in ea votiva (etiamsi dicatur infra aliquam octavam privilegiatam); si vero propriam non habeat, et celebratur infra octavam, dicenda est de octava; et, si plures concurrant, de digniore; secus de tempore, si propriam habeat; alioquin semper communis. Et quando aliqua missa votiva pro causa publica solem- 4125

niter celebratur, dicitur praefatio in cantu solemni, ut in duplicibus. *Rubr. gen. miss. tit. XII. n. 4.*

Attamen in missa votiva conventuali, quae dicitur infra aliquam octavam, quando celebratur alia missa de die infra octavam vel eius fit commemoratio in missa de officio occurrente, dicenda est praefatio communis et non de octava. *S. R. C. 19 iun. 1903.*

Numquam vero dicenda est praefatio de festo propriam praefationem habente, in quo votiva celebratur, vel de quo in votiva fit commemoratio, sive sub diversa sive sub unica conclusione. *S. R. C. decr. cit. 2 dec. 1684.*

Si votiva solemnis cantetur in dominica, et non habeatur praefatio propria votivae, dicitur de dominica et non de festo currente, etiamsi hoc festum propriam habeat praefationem. *S. R. C. decr. gen. cit. 30 iunii 1896.*

4126 **De ultimo Evangelio in votivis.** — Ultimum evangelium in missis votivis est semper initium s. evangelii secundum Ioannem. *Rubr. gen. miss. tit. XIII. n. 2.*; *S. R. C. in Lauretana 13 ian. 1674 ad 2* (*1497*); *decr. gen. cit. 30 iun. 1896.*

4127 **Quaenam missae sumi possunt tamquam votivae.** — Sumi possunt tamquam votivae, si agatur de *mysteriis*, eae missae, quas pro ipsis proprias tamquam votivas determinavit ecclesia, quaeque in missali continentur inter votivas (ss. Trinitatis, Passionis et Crucis Domini, Spiritus Sancti, ss. Eucharistiae), et eae, de quibus in rubricis missalis cautum est, ut tamquam votivae celebrari valeant (ss. Nominis Iesu et ss. Cordis Iesu, Pretiosissimi Sanguinis), et in dioecesibus, in quibus ex apostolico indulto celebrantur festa pinaea Coronae, Lanceae et Clavorum, ss. Sindonis, ss. quinque Vulnerum, ss. Redemptoris etc., hae quoque. Aliorum mysteriorum (ex. gr. Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis etc.) missae ut votivae sumi nequeunt. Cfr. *decr. cit. S. R. C.*) *29 ian. 1752 ad 6* (*2417*).

De colore adhibendo in votivis. 4128
(*remissive*). — Quoad colorem adhibendum in celebratione missae votivae, Vid. *Color.* Nota autem hic, in missa votiva *pro fidei propagatione,* quae aliquibus locis concessa est, adhibendum esse colorem violaceum. *S. R. C. in una Soc. Par. missionum ad exteros 14 dec. 1904.*

De quibusdam missis votivis D. 4129
N. I. Ch. — Missa *SS. Cordis Iesu* « Miserebitur » sumi potest tamquam votiva, ut iam annotavimus. *S. R. C. decr. gen. cit. 30 iun. 1896.* In ea missa, quando celebratur extra tempus paschale, ad introitum, offertorium et communionem non sunt tollenda « Alleluia ». *S. R. C. in Lincien. 6 febr. 1892 ad 10* (*3764*). Ita scilicet scriptum est in decreto. Attamen in indice decretorum (*v. Alleluia*), qui editus est in volumine separato, dicitur: « Alleluia in introitu missae de sacro Corde Iesu in missis votivis extra adventum et quadragesimam omitti debet. *Decr. 3137 ad 5*; *3764 ad 10.* (Pone in posteriore responsione " Affirmative „ pro " Negative „) ». Haec votiva, quando, approbante ordinario, primis feriis sextis cuiuslibet mensis peculiaria exercitia pietatis in honorem ss. Cordis ma-

ne peraguntur, dici potest semper, etiamsi occurrat illo die festum etiam de praecepto, exceptis tantummodo festis primae classis, festis Dni. quibuscumque, vigilia Epiphaniae, et octavis Epiphaniae, Paschae et Pentecostes (Decr. Leonis XIII. *28 iun 1889*); dicenda vero est, etiamsi fuerit lecta, cum *Gloria*, *Credo* et unica oratione. *S. R. C. in una Montis Polit. 20 maii 1890 ad 1* (*3731*).

Missa votiva de ss. Corde licita etiam est iis diebus, in quibus quis recitat officium votivum de ssmo. Sacramento feria quinta, vel de Passione Domini feria sexta, et tunc secunda oratio, quando non occurrunt commemorationes faciendae, sumenda est de tempore. *S. R. C. decr. cit. 6 febr. 1892 ad 11.* In missa votiva ssmi. Cordis post septuagesimam sumitur tractus « Ego autem » ex missa pro dioecesi Venetiarum; item tempore paschali « Alleluia Alleluia » et versiculus « Domine Deus meus » ex eadem missa sumuntur. *S. R. C. in Ratisbonen. 29 febr. 1868 ad 1* (*3168*).

Illis, qui recitant officia votiva de ss. Sacramento vel de Passione Domini, celebrare etiam licet missam votivam sive de Passione Domini, qnando recitant officium de ss. Sacramento: sive de ss. Sacramento quando recitant officium de Passione; sive de Cruce, quando alterutrum horum officiorum recitant; et in his casibus, ut supra diximus pro votiva ss. Cordis, secunda oratio, quando non occurrunt aliae commemorationes, sumenda est de tempore. *S. R. C. decr. cit. 6 febr. 1892 ad 11.*

De votivis B. Virginis. — Pro votiva B. Mariae Virginis, sive ea sit privata sive solemnis, etiam pro re gravi, debet sumi una ex quinque pro diversitate temporis in missali positis, aliave approbata ut tamquam votiva dicatur) *S. R. C. decr. gen. cit. 30 iunii 1896* — sicut de Immaculata Conceptione « Gaudens gaudebo », de septem doloribus, de eius ss. Nomine vel puvissimo Corde); nisi fuerit dies festus Beatae Virginis quilibet (quia tunc dici debet de ipso festo et tamquam festiva, non tamquam votiva, *S. R. C. in una Ord. Min. 26 ian. 1793 ad 2* [*2542*]; *decr. gen. cit. 30 iun. 1896*); vel infra aliquam octavam Beatae Virginis. quia tunc dici debet missa de octava cum *Gloria* et *Credo*, si de ea fiat officium, cum *Gloria* tantum ratione festivitatis sed more votivae, si officium fiat de alio festo semiduplici (*S. R. C. decr. cit. 26 ian. 1793 ad 2*; *decr. gen. cit. 30 iun. 1896*; *in una basilicae ss. Rosarii in valle Pompeiana 30 aug. 1905*), vel fuerit vigilia Assumptionis aut Immaculatae Conceptionis (in quibus etiam ad adimplementum oneris votivam celebrandi, celebranda est missa de vigilia *S. R. C. decr. cit. 30 iun. 1896*). vel sacerdos ex indulto recitaverit officium votivum de beata Virgine quia tunc debet sumi ea missa, quae respondet officio, *S. R. C. decr. cit. 20 iun. 1896.* 4130

In missis votivis de Beata Virgine tertia oratio dicitur de Spiritu Sancto; et in sabbato, quando de ea factum est officium, secunda oratio est de

Spiritu Sancto, tertia « Ecclesiae » vel pro Papa. *Rubr. gen. miss. tit. IX. n. 15.*

Missae propriae de festivitatibus Beatae Mariae celebrari non possunt, nisi diebus, in quibus dictae solemnitates occurrunt et per earum octavas, quod servandum est etiam si huius modi missae ex praescripto et institutione fundatorum petantur, quibus satisfit celebrando aliquam ex votivis Beatae Virginis secundum temporis exigentiam. *S. R. C. decr. cit. 30 iun. 1896.*

In missis votivis de Beata Virgine, quae non celebrantur in sabbato, non potest dici *Gloria* (*S. R. C. in Neapolitana 30 iul. 1689* [*1817*]), nisi esset dies infra aliquam octavam eiusdem Beatae Virginis; imo neque in hoc casu, si quaestio esset de sacerdote, qui ex indulto quotidie celebrat missam de Beata. *S. R. C. 30 iun. 1896.* In his missis semper omittitur *Credo*, exceptis diebus infra aliquam octavam Beatae Virginis. Haec omnia applicanda sunt etiam missis novemdialibus vel missis « Rorate », quae per adventum cantari solent quotidie in honorem B. Virginis in aliquibus ecclesiis, quae omnes missae, utcumque solemnes, celebrari debent sine *Gloria* et *Credo* et cum tribus orationibus.

4131 **De votivis sanctorum.** — Pro *votiva S. Ioseph* semper sumenda est missa, quae correspondet officio votivo eiusdem sancti feria quarta per annum (*S. R. C. decr. cit. 6 febr. 1892 ad 9*), idest missa assignata pro die solemnitatis s. Ioseph (Patrocinii), sed non ritu paschali, desumpto graduali cum primo versiculo, et tractu, si dici debeat, ex missa assignata pro die festo eiusdem sancti, qui affixus est dominicae immediate insequenti diem 19 martii.

In *votivà SS. Apostolorum*, quo tempore dicenda esset oratio « A cunctis », eius loco dici debet oratio de Beata Virgine « Concede nos famulos tuos ». *Rubr. gen. miss. tit. IX. n. 15.*

In *votiva omnium sanctorum* tertia oratio dici debet de Spiritu Sancto.

De quibuscumque *sanctis canonizatis*, dummodo fuerint notati in martyrologio, etiamsi nullum de eis dicatur officium, votiva celebrari potest, et de iis tantum. *S. R. C. decr. cit. 30 iun. 1896.* Quare de *beatis* non canonizatis, etiam ubi officium et missa de iisdem concessa est, missas votivas celebrare non licet, nisi speciale indultum ab Apostolica Sede ad hoc habeatur.

Quando dici debet de aliquo sancto, si is habeat missam propriam vel assignatam ex missis de communi, ea sumitur; secus illa de communi sumitur, ex qua assignata est oratio, secreta vel postcommunio; et si orationes non sunt de communi, vel de eo sancto nihil habetur, sumitur missa de communi, quae magis placet. Cfr. *decr. cit. S. R. C. 30 iun. 1896.*

De votiva pro gratiarum actione. 4132 — Si quando dici debeat votiva *pro gratiarum actione*, sumitur missa de SSma Trinitate vel de Spiritu Sancto vel de Beata Maria Virgine (ut habetur in missali post missam votivam SS. Trinitatis) cum oratione pro gratiarum actione sub unicà conclu-

sione, si dicatur votiva solemnis, et fortasse etiam privata, quamvis nonnulli (Gavantus *p. 1. t. 7. n. 7;* Merati *p. 1. t. 4. n. 24*; S. Alphonsus *VI. 423. adv. 4*) in hoc altero casu putent, dicendam esse statim post omnes orationes praescriptas, quemadmodum si ageretur de alia votiva ad libitum. Cfr. De Herdt *loc. cit. n. 42.*

De votiva pro sponso et sponsa (*remissive*). — Quoad votivam pro Sponso et Sponsa, vid. *Sponsi.*

4133 **Notandum.** — Propositis dubiis: 1° utrum ad s. Congr. de disciplina Sacramentorum spectet concedere facultatem legendi missam votivam, praeterquam caeco aut caecutienti, quibus in normis Romanae Curiae (part. 2, cap. 7 art. 3 n. 10-g), etiam senio confectis vel alio morbo laborantibus; — 2° utrum eadem s. Congregatio in superioribus memoratis casibus concedere valeat facultatem non solum legendi missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis, sed etiam alias missas votivas a s. Sede approbatas; — responsum fuit: « Affirmative ad utrumque ». *S. C. Cons. 16 aug. 1910.*

4134 **Votum. — *De natura voti.*** — **Quid sit.** — Votum est promissio deliberata Deo facta de bono meliori. S. Th. *2. 2. q. 88. a. 2.*

Ad essentiam igitur voti, ex qua parte illud deliberatam promissionem dicit, requiritur vera intentio sese obligandi et acceptatio ex parte Dei; ex qua parte dicit promissionem de bono meliori requiritur materia apta.

4135 **De intentione requisita in voto.** — Ad obligationem assumendam ex voto requiritur intentio deliberata; continet enim in se propositum, quod deliberationem praeexigit, quum sit actus voluntatis deliberatae. S. Th. *loc. cit. a. 1.*

Deliberatio autem haec, quae requiritur, non ea est, quae sufficit ad peccandum mortaliter, sed maior debet esse (Ball. *in Gury I. 320* [3]); ratio est, quia ad grave peccatum admittendum satis est confuse cognoscere gravitatem reatus, ad obligationem vero assumendam perfectior requiritur cognitio oneris, quod quis suscipit. B. P. *II. 605.* Hinc votum factum cum semiplena deliberatione non valet. B. P. *II. 606.*

Quando autem adfuerit necne plena deliberatio, nonnisi prudentis arbitrio diiudicari potest in casibus particularibus, nec possunt assignari generalia quaedam indicia ad hoc iudicium efformandum. Suarez *de voto lib. I. c. 9. n. 13.*

Patet ad votum sufficere promissionem etiam implicitam (Ball. *in Gury I. 321* [4]), et promissionem factam solo animo et cogitatione (D'Ann. *III. 194*); sed si quis implicite promittendo plane ignoraret obligationem inde sibi assumendam, voto non obstringeretur. Hinc ille, qui in ecclesia latina subdiaconatum libere suscipit, implicite castitatem vovet; at si nesciret hanc ipsam obligationem servandi ex voto castitatem susceptioni subdiaconatus annexam esse vel putaret se exinde ad hoc tantum teneri ut uxorem non duceret, is vel nulla obligatione vel diminuta tantum teneretur, quamvis postea alio ex capite obligaretur ad votum castitatis emittendum.

Ex defectu intentionis requisitae irritum est votum, quod quis ex errore emisit, si error fuerit substantialis, idest circa ipsam rei substantiam (ut si quis vovisset se alicui ecclesiae donaturum calicem, quem putavit argenteum, et est aureus), imo etiamsi accidentalis fuerit, si tamen ita fuerit efficax, ut eo tantum supposito voverit, votum non emissurus, si rem probe cognovisset (ut si quis vovisset se peregrinaturum ad limina apostolorum, quae putavit distare centum milliaribus, quum distarent quadringentis). Busembaum *lib. III. tr. 2. c. 3 dub. 2. n. 6.*

Similiter error circa causam finalem votum reddit nullum, ut si quis aliquid se facturum voveret ad obtinendam sanitatem patris, qui iam convaluit (Salmanticences *Th. mor. tr. XVII. c. 1. n. 158*); si vero error se habuerit tantum circa causam impulsivam (ut si quis vovisset se peregrinaturum Romam, etiam quia voluisset ibi amicum invisere, quem postea scit mortuum), stat votum (B. P. *II. 612*), nisi haec causa impulsiva fuerit efficax, idest nisi, ea non exstante, votum quis non fuisset emissurus. D'Ann. *III. 194.*

Nota tamen vota, quae post novitiatum in aliqua religione approbata emittuntur, irrita non esse, nisi intercesserit error substantialis. Lugo *de iust. et iure disp. XXII. n. 88*; B. P. *II. 611.*

4136 **De acceptatione Dei requisita.** — Quum votum sit promissio, patet necessariam esse ad obligationem inducendam acceptationem Dei (Suarez *l. c. l. IV. c. 2*; D'Ann. *II. 517* [*23*], *III. 194*), sed haec numquam deest, si in voto sit materia apta. Cfr. *Deut. XXIII. 21.*

Ex defectu huius acceptationis dicendum videtur, ipso iure naturae irritum esse votum, quod quis emisit adductus metu gravi, iniusto, incusso ad extorquendum votum. B. P. *II. 609.* Et certe praesumi nequit, Deum acceptare illam promissionem, quae per iniuriam alteri extorquetur, quum ne homo quidem iustus similem promissionem acceptaret.

De materia requisita in voto. — 4137 Materia voti debet esse determinata, possibilis, haud inutilis et praesertim moraliter bona, imo de bono meliori. S. Thom. *loc. cit. a. 2*; D'Annibale *I. 192.*

Bonum autem melius non aestimandum est praecisive a circumstantiis; nam bonum ex. gr. in se est ieiunium, sed non est bonum pro muliere praegnante.

Bonum vero melius illud est, quod melius est suo opposito vel suiipsius carentia (B. P. *II. 617*), seu est quodcumque bonum opus, quod sine impedimento maioris boni fieri potest. Suarez *l. c. lib. II. c. 7. n. 3.*

Etiam res praecepta, seu ad quam quis iam ex alio capite obligatur, potest esse materia voti. Suarez *l. c. lib. II. c. 6. n. 4.*

Ex nuper dictis sequitur: *ex defectu determinationis* non valet votum faciendi quod in se est ad vitanda omnia venialia (Suarez *loc. cit. lib. II. c. 3. n. 10*); *ex defectu possibilitatis* irritum est votum sive de re physice impossibili, ut si pauper voveret se iturum peditem in insulam

Melitam (Suarez *loc. cit. lib. II. c. 2. n. 2*), vel si quis voveret se semper actu cogitaturum de Deo, Deumque amaturum (S. Th. *2. 2. q. 24. a. 8*). sive de re impossibili moraliter, ut si quis voveret se vitaturum omnia omnino peccata sive mortalia sive venialia (S. Th. *1. 2. q. 109. a. 8*; Suarez *loc. cit. lib. II. c. 3. n. 5 sqq.*), vel se facturum quidquid perfectius esse cogniturus est (D'Ann. *III. 192* [*5*]), nisi habeatur specialis instinctus Spiritus Sancti; *ex defectus utilitatis* nullum esset votum non praecidendi ungues certa die (B. P. *II. 619*), non nendi sabbatis (D'Ann. *III. 192* [*5*]), numquam ascendendi equum (Busembaum *loc. cit. dub. 3. n. 2*), non exeundi domo dextero primum pede (B. P. *loc. cit.*), etc.: *ex defectu moralis bonitatis* esset nullum votum occidendi publicum peccatorem, qui aliis scandalo est, vel peccandi cum aliqua puella, etc. (et qui voveret rem mortaliter malam certo, qui voveret rem venialiter tantum malam probabilius mortaliter peccat, quia blasphemiam sapit, quod quis existimet huiusmodi rem acceptam Deo fore, S. Alph. *III, 206*; B. P. *II. 620*); *ex defectu maioris bonitatis*, quam ea, quae in opposito est, nullum est votum nubendi vel uxorem ducendi (Suarez *l. c. lib. II. c. 9. n. 2* — nisi in casu matrimonium esset praeceptum, ex. gr. si obligatio urgeret reparandi damnum illatum puellae sub promissione matrimonii violatae [Suarez *loc. cit. n. 8*], vel esset remedium concupiscentiae, quod in casu vovens vel unice velit suscipere, vel unice erit probabiliter servaturus [S. Alph. *III. 209*; B. P. *II. 625*]), etc.

De eo, qui vovit rem ex parte possibilem, ex parte non. — Si quis vovisset rem ex parte possibilem, ex parte impossibilem, ut ex. gr. si non dives vovisset se alicui ecclesiae empturum agrum et aedificaturum magnum monasterium, et non posset nisi emere agrum, siquidem ad utrumque se obligasset per modum unius et prae oculis habuisset utrumque indivisibiliter, nullum esset votum (Salmanticenses *Th. mor. tr. XVII. c. 1. n. 74*), ut in casu allato, si ideo ille vovisset se empturum agrum, quia vovebat se aedificaturum monasterium; si vero intentio voventis ferebatur in rem, prout est ex pluribus composita, idest ea plura quasi divisa voveret, is, si non posset praestare totum, teneretur ad partem; sic si quis voveret se peregrinaturum ad aliquod sanctuarium et peregrinaturum nudis pedibus, nudis autem pedibus peregrinari non posset, teneretur tamen peregrinationem non nudis pedibus instituere. Salmanticences *l. c. n. 76*; Suarez *l. c. lib. II. c. 10. n. 3.* 4138

Si vero res vota non sit divisibilis, sed ex natura rei sit individua, ut ex. gr. aedificare ecclesiam, si quis non posset nisi partem praestare, ex. gr. fundamenta tantum exstruere, ad nihil teneretur. B. P. *II. 659.*

Notandum. — Ceterum nota, haec omnia maxime intentione voventium regi; quare in casibus practicis ea maxime attendenda est, et exinde sumenda solutio quaestionis seu casus propositi. Ad quod inserviet etiam 4139

meminisse, dubitantem an voluerit se obligare, per se obligatione non teneri (Suarez *de religione tr. VI lib. 4. c. 6. n. 10*), quia lex seu obligatio, quae ex voto exsurgit, est dubia; lex autem dubia lex nulla.

4140 **De votis disiunctivis aut de rebus incompossibilibus.** — Si votum sit disiunctivum et una pars disiunctivae sit mala vel quocumque ex capite inepta voto, votum non tenet, ut si quis voveret, se aut perfectam castitatem servaturum aut concubinam habiturum, vel aut oraturum aut lusurum (S. Alph. *III. 203., 224*; B. P. *II. 620*; D'Ann. *III. 192*); ratio est quia secus vi voti posset quis eligere indifferens aut malum.

Si quis duo successive voverit, quae simul impleri nequeunt, ut se quotidie visitaturum longinquum sanctuarium per integrum mensem, et singulis sextis feriis se e domo non egressurum, si constet unum ex duobus alteri dignitate praestare, ad illud tenetur (nam vel ad dignius se prius obligavit, et ea obligatione ligatus non poterat ad aliud bonitate inferius ligari, vel ad dignius se obligavit postea, et censetur in istud commutasse prius votum, Vid. *Commutatio*); secus ad id, quod primo vovit.

Si autem haec duo vovit simul, tunc penes ipsum est electio; censetur enim votum disiunctivum, ut in exemplo superius allato, vovens singulis sextis feriis posset vel e domo non egredi, vel visitare sanctuarium, aliis vero hebdomadae diebus sanctuarium visitare deberet. Cfr. D'Annibale *III. 192. (9)*.

4141 ***De causa in voto.*** — Etiam causa in voto, seu finis debet esse honestus; et in hoc omnes concordant. Sed quid, si de facto fuerit turpis; an votum valet? Et si causa mala sit, et sit unica vel principalis, votum non tenet, ut si quis voveret se susceperum ordines, vel unice vel principaliter, ut obtineat pingue beneficium, quod certe in casu simoniace esset consecuturus (B. P. *II. 621*), vel si quis voveret eleemosynam, eo quod inimicum occidit (D'Ann. *III. 193*); si causa mala est secundaria tantum et impulsiva, ut si quis voveret se susceperum ordines sacros etiam, ut pingue illud beneficium obtineret, vel est mala tantum ex circumstantiis extrinsecis, ut si quis aliquid voveret in gratiarum actionem, quia filium ex concubina suscepit (Suarez *l. c. lib. II. c. 5. n. 19*; D'Ann *III. 193*), votum valet.

De votis conditionalibus. — Quem- 4142
admodum omnes contractus et promissiones, ita et vota sub conditione fieri possunt. Vota autem ista conditionalia reguntur iisdem regulis ac aliae promissiones conditionatae, circa quas vide ea, quae diximus relate ad sponsalitiam promissionem (Vid. *Sponsalia*), eaque praesenti materiae cum proportione applica.

Patet autem, conditionem turpem vel impossibilem vitiare votum, si ea nempe apponatnr tamquam finis ipsius voti (S. Alph. *III. 219*; B. P. *II. 641*), ut si quis voveret, se daturum pinguem eleemosynam sanctuario Beatae Virginis, si alicuius puellae hucusque invictam castitatem vicerit. Suarez *l. c. lib. II. c. 5. n. 7 sqq.*

Eodem modo patet, voventem sub

conditione turpi, imo sub conditione quoque vana et inutili, ut si quis voveret sub conditione, quod sibi domo exeunti primus omnium occurrat canis, non excusari a peccato ob irreverentiam erga Dei maiestatem; et si quaestio est de conditione turpi, peccatum hoc grave videtur.

4143 **De votis poenalibus.** — Inter vota conditionalia locum tenent vota poenalia, quibus nempe quis se obstringit in casu, quo aliquod peccatum admittat; ut si quis voveret se ieiunaturum, si inter hebdomadam in fornicationem labatur.

Votum hoc bonum est et validum, ut patet, quia votum tendit ad actum omnino bonum, nempe ad se puniendum, si in peccatum quis labatur, et saepe per hoc ad se emendandum. Suarez *loc. cit. lib. II. c. 5. n. 3.*

Si autem votum fuerit *poenale mixtum*, ut si quis voveret, se intra hebdomadam non fornicaturum, et, si fornicatus fuerit, ieiunaturum, votum non fornicandi habetur ut principale, ieiunandi in hypothesi admissae fornicationis accessorium (Cfr. Laymann *Th. mor. lib. IV. tr. IV. c. 5. n. 2;* D'Ann. *III. 196*); quare si invalidum est vel cessaverit quacumque ex causa votum principale, et accessorium non tenet S. Alph. *III. 223*); imo si quis fornicatus fuerit in casu, oblitus sive voti non fornicandi, sive voti ieiunandi si admitteret fornicationem, ad ieiunandum non teneretur (S. Alph. *loc. nuper cit.*; Roncaglia *de poenit. q. VII. c. 2. q. 4*), quia quaecumque excusant (excepta aetate) a poena incurrenda per leges inflicta, excusant etiam ab incurrenda obligatione ex voto poenali. D'Annibale *III. 196.*

De obligatione voti. — **De ipsa obligatione et de eius gravitate, vel non.** — 4144 Voto quis Deo obligatur ex iustitia eo modo, quo iustitia ad Deum esse potest (Suarez *l. c. lib. IV. c. 1. n. 5 sqq.*); et hac obligatione tenetur ex ipso iure naturae, quod, supposita promissione ab aliquo facta Deo, ipsum ligat ad eam implendam. Quare obligatio voti non exsurgit ex voluntate voventis, nisi quatenus haec voventis voluntas praesupponitur tamquam conditio ad votum. B. P. *II. 626.*

Votum autem in re levi semper sub levi obligat (Suarez *l. c. lib. II. c. 4. n. 17 lib. V. c. 4. n. 7 sqq.*), quia ius naturae non permittit ut in re levi obligatio sit gravis (B. P. *II. 627*); in re vero gravi votum obligat sub gravi (Suarez *loc. cit. lib. IV. c. 3. n. 1 sq.*), nisi vovens voluerit se sub levi obligare. Suarez *l. c. l. IV. c. 4. n. 8 sqq.* B. P. *II. 629.*

Gravis autem ea materia est, quae, quum ab ecclesia praecipitur, graviter obligat, ut ieiunium, missa etc., vel quae comparata cum alio praecepto gravis videtur, vel notabiliter ad finem voti aut ad Dei cultum confert (G. B. *I. 326*); in dubio pro levi obligatione standum est.

Extensio obligationis ex usu et more recepto in ecclesia quoad ea, quae praecepta sunt, desumenda est; hinc si quis voverit se quotannis ieiunaturum in pervigilio B. V. Immaculatae, nisi expresse apposuerit in voto, se ieiunandi obligationem suscipere usque ad mortem, quum pervenerit ad

aetatem sexagenariam, votum cessabit (S. Alph. *III. 1038*), et quousque voto tenebitur, poterit uti lacticiniis, et si festum inciderit in feria secunda, poterit ieiunare in praecedenti sabbato. D'Ann. *III. 197* (*8*).

Nota, non omnem violationem voti esse sacrilegium. Vid. *Sacrilegium.*

4145 **An convalescat votum nullum ex defectu, cessante defectu.** — Votum, quod nullum fuerat ex quocumque defectu, non convalescit, cessante eo defectu; hinc, si quis castitatem voveret, postquam virginem seduxit sub spe matrimonii, votum esset irritum, quia esset de re mala; supponas puellam violatam decedere, vir ad castitatem servandam non teneretur. D'Ann. *III. 192* (*59*).

4146 **Quosnam teneat obligatio voti.** — Obligatio autem voti eum tenet, qui vovit, non alios (D'Ann. *III. 197* [*1*]); quare vota emissa a magistratu vel superiore religioso vi voti non obstringunt, ut videtur, universos subditos, multo minus posteros, nisi hi omnes votum ratum habeant. Ratio est, quia votum est promissio et lex privata; porro promittere alius pro alio non potest, nec superior potest inducere obligationem legis privatae, quae essentialiter ex persona privata est, non ex persona publica. Cfr. *decr. S. R. C. 18 apr. 1643* (*834*); *in Eporedien. 19 nov. 1650* (*932*).

Dixi: *vi voti;* nam votum emissum a superiore potest alios tenere, nempe et subditos et posteros ex alio capite, idest ex capite legis latae; sic Romae tenemur ad ieiunandum in pervigilio Purificationis, non vi voti quondam emissi, sed vi legis aequivalenter latae et non abrogatae a legitima et competente auctoritate. Attamen lex ista debet esse intra terminos competentiae ipsius superioris; hinc quum civitas Eporediensis se obstrinxisset publico voto ad servanda nonnulla festa cum vigilia et ad peragendas processiones, et episcopus votum confirmasset et adiecisset ad ea omnia teneri successores quoque, licet votum non emiserint, sacra Rituum Congregatio expostulata, an ad haec omnia successores tenerentur saltem vi praecepti, respondit *negative* (*decr. cit. 19 nov. 1650*); scilicet, quia in praesenti disciplina episcopi non possunt ad haec subditos obligare.

Vota autem personalia ab ipso vovente impleri debent, nec posset is per alium satisfacere, imo nec tenetur ad hoc, si ipse non possit amplius id praestare, quod vovit; hinc, si quis vovit se peregrinaturum Romam, non satisfacit alium conducendo, qui peregrinetur. B. P. *II. 636.*

Vota realia, ut si quis voveret se daturum centum libellas alicui ecclesiae, solvenda sunt ex bonis propriis (S. Alph. *III. 217*), nec tenetur quis emendicare, si ea non habeat. Vota realia ad heredes transeunt, non quatenus heres vi voti teneatur praestare id, quod testator vovit, sed quatenus ex iustitia ad hoc tenetur, quum accipiat hereditatem tali onere gravatam, et onera huiusmodi ad heredes transeant. B. P. *II. 633.*

Si quis autem dubitat, an votum emiserit necne, ad votum non obligatur, quia in casu lex idest obligatio voti est dubia, et lex dubia non obligat. B. P. *II. 607.*

3147 **De tempore obligationis satisfaciendae.** — Debet praeterea quis non solum id praestare, quod vovit, sed etiam eo tempore, quo vovit (S. Alph. *III. 220*); quare, si quis voverit aliquid praestare certa die, illud ea die praestare debet, praesertim si votum diei sit affixum, ut ecce ieiunare in pervigilio alicuius festi (B. P. *II. 643*); si autem voverit sine certa die, votum secundum quosdam adimplere debebit intra modicum tempus, quo primum vovens possit sine gravi incommodo (cfr. D'Ann. *III. 198*); et his grave est differre diu sine iusta causa, nempe vota temporaria ultra duos vel tres annos (Palaus *de voto disp. 1 punct. 13. n. 7*), perpetua ultra sex menses, quia dilatione minuuntur. Sanchez *in dec. lib. IV. c. 14. n. 22.*

Alii tamen verius putant in quacumque mora, exceptis votis perpetuis, non dari peccatum mortale, dummodo voti adimpletio exinde impossibilis non evadat, aut ex dilatione non habeatur periculum oblivionis. S. Antonin. *apud Sanchez in dec. lib. IV. c. 14. n. 21*; B. P. *II. 645 sqq.*

4148 **De obligatione in votis conditionalibus.** — In votis conditionalibus obligatio non exsurgit, nisi impleta conditione, ut patet. Attamen vovens debet in casu exspectare eventum, nec potest interim revocare votum, et pendente conditione, tenetur rem servare, circa quam vovit; sic qui vovit, se donaturum calicem, quem domi habet, sub conditione, non potest, pendente conditione, illum amico donare, nisi implicite voverit, se daturum calicem vel praestiturum eius valorem, D'Ann. *III. 199.* Non purificata conditione votum cessat, nisi vovens ipse actione sua libera causam posuerit, ut conditio non verificaretur (*l. 85, § 7 de verb. oblig. D.* [*XLV. 1*]), quemadmodum si quis voveat aliquid, si ex uxore filium intra annum suscipiat, et ipse libere eo tempore uxorem non cognoscat (D'Ann. *III. 199* [*25*]; si tamen agatur de conditione, quae in potestate alterius sita est, si vovens impediit precibus etc., imo etiam vi aut fraude, quominus conditio impleretur, obligatione praestandi id, quod voverat, non tenebitur, quamvis, si vi aut fraude impediverit, infidelitatis reus erit. S. Alph. *III. 218.*

De cessione voti. — Votum cessat 4149 mutata materia, vel facta impossibil- nempe ita mutata materia, ut si vovens mutationem suspicari potuisset, non vovisset; ut si quis vovit dare quotidie eleemosynam Titio pauperi, qui ex inopinato postea assequitur pinguem hereditatem (D'Ann. *III. 200* [*3*]); et hoc verum est, etiamsi culpa voventis mutatio acciderit vel materia facta sit impossibilis in perpetuum (B. P. *III. 656*), ut ecce, si quae puella votum fecisset non nubendi et postea nupserit, ea voto liberatur, et potest, primo marito mortuo, alteri nubere. At si impedimentum est tantum temporaneum, votum suspenditur tantum et non cessat, ut si vovisti te templum aedificaturum et postea fortunam tuam pessumdederis, votum suspenditur, nam si postea hereditatem pinguissimam assequaris, voto teneberis. B. P. *loc. nuper cit.*

Votum cessat quoque, si materia fiat inutilis aut indifferens, ut patet.

Votum praeterea cessat irritatione, dispensatione, commutatione; haec vide suis locis.

4150 ***De divisionibus voti.*** — Votum aliud est personale, aliud reale; illo sola actio voventis promittitur, isto promittitur a vovente praestanda aliqua res, quae est obiectum directum voti. B. P. *II. 603.*

Votum dividitur etiam in temporarium et perpetuum, quod planum est.

Tertia tandem est divisio voti in solemne et simplex. Porro votum simplex et solemne non differunt specie, sed tantum in morali quadam proprietate, quae accidentalis et extrinseca respectu substantiae voti aestimari debet. Nam votum simplex et solemne intrinsece est tantum promissio, cuius naturam non immutat constitutio ecclesiastica, quae addit voto solemnitatem; haec autem est specialis deputatio ecclesiae speciales gignens effectus, et praecipue regulariter inhabilitatem ad effectus iuridicos actuum voto contrariorum in perpetuum, et immutabilem firmitatem status in foro externo ecclesiae. Quare solemnitas voti praecipue est in lege, et licet dicatur esse in voto morali modo, illi non addit nisi denominationem extrinsecam, et ideo sine intrinseca mutatione voti vel voventis per solam legis ablationem auferri potest. Hinc patet, divisionem voti in simplex et solemne non esse generis in species, sed subiecti in accidentia.

In votis solemnibus emissis in aliqua religione duo considerari debent; aliud est vinculum professionis religiosae coram ecclesia, et hinc est quod ad solemnitatem requiritur, ut vota emittantur in aliqua religione approbata; aliud est vinculum speciale cum illa religione. Hoc alterum vinculum facilius abrumpitur a romano Pontifice, vel etiam a superioribus ordinis, nisi prohibeantur.

De voto ut impedimento matrimonii. — 4151 Votum simplex castitatis, non nubendi, ingrediendi religionem, ordines sacros suscipiendi, sunt impedimentum impediens matrimonium; votum vero castitatis solemne in susceptione ordinis sacri vel per professionem in religione approbata emissum matrimonium dirimit (cfr. tit. *Qui clerici vel voventes etc. X.* [*IV. 6*]; *cc. 1. 4 de clericis coniug. X.* [*III. 3*]; Conc. Trid. *sess. XXIV de ref. matr. can. 9*); item ex privilegio votum simplex castitatis a scholasticis Societatis Iesu post biennium emissum. *Const.* Greg. XIII. « Ascendente Domino » *VIII. kal. iun. a. 1584.* Attamen nota, perperam dici a quibusdam ea vota scholasticorum Societatis Iesu dirimere matrimonium ratum. Ball. *in Gury II. 571.* (*3.*).

In hoc impedimento voti non dispensat nisi unus romanus Pontifex, qui quoad viros regulares et moniales solemniter professas, nec non quoad clericos in sacris constitutos, non solet uti sua potestate dispensandi, nisi ob urgentissimam causam immediate concernentem bonum publicum ecclesiae. Imo generatim dispensatio conceditur ad unum tantum matrimonium, commutando votum perfectae castitatis in votum castitatis coniugalis. Cfr. Lehmkuhl

Th. mor. I. 500; Nilles *in Arch. für kath. Kirchenrecht tom. 61. pag. 329.*

Quoad clericos vero maiorum ordinum nota, romanum Pontificem raro cum subdiaconis, rarius cum diaconis, rarissime cum presbyteris, numquam cum episcopis solitum fuisse dispensare. Attamen nunc ex decreto sacrae congr. *S. O.* (20 febr. 1888). potestas dispensandi cum subdiaconis et diaconis nec non cum aliis professis votorum solemnium delegata est in quibusdam peculiaribus circumstantiis ipsis episcopis: sed hoc vide sub *Impedimenta matrimonii.* Ad convalidandum vero matrimonium ab his iam invalide contractum non videtur requiri causa publica.

Voto solemni castitatis astricti matrimonium contrahere attentantes, vel ii omnes, qui cum tali voto astrictis contrahere praesumunt, incurrunt excommunicationem latae sententiae, ordinariis reservatam. *Const.* «Ap. Sedis» *ser. 3. n. 1.* Ad hanc vero excommunicationem incurrendam requiruntur tria, scilicet ut professio vel ordinatio vere valida fuerit; ut contrahentes verum praestent consensum, non simulatum, aut errore substantiali inductum aut gravi metu extortum; ut temere contrahant, non igitur si uterque vel alteruter ignorantia laboraverit seu facti seu iuris, licet crassa, et supina, etsi postea, ea cognita, in cohabitatione perseveraverint. D'Ann. *comm. in const.* «*Ap. Sedis*» *n. 157.* Vid. *Religiosus*, etc.

Tit. de voto et voti redemptione X. (III. 34); idem tit. (III. 15) in 6°; *Lopez Did.* Tr. de voto; *Thompson Th.* De votis monasticis; *Henichii lo.* Diss. de iuramentis et votis; *Leiseriw* Diss. de votis; *Thomassin* Vet. et nov. ecclesiae disciplina p. 1. libr. 3 c. 42 sqq.; *Stephinsky* Begriff. d. Gelübdes; *De Montelembert* Histoire des moines d'Occident; *Dom Guéranger* Sainte Cécile et la société romaine aux deux premiers siècles; *Panthe L.* Histoire de sainte Marcelle: la vie religieuse chez les patriciennes de Rome au IV^e^ siècle; *Lagrange* Histoire de Sainte Paule; *Huppert Ph.* Der Begriff d. Gelübdes; *Weckesser P.* Das feierliche Keuschheitsgelübde d. gottgew. Jungfrauen i. d. alt. K.; *Kirchberg C.* De voti natura, obligatione, honestate; *St. Schiewitz* Vorgeschichte d. Mönchtums od. d. p. Ascetentum d. drei erst. christl. Jhdte; *Dom Besse* Les moines d'Orient; *Ledos* Sainte Gertrude; *Rampolla M.* Santa Melania giuniore senatrice romana.

Votum sacramenti. — Votum sacra- 4152
menti, idest sive votum baptismi pro non baptizato, sive votum sacramenti poenitentiae pro baptizato lapso, necessarium est ad iustificationem. Hoc autem nihil aliud significat, quam quod quisquis ad iustificationem consequendam necesse habet fovere propositum implendi ea omnia, quae praecepta sunt, etsi ea praecepta esse ignoret. Et re quidem vera nec perfecta caritas nec sincera contritio, sine quibus extra sacramentum iustificationem consequi quis nequit, concipi potest sine hac implicita saltem voluntate. Quare, quum non baptizatis susceptio baptismatis, baptizatis lapsis subiectio peccatorum clavibus ecclesiae praecepta sint, ab illis sine voto saltem implicito baptismi, ab his sine voto saltem implicito poenitentiae sacramenti, iustificatio haberi

nequit. Cfr. Lugo *de sacr. euch. disp. III. n. 3.*

4153 **Vulgaris lingua.** — Cantus in lingua vulgari seu vernacula in functionibus liturgicis prohibiti sunt. Vid. *Cantus.*

Eodem modo archiepiscopo Utinensi petenti responsum est, non posse tolerari quod idioma vernaculum adhibeatur in administratione communionis etiam extra missam (Cfr. *S. R. C. in una ord. Capucc. 23 mai 1835 ad 5* [*3725*]), neque in administratione baptismi, exceptis quaestionibus et responsis patrini vel matrinae, dummodo prius a parocho recitatae fuerint latino sermone. *S. R. C. in Utinen. 5 mart. 1904.* Attamen in precibus a summo Pontifice post missam praescriptis permittitur idioma vernaculum, dummodo versio sit fidelis et ab ordinario approbata (*S. R. C. decr. nuper cit.*); quia scilicet harum recitatio non pertinet ad functionem liturgicam.

Vulneratio. — Vid. *Mutilatio.*

APPENDIX

Principaliora decreta et acta S. Sedis, quae respectivis articulis iam typis mandatis edita sunt et proinde in corpore operis suum locum invenire non potuerunt, hic damus iuxta ordinem chronologicum, quo prodierunt.

I. — De nova festorum ordinatione.

4154 1. — **Motu Proprio.** — « Supremi disciplinae ecclesiasticae custodes et moderatores Pontifices Romani, si quando christiani populi bonum id Ipsis suaderet, sacrorum canonum sanctiones relaxare benigne consueverunt. Nos quidem Ipsi, quemadmodum iam alia, ob mutatas temporum et civilis societatis conditiones, immutanda existimavimus, ita etiam in praesens ecclesiasticam legem de festis diebus ex praecepto servandis, ob peculiaria aetatis adiuncta, opportune temperandam censemus. Lata enim terrarum marisque spatia, mira nunc celeritate homines percurrunt, facilioremque per expeditiora itinera aditum ad eas nationes nanciscuntur, quibus minor est festivitatum de praecepto numerus. Aucta etiam commercia, et citatae negotiorum tractationes videntur ex interposita frequentium festorum dierum mora aliquid pati. Succrescens denique in dies rerum ad vitam necessariarum pretium stimulos addit, ne saepius servilia opera ab illis intermittantur quibus est victus labore comparandus.

« His de causis iteratae preces, praesertim postremis hisce temporibus, Sanctae Sedi adhibitae sunt ut festivitatum de praecepto numerus minueretur.

« Haec omnia Nobis animo repetentibus, qui unam christiani populi salutem cordi habemus, opportunum maxime consilium visum est festos dies ex ecclesiae mandato servandos imminuere.

« Itaque, Motu Proprio et matura deliberatione Nostra, adhibitoque consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium qui ad ecclesiae leges in codicem redigendas incumbunt, haec quae sequuntur de festis diebus edicimus observanda.

« I. Ecclesiastico praecepto audiendi Sacri et abstinendi ab operibus servilibus hi tantum, qui sequentur, dies subiecti manebunt : Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis almae genitricis Dei Mariae, beatorum Petri et Pauli Apostolorum, omnium denique Sanctorum.

« II. Dies festi sancti Ioseph, sponsi Beatae Mariae Virginis, et Nativitatis sancti Ioannis Baptistae, uterque cum octava, celebrabuntur, tamquam in sede propria, prior, dominica inse-

quente diem XIX martii, immoto permanente festo si dies XIX martii in dominicam incidat; alter, dominica quae festum sanctorum Petri et Pauli Apostolorum antecedat. Festum vero sanctissimi Corporis Christi, idemque cum octava privilegiata, dominica post Sanctissimam Trinitatem, tamquam in sede propria, celebrabitur, statuta pro festo sanctissimi Cordis Iesu feria VI infra octavam.

« III. Ecclesiastico praecepto, quod supra diximus, dies festi patronorum non subiacent. Locorum autem ordinarii possunt solemnitatem exteriorem transferre ad dominicam proxime sequentem.

« IV. Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur. Si qua vero in natione vel regione aliquod ex abrogatis festis episcopi conservandum censuerint, Sanctae Sedi rem deferant.

« V. Quod si in aliquod ex festis, quae servata volumus, dies incidat abstinentiae vel ieiunio consecratus, ab utroque dispensamus; eamdemque dispensationem etiam pro Patronorum festis, hac Nostra lege abolitis, concedimus, si tamen solemniter et cum magno populi concursu ea celebrari contingat.

« Novum Apostolicae sollicitudinis argumentum huiusmodi praebentes, spem Nos certam fovemus, fideles universos iis etiam diebus, quos nunc de numero festivitatum praecepto obstrictarum expungimus, suam in Deum pietatem et in sanctos venerationem, non minus quam antea, fore testaturos ceterisque diebus festis, qui in ecclesia servandi supersunt, diligentiore, quam antehac, studio observandum praeceptum curaturos.

« Contrariis quibusvis, licet speciali et individua mentione dignis, non obstantibus.

« Datum Romae, apud S. Petrum, 4155
die secunda mensis iulii, anno millesimo nongentesimo undecimo, Pontificatus nostri octavo ».

2. — **Urbis et Orbis.** — « Evulgato Motu Proprio Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X de diebus festis, diei 2 iulii vertentis anni, nonnulli sacrorum Antistites, ne accidat, ut dies octava s. Ioseph, in dominicis privilegiatis Quadragesimae occurrens, nullam in officio et missa commemorationem accipiat, et officium dierum infra octavam, tempore Passionis adveniente, saepius omitti, debeat, ab ipso Sanctissimo Domino Nostro instantissime petierunt, ut ad angendum cultum erga s. Ioseph, ecclesiae universalis patronum, festum eius die 19 martii sine feriatione et sine octava recolatur; festum vero patrocinii eiusdem iuribus et privilegiis omnibus, quae patronis principalibus competunt, augeatur, et sub ritu duplici primae classis cum octava celebretur, prout iam in aliquibus locis et institutis recoli legitime consuevit; eo vel magis quod tempus paschale aptius recolendae solemnitati conveniat, et festum idem in dominica III post Pascha numquam impediri valeat.

« Item rmi Episcopi, quoad solemnitatem Sanctissimi Corporis Christi, ab eodem Sanctissimo Domino Nostro humillimis precibus postularunt,

quod, remanente feria V post dominicam SSmae Trinitatis eius festo, absque tamen feriatione, externa solemnitas ad insequentem dominicam transferatur.

« Sanctissimus Dominus Noster, referente infrascripto sacrorum rituum. Congregationis Secretario, audito commissionis liturgicae suffragio, huiusmodi votis clementer deferens, firmo remanente *Motu Proprio* quoad reliqua festa, statuit et decrevit :

« I. Festum natale s. Ioseph, die 19 martii, sine feriatione et sine octava, sub ritu duplici primae classis recolatur, adhibito titulo : *commemoratio solemnis s. Ioseph sponsi B. M. V., Confessoris.*

« II. Festum patrocinii eiusdem s. Ioseph dominica III post Pascha, sub ritu duplici I classis cum octava, addita festi primarii qualitate, recolatur sub titulo : *Commemoratio solemnis s. Ioseph, sponsi B. M. V. confessoris, ecclesiae universalis patroni.*

« III. Diebus infra octavam et die octava solemnitatis s. Ioseph adhibeatur officium, uti prostat in appendice octavarij Romani.

« IV. Festum sanctissimae Trinitatis, dominicae I post Pentecosten affixum, amodo sub ritu duplici primae classis recolatur.

« V. Festum Sanctissimi Corporis Christi celebretur, absque feriatione, sub ritu duplici primae classis et cum octava privilegiata, ad instar octavae Epiphaniae, feria V post dominicam ssmae Trinitatis adhibito titulo : *Commemoratio solemnis sanctissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi.*

« VI. Dominica infra octavam huius festivitatis, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis recitato officio cum relativa missa de eadem dominica, unica missa solemnis cani potest, uti in festo, cum Gloria, unica oratione, sequentia, *Credo* et evangelio S. Ioannis in fine. Ubi vero non adsit missae conventualis obligatio, addatur sola commemoratio dominicae sub distincta conclusione, eiusque evangelium in fine.

« Hac vero dominica peragatur solemnis processio cum ss. Sacramento, praescripta in ceremoniali episcoporum, lib. II. cap. XXXIII.

« VII. Feria VI post octavam celebretur, ut antea, festum sacratissimi Cordis Iesu sub ritu duplici primae classis.

« Valituro praesenti Decreto etiam pro familiis regularibus et ecclesiis, ritu latino a romano diverso utentibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis » *S. R. C. 24 iul. 1911.*

3. — **Dubium** — « Utrum dioeceses, 4156
ubi hucusque festum nativitatis s. Ioannis Bapt. quotannis celebratum ut die 24 iunii cum apostolica dispensatione a feriatione, possint hunc diem retinere vel potius debeant sumere praefatam dominicam in kalendario universali nuper assignatam nativitati s. Praecursoris Domini ». Et responsum est : « Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam » *S. R. C. 7. aug. 1971.*

4. — **Dubia.** — « Sacrae Congrega- 4157
tioni Concilii circa interpretationem eorum quae nuperrimo Motu Proprio *De diebus festis* a Sanctissimo Do-

mino Nostro Pio Papa X die 11 mensis Iulii hoc anno 1911 edito constituta sunt dubia quae sequuntur enodanda proposita fuerunt:

I. An in festis nuperrimo Motu Proprio suppressis quoad forum, nempe ssmi Corporis Christi, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis B. M. V., s. Ioseph sponsi eiusdem B. M. V., s. Ioannis apostoli et evang., et patroni cuiusque loci vel dioecesis, obligatio remaneat sacrum faciendi pro populo.

II. An in ecclesiis cathedralibus et collegiatis omnia in praedictis festis suppressis servanda sint prout in praesenti sive quoad officiaturam choralem, sive quoad solemnitatem tum missarum tum vesperarum.

III. An festa ex voto vel constituto, auctoritate etiam ecclesiastica firmato sancita, a numero festorum cum obligatione sacrum audiendi vigore novissimae huius legis expungantur.

IV. An eadem lex novissima de diebus festis servandis immediate vigeat.

S. C. Concilii omnibus mature perpensis, ex speciali facultate a Ssmo D. N. Pio PP. X tributa, ad omnia haec dubia respondendnm censuit: « *Affirmative* ». *S. C. C. 8 aug. 1911.*

4158 5. — **Dubium.** — « Relato ab infrascripto S. C. Concilii praefecto in audientia diei 15 Septembris 1911, Ssmo Dno Nostro Pio PP. X dubio a pluribus episcopis eidem S. C. proposito, an post Motu Proprio « *Supremi disciplinae* » diei 2 Iulii 1911 adhuc servari debeant vigiliae festorum suppressorum, ex praecepto aut ex voto hucusque servatae, Sanctitas Sua iussit responderi: « *Affirmative* ». *S. C. C. 18 sept. 1911.*

6. — **Dubium.** — « S. Congregationi 4159
Concilii a nonnullis Hispaniae episcopis dubium quod sequitur propositum est: " Quum hoc anno verificetur quod vigilia nativitatis D. N. I. Chr., coincidat cum Dominica, quae semper manet exclusa a lege ieiunii et abstinentiae, nonnulli moralistae interpretantur dispositiones Motus Proprii "*De diebus festis*„ retinentes et publicantes in ephemeridibus, quod die 23 decembris, scilicet sabbato, vigeat obligatio simplicis ieiunii ratione temporis sacri Adventus, non vero obligatio abstinentiae a carnibus uti fieri solebat in vigilia aut antivigilia eiusdem Nativitatis Domini. Quaeritur itaque ut explicite declaretur an praedicta interpretatio sustineri possit. „

« S. C. Concilii respondendum censuit: *Negative* » *S. C. C. 15 dec. 1911.*

7. — **Dubium.** — « Sub die 18 sept., anno elapso, S. C. C. ad quaestionem: " An post *Motu Proprio* die 2 Iulii 1911 adhuc servari debeant vigiliae festorum suppressorum; „ respondit: *Affirmative.* Cum autem in decreto *Frequentes pluribus*, a S. C. sancti Officii die 5 sept. anno 1906 edito, constitutum fuerit ut vigiliae festorum sancti Ioseph et Annuntiationis B. M. V. servari debuissent iis tantum in locis in quibus eadem festa sub praecepto recoluntur, quaesitum nuper a S. C. C. est: " An per decisionem die 18 sept. anni elapsi datam, supra recensitam, dispositioni decreti Sancti Officii sit derogatum. „ Et S. C. C. respondendum censuit: « *Negative.* ». *S. C. C. 25 febr. 1912.*

8. — **Litterae S. C. C.** — « Plurimis ex locis pervenerunt ad hanc s. 4160

Congregationem Concilii supplices libelli, quibus instantissime postulatur ut omnes aut nonnulli dies festi de numero festivitatum snb praecepto per litteras apostolicas diei 2 iulii 1911 expuncti, in pristinum restituantur, tum ad satisfaciendum pietati fidelium id enixe expetentium, tum ob alias peculiares cuiusque loci rationes. Potissimum vero supplicatum fuit ut festum ssmi Corporis Christi celebrari possit cum solemni processione et pompa, ut antea, feria V post dominicam ssmae Trinitatis, eam praesertim ob causam quod huiusmodi processionis defectum non sine animi moerore et spirituali iactura pati videantur populi, qui eam diem specialiter solemnem habere et miro splendore celebrare consueverunt.

« Porro, Ssmus Dnus N. Pius PP. X, cui relatio de praemissis facta fuit ab infrascripto Cardinali huius s. Congregationis praefecto, plane cupiens ne, ex praepostera aut non recta interpretatione praedictarum litterarum, fidelium pietas ac debitus Deo cultus imminuantur; volens imo ut, quoad fieri possit, augeantur, haec quae sequuntur declarari, praecipi atque indulgeri mandavit:

« 1° Quum, perpensis temporum rerumque novarum adiunctis, Summus Pontifex nonnullos dies expunxit e numero festivitatum sub praecepto, quemadmodum non semel a suis decessoribus factum fuit, minime sane intellexit ut eorum dierum festivitas omnino supprimeretur: vult immo Sanctitas Sua ut iidem dies in sacris templis celebrentur non minori quam antea, solemnitate, et, si fieri potest, eadem populi frequentia. Ea vero fuit et est Sanctitatis Suae mens, ut relaxata maneat tantummodo sanctio qua fideles tenebantur iis diebus audire sacrum et abstinere ob operibus servilibus; idque potissimum ad evitandas frequentioris praecepti transgressiones et ne forte contingeret ut, dum a multis Deus honorificatur, ab aliis non sine gravi animarum detrimento offenderetur. Praecipit itaque eadem Sanctitas Sua omnibus et singulis animarum curam gerentibus ut ipsi, dum haec commissis sibi gregibus significant, ne cessent eos hortari vehementer ut, iis etiam diebus, pergant suam in Deum pietatem et in sanctos venerationem, quantum maxime poterunt, testari praesertim per frequentiam in ecclesiis ad audienda sacra aliaque pia exercitia peragenda.

« 2° Quo autem christifideles magis excitentur ad supradictos dies festos pie sancteque excolendos, vigore praesentium litterarum, conceditur omnibus locorum ordinariis ampla facultas dispensandi cum suis subditis super lege ieiunii et abstinentiae, quoties dies abstinentiae, vel ieiunio consecratus incidat in festum quod, licet praecepto non subiectum, cum debita populi frequentia devote celebratur.

« 3° Item, per praesentes litteras conceditur ut festum ssmi Corporis Christi, ubi sacrorum Antistites ita in Domino expedire censuerint, etsi praecepto non obstrictum, celebrari possit cum solemni processione et pompa, prout antea, feria V post dominicam ssmae Trinitatis; contrariis, quibuscumque non obstantibus ». *S. C. C. 3 maii 1912.*

II. — De nova ordinatione breviarii romani.

4161 1. — **Ex constitutione « Divino afflatu » 1 nov. 1911.** — « Itaque, harum auctoritate litterarum, ante omnia psalterii ordinem, qualis in breviario romano hodie est, abolemus eiusque usum, inde a kalendis ianuariis anni millesimi nongentesimi decimi tertii, omnino interdicimus. Ex illo autem die in omnibus ecclesiis cleri secularis et regularis, in monasteriis, ordinibus, congregationibus, institutisque religiosorum ab omnibus et singulis, qui ex officio aut ex consuetudine horas canonicas iuxta breviarium romanum, a S. Pio V editum et a Clemente VIII, Urbano VIII, Leone XIII recognitum, persolvunt, novum psalterii ordinem, qualem Nos cum suis regulis et rubricis approbavimus typisque Vaticanis vulgandum decrevimus, religiose observari iubemus. Simul vero poenas in iure statutas iis denuntiamus, qui suo officio persolvendi quotidie horas canonicas defuerint; qui quidem sciant se tam gravi non satisfacturos officio, nisi nostrum hunc psalterii ordinem adhibeant.

Omnibus igitur patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus ceterisque ecclesiarum praelatis, ne Cardinalibus quidem archipresbyteris patriarchalium Urbis basilicarum exceptis, mandamus, ut in sua quisque dioecesi, ecclesia vel coenobio psalterium cum regulis et rubricis, quemadmodum a Nobis dispositum est, constituto tempore inducendum curent: quod psalterium quasque regulas et rubricas etiam a ceteris omnibus, quoscumque obligatio tenet recitandi vel concinendi horas canonicas, inviolate adhiberi ac servari praecipimus. Interim autem cuilibet et capitulis ipsis, modo id maior capituli pars sibi placere ostenderit, novum psalterii ordinem, statim post eius ed tionem, rite usurpare licebit ».

2. — **Rubricae in recitatione di-** 4162
vini officii et in missarum celebratione servandae ad normam constitutionis apostolicae « Divino afflatu » — « Titulus I. *De ratione divini officii recitandi iuxta novum psalterii ordinem.* — 1. In recitatione divini officii, iuxta romanum ritum, psalmi quotidie sumendi sunt, ad singulas horas canonicas, de occurrente hebdomadae die, prout distribuuntur in psalterio noviter disposito; quod deinceps, loco veteris dispositionis, in novis breviarii romani editionibus vulgandum erit.

« 2. Excipiuntur tamen omnia festa Domini eorumque integrae octavae, dominicae infra octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Domini, vigilia Epiphaniae et feria VI post octavam Ascensionis, quando de eis persolvendum sit officium; itemque vigilia Nativitatis ad laudes et ad reliquas horas minores usque ad nonam, et vigilia Pentecostes; nec non omnia festa Beatae Mariae Virginis, ss. Angelorum, s. Ioannis Baptistae, s. Ioseph et

ss. Apostolorum et duplicia I et II classis, eorumque omnium integrae octavae, si de eis fiat officium, quod recitandum erit prout assignatur, vel in breviario, vel in proprio dioecesis vel instituti, hac lege tamen ut psalmi ad laudes, horas et completorium semper sumendi sint ex dominica, ut in novo psalterio; ad matutinum vero et ad vesperas dicantur ut in communi, nisi speciales psalmi sint assignati. Tribus autem ultimis diebus maioris hebdomadae, nil erit innovandum, sed officium integre persolvendum erit, prout nunc habetur in breviario, sumptis tamen ad laudes psalmis de feria currenti, ut in novo psalterio, excepto cantico sabbati sancti, quod etiamnum est « *Ego dixi*: *In dimidio* ». Ad completorium sumantur psalmi de dominica, uti in novo pariter psalterio.

« In quolibet alio festo duplici, etiam maiore, vel semiduplici, vel simplici, et in feriis tempore Paschali semper dicantur psalmi, cum antiphonis in omnibus horis, et versibus ad matutinum, ut in psalterio de occurrenti hebdomadae die; reliqua omnia, et antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus*, ut in proprio aut communi. Quod si aliquod ex festis huiusmodi proprias vel peculiariter assignatas habeat antiphonas in aliqua hora maiori, eas in eadem ipsa retineat cum suis psalmis, prout habetur in breviario: in ceteris horis psalmi et antiphonae dicantur de feria occurrente.

« 4. Lectiones ad matutinum in I nocturno semper legendae erunt de Scriptura occurrente, licet aliquando in breviario lectiones de communi assignentur, nisi sit festum Domini aut festum cuiusvis ritus B. Mariae Virginis, vel Angelorum, vel s. Ioannis Baptistae, vel s. Ioseph, vel Apostolorum, aut duplex I vel II classis, aut agatur de festo, quod vel lectiones habeat proprias, non vero de communi, vel occurrat in feriis lectiones de Scriptura non habentibus, ideoque lectiones de communi necessario recipiat. In festis vero, in quibus hucusque erant lectiones de communi, responsoria vero propria, retineantur eadem lectiones cum propriis responsoriis.

« 5. Porro sic erit persolvendum officium in festis puplicibus et semiduplicibus superius non exceptis:

« Ad matutinum invitatorium, hymnus, lectiones II et III nocturni ac responsoria trium nocturnorum propria, vel de communi: antiphonae vero, psalmi et versus trium nocturnorum, nec non lectiones I nocturni de feria occurrente.

« Ad laudes et ad vesperas antiphonae cum psalmis de feria; capitulum, hymnus, versus et antiphona ad *Benedictus* vel ad *Magnificat* cum oratione aut ex proprio, aut de communi.

« Ad horas minores et completorium antiphonae cum psalmis semper dicuntur de occurrente feria. Ad primam pro lectione brevi legitur capitulum bonae ex proprio, vel de communi. Ad tertiam, sextam et nonam capitulum, responsorium breve et oratio pariter sumuntur vel ex proprio, vel de communi.

« 6. In officio S. Mariae in sabbato et in festis simplicibus sic officium persolvendum est: ad matutinum invitatorium et hymnus dicuntur de eodem officio vel de iisdem festis; psalmi cum suis antiphonis et versu de feria occurrente; I et II lectio de feria, cum responsoriis propriis, vel de communi, III vero lectio de officio vel festo, duabus lectionibus in unam iunctis, si quando duae pro festo habeantur: ad reliquas autem horas omnia dicuntur, prouti supra, n. 5, de festis duplicibus expositum est.

« 7. In feriis et in festis simplicibus psalmi ad matutinum, qui in novo psalterio in tres nocturnos dispositi inveniuntur, dicantur sine interruptione cum suis novem antiphonis usque ad tertium versum inclusive, omissis versibus primo et secundo ».

« Titulus II. *De festorum praestantia.* — 1. Ut recte dignoscatur quale ex pluribus officiis sit praestantius et proinde sive in occurrentia, sive in concurrentia, sive in ordine repositionis aut translationis praeferendum, sequentes praestantiae characteres considerandi sunt:

« *a*) *Ritus altior*, nisi occurrat dominica, vel feria, vel octava privilegiata, vel etiam quaelibet dies octava iuxta rubricas.

« *b*) *Ratio primarii* aut *secundarii.*

« *c*) *Dignitas personalis*, hoc ordine servato: festa Domini, B. Mariae Virginis, Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, ss. Apostolorum et Evangelistarum.

« *d*) *Sollemnitas externa*, scilicet si festum sit feriatum, aut celebretur cum octava.

« 2. In occurrentia, et in ordine repositionis aut translationis, alius quoque character considerandus est, nempe:

« *e*) *Proprietas festorum.* Dicitur festum alicuius loci proprium, si agatur de titulo ecclesiae, de loci patrono etiam secundario, de sancto (in Martyrologio vel in eius appendice approbatá descripto), cuius habetur corpus vel aliqua insignis et authentica reliquia, vel de sancto. qui cum ecclesia, vel loco, vel personarum coetu specialem habeat rationem. Igitur festum quodvis istiusmodi proprium, ceteris paribus, praefertur festo universalis ecclesiae, Excipiuntur tamen dominicae, feriae, octavae et vigiliae privilegiatae, nec non festa primaria duplicia I classis universalis ecclesiae, quae unius cuiusque loci propria considerantur et sunt. Festum autem universalis ecclesiae, cuiusvis ritus, quia est praeceptivum, ceteris paribus, praeferri debet festis aliquibus locis ex mero indulto s. Sedis concessis, quae tamen propria, sensu quo supra, dici nequeunt ».

« Titulus III. *De festorum occurrentia accidentali eorumque translatione.* — 1. De dominicis maioribus I classis, quodvis festum in eis occurrat, semper faciendum est officium: dominicae vero II classis cedunt tantummodo festis duplicibus I classis, quo in casu de dominica fit commemoratio in utrisque vesperis, laudibus et missa cum IX lectione ad matutinum.

« 2. De dominicis minoribus, seu per annum, semper fieri debet officium, nisi occurrat festum quodcumque Domini, aut aliquod duplex I vel II classis, aut dies octava festo, rum Domini, quo in casu in officio festi vel diei octavae fit commemoratio dominicae in utrisque vesperis et laudibus et missa cum IX lectione ad matutinum. Si dominica infra octavam nativitatis occurrat in festo s. Thomae Ep. M. aut in festo s. Silvestri P. C., fit officium de ipsa dominica cum commemoratione festi occurrentis; quo in casu die 30 decembris, in officio diei infra octavam, lectiones I et II nocturni sumuntur e festo Nativitatis, cum responsoriis dominicae. Quoad dominicam vero, quae occurrit a festo Circumcisionis usque ad Epiphaniam, nihil innovetur.

« 3. Duplicia I et II classis, quae seu ab aliqua dominica maiori, seu a nobiliori officio impediuntur, transferenda sunt in proximiorem insequentem diem, quae libera sit ab alio festo duplici I vel II classis, vel ab officiis huiusmodi festa excludentibus; salvo tamen privilegio a rubricis concesso festivitatibus Purificationis et Annuntiationis B. M. V., nec non commemorationis sollemnis s. Ioseph.

« 4. Festa duplicia maiora cuiusvis dignitatis et duplicia minora doctorum ecclesiae non amplius transferri possunt, sed quando impediuntur, de eis fiat commemoratio, uti de aliis duplicibus minoribus impeditis rubricae disponunt (salvo quod numero sequenti statuitur de omittenda in dominicis IX lectione historica), nisi forte occurrant in duplicibus I classis, in quibus nullius officii agenda est commemoratio, nisi de occurrenti dominica, vel de feria aut octava privilegiata.

« 5. Porro si in dominica maiori occurrat officium duplex maius aut minus, vel semiduplex, vel simplex, fiat de dominica cum commemoratione officii occurrentis in utrisque vesperis (de simplici tamen in primis vesperis tantum) laudibus et missa, sine IX lectione historica. Idem fiat in dominicis minoribus, nisi in eis occurrat festum quodcumque Domini, aut quodvis duplex I vel II classis, aut dies octava festorum Domini, quo in casu, ut supra n. 2 dictum est, fiat de festo, vel de octava cum commemoratione et IX lectione dominicae.

« 6. Dies in qua celebratur commemoratio omnium fidelium defunctorum, excludit translationem cuiusvis festi ».

« Titulus IV. *De festorum occurrentia perpetua eorumque repositione.* — 1. Festa omnia ritus duplicis sive maioris sive minoris, aut semiduplicis, si perpetuo impediantur, reponuntur in primam diem liberam, iuxta rubricas.

« 2. Festa duplicia I et II classis perpetuo impedita reponuntur, tamquam in sedem propriam, in primam diem liberam ab alio festo duplici I aut II classis, vel ab aliqua die octava, vel ab officiis huiusmodi festa excludentibus, salvo privilegio festivitati Purificationis B. M. V. concesso.

« 3. Dominicae maiores excludunt assignationem perpetuam cuiusvis

festi duplicis etiam I classis: dominicae vero minores assignationem excludunt cuiuscumque duplicis maioris aut minoris, nisi sit festum Domini festum ss. Nominis Mariae perpetuo assignatur diei duodecimae mensis septembris.

« 4. Dies II novembris excludit tum festa occurrentia quae non sint duplicia I classis, tum festa perpetuo reponenda cuiusvis ritus ».

« Titulus V. *De concurrentia festorum.* — 1. Dominicae maiores vesperas habent integras in concurrentia cum quovis festo, nisi sit ritus duplicis I aut II classis: ideoque in primis vesperis sumuntur antiphonae cum psalmis de sabbato; in adventu tamen dicuntur antiphonae de laudibus dominicae cum iisdem psalmis de sabbato.

« 2. Dominicae minores cedunt vesperas, tum duplicibus I aut II classis, tum omnibus festis Domini, tum diebus octavis festorum Domini: integras autem habent vesperas in concursu cum aliis festis, sumptis in I vesperis antiphonis et psalmis de sabbato.

« 3. Leges, quibus ordinantur vesperae infra octavam Nativitatis Domini, immutatae manent ».

« Titulus VI. *De commemorationibus.* — 1. In duplicibus I classis non fiat commemoratio de praecedenti, nisi fuerit aut dominica quaevis, etiam per annum, aut duplex I vel II classis, aut dies octava alicuius festi domini primarii, aut dies infra octavam privilegiatam, aut feria maior. In occurrentia fiat tantum commemoratio de dominica quacumque, de octava privilegiata et de feria maiori. De sequenti vero officio (etiam ad modum simplicis redacto) fiat semper commemoratio, minime autem de die infra octavam non privilegiatam aut de simplici.

« 2. In duplicibus II classis de praecedenti officio semper fieri debet commemoratio, nisi fuerit de aliquo festo semiduplici, vel de die infra octavam non privilegiatam. In occurrentia fit commemoratio de quavis dominica, de quolibet duplici vel semiduplici ad modum simplicis redacto, de octava privilegiata, de feria maiori et de vigilia: de simplici vero fit tantum in laudibus et in missis privatis. De sequenti autem officio quolibet, etiam simplici vel ad modum simplicis redacto, fit semper commemoratio, ac etiam de die infra octavam, si in crastino officium de ea agendum sit; et tunc cum antiphona et versiculo e I vesperis festi.

« 3. Licet festa Domini eorumque octavae privilegio gaudeant ut in occurrentia praevaleant dominicis minoribus, nihilominus, quando plures fieri debeant commemorationes (cauto quod in vesperis semper fiat prima commemoratio de officio concurrenti, cuiusvis ritus et dignitatis), tam in vesperis, quam in laudibus et missa hic ordo servetur: 1° de dominica qualibet; 2° de die infra octavam Epiphaniae aut Corporis Christi; 3° de die octava; 4° de duplici maiore; 5° de duplici minore; 6° de semiduplici; 7° de die infra octavam communem; 8° de feria VI post octavam Ascensionis; 9° de feria maiori; 10° de vigilia; 11° de simplici.

« Titulus VII. *De conclusione propria hymnorum et versu proprio ad primam, de suffragiis sanctorum, de precibus, de symbolo athanasiano et de tertia oratione in missa.* — 1. Quando eadem die occurrunt plura officia, quae propriam habeant conclusionem hymnorum vel proprium versum ad primam, conclusio et versus dicantur, quae propria sunt officii, quod ea die recitatur.

« 2. Deinceps, quando facienda erunt suffragia sanctorum, unum tantum fiet suffragium, iuxta formulam propositam in ordinario novi psalterii.

« 3. Symbolum athanasianum additur ad primam in festo ss. Trinitatis et in dominicis tantummodo post Epiphaniam et post Pentecosten, quando de eis persolvendum est officium salva exceptione, de qua n. sequenti.

« 4. Quando in dominica fit commemoratio de aliquo officio duplici, vel de die octava, vel de die infra octavam, omittuntur suffragium, preces, symbolum *quicumque* et tertia oratio in missa.

« Titulus VIII. *De officiis votivis deque aliis officiis addititiis.* — 1. Cum per hanc novam psalterii dispositionem causae cessaverint indulti generalis d. d. 5 iulii 1883 pro officiis votivis, haec ipsa officia, et alia similia ex particularibus indultis concessa, tolluntur omnino et sublata declarantur.

« 2. Cessat pariter obligatio recitandi in choro, diebus a rubricis hucusque vigentibus praescriptis, officium parvum B. Mariae Virginis, officium defunctorum, nec non psalmos graduales ac paenitentiales. Capitula vero, quae ad ista officia addititia ex peculiari constitutione aut legato tenentur, a sancta Sede eorum commutationem impetrabunt.

« 3. In festo s. Marci et in triduo rogationum integrum manet onus recitandi litanias sanctorum, etiam extra chorum.

« Titulus IX. *De festis dedicationis ac tituli ecclesiae et de patronis.* — 1. Festum dedicationis cuiuslibet ecclesiae est semper primarium, et festum Domini.

« 2. Anniversarium dedicationis ecclesiae cathedralis et festum titulare eiusdem celebranda sunt sub ritu duplici I classis cum octava per totam dioecesim ab universo clero saeculari et etiam regulari kalendarium dioecesanum adhibente : a regularibus vero utriusque sexus in eadem dioecesi commorantibus ac proprium kalendarium habentibus, pariter sub ritu duplici I classis, absque tamen octava.

« 3. Quum sacrosancta lateranensis archibasilica omnium ecclesiarum urbis et orbis sit mater et caput, tum ipsius dedicationis anniversarium, tum festum Transfigurationis Domini, quod, praeter magnam Resurrectionis dominicae solemnitatem, tanquam titulare ab ipsa recoli solet, ab universo clero tam saeculari quam regulari, etiam ab illis qui peculiarem ritum sequuntur, sub ritu duplici II classis deinceps celebrabitur.

« 4. Festum patroni principalis oppidi, vel civitatis: vel dioecesis, vel provinciae, vel nationis, clerus saecularis, et regularis ibi degens et kalen-

darium dioecesanum sequens sub ritu duplici I classis cum octava celebrabit: regulares vero ibidem commorantes et kalendarium proprium habentes, idem festum, quamvis feriatum numquam fuerit, eodem ritu celebrabunt, absque tamen octava.

« Titulus X. *De missis in dominicis et feriis deque missis pro defunctis.* — 1. In dominicis, etiam minoribus, quodcumque festum occurrat, dummodo non sit festum Domini, vel eius dies octava, aut duplex I vel II classis, missa semper dicenda erit de dominica cum commemoratione festi. Quod si festum commemorandum sit duplex, tunc omittenda est III oratio.

« 2. In feriis quadragesimae, quatuor temporum, II rogationum, et in vigiliis, si occurrat fieri officium alicuius festi duplicis (non tamen I vel II classis) aut semiduplicis, missae privatae dici poterunt ad libitum, vel de festo cum commemoratione ultimoque evangelio feriae aut vigiliae, vel de feria aut vigilia cum commemoratione festi: prohibentur tamen missae votivae privatae, aut privatae pro defunctis: quae item prohibentur in feria, in qua anticipanda vel reponenda est missa dominicae. In quadragesima vero missae privatae defunctorum celebrari tantum poterunt prima die cuiuscumque hebdomadae libera in kalendario ecclesiae, in qua missa celebratur.

« 3. Si alicubi aliquod festum impeditum a dominica minore, celebratur ex voto, vel cum populi concursu (cuius rei iudex erit ordinarius), missae de eodem festo impedito celebrari poterunt, dommodo una missa de dominica ne omittatur. Quoties extra ordinem officii cantetur vel legatur aliqua missa, si facienda sit commemoratio aut dominicae, aut feriae, aut vigiliae, semper de hisce etiam evangelium in fine legatur.

« 4. Ad missam dominicae etiam minoris, cum commemoratione festi duplicis tum maioris tum minoris ac diei infra octavam quomodolibet celebrandam, retinetur color proprius dominicae, cum praefatione ssmae Trinitatis, nisi adsit propria temporis, vel octavae alicuius festi Domini.

« 5. Leges pro missis defunctorum in cantu, immutatae manent. Missae vero lectae permittuntur in duplicibus tantummodo in die obitus, aut pro die obitus, dummodo ne sit festum de praecepto, aut duplex I vel II classis, vel feria excludens duplicia I classis. Quoad vero missas lectas defunctorum dicendas diebus ritus semiduplicis aut simplicis, in posterum numquam celebrari poterunt in feriis n. 2 enumeratis, salva tamen exceptione ibidem admissa. Licebit tamen in huiusmodi missis de feria orationem addi pro defunctis, pro quibus sacrificium applicatur, paenultimo loco, prout permittit rubrica missalis. Cum autem ut applicari possint indulgentiae altaris privilegiati, missae defunctorum debuerint hucusque in nigris celebrari, summus Pontifex easdem indulgentias in posterum benigne concedit, licet missa dicatur de feria, cum oratione pro defunctis. In reliquis autem feriis per annum n. 2 non exceptis, nec non in semiduplicibus, infra octavas non privilegiatas et in simplicibus, missae defun-

ctorum sicut et aliae missae votivae dici poterunt iuxta rubricas.

« Titulus XI. *De collectis in missis.* — Quod ad collectas ab ordinariis locorum imperatas attinet, deinceps prohibentur (nisi sint pro re gravi praescriptae) non tantum in vigiliis Nativitatis et Pentecostes et in duplicibus I classis, sed etiam in duplicibus II classis, in dominicis maioribus, infra octavas privilegiatas, et quandocumque in missa dicendae sint plus quam tres orationes a rubrica eo die praescriptae.

« Titulus XII. *De missis conventualibus.* — In ecclesiis, in quibus adest obligatio chori, una tantum missa cum assistentia choralium semper celebretur; et quidem de officio diei, nisi aliter rubricae disponant; aliae missae, quae hucusque cum praedicta assistentia celebrabantur, in posterum extra chorum legantur, post propriam horam canonicam; excipiuntur tamen ab hac regula missae in litaniis maioribus et minoribus, et missae in festo Nativitatis Domini. Excipiuntur pariter missae in anniversariis creationis et coronationis summi Pontificis, electionis et consecrationis seu translationis episcopi, nec non in anniversario ultimi episcopi defuncti, et omnium episcoporum aut canonicorum; omnesque missae ex fundatione.

« Titulus XIII. *De commemoratione omnium fidelium defunctorum.* — 1. In commemoratione omnium fidelium defunctorum, omissis officio et missa diei currentis, fit tantum officium cum missa pro defunctis, prout in appendice novi psalterii praescribitur.

« 2. Si die 2 novembris occurrat dominica vel aliquod duplex I classis, commemoratio defunctorum celebrabitur die proxime sequenti, similiter non impedita; in qua, si forte occurrat duplex II classis, hoc transfertur iuxta regulam traditam tit. III n. 3 ».

3. **Dubia.** — « Quum festum commemorationis solemnis sanctissimi Corporis D. N. I. C., ex decreto 24 iulii vertentis anni, amodo celebrandum sit cum octava privilegiata ad instar octavae Epiphaniae, sacrae rituum Congregationi pro opportuna solutione insequentia dubia proposita fuerunt, nimirum: 4163

« I. Utrum, adveniente festo commemorationis solemnis sanctissimi Corporis D. N. I. C., continuari adhuc debeant octavae inchoatae: et an sua octava gaudeat festum aliquod duplex primae classis intra hanc octavam privilegiatam occurrens?

« II. An dies octava praefatae commemorationis solemnis sanctissimi Corporis D. N. I. C. excludat duplicia primae classis occurrentia?

« Et sacra eadem Congregatio, referente subscripto secretario, audita Commissionis liturgicae sententia, reque maturo examine discussa ac perpensa, ita respondendum censuit:

« Ad I. Affirmative ad utrumque.

« Ad II. Affirmative, excepto festo ss. apostolorum Petri et Pauli ». *S. R. C. 17 nov. 1911.*

4. **Dubia.** — « Quum ex constitutione apostolica " *Divino afflatu* ". ssmi dni nostri Pii Papae X, diei 1 novembris 1911, festum B. M. V. ritus duplicis maioris, aut dies octava eiusdem Deiparae, si in dominicam 4164

occurrant, amodo simplificari debeant, sacrae rituum Congregationi insequentia dubia proposita fuerunt, nimirum:

« I. An in praedicto casu conclusiones hymnorum et versus responsorii brevis ad primam esse debeant de ipsa beata Maria Virgine?

« II. Quae praefatio in casu dicenda sit in missa?

« Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti secretarii, re mature perpensa, respondendum censuit:

« Ad I. Affirmative, nisi dicenda sit propria temporis, et exceptis dominicis adventus.

« Ad II. Praefatio Trinitatis, nisi occurrat praefatio de tempore aut alicuius octavae, iuxta novas rubricas, tit. X, n. 4 ». *S. R. C. 30 dec. 1911.*

4165 5. **Dubia.** — « Quaedam festa, quamvis perpauca, ritus duplicis maioris, pro aliqua particulari ecclesia, transactis temporibus, octava decorata fuerunt. Quum autem harum octavarum celebratio novissimis sanctae Sedis dispositionibus minime congruat, sacra rituum Congregatio, ad relationem subscripti secretarii, audita sententia Commissionis liturgicae, reque accurato examine perpensa, statuit et decrevit. Festa ritus duplicis maioris octava gaudere nequeunt; et si quae huiusmodi octavae iam concessae inveniantur, amodo declarantur suppressae ». *S. R. C. 30 dec. 1911.*

4166 6. **Decretum.** — « Cum nuper nonnulli rmi locorum ordinarii sacram rituum Congregationem interrogaverint utrum sibi liceat facultatem concedere typographis respectivae dioecesis imprimendi " Psalterium breviarii romani cum ordinario divini officii iussu ss. D. N. Pii PP. X novo ordine per hebdomadam dispositum et editum " necne; sacra ipsa Congregatio respondit: " Detur decretum die 15 novembris 1911 in editione typica vaticana relatum. "

« Tenor autem decreti hic est:

« Praesentem psalterii cum ordinario divini officii editionem vaticanam diligenter revisam et recognitam, ac iuxta recentes rubricarum immutationes, ad normam costitutionis apostolicae " *Divino afflatu* " ssmi D. N. Pii PP. X, accuratissime dispositam, sacra rituum Congreg. typicam declaravit; statuitque ut novae eiusdem psalterii editiones huic in omnibus sint conformes, et non imprimantur, nisi a typographis huius sacrae Congregationis, servatisque praescriptionibus ab hac secretaria tradendis.

« Quod, non obstante decreto diei 17 maii 1911, ita servari mandavit ». *S. R. C. 15 ian. 1912.*

7. **Decretum.** — « Insequentia dubia quoad antiphonas et psalmos ad laudes, iuxta novas rubricas, in quibusdam festis ritus simplicis et in officio s. Mariae in sabbato recitandos, sacrae rituum Congregationi pro opportuna solutione proposita fuere; nimirum: 4167

« I. An in festis simplicibus quae habent ad laudes antiphonas proprias, ex alio festo desumptas, ut in festo s. Agnetis secundo, ad laudes dicendi adhuc sint psalmi de dominica cum antiphonis festi simplicis; vel potius

antiphonae et psalmi de laudibus feriae occurrentis, et a capitulo et deinceps de festo simplici?

« II. An in officio s. Mariae in sabbato ad laudes dicendae sint antiphonae ipsius officii cum psalmis dominicae; vel potius antiphonae et psalmi de sabbato occurrente, et a capitulo et deinceps de s. Maria?

« Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti secretarii, audito voto Commissionis liturgicae, reque accurate perpensa, ad utrumque dubium respondendum censuit:

« Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». *S. R. C. 26 ian. 1912.*

4168 8. **Decretum.** — « Quum ex novis rubricis festa diebus dominicis affixa, nisi sint festa Domini aut duplicia primae vel secundae classis, amplius in ipsis celebrari nequeant; sacra rituum Congregatio, attentis etiam praescriptionibus temporariis memoratis rubricis adiectis, insequentes declarationes evulgare censuit:

« 1. Festum commemorationis omnium SS. S. R. E. summorum pontificum in locis, quibus idem festum, sub ritu duplici minori vel maiori, pro dominica prima libera post octavam ss. apostolorum Petri et Pauli iam concessum est, adhuc celebrari licet, die prima mensis iulii fixe adsignata.

« 2. Item festum commemorationis ss. Reliquiarum pro aliqua dominica, sub ritu duplici minori vel maiori, iam indultum est, in posterum celebrari adhuc potest, die quinta mensis novembris fixe assignata.

« Si aliquod festum ecclesiae universalis, sive beatae Mariae Virginis, sive sanctorum, sub ritu duplici minori vel maiori, alicubi die dominica concessum fuerit celebrari, amodo in die sua omnino reponendum est ». *S. R. C. 9 febr. 1912.*

9. **Dubia.** — « A nonnullis rmis loco- 4169
rum ordinariis insequentia dubia sacrae rituum Congregationi, pro opportuna solutione, proposita fuerunt; nimirum:

« I. Festa beatae Mariae Virginis aut sanctorum, dominicis affixa, et a locorum ordinariis in perpetuum simplificata impediuntne recitationem suffragii ad laudes et vesperas, precum ad primam et completorium, symboli athanasiani ad primam et tertiae orationis in missa?

« II. Quando in dominica occurrit festum beatae Mariae Virginis perpetuo a locorum ordinariis simplificatum, conclusiones hymnorum et versus responsorii brevis ad primam eruntne de ipsa beata Virgine, ad normam decreti in una romana et aliarum, diei 30 decembris 1911 ad I^um^?

« III. Si festum duplex secundae classis in dominicam incidat, et commemorandum sit festum aliquod simplificatum, quod per se habeat praefationem propriam in missa, vel occurrat infra octavam aliquam similiter praefationem propriam habentem, legendane est praefatio de Trinitate, vel potius praefatio propria festi simplificati, aut octavae?

« IV. Quum ex novis rubricis primae vesperae de dominica infra octavam Epiphaniae, nisi Epiphania ipsa venerit in sabbato, integrae amodo de ipsa dominica dicendae sint, ul-

timus harum vesperarum psalmus eritne *Laudate Dominum*, ut in primis vesperis, vel potius *In exitu Israel*, ut in secundis vesperis?

« Sacra porro rituum Congregatio, ad relationem subscripti secretarii, reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit:

« Ad I. Affirmative in omnibus.

« Ad II. Affirmative.

« Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

« Ad IV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». *S. R. C. 9 febr. 1912.*

4170 10. **Decretum.** — « Evulgato novo psalterio, novisque tabellis occurrentiae et concurrentiae festorum, non una in praxi fuit interpretatio rubricarum, quas ad normam bullae " *Divino afflatu* „ Commissio pontificia ad id instituta confecit, ut videre est in diversis calendariis pro currenti anno 1912 noviter redactis.

« Ad dubia ergo in posterum praecavenda, sacra rituum Congregatio ad petitionem eiusdem Commissionis pontificiae, referente infrascripto secretario, statuit et decrevit:

« I. Rubrica de suffragio sanctorum, quae in ordinario divini officii ad laudes et vesperas habetur, interpretari debet iuxta tit. VII n. 4, novarum rubricarum, et ad ambiguitatem tollendam, praefata rubrica in posterum sic edatur:

" Deinde, extra tempus paschale... " et exclusis diebus, in quibus occurrat " quodcumque officium duplex aut " infra octavam, aut dominica in qua " commemoretur duplex simplifica- " tum, fit sequens suffragium ».

« II. Duplicia I. et II classis sua die impedita, iuxta tit. III novarum rubricarum n. 3, transferri debent in proximiorem diem liberam ab alio duplici I. vel II. classis et ab officiis huiusmodi festa excludentibus; transferri tamen non possunt in dominicam etiam minorem, iuxta n. 2 eiusdem tituli.

« III. Duplicia I. et II. classis certis dominicis vel feriis affixa, si perpetuo impediantur, iuxta novas rubricas tit. IV, n. 2, reponenda sunt in feriam proxime insequentem per singulos annos liberam ab alio duplici I. vel II. classis aut ab aliqua die octava, vel ab officiis huiusmodi festa excludentibus, non vero, ut censent nonnulli liturgistae, in primam diem ut supra liberam, post ambitum dierum infra quos incidere possunt.

« Licet iuxta novam concurrentiae tabellam, in concursu duplicis maioris cum alio duplici maiori, totum fieri debet de nobiliori cum commemoratione de alio, ideoque festum Domini duplex maius secundarium cedere debeat festis eiusdem ritus B. Mariae Virginis aut sanctorum primariis; nihilominis, quando festum domini duplex maius secundarium in dominica die occurrens concurrit cum festo duplici maiori primario B. Mariae vel angelorum vel sanctorum, vesperae erunt de praefato festo Domini, quia in casu officium festi Domini subrogatur officio dominicae ». *S. R. C. 24 febr. 1912.*

11. **Dubia.** — « Hodiernus calen- 4171
darii archidioeceseos Strigonien. redactor, de consensu sui rmi archiepiscopi, sequentia dubia sacrae ri-

tuum Congregationi pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

« I. Rubrica, tit. X n. 3, iuxta recentem constitutionem *Divino afflatu*, colorem dominicae proprium retinendum iubet, etiam si dominica infra aliquam octavam occurrat. Quia vero rubrica generalis missalis titulus XVIII n. 4, colore viridi utendum esse praescribit ab octava Pentecostes usque ad Adventum; quaeritur utrum dominica II post Pentecostem, nempe infra octavam ssmi Corporis Christi, color viridis, an albus, usurpandus sit?

« II. Quum anno proximo 1913 post octavam Epiphaniae immediate sequatur dominica septuagesimae, quaeritur utrum festum ssmi Nominis Iesu transferrri debeat, iuxta recentem disciplinam, in diem immediate sequentem; vel potius, ad normam veteris privilegii memorato festo concessi, in diem vigesimam octavam ianuarii?

« III. Festum sanctae familiae Iesu, Mariae, Ioseph, quod pluribus locis sub ritu duplici maiori concessum est, recensendum ne est inter festa Domini, ita ut praevaleat officio minoris dominicae post Epiphaniam recurrentis?

« IV. Et quatenus *affirmative* ad praecedentem quaestionem quid agendum de festo sanctae Familiae, quando dominica tertia, iuxta computum civilem, post Epiphaniam occurrit in dominica septuagesimae aut sexagesimae?

« Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti secretarii, audito voto Commissionis liturgicae, reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit:

« Ad I. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam; et in dominicis infra octavas occurrentibus color octavae adhibendus est quando in ipsis officium non de psalterio sumitur, sed de octava.

« Ad II. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

« Ad III. Affirmative.

« Ad IV. Festum sanctae Familiae ad instar simplicis redigendum est, quando occurrit in dominica privilegiata ». *S. R. C. 9 mart. 1912.*

12. **Dubia.** — « Novis dispositionibus a sancta Sede evulgatis, ad s. rituum Congregationem pro opportuna solutione insequentia dubia delata sunt; nimirum: 4171

» I. Quum in novis rubricis unicum praescribatur suffragium de omnibus sanctis in quo mentio fit de sancto ecclesiae titulari, quaeritur quid faciendum in ecclesiis habentibus pro titulo aliquod Domini mysterium?

« II. An suffragium de omnibus sanctis locum habeat in vigilia omnium sanctorum, quando de ea fit officium aut commemoratio in officio semiduplici?

« III. An versiculus « *Oremus et pro antistite nostro N.* » cum suo responsorio, nuperrime inter preces feriales insertus, dicendus sit etiam ab episcopis titularibus cum pronunciatione nominis episcopi dioecesani?

« IV. Num idem versiculus dicendus sit a missionariis cum pronunciatione nominis vicarii apostolici, aut praefecti, aut praelati?

« V. Quum in feriis quadragesimae, quatuor temporum, II rogationum et in vigiliis, in quibus occurrat officium ritus duplicis maioris seu minoris aut semiduplicis, missae privatae dici possint, ex dispositione novarum rubricarum, vel de festo cum commemoratione feriae aut vigiliae, vel de feria aut vigilia cum commemoratione festi; quaeritur an in hac missa de feria aut vigilia adiungenda sit tertia oratio pro diversitate temporis?

« VI. Quae praefatio usurpanda est in duplicibus II classis praefationem propriam non habentibus, quando occurrunt in dominica minori et simul in die octava alicuius festi domini, aut B. M. V., aut apostolorum?

« VII. Quando officium II post Epiphaniam, ad normam decreti diei 2 martii currentis anni, anticipatur die decima sexta ianuarii, occurrente etiam die infra aliquam octavam, huius octavae commemoratio fierine debet in officio eiusdem dominicae anticipatae?

« VIII. Et quatenus affirmative, adiungine debet suffragium ad laudes et preces ad primam?

« IX. Quando officium alicuius dominicae infra hebdomadam anticipatur, psalmi feriales in laudibus primo vel secundo loco sumendi sunt?

« X. Utrum suppressa censenda sit facultas adiiciendi in missa orationem usque ad septem in simplicibus per novas rubricas, quae collectas excludunt quando habetur quarta oratio?

« XI. Utrum collectae, si fuerint duae, ambae adiicendae sint post tertiam praescriptam orationem; an una tantum?

« XII. Quum quibusdam dioecesibus, necnon ordinibus aut congregationibus religiosis, indultum a s. Sede concessum fuerit quaedam officia particularia semel aut pluries in mense aut in hebdomada, imo etiam singulis anni diebus, exceptis solemnioribus, celebrandi; ex. gr. ssmi Sacramenti, ssmi Cordis Iesu. B. M. V. Immaculatae, etc. sive sub ritu semiduplici, sive etiam sub ritu duplici minori aut maiori, ita ut videantur non officia votiva, sed quasi festiva; quaeritur an ista officia comprehendantur inter officia votiva quae a novis rubricis (tit. VIII, nun. 1) suppressa declarantur?

« Et sacra rituum Congregatio, ad relationem infrascripti secretarii, audita sententia Commissionis liturgicae, reque sedulo perpensa, rescribendum censuit:

« Ad I. Nihil in casu fiat de titulo.

« Ad II. Negative.

« Ad III. Episcopos titulares non teneri.

« Ad IV. Negative, nisi eadem nomina in canone missae, ex apostolico indulto, pronuntientur.

« Ad V. Si officium ritus duplicis recitatum fuerit, negative; si vero ritus semiduplicis, affirmative.

« Ad VI. Adhibeatur praefatio quae dicenda foret in missa de dominica.

« Ad VII. Affirmative.

« Ad VIII. Negative.

« Ad IX. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

« Ad X. Negative.

« Ad XI. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

« Ad XII. Affirmative ». *S. R. C. 22 mart. 1912.*

4173 13. **Dubium.** — « Ad sacram rituum Congregationem pro opportuna solutione insequentia dubia delata sunt; nimirum:

« I. Utrum festa Deiparae et sanctorum quae sub ritu duplici maiori vel minori in dominicis agebatur, possint in alia die fixe reponi si eadem festa mobilia particularia iure vel privilegio translationis et repositionis ornabantur; an potius debeant, sicuti alia festa mobilia, ad instar simplicis commemorari, nisi potius velint omitti.

« II. Num festa mobilia quae sub ritu duplici I vel II classis alicubi celebrantur, ius translationis et repositionis habeant, quamvis nulla de hoc iure mentio in decreto concessionis aliquibus locis facta habeatur?

« III. Utrum festa quae in universa dioecesi vel in toto instituto die fixa mensis celebrantur, si in aliqua dioecesis vel instituti ecclesia sub ritu duplici minori vel maiori dominicis diebus fuerint hucusque celebrata, debeant commemorari vel omitti iuxta praescriptiones temporarias; an potius celebrari debeant in die fixa iuxta kalendarium dioecesis vel ordinis, servato ritu forsan altiori officii eiusdem pro dominicis diebus in particulari ecclesia concessi?

« IV. Num festa mobilia quae in alia per hebdomadam feria sub ritu duplici maiori vel minori recoluntur, ut festa mysteriorum et instrumentorum dominicae passionis, commemorari generatim debeant iis annis quibus impediuntur, etsi ius translationis et repositionis non habeant?

« V. Utrum facultas quae data est per novas rubricas, tit. X num. 3, festis a dominica impeditis ut recoli valeant celebratione omnium missarum, una exepta, ob votum vel concursum populi, extendi possit ad festa in perpetuum ad instar simplicis redacta, vel penitus abolita, eo quod dominicis olim fuerint affixa?

« VI. An missae omnes quae permittuntur a rubrica, tit. X num. 3, celebrari possint etiam si occurrat festum duplex I aut II classis?

« VII. Quum ex nova rubrica, tit. X num. 2, missae privatae defunctorum in quadragesima non liceant nisi prima cuiusque hebdomadae die non impedita; quaeritur utrum haec prohibitio generalis sit, atque, recurrente festo semiduplici aut feria, missas etiam privatas quidem seu lectas, sed de anniversario alicuius defuncti ex propinquorum devotione celebrari postulatas involvat?

« VIII. Utrum in missa de feria quadragesimae celebrata, ad normam novae rubricae, tit. X num. 2, post commemorationem festi duplicis eadem die recurrentis, addi debeat tertio loco oratio *A cunctis*; et si negative, utrum sumi possit collecta ex devotione celebrantis addenda; et si pariter negative, utrum id liceat in missa feriali, festo semiduplici recurrente?

« IX. Quum in decreto die 2 martii currentis anni praescriptum sit, dominicam II post Epiphaniam anticipandam esse in sabbato aut in alia praecedendi feria, in qua occurrit

festum ritus semiduplicis; et si nullum semiduplex infra hebdomadam habeatur, in sabbato aut in alia praecedenti feria, occurrente etiam festo ritus duplicis minoris: quaeritur quid agendum si tota hebdomada impediatur festis classicis aut ritus duplicis maioris?

« X. Quo colore utendum est in communione extra missam administranda in die commemorationis omnium fidelium defunctorum?

« XI. Num in missis votivis praefationem propriam non habentibus legenda sit praefatio de officio sanctae Mariae in sabbato, quod in eisdem missis commemorationem habet?

« XII. Utrum in festis novem lectionum praefationem propriam in missa habentibus, et infra tempus quadragesimale, aut passionis, aut paschale celebratis, si dicatur, iuxta rubricam, tit. X num. 2, missa de feria cum commemoratione festi currentis, adhibenda sit praefatio temporis, an praefatio festi quod in missa feriae commemoratur?

« XIII. Quaenam praefatio adhibenda sit in missa, praefatione propria carente, in qua commemoratur tum festum simplificatum et praefatione propria gaudens, tum feria praefationem temporis item propriam obtinens?

« XIV. Num occurrente festo novem lectionum in feria II et IV rogationum et in feriis quatuor temporum adventus et mensis septembris, legi possint et debeant lectiones de Scriptura, quae die immediate antecedenti vel sequenti fuerint impeditae, si festum illud novem lectionum lectiones proprias vel de communi non reposcat?

« XV. Et quatenus affirmative ad XIV:

« 1° Utrum lectiones de Scriptura diei praecedentis, an lectiones de Scriptura diei sequenti sint praeferendae, si ambae fuerint impeditae?

« 2° Num a sua die lectiones de Scriptura occurrente amoveri possint ut in feriis homiliam habentibus lectiones de Scriptura legi possint, ita ut, exempli gratia, si lectiones feriae II infra hebdomadam III adventus impediantur, poni possint et debeant in feria III, et lectiones feriae III in feria IV, et ita similibus?

« XVI. Num initium alicuius libri, si aliter poni nequeat, reponi possit et debeat in festo novem lectionum, quod lectiones revera proprias et historicas in I nocturno habeat, prout habent utraque cathedra et vincula s. Petri apostoli, conversio s. Pauli apostoli, inventio s. Stephani protomartyris et similia?

« XVII. Et quatenus negative ad XVI, num idem dicendum sit de lectionibus appropriatis, prout sunt appropriatae in festo dedicationis basilicarum ss. Petri et Pauli, s. Mariae maioris et in similibus?

« Et sacra rituum Congregatio, ad relationem infrascripti secretarii, audita sententia Commissionis liturgicae, reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit:

« Ad I. Negative ad primam partem, nisi obtineatur novum indultum;

affirmative ad secundam, iuxta novas dispositiones.

« Ad II. Affirmative.

« Ad III. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

« Ad IV. Affirmative, iuxta novas rubricas, tit. III num. 4.

« Ad V. Affirmative, pro simplificatis; negative pro abolitis.

« Ad VI. Negative, salva tamen rubrica generali missalis, tit. VI *de translatione festorum.*

« Ad VII. Affirmative.

« Ad VIII. Quoad primam partem, provisum per decretum diei 22 martii 1912 ad 5; quoad secundam et tertiam partem, negative.

« Ad IX. In casu dominica anticipetur in sabbato, aut in alia praecedenti feria in qua occurrit festum ritus duplicis maioris.

« Ad X. Utendum colore violaceo, aut albo.

« Ad XI. Affirmative ad mentem recentium decretorum.

« Ad XII. Adhibeatur praefatio temporis, utpote propria missae.

« Ad XIII. Adhibeatur praefatio festi simplificati et prius commemorati.

« Ad XIV. Affirmative.

« Ad XV. Quoad primam partem, legantur lectiones diei praecedentis; quoad secundam partem, affirmative.

« Ad XVI. Negative.

« Ad XVII. Negative ». *S. R. C. 19 apr. 1912*

4174 14. **Decretum.** — « Ad praecavendas dubitationes, quae super recta interpretatione tituli X n. 2 et 5 novarum rubricarum quae sequuntur constitutione *Divino afflatu* oriri possunt, s. rituum Congregatio, audito Commissionis liturgicae suffragio, sequentes declarationes evulgare censuit, nimirum:

« I. Quandocumque in feriis maioribus missam propriam habentibus ceterisque diebus, de quibus tit. et num. supracitatis, missa de feria celebretur, dummodo reapse pro defunctis applicetur, addi potest oratio pro defunctis in quorum suffragium celebratur etiamsi in ea agenda sit commemoratio de occurrente festo duplici minori vel maiori.

« II. Huiusmodi oratio pro defunctis non excludit in casu orationes de tempore, nisi occurrat commemoratio duplicis.

« III. Quando additur ista oratio pro defunctis, non est attendendus numerus orationum utrum sit dispar an non.

« IV. Haec eadem oratio pro defunctis, semper recitari debet penultimo loco inter orationes ea die a rubricis praescriptas vel permissas, non computatis collectis ab ordinario imperatis.

« V. Oratio pro defunctis in quorum suffragium missa de feria applicatur, addi potest, etiamsi ea die a rubricis praecipiatur oratio *Omnipotens sempiterne Deus* pro vivis et defunctis, vel *Fidelium* pro omnibus defunctis.

« VI. Ut rite legitimeque applicari possit pro defunctis indulgentia altaris privilegiati, oportet ut, diebus in quibus a novis rubricis permittitur, missa de feria omnino celebretur, addita ut supra oratione pro defunctis pro quibus missa ipsa celebratur.

« VII. Licet iuxta novas rubricas

tit. VIII n. 2, cessata sit obligatio recitandi in choro officium defunctorum, nihilominus adhuc servari debet rubrica missalis tit. V n. 1 et 2, circa missam pro defunctis celebrandam, sive in cantu cum praesentia choralium, si agatur de missa conventuali, sive lectam extra chorum iuxta novas rubricas tit. XII ». *S. R. C. 12 iun. 1912.*

4175 15. **Dubia.** — « Sacrae rituum Congregationi pro opportuna solutione sequentia dubia proposita fuerunt, nimirum:

« I. Quando dominica occurrit a die 25 ad diem 28 decembris inclusive, rubrica praescribit officium huius dominicae die libera 30 decembris celebrandum. Nunc vero pluribus in dioecesibus dies 30 decembris impedita est aliquo festo novem lectionum. Quaeritur: Quid agendum in casu?

« II. Iuxta recentem constitutionem *Divino afflatu*, tit. IV n. 3, festum sanctissimi Nominis Mariae perpetuo assignatur diei duodecimae mensis septembris. Quaeritur ergo: Num ecclesiae quae hoc festum tamquam titulare usque ad hodiernam diem coluerunt dominica infra octavam Nativitatis Beatae Mariae Virginis sub ritu duplici I classis cum octava, ipsum recolere in posterum debeant die duodecima septembris cum ecclesia universali, servatis privilegiis quae titularibus competunt?

« III. Pluribus in locis festum sanctissimi Nominis Mariae ritu duplici I classis cum octava recolitur. Quaeritur: An istis in locis octava Nativitatis B. Mariae Virginis cesset omnino, adveniente festo sanctissimi Nominis; an potius suspendatur tantum, ita ut die decimaquinta septembris agendum sit de die octava ipsius Nativitatis, omissa commemoratione octavae sanctissimi Nominis?

« IV. Ex novis dispositionibus saepe accidit ut festa, sive duplicia maiora, sive sanctorum doctorum simplificanda sint ob occursum alicuius festi translati ritus duplicis II classis. Quaeritur ergo: Num symbolum addendum sit in missa de isto festo translato quod per se symbolum non admittat, si in ea facta sit commemoratio alicuius festi occurrentis ritus duplicis maioris aut minoris quod ius habeat ad symbolum in missa?

« V. Collectae ab ordinario imperatae, ex novis rubricis, tit. XI, omittendae sunt, quandocumque in missa dicendae sint plusquam tres orationes a rubrica eo die praescriptae. Quaeritur ergo: An collectae omittendae sint, quando in missis privatis, post tres orationes eo die praescriptas, addita est oratio sanctissimi Sacramenti publice expositi, vel pro papa aut episcopo in respectivis anniversariis electionis, seu consecrationis aut coronationis?

« VI. Cum in tabella occurrentiae perpetuae nuper ab ista s. Congregatione edita, evidenter mendum irrepserit typographicum in quadrangulo in quo sibi invicem occurrunt simplex cum simplici, ubi legendus est numerus 7, et non 8, dubium oritur, an aliud pariter mendum sit in quadrangulis in quibus sibi invicem obveniunt duplex maius et minus, cum vigilia Epiphaniae, ubi loco numeri 3 videtur quod legi debeat numerus 6, eo quod

officium ipsius vigiliae gaudeat privilegiis dominicae, ac proinde praevalere debeat, ex novis rubricis, duplici minori et maiori quod non sit festum Domini. Quaeritur: An revera in praedictis duobus quadrangulis legendus sit numerus 6, ita ut in casu agi debeat de vigilia Epiphaniae, cum perpetua repositione duplicis occurrentis?

« Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti secretarii, audita sententia Commissionis liturgicae reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit:

« Ad I. Officium dominicae infra octavam Nativitatis transferendae ea die ponatur qua festum minus nobile in occurrentia, a die 29 usque ad 31 decembris, secus peragendum foret, salvis dominicae iuribus in concurrentia. Quod si omnia festa a die 29 ad 31 decembris occurrentia ritum duplicem I aut II classis obtineant, commemoratio dominicae fiat in festo ut supra minus nobili. In paritate nobilitatis officium aut commemoratio dominicae fiat in festo prius occurrente.

« Ad II. Affirmative.

« Ad III. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

« Ad IV. et V. Affirmative.

« Ad VI. In tabella occurrentiae perpetuae menda corrigantur, ita ut in quadrangulo in quo sibi invicem occurrunt simplex cum simplici, ponatur numerus 7, et in quadrangulis in quibus occurrunt duplex maius et minus cum vigilia Epiphaniae, ponatur numerus 6: et vigilia Epiphaniae, privilegiis dominicae gaudens, tam in occurrentia quam in concurrentia, duplici etiam maiori semper praeferatur » *S. R. C. 21 iun. 1912.*

III. – De impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis.

4176 1. **Decretum.** — « In plenario conventu supremae sacrae congregationis sancti Officii habito feria IV die 16 aprilis 1890, proposita quaestione: — An in concedendis ab habente a s. Sede potestatem dispensationibus super impedimento disparitatis cultus praescriptae cautiones semper sint exigendae, emi ac rmi dd. Cardinales in rebus fidei et morum inquisitores generales, re perdiligenti examine discussa, respondendum decreverunt: - Dispensationem super impedimento disparitatis cultus nunquam concedi, nisi expressis omnibus conditionibus seu cautionibus» *S. U. I. 21 iun. 1912.*

2. **Decretum.** — « In plenario conventu supremae sacrae congregationis sancti Officii habito feria IV die 12 iunii 1912, propositis dubiis:

4177 « I. Utrum dispensatio super impedimento disparitatis cultus, ab habente a sancta Sede potestatem, non requisitis vel denegatis praescriptis cautionibus impertita, valida habenda sit an non? Et quatenus negative:

« II. Utrum hisce in casibus, cum scilicet de dispensatione sic invalide

concessa evidenter constat, matrimonii ex hoc capite nullitatem per se ipse ordinarius declarare valeat, vel opus sit, singulis vicibus, ad sanctam Sedem pro sententia definitiva recurrere?

« Emi ac rmi dd. Cardinales in rebus fidei et morum inquisitores generales, omnibus mature perpensis, respondendum decreverunt:

« Ad I. Dispensationem prout exponitur impertitam esse nullam.

« Ad II. Affirmative ad primam; negative ad secundam partem » *S. U. I. 21 iun. 1912.*

4178 3. **Decretum.** — « Cum per decretum *Ne temere* diei 2 augusti 1907, n. IV, expresse ac nulla facta distinctione edicatur parochos et locorum ordinarios *valide* matrimonio assistere, *dummodo invitati ac rogati.. requirant excipiantque contrahentium consensum;* graves in praxi difficultates ortae sunt relale ad mixtas nuptias in quibus, denegatis pervicaciter a partibus debitis cautionibus, sancta Sedes, attentis peculiaribus quorumdam locorum circumstantiis, *materialem tantum parochi praesentiam*, per modum exceptionis ac veluti ultimum tolerantiae limitem, antea aliquando permiserat.

« Re delata ad supremam hanc sacram congregationem sancti Officii, cui ex praescripto apostolicae constitutionis " Sapienti consilio „ *integra manet... facultas ea cognoscendi quae circa... impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur*, atque in plenario conventu habito feria III, loco IV, die 21 maii 1912, praevio rmorum dd. consultorum voto, perdiligenti examine discussa, emi ac rmi dd. Cardinales in rebus fidei et morum inquisitores generales, omnibus mature perpensis, decreverunt: —« Praescriptionem decreti *Ne temere* n. IV § 3 de requirendo per parochum excipiendoque, ad validitatem matrimonii, nupturientium consensu, in matrimoniis mixtis in quibus debitas cautiones exhibere pervicaciter partes renuant, locum posthac non habere; sed standum *taxative* praecedentibus sanctae Sedis ac praesertim s. m. Gregorii pp. XVI (litt. app. diei 30 aprilis 1841 ad episcopos Hungariae) ad rem concessionibus et instructionibus: facto verbo cum Ssmo ». *S. U. I. 31 iun. 1912.*

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
758.037 C001 V003
NOPSIS RERUM MORALIUM ET IURUS PONTIFI
3 0311 00044 2801

8

WITHDRAWN

BX 30103
1758
.037 Ojetti, Benedicto.
AUTHOR
V.3 SYNOPSIS RERUM MORALIUM
TITLE
ET JURIS PONTIFICII.

3 0311 00044 2801